CODICIS IURIS CANONICI FONTES

CURA

EMI PETRI CARD. GASPARRI

EDITI

VOLUMEN VI

CURIA ROMANA

S. C. CONCILII - AN. 1761-1917

S. C. SUPER STATU REGUL. - S. C. DE RELIGIOSIS

N. 3705-4427

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXXII

3/8/44 LP.

Emus Petrus Card. Gasparri sibi reservat ius proprietatis in haec Collectanea sicut in Codicis Praefationem, Fontium Annotationes et Indices Analytico-Alphabeticos.

ELENCHUS OPERUM

AD QUAE PRO REPERIENDIS FONTIBUS IN HOC VOLUMINE RELATIS VIRI STUDIOSI REMITTUNTUR.

Bullarum Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum Amplissima Collectio, opera et studio CAROLI COCQUELINES, Romae (1739-1744). Sumptibus Hieronymi Mainardi.

Bullarii Romani Continuatio, Romae (1835-1858). Typographia Rev. Camerae Apostolicae.

Pii IX Pontificis Maximi *Acta*, Pars prima, Romae (1854, sq.). Typographia Bonarum Artium. Typographia Vaticana.

Leonis XIII Pontificis Maximi *Acta*, Romae (1881-1905). Ex Typographia Vaticana.

ACTA SANCTAE SEDIS, Romae (1865, sq.).

ACTA APOSTOLICAE SEDIS, Romae (1909, sq.). Typis Polyglottis Vaticanis.

A. BIZZARRI, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episcoporum et Regularium*, Romae (1885). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (1907). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Decreta Authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata, Romae (1898-1912). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide. Typis Polyglottis Vaticanis.

Ius Pontificium de Propaganda Fide, Romae (1888-1897). Typographia Polyglotta.

LIBER DECRETORUM S. C. CONCILII.

LIBER LITTERARUM S. C. CONCILII.

SALVATORIS PALLOTTINI, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum apud S. C. Cardinalium S. Concilii Tridentini*, Romae (1868-1893). Typis S. C. de Prop. Fide.

Raccolta di Concordati su materie ecclesiastiche tra la Santa Sede e le Autorità civili, Roma (1919). Tipografia Poliglotta Vaticana.

AUGUSTINU DE ROSKOVÁNY, *De Matrimoniis mixtis*, Quinque Ecclesiis (1842). Typis Lycei Episcopalis.

Thesaurus Resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, a. 1718, sq.

INDEX FONTIUM

QUI IN HOC VOLUMINE REFERUNTUR

III. - CURIA ROMANA.

5. - S. C. Concilii.

6. – S. C. super Statu Regularium.

7. – S. C. de Religiosis.

III. - CURIA ROMANA

5. - S. C. CONCILII.

3705.

S. C. C., *Caputaquen.*, 17 ian. 1761.

Post varias dilationes [1] tandem die 2 augusti 1760 [2] resoluta fuit haec causa. Verum Baiulivus S. Euphemiae iterum refricatis motivis in praecedenti propositione deductis, contendit actus ab Episcopo in praedictis locis positos non posse suffragari pro exclusione praerogativae *Nullius* ab eodem Baiulivo praetensae. Erit itaque ab Eminentiis Vestris decernendum:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 2-4].

3706.

S. C. C., *Pinnen.*, 28 febr. 1761.

Unius concurrentis approbatio, quae facta est ab Examinatoribus in concursu habito ad Praebendam Theologalem Ecclesiae Cathedralis Pinnensis vacatam in mense decembris 1758 litis materiam praebuit alteri oppositori reiecto, uti descriptum est in folio Congregationis habitae die 23 augusti 1760. [3] Verum idem oppositor die 20 septembris eiusdem anni ad dubium: *An constet de mala relatione Examinatorum et de irrationabili iudicio Episcopi ita, ut reprobatio sacerdotis de Sanctis non substineatur?* a S. Congregatione responsum accepit: *Negative in omnibus, et amplius.* [4] Inde etiam hodiernae quaestionis occasionem sumpsit Capitulum eiusdem Cathedralis Ecclesiae, quod nedum asserit, sibi ius esse conferendi Praebendas Canonicales vacantes in mensibus ordinariis, ut probari autumat ex confessione Episcopi, a quo certioratum fuit de sequuta praedicti Concurrentis approbatione, *ut ad collationem dicti Canonicatus Theologalis opportune deveniret*, sed insuper contendit ius habere personam benevisam eligendi ad easdem vacantes Praebendas, et in illius praeiudicium nequivisse ab Exa-

[1] Cf. N. 3669, 3697.
[2] Cf. N. 3702.
[3] Thesaurus Resolutionum, tom. 29, p. 223-226.
[4] Thesaurus Resolutionum, tom. 29, p. 232.

minatoribus sive ab Episcopo unum approbari in praedicto concursu habito ad Prebendam Theologalem.

Episcopus autem contra disserit, Canonicatuum collationem de iure ad ipsum spectare, nec posse a Capitulo vindicari ius conferendi, nisi probetur titulus specialis privilegii vel consuetudinis. Electionem vero specialiter sibi attribuit quoad Praebendam Theologalem: licitamque, putat, nedum fuisse unius Concurrentis approbationem, dum unus repertus est idoneus, sed etiam inter plures approbatos electionem dignioris ad ipsum spectare ex mente Sacri Concilii Tridentini, Sess. 5, cap. 1, *de ref.*, et vigore Benedictinae constitutionis, *Pastoralis officii*, [1] quae praecipiens concursum ab Episcopo indicendum in collatione Theologalis ad instar Parochialium, reservasse quoque videtur eidem Episcopo electionem dignioris, uti partem integralem concursus, ut firmat Rigant. *ad Regul. 1 Cancellar.*, § 10, n. 31. Et hoc ipsum arbitratur procedere, etiamsi Capitulo competeret ius eligendi ac etiam conferendi quoad reliquas Praebendas, quia nihilominus vigore Sacri Concilii electio ad Praebendam Theologalem facienda erit a solo Episcopo, reservata collatione iis, ad quos spectabat ante Concilium, et ad summum, censet, competere posse Capitulo ius praesentandi electum ab Episcopo, ut rescripsit haec S. Congregatio in *Salernitana*, 21 iulii et 1 septembris 1753. [2] Definiendum itaque proponitur Eminentiis Vestris:

An electio ad Canonicatum Theologalem fieri possit a Capitulo favore sibi magis benevisi inter plures approbatos in concursu, seu potius praeelectio et approbatio in eodem concursu et collatio privative spectet ad Episcopum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 65-67].

3707.

S. C. C., *Neapolitana*, 11 apr. 1761.

Matrimonium, quod die 7 ianuarii 1758 celebratum est inter Annibalem Caesareum et Annam Elisabeth Scorno, ratum, sed ob viri impotentiam nondum consummatum fuisse coniuges ipsi iureiurando declararunt in publico instrumento die 4 martii eiusdem anni stipulato, et maritali dissociato consortio, convenerunt de iudicio curiae Archiepiscopalis Neapolitanae hoc desuper exquirendo, ut fas esset Annibali sponso claustralem vitam, quam pridem optaverat, assumere. Huius rei notionem prior detulit ad Curiam Archiepiscopalem Anna Elisabeth sponsa, quae die 7 martii praedicti, oblato libello, postulavit, nullum atque irritum Matrimonium declarari ob viri impotentiam; et Annibal Caesareus die 7 sequentis mensis aprilis novum obtulit libellum, quo propriam fassus inertiam, instetit pro-

[1] Cf. N. 289.
[2] Cf. N. 3631, 3636.
[3] Cf. N. 3708.

nunciari, Matrimonium esse ratum et non consummatum, sibique proinde licere ad regularem perfectiorem statum transire; ac illius instantiae adhaesit etiam Anna Elisabeth uxor.

Ad formam itaque huius novi libelli contestata et prosequuta fuit lis cum Fisci Patrono, Matrimoniorum Defensore. Et instante Fisco, interrogati fuerunt iidem coniuges, qui iurati asseruerunt, adeo imbecillem fuisse Annibalem, ut neque arte, neque medicaminibus vis in eo excitari potuerit, qua se maritum praestaret: cum aliqua tamen variatione circa reiterationem conatuum ad maritales congressus post traductionem sponsae ad domum viri ab isto admissam et a muliere ex causa inertiae eiusdem viri exclusam. Quatuor inducti fuerunt testes, quorum duo Sacerdotes et alter Medicus, qui medicamina praebuerant. Iique super interrogatoriis Fisci examinati famam deposuerunt in primis initi coniugii diebus evulgatam de Annibalis impotentia, et tum propriam, tum communem propinquorum vicinorumque opinionem de vacuis transactis noctibus usque ad sequutam coniugum separationem.

Inspectum fuit mulieris corpus a tribus electis obstetricibus, quae retulerunt, intactam illam esse, eiusque virginitatem arte nulla mentiri potuisse. Et quoniam illarum altera subiunxit, maturum ea de re ferri non posse iudicium post unicam inspectionem, ipsa iterum, aliaeque tres obstetrices deputatae fuerunt, quae diligentius perscrutatis partibus illisque madefactis aqua calente, certam atque indubiam affirmarunt Annae Elisabeth virginitatem. Virum quoque inspexerunt quatuor medicinae et chirurgiae Professores, qui licet non invenerint manifesta illius impotentiae signa, attamen illorum tres eum connubii nescium iudicarunt. Iterum coniuges iuramentum a Iudice delatum praestiterunt de Matrimonio numquam consummato; et cum eis iurarunt viri consanguinei quinque et mulieris consanguinei, ac vicini septem, affirmantes, nec coniuges mentiri, nec Matrimonium unquam consummatum sese opinari; ac illos inter septem probatae mulieres virginitatem Annae Elisabeth testatae sunt ex propria oculari inspectione post introductam litem.

His praehabitis definitiva tandem prodiit sententia Curiae Archiepiscopalis, qua declaratum est Matrimonium praedictum *esse ratum et non consummatum, ac proinde licere et licitum esse praedicto D. Annibali ingredi Religionem approbatam ad finem solemniter profitendi*. Appellavit Fiscus, ut pareret constitutioni *Dei miseratione* s. m. Benedicti XIV. [1] Et delata controversia ad hanc Sacram Congregationem, post auditum de more Emum Archiepiscopum, causa nunc proponitur.

Disputat autem Annibal, solum de Matrimonio rato et non consummato inquirendum esse in hoc iudicio, quum ante consummationem de iure licitum sit alteri ex coniugibus Religionem approbatam ingredi in eaque perpetuam castitatem profiteri ita, ut alter coniux in saeculo remanens vinculo coniugii solutus, possit libere ad novas nuptias convolare, ut post cap. *Verum* 2 et cap. *Ex publico* 7, *de convers. coniug*. definivit Sacrum Conci-

[1] Cf. N. 318.

lium Tridentinum, can. 6, *de doctr. Sacr. Matrim.* Neque ad hunc effectum requiri autumat rigidissimas vel impotentiae vel non sequutae consummationis probationes, quae ad obviandum fraudibus exiguntur in iudicio nullitatis propositae ex impotentia absoluta vel correspectiva. Quapropter censet, satis evinci Matrimonium ratum et non consummatum ex pluribus, quae afferuntur, probationibus.

At contra defensor Matrimonii excipit, quod cohabitatio et condormitio praesumptionem iuris et de iure inducit de sequuta copula, ut tradit Pignatelli, *consult.* 148, n. 21, tom. 1, quodque Annibalis impotentia, quam periti asserere non sunt ausi, praesumenda non sit, et mulieris recognitio imperfecta fuerit ob omissum experimentum balnei aquae calentis; et ideo reliquas probationes ineptas esse contendit, uti non excludentes possibilitatem sequutae copulae. Non tamen dissimulat, leviores sufficere probationes in casu, de quo agitur, quam si res esset de dirimendo Matrimonio ob nullitatem ex impotentia absoluta vel respectiva.

Sapientissimo itaque EE. VV. iudicio definiendum proponitur:

I. *An constet de matrimonio rato et non consummato in casu?*

II. *An liceat Annibali Caesareo ingredi Religionem approbatam ad effectum in ea profitendi in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad utrumque. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 72-76].

3708.

S. C. C., *Pinnen.*, 11 et 25 apr. 1761.

Dilata fuit resolutio huius causae in Congregatione habita die 28 februarii proxime praeteriti, [2] quae modo danda erit.

Die 11 aprilis 1761: Non proposita.

Die 25 aprilis 1761 Sacra, etc. respondit: Praeelectionem et collationem spectare ad Episcopum; praesentationem vero spectare ad Capitulum, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 98, 116-119].

3709.

S. C. C., *Viglevanen.*, 11 et 25 apr. 1761.

Sacerdos Ioannes Merula in testamento, quod condidit anno 1690, heredem instituit Animam suam, commissa hereditatis administratione Sacerdoti, quem *Cappellanum suum mercenarium* appellavit. Eidem autem Cappellano iniunxit, ut Missas tercentum quolibet anno celebraret scilicet biscentum sexaginta in altari privilegiato Ecclesiae Cathedralis Viglevanensis et alias quadraginta in rurali oratorio S. Laurentii pro commodo rusticorum circumadiacentium. Et, statuta earumdem Missarum eleemosyna in annuis scutis 40 monetae Romanae, iussit, quod si fructus hereditarii ad praedictam summam non ascenderent, pro modo deficientis quantitatis minueretur numerus Missarum, nulla petita a Superioribus reductione.

[1] Cf. N. 3711.
[2] Cf. N. 3706.

Primum Cappellanum ipse testator nominavit; et post illius obitum ius nominandi successores Cappellanos reliquit Gaspari Vincentio Merula eiusque descendentibus masculis in infinitum, hac adiecta lege, *quod duo tantum aetate seniores possint eligere dictum Cappellanum, qui debeat esse mercenarius, et non Cappellanus Beneficiatus; ita quod dicta hereditas eiusque redditus et fructus non possint ullo unquam futuro tempore usque in infinitum in Cappellam seu Beneficium disponi, ordinari sive converti, et tam per ultimam voluntatem, quam inter vivos, etiam interveniente quacumque authoritate Superioris: quia enixa mens dicti Domini Testatoris fuit et est, quod dicta Missa sit omnino mercenaria et non alias nec alio modo.* Et praecepit, quod eligendus in Cappellanum foret actu Sacerdos, quodque electus removeri non posset, nisi ex gravissima causa recognoscenda et approbanda ab Exequutoribus testamentariis, sed ex descendentibus Gasparis Vincentii Merula eligi posse in Cappellanum, etiamsi non esset sacerdos, eiusque intuitu removeri quemlibet alium Cappellanum: *concedens etiam facultatem ut omnia bona dictae hereditatis vel aliqua possint illi assignari in patrimonium, ut possit ad Sacros Ordines quam primum promoveri.*

Eamdem obtinet Cappellaniam Sacerdos Ioannes Merula, qui precibus Sanctissimo oblatis et ad hanc S. Congregationem remissis postulabat illam erigi in Beneficium ecclesiasticum. Datae fuerunt de more literae ad Episcopum, ut votum suum aperiret utque omnibus interesse habentibus terminum praefigeret ad deducendum iura sua in hac S. Congregatione. Et Episcopus sub die 5 iulii superioris anni retulit: oratoris preces veritate niti; interesse habentes per edictum monitos non reclamasse; exequutores testamentarios expresse assentiri; et huiusmodi erectionem fore cessuram in utilitatem piae dispositionis et decus Ecclesiae Viglevanensis, et proinde arbitratur, petitam gratiam concedi posse. Preces nunc renovat Orator, et disputat petitam Beneficii ecclesiastici erectionem minime repugnare iuris dispositioni, quum expediat, iusta concurrente causa necessitatis, vel utilitatis pias morientium voluntates in melius commutare. Neque censet obesse praeceptum Testatoris non erigendi Beneficium *etiam interveniente quacumque auctoritate Superioris*, quia ex hoc non exclusa contenditur suprema auctoritas Summi Pontificis, et quia petitae erectioni Beneficii expresse consentiunt exequutores quibus *concessit omnem potestatem et authoritatem ad habendam curam ad dispositionem praedictam.*

Dignabuntur itaque decernere Eminentiae Vestrae:

I. *An sit locus erectioni Cappellaniae manualis fundatae a Sacerdote quondam Ioanne Merula in Cappellaniam ecclesiasticam?* Et quatenus affirmative:

II. *An omnes illius redditus sint percipiendi a Cappellano, seu potius quae summa quolibet anno sit investienda in casu?*

Die 11 aprilis 1761: Non proposita.

Die 25 aprilis 1761 Sacra, etc. respondit ad I. Negative, et amplius.

Ad II. Negative ad primam partem, et affirmative ad secundam ad formam testamenti.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 104-109, 116].

3710.

S. C. C., *Spiren.*, 30 maii 1761.

Ab ecclesia Parochiali oppidi Rothenfels dudum unita Capitulo Cathedralis Spirensis, quod Vicarium in ea retinet pro exercitio curae animarum, dismembrata fuit anno 1361 villa de Seelbach ad preces Comitis de Eberstein loci Baronis; nova Parochialis de consensu omnium, quorum intererat, in illa erecta est de iurepatronatus dicti Baronis, qui dotem pro Rectore contulerat. Quum autem superioribus annis fatiscentem dictae villae Seelbach Parochialem ecclesiam Episcopus Spirensis interdixisset, demandata illius reaedificatione, contra quos de iure: orta est controversia de expensis in eam causam erogandis, quas a Capitulo Cathedralis Spirensis loci decimatore subeundas esse parochiani autumabant; et parochianos ad illas teneri Capitulum contendebat. Ast Aediles Margravii Badensis, qui hodiernus est Villae Dominus, decreverunt decimarum sequestrum, collectaque inde pecunia, novam ecclesiae constructionem sciente et annuente Episcopo, inchoarunt. Querelam passi sequestri ad Aulam Imperialem detulit Capitulum; Aediles autem s. m. Benedicto XIV supplicarunt, ut apostolica auctoritate quaestionem dirimeret. Sed audito Episcopo, preces ad hanc S. Congregationem remissae sunt.

Causa nunc proponitur. Et disputant Aediles, cuiuslibet ecclesiae reaedificationi occurrendum primo esse ex redditibus ipsius ecclesiae, ut post text. in cap. 1 et 4, *de eccles. aedific.* sancivit Sacrum Concilium Tridentinum, Sess. 21, cap. 7, *de ref.*, et ideo Capitulum Spirense teneri ad reaedificandam ecclesiam Parochialem villae Seelbach ratione decimarum ipsius villae, quas percipit. Et quousque suppetant vires decimarum, arbitrantur, cogi non posse ad ecclesiam reaedificandam vel Patronum vel parochianos, qui solum in subsidium obligantur, deficientibus ecclesiae redditibus. Minusque ad reaedificationis expensas teneri Parochum, qui vix habet reditus sufficientes pro congrua. Triplex nihilominus praevident obiectum: quod nimirum decimae controversae non spectant ad ecclesiam Parochialem Seelbacensem, sed ad ecclesiam matricem Rothenfels, huic expressae reservatae in illius dismembratione; quodque ecclesia Seelbacensis peculiares habet redditus pro fabrica; et quod demum in longo quatuor saeculorum decursu post sequutam dismembrationem Capitulum subire numquam consuevit expensas pro ecclesiae restauratione. Sed primum obiectum everti putant ex censura textus in cap. *Ad audientiam 3, de eccles. aedific.* et S. Concilii Tridentini, Sess, 21, cap. 4, *de ref.*, ubi cavetur, quod dismembratione facta novae Parochiali erigendae providendum sit ex redditibus loci, in

quo sit erectio. Alterum vero obiectum cessare autumant ex eo, quod redditus fabricae non in erectione ecclesiae constituti, sed progressu temporis acquisiti paucissimi sunt, ne quidem sufficientes quotidianis et minutis reparationibus. Et quoad tertium obiectum contendunt, probationes a Capitulo allatas respicere solum restaurationes vel ecclesiae vel aedium Parochialium factas a populo, proindeque inducere nequivisse consuetudinem Capitulum eximentem a reaedificatione ecclesiae.

Capitulum contra onus reaedificationis refundi praetendit tum in Parochum, cuius redditus pingues asserit, tum in Patronum et populum, praesertim, quum populus ipse postremis temporibus aedificaverit domum Parochialem. Atque in primis reintegrari postulat ad possessionem decimarum iuxta monitum textus in cap. *Tua nobis 26, de decim.* Dignabuntur itaque EE. VV. definire:

1. *An, et ad quem spectet reaedificatio ecclesiae Parochialis oppidi Seelbacensis?*

2. *An sit locus restitutioni decimarum, et a quo sint restituendae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Spectare primo loco ad reditus fabricae; secundo loco ad populum; tertio ad Patronum.

Ad 2. Affirmative, et esse restituendas a Regimine Badensi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 140-143].

3711.

S. C. C., *Neapolitana*, 18 iul. 1761.

Definita fuit haec causa in Congregatione habita die 11 aprilis proxime praeteriti.[1] Verum denuo supplicat Annibal Caesareus, ut EE. VV. dignentur decernere:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 187].

3712.

S. C. C., *Spiren.*, 18 iul. 1761.

Ad vacantem Parochialem ecclesiam in Eppingen, qui pagus est in Dioecesi Spirensi, saecularem Sacerdotem praesentandum esse a Priore Conventus Carmelitarum in Hirschhorn Wormatiensis Dioecesis, qua Patrono eiusdem ecclesiae, definivit Curia Episcopalis Spirensis, reiecta nominatione P. Matthaei Carmelitani a dicto Priore facta, illiusque sententia per Curiam Metropolitanam Moguntinam confirmata est, verum appellatione interposita ad Tribunal Auditoris Camerae, quae deinde remissa fuit ad hanc S. Congregationem, suam tuetur Prior facultatem deputandi ad exercitium curae dictae Parochialis Religiosum eiusdem Ordinis ad sui

[1] Cf. N. 3707.

nutum amovibilem vigore duplicis indulti apostolici et immemorabilis observantiae.

Porro in literis apostolicis Gregorii XII sub datum 15 septembris 1409 approbanda committitur Decano Spirensi donatio portionis decimarum cum iurepatronatus laicali Parochialis Eppingensis, quam in usum fabricae Conventus Hirschhornensis pollicitus fuerat Nobilis laicus illius fundator, reservata tamen congrua pro Vicario perpetuo in eadem Parochiali instituendo. Et Decanus literarum apostolicarum exequutor donationem decimarum et iurispatronatus factam approbavit die 12 iunii 1410, adhibitis tamen verbis unionem ipsius ecclesiae Parochialis exprimentibus. Anno autem 1487 Prior dicti Conventus alias literas apostolicas impetravit a s. m. Innocentio VIII, quibus Priori et Fratribus eiusdem Conventus facultatem indulsit Summus Pontifex, *quod de caetero perpetuis futuris temporibus, decedentibus modernis dictarum Parochialium ecclesiarum* (Eppingensis et Hefsloch) *Vicariis, eisdem ecclesiis Parochialibus per Presbyteros idoneos saeculares, vel dicti Ordinis Regulares ad vestrum nutum amovibiles in divinis deservire et animarum curam parochianorum illarum exerceri facere, Dioecesanorum locorum, vel cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, libere et licite possitis.* Vigore itaque literarum apostolicarum Gregorii XII autumat Prior, substineri posse, subiective suo Conventui unitam fuisse Parochialem controversam, illamque propterea obtineri posse ab eisdem Conventus Religiosis ad nutum amovibilibus. Et si quae dubietas oriri posset circa qualitatem unionis a praefatis literis Gregorianis erutae, eam ad effectum deputationis Religiosi in Vicarium amovibilem censet auferri per posteriores literas Innocentii VIII.

Verum ab Episcopo tum in transmissa relatione, tum in circumferendo libello excipitur, suspectam esse fidem assertarum literarum Gregorii et Innocentii, quum illarum non exhibeatur autographum; et insuper nullam inducere subiectivam unionem, quum solum loquatur de approbanda decimarum et iurispatronatus donatione reservata congrua Vicario perpetuo; verba autem exequutoris unionem exprimentia vel inutilia esse, uti excedentia limites delegationis, vel esse interpretanda de unione accessoria et quoad temporalia tantum, ob praeservatum iuspatronatus et ius nominandi Vicarium perpetuum, quae duae circumstantiae repugnant unioni subiectivae. Exclusa vero subiectiva unione, subditur, nihil prodesse indultum Innocentii VIII, quia obreptitium est, uti supponens unionem sequutam authoritate apostolica. Erit itaque ab EE. VV. definiendum:

1. *An Superior Conventus Ordinis Carmelitarum Hirshhorn teneatur praesentare ad animarum curam in Eppingen Sacerdotem saecularem, vel potius valeat deputare Sacerdotem Regularem?*

2. *An Sacerdotes, ut supra, praesentandi vel deputandi, amoveri possint ad nutum ipsius Superioris Conventus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius.

Ad 2. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 187-194].

3713.

S. C. C., *Leopolien.*, 19 sept. 1761.

Proponebatur haec causa in Congregatione habita die 30 iunii 1759, et rescriptum fuit: *Dilata, et conficiatur processus iuxta decretum Nunciaturae Apostolicae.*[1] Subdelegatus itaque fuit Iudex in partibus ad effectum compilandi processum remissorialem. Verum coram Iudice subdelegato suppositi nequaquam fuerunt novo examini testes in prima instantia examinati, solumque examinatis quinque testibus super novis articulis a Defensore Matrimonii productis remissus fuit ad hanc S. Congregationem processus remissorialis, unaque simul exhibita fuit renunciatio liti facta a Nicolao in Curia Archiepiscopali Leopoliensi.

Testes autem ultimo loco examinati unanimiter deponunt, Mariannam statim egressam ab utero materno, privato Baptismate ex aqua tantum regeneratam fuisse, ob periculum vitae, a quodam Religioso Basiliano, fungentibus munere compatrum Antonio Sokolmiki et Anna Raieka, atque deinde suppletas fuisse caeremonias in sacello domestico sine ablutione aquae, cum assistentia Nicolai Potocki et Iustinae Dembrowski. Ex iisdem autem testibus sola Anna Raieka annorum 40 deponit de facto proprio tam circa Baptismum ex aqua collatum cum ipsius assistentia, dum agebat annum decimum octavum, quam circa suppletas caeremonias cum assistentia Nicolai, quibus praesentem se fuisse asserit. Alii vero quatuor testes solum de auditu deponunt.

Ex his autem infert Defensor Mariannae, nullam verificari cognationem spiritualem eam inter et Nicolaum, qui solum assistentiam praestitit, dum caeremoniae suppletae fuerunt sine ablutione aquae. Pertinet itaque ad EE. VV. decernere:

An constet de validitate seu potius de nullitate Matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 253-256].

3714.

S. C. C., *Pisauren.*, 21 nov. 1761.

Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Ecclesiae Pisaurensis gravissimum putat planeque factu impossibile ob suam ingravescentem aetatem morborumque affectiones, quod praeter integras omnium confessiones, quas excipere tenetur in amplissima Dioecesi, absolutionem quoque debeat impertiri a casibus Episcopo reservatis, quos in copioso numero recensent tabellae in postrema Dioecesana Synodo publicatae. Facultatem itaque a

[1] Cf. N. 3686.

reservatis absolvendi recusare nisus est, sed obstitit Episcopus, qui comminata suspensione a divinis ipso facto incurrenda, ei praecepit, ut facultate illa uteretur, et poenitentes in reservata lapsos, quos absolutione dignos iudicasset, absolveret. Quapropter hanc Poenitentiarius excitavit controversiam, quae modo proponitur.

Et disputat, iurisdictionem in foro poenitentiali, quam de iure assequutus est cum suo Canonicatu, nequaquam extendi ad peccata Episcopo reservata, pro quibus indiget speciali delegatione Episcopi, ut definivit haec S. Congregatio in *Fossanen.*, 5 decembris 1637,[1] quare arbitratur, se invitum non teneri, nec cogi posse ab Episcopo ad acceptandam huiusmodi delegationem, seu facultatem absolvendi a casibus reservatis, illaque utendum, quum nequeat Episcopus nova onera Beneficiis addere iuxta censuram S. Concilii Tridentini, Sess. 25, cap. 5, *de ref.* Sed quatenus EE. PP. contrarium videatur, putat nihilominus, substineri non posse comminatam poenam suspensionis a divinis ipso facto incurrendae in casu non acceptatae delegationis vel non usus facultatis absolvendi a casibus reservatis, quia huiusmodi comminatio est tantum adhibenda, cum malum gravissimum est, neque aliter praecidi aliisque poenis cohiberi potest, praesertim cum nullae ab Episcopo afferantur probationes negligentiae et desidiae ipsius Poenitentiarii, de cuius caeteroquin solertia et diligentia in audiendis confessionibus testantur quatuor Canonici et duo inferiores Presbyteri. Disserit etiam, alium Confessarium constituendum esse in Cathedrali sumptibus Episcopi, praeditum facultate absolvendi a casibus reservatis, cum ipse Poenitentiarius debeat solum operam praestare, non autem conducere coadiutorem, ubi solus audire non possit confessiones omnium poenitentium Dioecesis in reservata lapsorum, quorum saluti prospicere in primis tenetur Episcopus, uti cavetur in epistola encyclica de mandato Summi Pontificis evulgata die 26 novembris 1602 a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium.[2]

Episcopus autem in sua relatione edita iussu S. Congregationis illiberalem putat Poenitentiarii recusationem sub praetextu senectutis et malae valetudinis, cum post exceptas poenitentium confessiones, quas ille ratione sui muneris audire non renuit, nullum aut levissimum incommodum afferat concessio vel denegatio absolutionis iuxta poenitentium meritum. Caeterum defenditur, respuere illum non posse delegatam iurisdictionem in foro poenitentiali et facultatem absolvendi a casibus reservatis, tum quia munus publicum, uti est iurisdictio, a nemine recusari potest, tum quia Episcopus ratione obedientiae sibi debitae a clericis suae Dioecesis, potest ob gravem et legitimam causam Sacerdoti iniungere, ut populi confessiones excipiat. Nec deesse subditur gravem et legitimam causam cogendi Poenitentiarium, ut acceptet delegatam facultatem absolvendi a reservatis, cum ille institutus fuerit a Sacro Concilio Tridentino ad confessiones pro Episcopo audiendas, maxime quia ex generali fere consuetudine receptum est, quod Poenitentiarii quodammodo ratione officii adiunctam habeant facultatem absolvendi a reservatis ad tradita per Barbos., *de Can. et Dignit.*, cap. 26, num. 16. Quamobrem autumat Episcopus, iuste comminatam fuisse poenam suspensionis ipso facto incurrendae, quia Poenitentiarius renuens munus suum adimplere, potest ab Episcopo puniri, et cum de gestis ab eo in poenitentiae Tribunali rationem petere non valeat, atque relatione Confessariorum edoctus sit, quod ille nolens uti facultate delegata, pluries sine absolutione dimisit poenitentes in reservata lapsos: ideo in re gravissima et in defectum aequioris remedii valide arbitratur indixisse poenam suspensionis ipso facto incurrendae. De alterius vero Confessarii deputatione censet Episcopus, plus aequo sollicitum videri Poenitentiarium, cui nec imminet cura animarum Dioecesis, neque onus augetur ex deficientia alterius Confessarii et ex multiplicitate casuum reservatorum, cum ipse debeat ratione sui muneris statis diebus et horis in Ecclesia Cathedrali et sua in sede confessionali assistere. His itaque perpensis definiendum erit ab Eminentiis Vestris:

1. *An Episcopus cogere possit Canonicum Poenitentiarium ad acceptandam delegationem facultatis absolvendi poenitentes a casibus reservatis?* Et quatenus affirmative:

2. *An teneatur Episcopus deputare sumptibus propriis alium Sacerdotem dicta facultate praeditum?*

3. *An comminatio suspensionis a divinis ipso facto incurrendae substineatur?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, et amplius.
Ad 2. Negative, et ad mentem.
Ad 3. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 30, p. 292-296].

[1] Lib. 15 Decretorum, p. 621.
[2] Cf. N. 1615.

3715.

S. C. C., *Nullius*, 16 et 30 ian. 1762.

Servitio Prioralis receptitiae ecclesiae S. Ioannis Baptistae terrae Fasani adscripti reperiuntur originarii omnes, qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, quorum quadraginta Participantes nuncupati absque titulo collativo et cum aequali emolumentorum participatione inservire tenentur. Veteri autem consuetudine ac peculiari lege a Participantibus edita anno 1671 et a Vicario Generali subscripta cautum est, quod Participantes ultra sex menses a residentia vel a servitio chori absentes a participatione excludantur. Sacerdos Petrus Leonardus Loprete in Participantium numerum anno 1729 adscriptus paulo post ex causa non servatae residentiae ab eo fuit expunctus, sed postmodum anno 1732 iterum obtinuit ad aliam portionem tunc vacantem admitti. Cum autem ipse denuo relicto propriae ecclesiae servitio, ad Urbem sese transtulisset, hinc capitulares die 4 iulii 1759 coram Vicario Generali insteterunt, ut ei ad redeundum congruus assignaretur terminus, quo elapso, ipsis fieret potestas alterum ex senioribus

Supranumerariis subrogandi. Postulatio huiusmodi die 17 eiusdem mensis intimata fuit Loprete, praefixo termino triginta dierum ad comparendum, sed ipso in sua contumacia insordescente, delata est causa iudicio Sacrae Congregationis. Eaque nunc proponitur duobus collecta capitibus.

Et disputant Capitulares, Sacerdotem Loprete ad residendum et ad chori interessendum teneri tum ex Iuris Canonici dispositione, tum ex antiqua consuetudine, tum etiam ex peculiari decreto capitulari anno 1671 ab Ordinario approbato, in quo delentur ab albo Participantium non residentes ultra sex menses. Cumque nulla rationabili impellente causa per plures annos a residentia vacaverit et adhuc vacet, inferunt, locum esse expulsioni Loprete a consortio et subrogationi alterius ex Supranumerariis. Quoad onus residentiae in his ecclesiis receptitiis conferre videntur rescripta huius Sacrae Congregationis edita in *Asculana*, 18 novembris 1662;[1] quo vero ad privationem non residentium similis quaestio proposita in *Ugentina*, 9 septembris 1730,[2] quae tamen decisa non fuit. Dignabuntur igitur EE. VV. decernere:

1. *An Sacerdos Loprete teneatur ad personalem residentiam in ecclesia receptitia S. Ioannis Baptistae terrae Fasani?* Et quatenus affirmative:

2. *An attenta illius contumacia, sit locus admissioni novi Presbyteri in locum dicti Loprete in casu?*

Die 16 ianuarii 1762: Non proposita.

Die 30 ianuarii 1762 Sacra, etc. respondit: Affirmative ad utrumque.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 22-25, 27].

3716.

S. C. C., *Anconitana*, 13 et 27 mart. 1762.

Veterem Conventus ecclesiam temporum iniuria collabentem Anconitana Ordinis Praedicatorum Familia demoliri statuit in Conventuali Capitulo habito die 26 maii 1759, novamque a fundamentis construere iuxta delineationem faciendam a Carolo Marchionni Architecto et approbandam a P. M. Generali Ordinis. Precibus inde oblatis Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium, postulavit, ut sibi facultas indulgeretur foenore accipiendi decem millia scutorum pro exequenda Capitulari deliberatione. Annuit petitis S. C. Episcoporum et Regularium die 20 iunii eiusdem anni, onere iniuncto deponendi quotannis post expletam fabricam scut. 600 pro redemptione censuum contrahendorum et specialiter ad hunc effectum assignandi sufficientes alicuius fundi reditus. Assignato igitur fundo, collectaque ex impositis censibus pecunia, manus demolitioni admotae sunt; prodiitque tandem Architecti Marchionni delineatio. Operis elegantia, quam exhibebat delineatio, digna visa est Priori Conventus aliqua Anconitanae Civitatis retributione. Ab ea igitur postulavit suo suorumque Religiosorum nomine,

[1] Cf. N. 2779.
[2] Thesaurus Resolutionum, tom. 5, p. 41.

ut Conventui cederentur quaedam domus cum taberna et receptacula aquarum ad communitatem spectantia; sed reiecta semel iterumque petitione hac in Communitatis Consilio, preces Religiosorum nomine oblatae fuerunt Sacrae Congregationi Boni Regiminis.

Verum sese opposuerunt Cives, qui obiiciunt integri operis inutilitatem, et ideo autumant, a Patribus consulendum esse necessitati reaedificationis ecclesiae pro modo facultatum Conventus, nec beneplacitum apostolicum esse indulgendum pro suscipienda obligatione absolvendi opus inutile. Praeter Conventus praeiudicium allegant Cives indecentiam profanationis situs duplicis ecclesiae. Nam Peritus Marchionni in situ antiquae ecclesiae Conventus delineat domos locatitias et viam, quae sternenda est inter easdem domos et novam ecclesiam, proponitque in plateam redigi alteram ecclesiam Parochialem B. Mariae Virginis Incoronatae; quocirca inferunt, eo minus indulgendum esse beneplacitum apostolicum directum ad indecoram profanationem duplicis ecclesiae, quae a Sacris Canonibus vetita est. ut in can. 4, caus. 19, quaest. 3, maxime vero, quia eadem ecclesia Sanctae Mariae Incoronatae asseritur de iureparonatus Communitatis.

Huic tamen patronatus exceptioni respondent PP. Dominicani, vel satis probatum non esse iuspatronatus ex recensitis monumentis, vel amissum illud fuisse per non usum plurium saeculorum. Nec sibi grave esse subdunt ecclesiae demolitioni parcere, ubi Civitati, in cuius gratiam et ornatum meditabatur expleri, comperiatur invisa. Dignabuntur itaque EE. VV. definire:

1. *An, et quomodo sit indulgendum beneplacitum apostolicum pro valida emittenda obligatione adimplendi conditiones praescriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis?*

2. *An constet de iurepatronatus favore Civitatis Anconae super ecclesia S. Mariae dell'Incoronata?*

4. *An liceat RR. PP. S. Dominici Anconae demolire praefatam ecclesiam in casu?*

Die 13 martii 1762: Non proposita.

Die 27 martii 1762 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, iuxta modum. Modus est, quod exequatur mappa Marchionni pro scut. 35 mil. cum approbatione P. Vicarii Generalis.

Ad 2. Negative.

Ad 4. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 60-68, 77].

3717.

S. C. C., *Spoletana*, 27 mart. 1762.

Quatuor vix elapsis mensibus post matrimonium die 26 iulii 1758 celebratum inter Augustinum Sciamanna Interamnensem et Claram Cesarini Spoletanam, huius nomine querela nullitatis ob viri impotentiam delata est ad hanc Sacram Congregationem, quae die 2 decembris eiusdem anni audiendum censuit Episcopum Spoletanum. Is autem die 7 ianuarii 1759

virum interrogavit, qui fassus est, non consummasse matrimonium, et credere se inhabilem ad illud consummandum, ob dolorem in ipso limine maritalis congressus ex contactu partium productum, quo erectio reprimitur. Medicum quoque et Chirurgum in testes adductos audivit, qui asseruerunt, nullum invenisse externum impotentiae signum in peracta viri recognitione praeter dolorem ab eo enunciatum, cuius causa datum ipsis non fuit glandem a circumiacentibus integumentis detegere, quamobrem alter perpetuum indicavit coeundi impedimentum, alter temporale: quare votum suum aperuit Episcopus pro experimento cohabitationis triennalis. Remissae ergo fuerunt preces ad eumdem Episcopum. Incepto autem iudicio Episcopus die 27 iunii 1759 decrevit terminum triennalem computandum a die tentatae copulae, quam vir iureiurando declaravit tentasse ipsa prima nocte post initum coniugium. Sed triennio nondum expleto uxor supplicavit Sanctissimo Domino Nostro pro dispensatione ulterioris molestiae cohabitationis usque tunc inutilis compertae.

Unde mense Augusti reassumptum fuit iudicium dissolutionis matrimonii. Et imprimis recepta fuit iurata mulieris declaratio cum iuramento septimae manus propinquorum de conatibus iteratis et de numquam sequuta consummatione non obstantibus medelis adhibitis et peractis incisionibus. Vir quoque coram Vicario Generali Interamnensi a Curia Spoletana delegato ratam habuit primam suam confessionem, ut supra, factam die 7 ianuarii 1759, et quoad ipsum pariter accessit septimae manus iuramentum. Denuo acciti fuerunt Chirurgus alias ab Episcopo Spoletano auditus, et alter Medicus, qui formiter examinati asseruerunt, exteriora impotentiae signa haud apparuisse in peracta nova viri recognitione, praeter dolorem supra recensitum, de quo Chirurgus testatur, et praeter languorem partium ac continuum spermatis ac lotii fluxum, iudicantes propterea illius impotentiam ex frigiditate atque vitiis internis et latentibus genitam perpetuam esse. Tandem recognita fuit mulier a tribus electis obstetricibus, quae unanimiter in formali examine retulerunt, eam post usum balnei aquae calentis virginem et incorruptam repperisse. Sententiam ergo protulit Episcopus Spoletanus, qua declaravit, constitisse et constare *de vera, naturali, perpetua atque absoluta impotentia supradicti Augustini Sciamanna*, proindeque matrimonium tamquam nullum et irritum, dissolvendum esse.

Praemissa querela super sententiae nullitate, ab ea appellavit Defensor matrimonii; et causa delata est ad hanc Sacram Congregationem. Disputat nunc Clara Cesarini pro eiusdem sententiae confirmatione, cum matrimonium recte dissolutum fuerit ob viri impotentiam; et impotentia viri certa et perpetua ipsi videtur iuxta peritorum relationes, et concludenter probata post fere triennalem inutilem cohabitationem. Sed matrimonii Defensor excipit, rationem nullam habendam esse de peritis in testes inductis, et a Iudice non electis, praesertim cum vir fateatur habere erectionem, quae ex dolore reprimitur, ideoque facile tolli possit impedimentum. Et triennale experimentum, cum non sit completum, disserit non prodesse, quia integrum requiritur in cap. *Laudabilem*, et in cap. *Literae, de frig. et malefic.*, minimeque vim addere mulieris recognitionem et iuramentum septimae

manus, cui locus non erat ante completam triennalem cohabitationem, cum probata mulieris virginitas non concludat impotentiam viri ante triennale experimentum. Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

An sit locus dissolutioni matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et fiat recognitio corporis viri per peritos iudiciales in Urbe iuxta instructionem D. Secretarii. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 78-82].

3718.

S. C. C., *Eugubina*, 22 maii 1762.

In oppido Costacciari Eugubinae Dioecesis adest saecularis ecclesia sub invocatione S. Marci Evangelistae, quae totius oppidi unica est Parochialis, eiusque Rector Archipresbyter nuncupatur. Plerumque tamen ab Archipresbytero et Clero saeculari ecclesiasticae functiones peraguntur in ampliori et elegantiori ecclesia Fratrum Minorum Conventualium eiusdem oppidi. Nuper autem super nonnullis exortis controversiis, precibus huic Sacrae Congregationi oblatis conquestus est Archipresbyter, et postulavit exortas quaestiones ad iuris tramites definiri. Causa nunc proponitur septem collecta capitibus.

Tertio quaeritur de iure cogendi Conventuales ad associationem cadaverum. Et ipsi arbitrantur, cogi non posse: quia sicuti liberum est heredibus eos, quos malunt, invitare, ita liberum esse debeat invitatis accedere, vel non, ut definivit Sacra Congregatio Rituum in *Senogallien.*, 22 iunii 1675, ad 4. [2] Agitur quarto de numero Presbyterorum aut Regularium, qui ad funera sint invitandi. Et Conventuales defendunt, relinquendum esse arbitrio heredum, ut censuit haec S. Congregatio in *Novarien.*, 15 martii 1704. [3] Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

3. *An dicti Patres occasione tumulationis cadaverum in eorum ecclesia teneantur ad illorum associationem, seu potius illa expectare possint in ianua dictae propriae ecclesiae?*

4. *An pro associatione cadaverum ad praefatam ecclesiam Parochialem, sive ad aliam, liceat heredibus defunctorum invitare tot Regulares, quot invitantur Presbyteri saeculares, etiam reluctante Parocho, sicut in reliquis funerum pompa pendere debeat ab eorumdem heredum arbitrio?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 3. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et amplius.

Ad 4. Affirmative in omnibus, arbitrio heredum, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 123-128].

[1] Cf. N. 3721.
[2] Cf. N. 5605.
[3] Cf. N. 3015.

3719.

S. C. C., *Bononien.*, 22 maii, 12 iun., 3 iul. 1762.

Ecclesia S. Laurentii unica Parochialis Castri Butrii Bononiensis Dioecesis de consensu Communitatis Patronae anno 1406 concessa fuit Fratribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis vigore literarum apostolicarum s. m. Innocentii VII. Nuper autem iidem Religiosi, expedito monitorio coram Auditore Camerae, excitarunt lites, quae ex oraculo Sanctissimi ab illius R. P. D. Auditore remissae fuerunt ad hanc Sacram Congregationem. Et audito de more Eñio Dño Cardinali Archiepiscopo Bononiensi, qui Religiosorum illiberalitatem reprehendit, causa nunc proponitur quindecim collecta capitibus.

Post tria priora dubia de funeribus et funerum ordine quaeritur in septem aliis dubiis. Et quoties contingat ad funera invitari praedictos Religiosos, et funeribus intersint etiam Presbyteri saeculares, istis post Parochum praecedentiam deberi autumant Butrienses, sive Religiosi incedant collegialiter, uti Capitulum Claustrale, sive singulariter, uti Cappellani conductitii, iuxta firmata per Pignatelli, *Consult. Canon.*, 26, num. 1, et 29, tom. 4, minusque censent, inter eosdem Religiosos vocatos, uti Cappellanos conductitios, misceri posse etiam Conversos, prout in speciali instructione evulgata anno 1739 prohibuit s. m. Benedictus XIV tunc Archiepiscopus Bononiensis, decernens assumendos ex Clero saeculari vel regulari in Cappellanos conductitios constitutos esse debere in Ordinibus Sacris, et edicens, ne ad funera uti Cappellani conductitii vocarentur Religiosi ex aliquo peculiari titulo de praecedentia certantes, nisi post absolutam praecedentiae controversiam, ut in Instit. Eccl. 105, num. 32 et sq. Placeat itaque EE. VV. decernere:

VII. *An salva praecedentia debita Parocho stola induto et ducenti funus, debeatur praecedentia et dignior locus Presbyteris et Clericis saecularibus supra Religiosos dicti Conventus intervenientes associationi cadaverum, uti Cappellanos conductitios, seu potius debeatur dictis Religiosis?*

VIII. *An eadem praecedentia debeatur dictis Religiosis supra Presbyteros et Clericos saeculares, quando ipsi interveniunt, uti Capitulum Claustrale?*

IX. *An dicta praecedentia debeatur P. Priori eiusdem Conventus supra Presbyteros et Clericos saeculares, quatenus ipse interveniat cum aliis Religiosis sui Conventus intervenientibus tam collegialiter, quam uti Cappellanos conductitios?*

X. *An commisceri possint laici Conversi dicti Conventus cum Presbyteris et Clericis tam saecularibus, quam regularibus invitatis et intervenientibus tamquam Cappellanis conductitiis?*

Die 22 maii 1762: Non proposita.

Die 12 iunii 1762 Sacra, etc. respondit: Dilata ad sequentem, etiam unica.

Die 3 iulii 1762 Sacra, etc. respondit ad VII. Praecedentiam deberi Presbyteris et Clericis saecularibus intra eundem Ordinem.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Negative, quatenus non sit Parochus.

Ad X. Negative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 136-140, 143, 159-164].

3720.

S. C. C., *Terulen.*, 3 iul. 1762.

Vacavit anno 1738 simplex beneficium iurispatronatus laicorum sub invocatione B. Mariae Virginis Rosarii erectum in ecclesia Parochiali oppidi de Castellar Terulensis Dioecesis. Et Patroni successive praesentarunt Iosephum Sans Sodos Baguena, Franciscum Valero Escriche et Dominicum Serrano. Has autem praesentationes censuit Vicarius Generalis expletas fuisse contra legem fundationis; illis itaque sententia sua abrogatis, die 25 septembris anno 1739 novum statuit terminum Patronis ad praesentandum. Appellavit Dominicus Serrano a sententia Vicarii Generalis; sed Procurator Patronorum eumdem iterum praesentavit. Cumque Vicarius renueret praesentationem admittere, nisi omnes litis consortes assentirentur exequutioni sententiae, Procurator Dominici Serrano appellavit a denegata iustitia. Sed Promotor fiscalis indignum beneficio Serranum conclamavit, productisque sex testibus, quorum tres Sacerdotes erant et Parochi, illius patrata crimina et malam famam probare nisus est. Quare Vicarius Generalis nova prolata sententia die 3 augusti 1740 irritam declaravit appellationem a denegata iustitia interpositam, et dictam Serrani praesentationem reiecit, *tamquam factam in personam inhabilem et prorsus incapacem ad obtinendas Dignitates et Beneficia Ecclesiastica: quia, cum non sit integrae famae, non habet qualitates a iure requisitas.* Postquam igitur Metropolitanum adivit Serranus, urget nunc propositionem causae in hac S. Congregatione.

At illi se opponunt Petrus Sodos et Iacobus Escriche, qui praesentati a Patronis, beneficium impetrarunt a Dataria vigore praesentationis ac iure devolutionis. Disputant autem oppositores, idoneum iudicandum non esse Dominicum Serrano ad effectum assequendi controversum beneficium, quia obstat sententia Curiae Episcopalis Terulensis inhabilem eum declarans, a qua licet ipse appellaverit, appellationem tamen prosequutus non est. Praeterea contendunt, Dominicum Serranum non in pueritia, sed in aetate adulta unius et viginti annorum horrendi criminis reum effectum esse ob haereticalem blasphemiam in Beatam Virginem, et ob contemptum statuae S. Raymundi de Pennafort non sine vehementi haeresis suspicione lapidibus impetitae cum scandalo et offensione multorum adstantium aliorumque, ad quos fama sceleris pervenit, eaque propter carceribus mancipatum a Curia Episcopali traductum fuisse ad carceres Inquisitionis Valentiae indeque dimissum sine certa notitia exitus causae; pravam insuper et lascivam peregisse vitam, gravesque molestias matri et aviae attulisse, ut plurium testimo-

[1] Cf. N. 3725.

nio ex alio processu evinci retulit Ordinarius anno 1757. Et ideo subdunt, infamiam inde contractam a Serrano, etiamsi non esset iuris, sed facti, eum inhabilem reddidisse ad assequenda beneficia; nihilque prodesse peractam poenitentiam et emendationem vitae, quia nec fructus dignos poenitentiae ediderat ante sententiam prolatam ab Ordinario die 3 augusti anni 1740, cum ex successivo processu ab eodem Ordinario enunciato compertus fuerit inhoneste versatus, nec poenitentia peracta est in loco commissi delicti, ut opus fuisset ad tollendam notam infamiae et ad abolendam memoriam criminis.

Serranus autem moerens patrato scelere, solam infamiae notam et inhabilitatis poenam studet evitare: quia, ut asserit, non prava intentione in crimen incidit, sed iuvenili vanitate ductus, et quia haereticales blasphemiae etiam in Deum et Virginem, infamiam iuris non irrogant et poenam inhabilitatis ad beneficia, nisi tertio relapsis, iuxta constitutionem *Supernae*, § 33, s. m. Leonis X [1] confirmatam a S. Pio V in const. *Cum primum*, § 10, [2] et quia demum temporis lapsus prope triginta annorum cum emendatione vitae, de qua luculentum perhibent testimonium Caesaraugustanus Antistes pluresque Parochi Urbis, omnem abolevit turpem opinionem et infamiae maculam ex facto criminoso productam et a paucis testibus relatam. Promotor fiscalis, qui prius adversabatur petitioni Oratoris, novo oblato libello a lite recedere protestatur, ob illius emendationis notitias ad Episcopum perventas. Erit itaque definiendum ab Eminentiis Vestris:

An constet de idoneitate Clerici Dominici Serrano ad effectum obtinendi litteras apostolicas cum gratia pro praesentato et unice qualificato ad Beneficium, de quo agitur in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et reformetur dubium. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 36, p. 176-181].

3721.

S. C. C., *Spoletana*, 3 et 24 iul. 1762.

Proposita fuit haec causa in Congregatione habita die 27 praeteriti mensis martii. [4] Et Eminentissimi Patres suspensa dubii resolutione, rescripserunt: *Dilata, et fiat recognitio corporis viri per peritos iudiciales in Urbe iuxta instructionem D. Secretarii.* Quatuor itaque electi fuerunt periti: duo in medicina et duo in chirurgia ex Urbis Professoribus primi nominis, qui inspecto corpore Augustini Sciamanna, illiusque perpensis qualitatibus iuxta datam instructionem, iureiurando apud acta retulerunt, perfectam quidem esse virilium partium constructionem, nullumque impotentiae argumentum oriri ex molesto contactu et humoris fluxu, quibus afficitur Augustinus Sciamanna, sed fibram obesam et mollem pallorem carnium et spi-

[1] Cf. N. 65.
[2] Cf. N. 111.
[3] Cf. N. 3731.
[4] Cf. N. 3717.

ritus hebetudinem in eo indicare genitalium paralysim et languorem, cuius causa numquam Sciamanna, ut ipse asseruit, passus est erectionem aut nocturnas pollutiones; iudicium inde proferentes, *che il Signor Agostino Sciamanna è costituito a natura in una perfetta impotenza ad esercitar l'atto del matrimonio: e secondo i più sodi principii della facoltà nostra non sarà giammai in stato di acquistar forza di generare.*

Matrimonii dissolutionem nunc urget Clara Cesarini, quia paralysis perpetuam atque insuperabilem producit impotentiam. Sed matrimonii Defensor excipit, impotentiam generandi a peritis enunciatam haud pertinere ad nullitatem matrimonii, et signa paralysis omnino dubia et praesumptiva completam requirere triennalem cohabitationem. Definiendum idcirco erit ab Eminentiis Vestris:

An sit locus dissolutioni matrimonii in casu?

Die 3 iulii 1762 Sacra, etc. respondit: Affirmative.

Ut autem impleatur forma notissimae constitutionis Benedictinae, [1] supplicat Clara Cesarini ab EE. VV. definiri:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 24 iulii 1762 Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 165, 204].

3722.

S. C. C., *Novarien.*, 11 et 25 sept. 1762.

Pagus Suni Novariensis duobus vicis constans, duas habebat Parochiales ecclesias, singulas in unoquoque vico: unam sub invocatione S. Ginnesii cum laicorum Confraternitate Ssm̃i Rosarii, alteram in honorem S. Mariae ad Elisabeth Deo dicatam cum sua pariter laicorum Confraternitate Sanctissimi Corporis Christi. Utramque Parochialem ambasque Confraternitates, parochiani S. Mariae ad Elisabeth conquesti sunt in hac Sacra Congregatione, non iure fuisse unitas ab Episcopo Novariensi in pastorali visitatione peracta anno 1759; sed unionis decretum minime attulerunt.

Episcopus tamen de more auditus retulit, ad evellenda discordiarum semina dudum ferventia inter parochianos et Parochos dictarum ecclesiarum utilem duobus, qui praecesserunt, Episcopis visam fuisse praefatam unionem, quam morte praeventi nequiverunt perficere; ipsum autem in peracta visitatione anno 1759 optimo consilio iudicasse huius vici gentem pessimam in duas factiones ab immemorabili iuxta binas, quas habebat, Parochias et Confraternitates divisam ac caedibus quandoque dilaniatam, unius dumtaxat Parochi directioni committendam, unamque Confraternitatem illi constituendam esse. Quamobrem, auditis eiusdem pagi Consiliariis, et utriusque Confraternitatis Officialibus, habitoque eorumdem ac amborum Parochorum, necnon Capituli consensu, deventum fuit ad utriusque Confraternitatis suppressionem ac novae unicae erectionem sub titulo Sanctissimi Nominis Iesu, et ad unionem dictarum Parochialium in unicam.

[1] Cf. N. 318.

Oratores autem gravatos se fuisse contendunt per unionem factam decreto visitationis, quia Parochiarum unio Ordinariis facienda permittitur ob illarum dumtaxat paupertatem aut in caeteris casibus de iure permissis ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis iuxta censuram Sacri Concilii Tridentini in Sess. 21, cap. 5, *de ref.*, et propterea opinantur, iure fieri ab Episcopo nequivisse unionem Parochialium ratione paupertatis, quam deesse probat ipsum decretum unionis, cum fructus haud cumulaverit favore superstitis Parochi, sed Parochiae suppressae praebendam divisit in duos Cappellanos Coadiutores. Minusque unionem defendi posse arbitrantur ratione utilitatis ob iurgiorum impedimentum, ut censuit Episcopus, quia praeter quam quod iurgia potius ex unione, quam ex divisione sequi soleant, nec probationes assertorum iurgiorum allatae sunt, nec constat alio remedio illa impediri nequivisse. Et augeri putant gravamen ex eo, quod unio supponitur facta de consensu Consiliariorum pagi et Officialium Confraternitatis suppressae Parochiae: quamquam Officiales ipsi seu Consiliarii testentur, dolo et circumventionibus extortum ab ipsis fuisse consensum, et tercentum viginti Confratres suppressae Confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi aperte dissentiant, postulentque reintegrationem suppressae Confraternitatis et Parochiae. Licet enim ad validitatem unionis necessarius non sit consensus populi, attamen spernendus non est illius dissensus, quando est rationabilis, atque rationabilem esse populi dissensum disputant Oratores, cum ipsi per unionem subiiciantur mercenariis Cappellanis loco veri Parochi, et ablegentur ad dissitam Parochiam S. Ginnesii, licet ratione distantiae et difficultatis viae inundationibus proximi torrentis expositae videretur potius locum esse dismembrationi, si una fuisset Parochialis iuxta definitionem textus in cap. *Ad audientiam, de ecclesiis aedific.*, cui adhaeret Sacrum Concilium Tridentinum, Sess. 21, cap. 4, *de ref.* Placeat itaque EE. VV. definire:

An decretum unionis Parochialium S. Mariae ad Elisabeth et S. Ginnesii, ac respective Confraternitatum Sanctissimi Corporis Christi et Sanctissimi Rosarii factum ab Episcopo Novariensi substineatur in casu?

Die 11 septembris 1762: Non proposita.

Die 25 septembris 1762 Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo pro transmissione actorum. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 253-256, 271].

3723.

S. C. C., *Firmana*, 4 et 18 dec. 1762, 22 ian. 1763.

In ecclesia Patrum Augustinianorum, quae est in Castro S. Angeli de Pontano Firmanae Dioecesis, adest Sacellum Deo dicatum in honorem S. Nicolai de Tolentino, cuius Reliquia in eo asservatur cum lampade continuo accensa ex legato Nicolai de Angelinis. Pro huius cappellae conservatione

[1] Cf. N. 3732.

die 3 augusti 1705 Ioseph de Angelinis donavit sub certis conditionibus scuta biscentum, quae recepta fuerunt a Priore et Religiosis illius Conventus capitulariter congregatis; et in instrumento dictae donationis enunciatur, illam praeteritis saeculis fundatam et constructam fuisse a Friderico seniore de Angelinis, atque deinceps pluries ampliatam et ornatam *omnibus sumptibus et expensis Dominorum de Angelinis, non autem dicti Conventus vel aliorum etc., qui semper de eademmet aedicula fuerunt Domini et Patroni etc., retinentes penes se ipsas claves eiusdem Sanctae Reliquiae.* Cum tamen in eodem sacello iuxta dispositionem Nicolai Antonii de Angelinis, ultimi suae Familiae agnati, erigendae essent nonnullae Cappellaniae ecclesiasticae: obstiterunt Religiosi, autumantes, erectionem fieri non posse absque ipsorum consensu, quem expresse denegarunt. Quare Communitas Castri S. Angeli, ad hunc effectum heres scripta a praefato Nicolao Antonio, supplicavit huic Sacrae Congregationi, ut decerneret Cappellaniarum erectionem in designato altari, vel, commutata testatoris voluntate, eas erigi mandaret in alia ecclesia. Et Vicarius Apostolicus de more auditus prudentem iudicat alternativam Communitatis instantiam, verum putat iniustam esse Religiosorum contradictionem ob patronatum Familiae Angelini in supradicta Cappella S. Nicolai.

Curator itaque huius hereditatis a publico Communitatis Consilio electus nunc disputat non minus de iurepatronatus altaris, quam de Cappellaniarum erectione. Fretus enim confessione patronatus deprompta ex instrumento stipulato cum Religiosis dicti Conventus anno 1705 et testimonio Vicarii Apostolici de fundatione et dotatione dictae Cappellae facta a Friderico et aliis de Angelinis, exinde probatum autumat illorum favore iuspatronatus, quod fundatione vel dotatione acquiritur ad textum in cap. *Nobis 25, de iurepatr.*, praesertim concurrentibus fruitione plurium praerogativarum et retentione clavium Reliquiae penes Gentem Angelinam. Nihil obstare putat defectum beneplaciti apostolici, cum illud requiratur pro acquirendo iure eligendi Superiores Regulares, non autem iurepatronatus Cappellae. Quapropter attento iurepatronatus Familiae Angelini in praedicta Cappella S. Nicolai, contendit, nullum requiri consensum Religiosorum pro erigendis in ea Cappellaniis relictis a Nicolao Antonio Angelini. Dignentur itaque EE. VV. decernere:

I. *An constet de iurepatronatus Familiae Angelini in Cappella S. Nicolai Tolentini erecta in Ecclesia S. Augustini Castri S. Angeli?* Et quatenus affirmative:

II. *An erectio Cappellaniarum Angelini sit facienda in dicta Cappella, seu potius sit concedenda translatio in aliam Ecclesiam et altare in casu?*

Die 4 decembris 1762: Non proposita.

Die 18 decembris 1762 Sacra, etc. respondit: Dilata ad sequentem omnino, etiam unica.

Imperio itaque EE. PP. obtemperantes, causam reproponimus. Et Fratres Augustiniani in circumferendo libello disputant, iuspatronatus Cappellae S. Nicolai de Tolentino in eorum Ecclesia existentis haud videri favore Gentis Angelinae probatum solis enunciativis relatis vel in instrumento anni 1705 vel in informatione Vicarii Generalis, minusque putant, suaderi iuspatrona-

tus ex donatione et expensis in beneficium altaris collatis a Familia Angelini, cum non omnes Benefactores dicendi sint Patroni, Card. de Luca, *de iurepatron.*, disc. 55, n. 17. Atque irrelevantes esse contendunt coniecturas in comprobationem iurispatronatus. Et quatenus etiam concludenter constaret de constructione et dotatione Cappellae facta a Gente Angelina, censerent, una cum Gente Angelina iuspatronatus addicendum esse ipsis Regularibus, qui fundum in sua Ecclesia praestiterunt pro altaris constructione. Plura tamen perpendenda in oppositum videntur. Primum, an iure allegari possit a PP. Augustinianis ratione fundi communio in iurepatronatus sacelli S. Nicolai, non docto de illius reservatione occasione, qua anno 1614 Fridericus Angelinus Cappellam fundavit et aedificavit, ut enarratur in instrumento anni 1705 cum Capitulari Religiosorum interventu stipulato, et an Familiae Angelinae suffragari queat praesumptio cessionis situs e conspectu absolutae confessionis pertinentiae Patronalis eiusdem sacelli ad Angelinos, *qui semper de eademmet aedicula fuerunt Domini et Patroni* ex eodem instrumento anni 1705 depromptae. Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

Die 22 ianuarii 1763 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative, et amplius. Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 345-347, 355, tom. 32, p. 1-3].

3724.

S. C. C., *Murana*, 22 ian., 26 febr., 12 mart. 1763.

Sacerdos Ianuarius Pacella de oppido Balvani Muranae Dioecesis, die 18 februarii 1755 se contulit cum ministris Curiae ad praedium Octavii Passanante sui debitoris, ad effectum exequendi super illius vaccis, mandatum pro suo credito obtentum in Curia laicali. Et cum Petrus Passanante, debitoris filius, ab earum custode accersitus e vicina domo erupisset securi armatus et post conatus interpositos pro impedienda pignoris captura, in Sacerdotem creditorem irruens, necem ei minaretur, nec illius hortationibus aut uxoris et sororis conatibus induci potuerit, ut sisteret gradum et iram deponeret: Sacerdos Pacella ad evitandam instantem mortem aggressorem praevenit, et ictu sclopi, quem parvis onustum globulis pro usu venationis perdicum deferebat, illum interfecit.

Post patratum homicidium idem Sacerdos adivit sponte sua Curiam Episcopalem Muranam, a qua in carceribus prius, inde in palatio episcopali quatuor circiter annis detentus, tandem definitiva sententia declaratus irregularis *ob relatum homicidium casuale*, et in poenam exilii a Dioecesi per quinquennium damnatus, salva tamen facultate Episcopi iniunctam poenam moderandi. Preces idcirco obtulit Sanctissimo Domino Nostro Sacerdos Pacella, quibus supplicabat pro dispensatione ab irregularitate; et delegata huic Sacrae Congregationi eiusdem postulationis notione, fuit de more auditus Episcopus, qui retulit, Oratorem culpa quidem non vacare ob incessum cum ministris Curiae pro exequendo mandato, quod viro ecclesiastico illicitum et indecorum erat, sed homicidium perpetrasse urgente necessitate

ad tuendam propriam vitam, ideoque dignum videri petita dispensatione, praesertim, cum ab occisi uxore veniam et pacem impetrasset. Nihilominus Oratoris preces bis reiectae fuerunt a Sacra Congregatione. Tertio nunc redit Orator, et probare contendit, Petrum Passanante occidisse ad vitandam instantem mortem, quam ille minabatur, erectam manibus deferens securim, ut de visu deponunt quinque testes in processu examinati, quorum alter insuper affirmat, Oratorem sclopum exonerasse, *perchè era ridotto vicino ad un vallone per non morire ammazzato lui;* et alter testatur, quod Orator fugiendo fuisset securi percussus ab insequente aggressore. Et opinatur, eo magis homicidium referendum esse ad causam defensionis propriae vitae, quia ipse miti ingenio praeditus Petrum Passanante, quoad potuit, exoravit, ut sisteret gradum, et ad illius mulciendam iram praecepit exequutoribus, ut captos boves relinquerent. Disserit propterea, se nullam incurrrisse irregularitatem ob homicidium patratum ad propriam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, ut statutum est in Clem. unic., *de homicid.* Ac demum defendit, saltem locum esse dispensationi vel ad cautelam vel absolute, quia homicidium non fuit voluntarium, et non levem poenam ipse hactenus pertulit spatio octo annorum, et agatur non de promovendo, sed iam promoto ad Presbyteratum.

Quibus perpensis dignabuntur EE. VV. definire:

I. *An constet de irregularitate?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et quomodo sit locus dispensationi in casu?*

Die 22 ianuarii 1763: Non proposita.

Die 26 februarii 1763: Non proposita.

Die 12 martii 1763 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Pro gratia dispensationis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 25-28, 37, 57].

3725.

S. C. C., *Bononien.*, 26 mart., 23 apr. 1763.

Resoluta fuit haec causa in Congregatione habita die 3 iulii 1762, [1] sed impetrata a collitigantibus nova audientia, causa denuo proponitur. Conqueruntur Regulares de praecedentia ipsis denegata super Presbyteros saeculares in VII. VIII. IX. dubiis, atque disserunt deformitatem parere mixtum incessum regularium et saecularium Presbyterorum sub unica, quae elevatur, cruce. Et praecedentiam ipsis deberi, sive quia constituunt Collegium ecclesiae matricis, sive quia unum corpus efformant cum Religioso, qui in figura Parochi stola indutus omnes alios praecedit, a quo seiungi non debent. Atque demum contendunt, laicos Conversos excludendos non esse a munere Cappellani conductitii in funeribus, quoties non resistat heredum voluntas. Pro Clero autem Butriensi excipitur, deformitatem omnem ratione mixti incessus regularium et saecularium Presbyterorum sublatam

[1] Cf. N. 3719.

fuisse, quando Religiosi interveniunt, uti Cappellani conductitii induti superpelliceo ad instar Presbyterorum saecularium, quando vero incedunt, uti Capitulum Claustrale, cessat etiam deformitas per absolutam praecedentiam datam Presbyteris et Clericis saecularibus sine Ordinis distinctione. Dignentur itaque EE. VV. decernere:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 26 martii 1763: Non proposita.

Die 23 aprilis 1763 Sacra, etc. respondit: In decisis in omnibus, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 78-86, 93].

3726.

S. C. C., *Nolana*, 23 apr. 1763.

Data fuit restitutio in integrum in hac causa in Congregatione habita die 19 novembris 1757.[1] Mandata idcirco fuit iurisdictio per breve apostolicum Episcopo Nolano, ut super nullitate professionis, prout de iure, procederet, servatis servandis, ad formam Sacri Concilii Tridentini, Sess. 25, cap. 19, *de Regul.* Episcopus mandatam iurisdictionem alteri delegavit, qui citatis Defensore professionis, Monasterio et dictis fratribus Oratricis definitivam protulit sententiam, solis innixus iuribus deductis in iudicio super restitutione in integrum, discusso in hac Sacra Congregatione, illaque declaravit professionem Oratricis *fuisse simulatam, ac simulate ab ipsa per aliam Monialem emissam ob timorem scilicet reverentialem erga parentes cadentem in mulierem constantem, attentis ipsorum importunis precibus, adiunctis minis, deceptionibus, fallaciis et asperis tractationibus, proindeque praemissis de causis fuisse et esse ipso iure nullam et invalidam*, eidemque Oratrici facultatem desuper indulsit, ut posset habitum regularem dimittere et ad saeculum redire.

Cum tamen adversus praedictam sententiam appellassent fratres Oratricis, ista nunc supplicat pro illius confirmatione. Verum Defensor professionis advertit, quod fratres de Cappella appellantes protestati sunt coram Iudice Delegato: *di avere scritture e testimonii nella Città di Somma e di Nola, in Anversa et in Napoli ed altri luoghi*, quibus probari contendebant validitatem professionis. Quoniam vero exhibita documenta non sunt, et aliae huiusmodi probationes iactabantur a fratribus de Cappella etiam in praeventivo iudicio restitutionis in integrum, quae tunc nullius ponderis visa sunt huic Sacrae Congregationi: ideo profitetur Curia Nolana, nihil sibi dicendum occurrere pro iusta professionis defensione. Erit itaque definiendum ab Eminentiis Vestris:

An constet de nullitate professionis, ita ut sententia Ordinarii sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, et sententiam Ordinarii esse confirmandam, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 104-106].

[1] Cf. N. 3677.

3727.

S. C. C., *Tranen.*, 14 maii 1763.

Insufficientem reputans Archiepiscopus Tranensis dotem annuorum ducatorum sexcentum Seminario puerorum assignatam, taxam indixit anno 1760 ad rationem quatuor pro quolibet centenario reddituum non super bonis suae mensae vel ecclesiarum et Beneficiorum Civitatis, quae contribuunt assignationi ducatorum sexcentum factae a Communitate Civitatis, sed super omnibus bonis ecclesiasticis Dioecesis, sive oppidorum Baruli et Corati ac Villae Sanctissimae Trinitatis, quibus constat Dioecesis universa. Reclamarunt tamen ecclesiastici Dioecesis, immunitatem variis rationibus allegantes; et cum decreta nihilominus fuerit confectio taxae iuxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini, Sess. 23, cap. 18, *de ref.*, post illam completam suas querelas iterum exponunt recurrentes.

Et primo adversus taxam conqueruntur Fratres Praedicatores, Minores Conventuales, Eremitae S. Augustini et Carmelitae, tamquam de genere Mendicantium, necnon Fratres Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, quos vere Mendicantes esse, sicut praedictos, declaravit S. Pius V in const. *Romanus Pontifex*, 3 octobris 1567, § 2.[1] Hi enim omnes immunitatem desumunt ex ipso Sacro Concilio Tridentino in cit. cap. 18, Sess. 23, *de ref.*, ubi subiiciuntur contributioni favore Seminarii redditus omnium Monasteriorum, *non tamen Mendicantium*. Nec huiusmodi exemptionem autumant sublatam fuisse a s. m. Benedicto XIII in const. *Creditae nobis*.[2] Pari ratione immunes esse contendunt Patres Societatis Iesu, cum et ipsi inter Mendicantes numerentur a S. Pio V in const. *Dum indefessae*, 7 iulii 1571[3] tam in domibus professis, quam in collegiis. Et duo insuper specialiter addunt: primum, quod iniuste Archiepiscopus rationem habuerit reddituum ducatorum mille, quos ipsi percipiunt ex bonis existentibus extra Dioecesim Tranensem; alterum quod ipsorum collegium erectum fuit in civitate Baruli cum onere publice docendi Grammaticam et Theologiam moralem, quod, exactissime ad hanc diem adimpleverunt, ideoque ex peculiari ratione immunes censendi sint a contributione taxae, cui Sacrum Concilium in dicta Sess. 23, cap. 18 subiecit bona *Collegiorum, in quibus tamen Seminaria discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum actu non habentur, haec enim exempta esse voluit*. De genere Mendicantium se esse autumant etiam Patres Congregationis S. Ioannis de Deo vigore communicationis privilegiorum eis indultae a s. m. Urbano VIII in const. *Sacrosanctum*, 20 iunii 1624.[4] Praeter Mendicantes de exemptione quoque contendunt Patres Caelestini vigore privilegii ipsis concessi a S. Pio V a. 1570 in const. *Decet et expedit*, quod privilegium fuit concessum ex titulo vere et proprie oneroso occasione subsidii quadringentorum millium scutorum auri in auro

[1] Bull. Rom., tom. 4, II, p. 397-399.
[2] Cf. N. 288.
[3] Bull. Rom., tom. 4, III, p. 170-172.
[4] Bull. Rom., tom. 5, V, p. 226-228.

ab eodem S. Pio impositi super bonis d. Congreg. ad effectum instruendi classem in defensionem Venetorum contra Turcas. Seminario contribuere detrectant Moniales, innixae motivo paupertatis, quam adeo gravem plurimi testes narrant, ut illae communem vitam servare non possint, et tenuem victum recipiant a Monasteriis, nihil autem pro vestibus, quas sibi parant ex propinquorum subventionibus vel ex labore manuum suarum. Aliorum morem sequuntur Clerici saeculares contendentes, contribuendum ab ipsis non esse Seminario. Cum enim iuxta mentem Provincialis Synodi in oppido Baruli anno 1590 erectum fuerit Collegium Societatis Iesu, cumque ipsi contribuant collectis, ex quibus solvitur stipendium Collegio pro educatione iuventutis: non debent alia contributione gravari favore Seminarii ea ipsa ratione, qua Archiepiscopus suam non taxavit mensam, nec ecclesiasticos Trani ob contributionem collectis, ex quibus Communitas solvit Seminario annuos ducatos sexcentum. Praeterea defendunt Capitula duarum Collegiatarum Baruli et alterius Collegiatae Corati, nullam ab ipsis deberi contributionem Seminario, quia nullas habent praebendas, et fructus omnes consistunt in distributionibus quotidianis, quae procedunt ex piis legatis relictis cum onere Missarum vel Anniversariorum. Demum exemptionem allegant possessores plurium Beneficiorum tum attenta paucitate illorum redditutum, tum insuper quia omnia dicta Beneficia, paucis exceptis, iuris patronatus laicorum sunt. Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

I. *An Patres Ordinum Praedicatorum S. Dominici, Minorum Conventualium S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, S. Ioannis de Deo, Beatae Mariae Virginis, Societatis Iesu et Caelestinorum Civitatis Baruli et respective Corati teneantur ad taxam pro Seminario?*

II. *An Capitula Ecclesiarum S. Mariae Maioris et S. Iacobi dictae Civitatis Baruli teneantur ad eandem taxam?*

III. *An Monasteria Monialium S. Stephani, S. Luciae et S. Clarae eiusdem Civitatis Baruli teneantur ad praedictam taxam?*

IV. *An possessores Beneficiorum seu legatorum piorum de Domo et Familia Trisono, Valentini, Mangione, Barbirosso, dell'Aglio, Raimondi, Taddei, Queralt, Bonelli, Veneri, Scioti, Anelli, Caldi, Pacis, Gerardini, et Molini, nec non Sanctae Mariae Constantinopolis, Sanctissimae Assumptionis, SS. Blasii et Nicolai de Tolentino, S. Michaelis Archangeli, Purificationis et S. Aegidii dictae Civitatis Baruli teneantur etiam ad illam?*

V. *An Capitulum Collegiatae Ecclesiae Civitatis Corati teneatur ad praedictam taxam?*

VI. *An Monasterium Monialium Sanctissimae Annunciationis dictae Civitatis Corati teneatur pariter ad eandem taxam in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Quoad Patres S. Ioannis de Deo: Affirmative; quoad Patres Caelestinos videatur particulariter; quoad reliquos: Negative.

Ad II. et V. Affirmative ad formam instructionis s. m. Benedicti XIII, [1] *et amplius.*

[1] Ad Episcopos Italiae Insularumque adiacentium transmissae post Concilium Romanum. — Cf. N. 288.

Ad III., IV. et VI. Affirmative, et amplius. Et ad Eminentissimum Praefectum ad mentem, suspensa interim exequutione taxae. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 129-139].

3728.

S. C. C., *Palentina*, 4 iun. 1763.

Monasterio S. Zoili Ordinis S. Benedicti, quod est in oppido de Carrion, Palentinae Dioecesis, univit s. m. Sixtus IV Parochialem ecclesiam S. Mariae Magdalenae cum facultate, ut in ea exerceretur animarum cura per Monachum ad nutum Abbatis amovibilem, *Dioecesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita.* Huius unionis praetextu non minus, quam vigore privilegiorum Ordinis Cluniacensis, hodiernus Abbas renuit anno 1761 ad visitationem dictae ecclesiae admittere Episcopum Palentinum, cuius ordinariae iurisdictioni subiacent Clerus et populus Parochiae; quare Episcopus Abbatem monuit, ut assertae exemptionis iura deduceret, quemadmodum decernitur in cap. *Cum personae* 7, *de privil.*, in 6. Et interim, praefixo illi termino ad praesentandum Sacerdotem idoneum, ut ab Episcopo approbaretur ad curam animarum, sub poena maioris excommunicationis ipso facto incurrendae inhibuit quibuscumque Sacerdotibus saecularibus aut regularibus, ne ad deputationem Abbatis praefatam curam exercerent sine approbatione Episcopi, etiamsi ab eo obtinuissent facultatem audiendi confessiones. Et huiusmodi Episcopi decretum confirmatum fuit in gradu appellationis a Nuncio Apostolico Hispaniarum, qui novam insuper appellationem a Monachis interpositam admisit in devolutivo tantum.

Pro dirimenda itaque controversia exemptionis Episcopus preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, a quo data fuit rei cognitio huic Sacrae Congregationi. Et nunc asserit Episcopus, ecclesiam Parochialem, de qua agitur, suae subesse ordinariae iurisdictioni ex dispositione iuris, ut in cap. 16, *de Offic. Ordin.* Nec officere illius unionem a s. m. Sixto IV factam exempto Monasterio S. Zoili, quia Sacrum Concilium Tridentinum Episcopis restituit iurisdictionem nedum in ecclesias Parochiales Monasteriis unitas, quas voluit singulis annis ab eis visitari, ut in cap. 7, Sess. 7, *de ref.*, sed etiam in ipsas ecclesias Monasteriorum, quatenus eis immineat cura animarum, ut in cap. 11, Sess. 25, *de regul.* Minusque autumat, prodesse Monasterio S. Zoili privilegia Ordinis Cluniacensis, quia in citato cap. 11, Sess. 25, *de regul.* exemptio praeservatur solum Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus. Et nullius ponderis reputat privilegia a s. m. Clemente VIII concessa Congregationi Vallisoletanae, cui unitum est Monasterium S. Zoili, tum quia privilegia Clementina concessa fuerunt sub expressa clausula: *quatenus decretis Concilii Tridentini non adversentur*, tum insuper, quia Clementinis privilegiis aliisque omnibus, quae essent praeiudicialia Episcopo, derogatum fuit a s. m. Benedicto XIV in const. *Firmandis.* [2] Advertendum tamen est,

[1] Cf. N. 3733, 3761.
[2] Cf. N. 349.

quod s. m. Gregorius XV in const. *Inscrutabili* [1] sancivit, ut personae quaecumque saeculares aut Regulares exemptae, curam animarum exercentes vel administrantes Sacramenta in quibusvis ecclesiis regularibus sive saecularibus, *in his, quae huiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, plene in omnibus subiiciantur*. Praeterea defendit, nemini licere in eadem ecclesia curam animarum exercere sine Ordinarii licentia, approbatione et examine, ut cavetur in can. *Sane quia 16*, quaest. 2; nec obstare indultum Sixti IV, quia resistit posterior censura Sacri Concilii Tridentini in d. cap. 11, Sess. 25, *de regular.*, et quia expresse quibuscumque contrariis derogatur tum a S. Pio V in const. *Ad exequendum*, [2] tum a s. m. Benedicto XIV in praedicta const. *Firmandis*. Definiendum itaque erit ab Eminentiis Vestris:

1. *An Parochialis ecclesia Sanctae Mariae Magdalenae unita Regio Monasterio Benedictinorum, sive regulari illorum ecclesiae sub titulo S. Zoili in Villa de Carrion Ordinis Cluniacensis, ordinariae iurisdictioni sit subiecta, et pastoralis illius visitatio, omnesque actus ipsam visitationem respicientes ad Ordinarium Palentinum pertineant?* Et quatenus negative:

2. *An liceat Abbati dicti Regii Monasterii exerceri facere animarum curam supradictae Parochialis ecclesiae S. Mariae Magdalenae per Presbyterum sive saecularem, sive regularem ad eius nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione et examine in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et ad Eminentissimum Praefectum, iuxta mentem. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 160-163].

3729.

S. C. C., *Venusina*, 25 iun., 30 iul. 1763.

In folio Congregationis habitae die 4 decembris superioris anni, [4] ita descripta fuit species facti huius causae: In Ecclesia Cathedrali Venusina nullae adsunt praebendae separatae, sed omnes fructus sunt communes totaque massa capitularis consistit in distributionibus quotidianis, quarum tertia pars inter solos Canonicos, reliquae duae partes inter Canonicos et Mansionarios dividuntur. Et cum distributiones regulariter debeantur solis praesentibus et Ecclesiae inservientibus iuxta censuram Sacri Concilii Tridentini in cap. 12, Sess. 24, *de ref.*, ideo Capituli et Canonicorum nomine septem proponuntur dubia circa illorum participationem in absentia: quorum prima quatuor ad eam pertinent quaestionem, an Episcopus pro suo arbitrio possit assumere in suo servitio Canonicos ac etiam Presbyteros

[1] Cf. N. 199.
[2] Die 1 nov. 1567. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401.
[3] Cf. N. 3737.
[4] Thesaurus Resolutionum, tom. 31, p. 347-353.

Mansionarios ita, ut isti Episcopo servientes participare valeant de massa, deque distributionibus quotidianis etiamsi choro non interveniant.

Et quod Episcopus valeat assumere pro suo servitio duos Canonicos, qui inservientes Episcopo, Ecclesiae sponso, ipsi Ecclesiae servire videntur, expresse sancitum est in cap. *De caetero 7*, et in cap. *Ad audientiam 15, de clericis non resid.* Cum tamen praefati textus loquantur solum de Canonicis, ideo contenditur nomine Capituli, non licere Episcopo assumere pro suo servitio Mansionarios. Ratione tamen huiusmodi servitii Episcopo praestandi autumant Oratores, solos fructus praebendarum acquiri posse a Canonicis absentibus, non autem distributiones quotidianas, quia in dd. cap. *De caetero* et in cap. *Ad audientiam, de clericis non resid.* fit mentio de solis fructibus beneficiorum vel praebendarum per eos lucrandis. Ponderandum tamen, quod Oratores in 2. dubio videntur innuere, quod sola tertia pars, quae peculiaris est Canonicorum, habenda sit loco praebendae, ideoque amittantur duae aliae partes communes cum Mansionariis, praeter alia emolumenta funeralium et anniversariorum, quae distributiones minutae vocantur.

Sed opinioni Oratorum adversari videtur inconcussa sententia huius Sacrae Congregationis, quod ubi omnes fructus consistunt in distributionibus quotidianis, duae partes habendae sint loco praebendae, quae in absentia acquiruntur a Canonicis inservientibus Episcopo, et tertia pars cedens loco distributionum, accrescat interessentibus, ut censuit in *Tranen.*, 10 maii 1698, rescribendo: *Canonicos Episcopo inservientes lucrari debere omnes fructus suarum praebendarum amissis distributionibus quotidianis; quodsi omnes redditus in distributionibus consistant, ipsis deberi duas ex tribus partibus omnium distributionum, dimissa tertia, quae inservientibus accrescat*, ut in Lib. 48 Decret., p. 222, licet ceteroquin nulla subesse possit amaritudo quoad amissionem emolumentorum funeralium et anniversariorum, cum vere non sint distributiones.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire:

1. *An duo Canonici, qui Episcopo inserviunt, quique Choro non interveniunt, neque aliis functionibus ecclesiasticis assistunt, possint ac debeant non solum participare de praebendis, verum etiam de quotidianis distributionibus eo modo, quo participant Canonici praesentes et inservientes?*

2. *An, si in Ecclesia Cathedrali non adsint praebendae, sed tota massa capitularis consistat in distributionibus quotidianis, quarum tertia pars stat loco praebendae et datur Canonicis praesentibus ultra alias duas partes, quas habent cum Mansionariis communes, liceat in hoc casu duobus Canonicis servitio Episcopi addictis, participare de alia portione consistente in distributionibus quotidianis, non obstante, quod Choro aliisque functionibus ecclesiasticis non intersint?*

3. *An Episcopus eius arbitrio possit assumere in suo servitio Canonicos, vel etiam Presbyteros Mansionarios?* Et quatenus affirmative ad utramque partem:

4. *An isti Presbyteri Mansionarii Episcopo servientes participare possint de massa, deque quotidianis distributionibus, etiamsi Choro non interveniant, ut participant praesentes et interessentes?*

Die 25 iunii 1763: Non proposita.

Die 30 iulii 1763 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative quoad distributiones quotidianas.
Ad 2. Negative quoad tertiam partem, quae stare debet loco distributionum.
Ad 3. Affirmative.
Ad 4. Provisum in primo et secundo.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 177-183, 193].

3730.

S. C. C., *Beneventana,* 6 aug. 1763.

Accusatus fuerat Sacerdos Ioannes Bettini homicidii, eumque Archiepiscopalis Curia Beneventana ob retractationem delatoris dimiserat cum clausula: *novis et non novis supervenientibus indiciis.*

Hinc illius precibus Sanctissimus benigne annuens, literas apostolicas in forma brevis expediri mandavit, quibus Vicario Capitulari Beneventano mandetur, *ut cum Oratore super irregularitate, praemissa de causa contracta, dispenset.*

[Liber 193 Decretorum, p. 334 a tergo].

3731.

S. C. C., *Terulen.,* 27 aug., 24 sept. 1763.

Proposita fuit haec causa in Congregatione habita die 3 iulii 1762, verum tunc responsum prodiit: *Dilata, et reformetur dubium.* [1] Nunc igitur causa proponitur super novis dubiis inter Petrum Sodos Baguena tantum et Dominicum Serrano, nam tertius contradictor Iacobus Escriche sua sponte iudicium deseruit. Petrus Sodos asserens se in pari gradu esse fundatori coniunctum, disputat, non esse dandam dispensationem Dominico Serrano omnino inhabili in sui praeiudicium, qui habilis est et unice qualificatus iuxta legem fundationis, atque ex iudicio Ordinarii magis idoneus. Duo itaque habentur dubia:

I. *An sit locus dispensationi Clerici Dominici Serrano in casu?*
II. *An, et quae supplicatio sit relaxanda in casu?*
Die 27 augusti 1763: Non proposita.
Die 24 septembris 1763 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.
Ad II. Relaxandam esse supplicationem favore Dominici.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 215-217, 222].

[1] Cf. N. 3720.

3732.

S. C. C., *Novarien.,* 26 nov., 17 dec. 1763.

Proposita hac causa die 11 septembris 1762, rescribebatur die 25 septembris eiusdem anni: [1] *Dilata, et scribatur Episcopo pro transmissione actorum.* Obtemperavit Episcopus, atque acta transmissa sunt. Episcopus novam relationem adiicit, in qua de unione necessario ac recte atque ordine facta cumulatissime ac sine ulla animi contentione disserit, ac ex visitationibus praedecessorum Episcoporum et plurium testium affirmationibus causam omnino necessariam atque utilissimam unionis probari contendit, ut acerbissimi atque inveterati odii pestifera germina ex illa hominum communitate exterminarentur. Contra vero, qui de unione Parochiarum queruntur, hanc discordiarum acerbitatem imminuunt: probant, utriusque Parochiae incolas matrimoniis se copulasse; affirmant, ex ipsa unione augeri discordiam ac damna, cum plures sine Sacramentis obierint. Cuncta igitur EE. PP. aequa lance pensitabunt ea, qua praestant, scientia iuris et prudentia.

Die 26 novembris 1763: Non proposita.
Die 17 decembris 1763 Sacra, etc. respondit: Affirmative.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 249-252].

3733.

S. C. C., *Tranen.,* 17 dec. 1763.

Proposita ac resoluta fuit haec causa in Congregatione habita die 14 maii proxime praeteriti. [2] Acquieverunt omnes praeter unos Religiosos S. Ioannis de Deo, qui controversiam instaurant, atque iniuria se non comprehensos praedicant in exemptione aliis Mendicantibus concessa. Addunt, omnia bona ab eis possessa Baruli spectare ad Communitatem, quae bona dedit pro curandis infirmis, statuens, quod in casu, *che detti Padri si occupassero in altro esercizio, che fosse contrario a detta ospitalità, sia lecito a detta Università ripigliarsi detto Ospitale coll'introito di essa senza contraddizione:* hinc Hospitale Baruli non esse comprehensum in instructione huius Sacrae Congregationis, quia illud precario retinent et loco laicorum tantummodo administrant. Dubium est:

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad PP. S. Ioannis de Deo in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Praevio recessu a decisis, bona pro manutentione Hospitalis Baruli non teneri. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 32, p. 259-261].

[1] Cf. N. 3722.
[2] Cf. N. 3727.
[3] Cf. N. 3761.

3734.

S. C. C., *Spoletana*, 14 et 28 ian. 1764.

Episcopi edictum, de quo est controversia, ita habet: *s'intenda abolito l'uso del tonnello; niun Sacerdote o Chierico di Ordine sagro, ne' divini Offici, o in altre funzioni sagre, molto meno poi nel celebrare la Santa Messa, possa servirsi di altra veste, che della talare.* Poenam statuit *suspensionis a divinis per quindecim dies*, reservatis suo arbitrio.

Ex tota Dioecesi, quae paruit, Ecclesiastici Comitatus Nursiae, Cassiae et Vallis Narci reclamantes, hanc Sacram Congregationem adiverunt. Allegant, quod in sua regione montosae viae sint difficiliores et asperiores, quam in planitie; se inter praegelidos et nivosos montes versari; maximos ibi imbres, perpetuum gelu; difficillimum transitum de loco in locum; haec notissima a pluribus confirmari testibus. Augeri omnia, quia sub una Parochia plures sunt villae, castra ac domus ruricolarum, plures ecclesiae filiales dissitae ab habitatione Parochi per unum, duo et ultra milliaria; Parochos ac Presbyteros pro administrandis Sacramentis debere huc illuc diu noctuque cursitare: non solum difficile, ut praescriptum Episcopi impleatur, ob incommoda et pericula, sed prorsus servari non posse. Ideo priores Episcopos de hoc non locutos, vel saltem breviori illa veste, quam hodiernus prohibuit, contentos fuisse.

Episcopus interrogatus respondit, se id fecisse secundum canones, Concilia et usum aliarum Dioecesium. Impugnat incommoda, quae contra congeruntur. Synodus Tridentina, Sess. 14, cap. 21 praescripsit deferri *vestem ordini et dignitati congruentem et iuxta Episcopi ordinationem et mandatum.* Sacra Congregatio numquam reprobavit Episcoporum decreta de hac veste; poenas tamen delevit, vel immutavit nonnunquam et persaepe moderata est, ut in *Ruben.*, 18 augusti 1708,[1] in *Bisacciarum*, 1 martii 1738.[2] Dubium, de quo quaeritur, est:

An edictum diei 16 februarii 1763 substineatur quoad Parochos, et Presbyteros castrorum et villarum Nursiae, Cassiae, et Vallis Narci in casu?

Die 14 ianuarii 1764: Non proposita.

Die 28 ianuarii 1764 Sacra, etc. respondit: Affirmative, et ad Eminentissimum Praefectum ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 33, p. 12-14, 18].

[1] Cf. N. 3068.
[2] Thesaurus Resolutionum, tom. 8, pars II, p. 46-49, 53, 54.

3735.

S. C. C., *Civitatis Castellanae*, 28 ian., 18 febr. 1764.

Funus super cadavere Sylviae Paglia in Ecclesia Cathedrali Civitatis Castellanae peractum est contra decretum Episcopi, qui petentibus Patribus Minorum Conventualium illud agendum mandaverat in ecclesia S. Francisci, quae sepulcrum Familiae habet. Quaestio instituta est in Curia Ordinarii super attentatis, sed delato interim iussu Episcopi ad illam ecclesiam cadavere, nunc de iisdem agitur in hac Sacra Congregatione, quam, relicta Curia, adiverunt Conventuales, qui emolumentorum funebrium restitutionem integram quoque petunt.

Propugnant, non dubitari in iure, quod non electa sepultura a defuncto, funus eius sit peragendum in ea ecclesia, ubi Familiae sepulcrum extat: hanc doctrinam communiter receptam ex notissimo textu in cap. 3, *de sepult.*, in 6, constabilivisse Sacram hanc Congregationem in *Massanen.*, 17 aprilis 1706,[1] in *Lucana*, 14 martii 1722,[2] in *Volaterrana*, 16 martii 1726.[3] De eo vero, quod attinet ad restitutionem emolumentorum, contendunt, illam impugnari non posse, quicumque etenim fuerit consensus viri super funere uxoris, non potuisse per Capitulum contemni decretum Episcopi.

Ex adversa parte Capitulum se tuetur ex consensu superstitis viri, qui etiam consensu filiorum et heredum matris id fecisse declarat. Allegat, in constitutione *Regimini*,[4] s. m. Sixti IV statui, quod defunctorum consanguinei nequeant cogi ad celebrandas exequias in ecclesiis Parochialibus, quando cadavera tumulanda sunt in ecclesiis Regularium, propterea que a contrario sensu optimum argumentum sumi, consanguineos, cum id velint facere, non prohiberi.

Dubitatio unica exurgit, quae controversiae nexum facit: an voluntas heredis pro voluntate defuncti habenda sit. De iure autem est, quod cadavera eorum, qui de se aliter non constituerunt, sepeliantur in ecclesiis Parochiae vel in sepulcris pro Familia conditis. In eam rem sunt resolutiones in cit. *Volaterrana*, 16 martii 1726 et in *Sabinen.*, 18 decembris 1734.[5] Dubia sunt:

1\. *An cadaver Sylviae Paglia potuerit asportari ad Ecclesiam Cathedralem Civitatis Castellanae ad effectum funus peragendi?* Et quatenus negative:

2\. *An, et quae emolumenta funeris Archipresbyer seu Vicarius Curatus Capituli Cathedralis dictae Civitatis restituere teneatur ecclesiae S. Francisci in casu?*

Die 28 ianuarii 1764: Non proposita.

[1] Cf. N. 3040.
[2] Cf. N. 3238.
[3] Cf. N. 3313.
[4] Bull. Rom., tom. 3, III, p. 143
[5] Cf. N. 3436.

Die 18 februarii 1764 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative, et amplius. Ad 2. Affirmative quoad integra emolumenta, excepta quarta canonica, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 33, p. 32-34, 36].

3736.

S. C. C., *Marsorum*, 28 ian., 18 febr. 1764.

Anno 1644 Marsorum Episcopus confirmavit donationem, quam Ioannes de Blasettis fecerat plurium bonorum suo familiari sacello S. Michaelis Archangeli in Parochiali ecclesia S. Sebastiani terrae Massae, ac ex iis *Beneficium ecclesiasticum* erexit auctoritate ordinaria *et iuspatronatus* constituit *favore praefati Ioannis cum pleno iure praesentandi... quamcumque personam Ecclesiasticam Beneficii ecclesiastici capacem*. Ioannes idem anno 1699 suo testamento heredes scripsit universales Patres Pauperum Matris Dei scholarum Piarum, verum de suo Beneficio in eodem testamento dixerat: *nella prima vacanza del mio iuspatronato... da adesso per allora presento gl'infrascritti miei eredi in ogni miglior modo che posso e devo, con obbligarli all'incontro all'adempimento delle Messe prescritte...* Heredes post testatoris mortem nihil de variando beneficio curarunt, ac secundum eius erectionem ad vacantem Cappellaniam praesentarunt semper Sacerdotem saecularem usque ad annum 1761, quo tandem supplicarunt Sanctissimo. Negotium omne huic Sacrae Congregationi remissum est.

Allegant nunc se capaces huiusmodi beneficio tum ex litera fundationis, quae non requirit, nisi *quamcumque personam Ecclesiasticam beneficii ecclesiastici capacem*, quo nomine se venire posse autumant, tum quia onus iniunctum nihil aliud secumfert, quam celebrationem Sacrorum, quae peragi potest tam per Sacerdotem saecularem, quam regularem. Hodiernus beneficii Rector non refragatur, dummodo beneficium viventi non intercidat.

Agitur de Ecclesiastico beneficio saeculari. Videndum, num obstet regula iuris canonici, cap. *Cum beneficio, de praebend.*, cap. *Nullus, de elect.*, in 6, Clem. *Ne in agro, de statu Monach.*, S. Congregatio in *Frisingen.*, 18 iunii 1735.[1] Videndum, an ex litera fundationis obstet petentibus, quae inest clausula: *quaecumque persona Ecclesiastica beneficii Ecclesiastici capax*. Dubia sunt:

I. *An liceat Patribus Scholarum Piarum satisfacere per seipsos celebrationi Missarum in casu?* Et quatenus negative:

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?*

Die 28 ianuarii 1764: Non proposita.

Die 18 februarii 1764 Sacra etc. respondit ad I. et II. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 33, p. 29-31, 36].

[1] Cf. N. 3443.

3737.

S. C. C., *Palentina*, 28 ian., 18 febr. 1764.

Iuxta mentem dilata fuit resolutio huius causae in Congregatione habita die 4 iunii 1763.[1] Non usque adhuc de sua contumacia desiliunt Monachi: hinc instantior factus Episcopus petit, ut modus tandem controversiae ac finis imponatur. Addit, frustra eos expectari, qui ab initio huius Sacrae Congregationis iudicium, ut declinarent, summopere enisi sunt. Eadem dubia sunt.

Die 28 ianuarii 1764: Non proposita.

Die 18 februarii 1764 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative in iis, quae curam animarum et Sacramentorum administrationem respiciunt.

Ad 2. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 33, p. 34, 37].

3738.

S. C. C., *Terracinen.*, 14 apr., 12 maii, 2 iun. 1764.

Parva ecclesia S. Nicolai Barensis in agro Somneni est Terracinen. Dioecesis. Bismille et ultra passus ab oppido distat; ad Moniales Cistercienses S. Mariae *delle Canne*, pertinet; eremitae custodienda persaepe data est, perpetuis direptionibus obnoxia; necquicquam multoties reparata impensa Monasterii, nam devastatur iterum; receptaculum saepenumero pecori, non raro hominibus facinorosis perfugium. Moniales anno 1761 supplicarunt Sanctissimo, ut profanaretur, translatis Sacris aliisque oneribus ad propriam ecclesiam Monasterii, quod quingentos passus ad oppidum numerat. Rei cognitione ad S. Congregationem delata, auditus Episcopus omnia probavit confirmavitque. Sed uti res secundum ordinem iuris cognosceretur, ei rescriptum est, *ut procederet, prout de iure ad confectionem processus super abusu ecclesiae, de qua agitur et defectu mediorum ad consulendum illius decenti manutentioni*. Pervenerunt acta.

Concilium Tridentinum Sess. 21, cap. 7, *de ref.* post demandatam Episcopis ecclesiarum restaurationem, si ea expleri nequeat, *mandat, ut profanato, non tamen ad sordidos usus, loco, beneficia simplicia transferant in Matrices, aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo, atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel cappellas sub iisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel cappellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis*. Id ipsum non raro fieri mandatum est, si aliae rerum circumstantiae id postulent, ut aediculae praesertim in agris profanentur, quae plerumque perditis hominibus usui sunt. Quaeritur:

[1] Cf. N. 3728.

I. *An sit locus profanationi ecclesiae ruralis S. Nicolai de Bario a Monialibus Cisterciensibus in territorio oppidi Somneni possessae in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An sacrae Imagines, supellectilia et onera quaecumque in eadem ecclesia existentia transferri, et respective adimpleri valeant in ecclesia propria dictarum Monialium in casu?*

Die 14 aprilis 1764: Non proposita.

Die 12 maii 1764: Non proposita.

Die 2 iunii 1764 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative iuxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative, et quoad onera scribatur Episcopo iuxta instructionem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 33, p. 85-87, 95, 106].

3739.

S. C. C., *Embricen.*, 19 ian., 9 febr. 1765.

Dilata huius causae resolutione in Congregatione habita die 20 novembris 1745,[1] ea tandem data fuit die 23 septembris 1747.[2] Rediit canonicus anno 1756, ac plura monumenta exhibuit, quibus ius suum clarissime comprobavisse existimabat, rogans, ut a decisis recederetur. Scriptum est itaque Nuntio Apostolico, sed quae morae interpositae fuerint, inspici posset ex eius relatione, quam tandem die 16 octobris 1762 taedio fortasse victus dedit. Instantiore facto Oester ex ipsa Capituli contumacia, causa ultra protrahenda non est.

Ait Oester, sacellanatum anno 1610 unitum fuisse Canonicatui septimo in ordine a latere Praepositi, ac proinde non *Sacellanum* acquisivisse honorem et nomen Canonici, sed verum Capituli *Canonicum* acquisivisse sacellanatum. Probari hoc ex ipso facto: Sacellanos etenim ante hanc unionem nunquam choro interfuisse, neque habuisse stallum; postmodum vero non sacellanum choro et stallo potitum, sed *Canonicum*, qui et Sacellanus erat, suo choro et stallo gavisum. His itaque positis certum esse in iure, Capitulum non potuisse naturam beneficii immutare: can. *Inferior*, dis. 21, cap. *Super his, de maior. et obed.*, Clem. *Ne Romani, de elect.* De eo vero, quod pertinet ad celebrandum Sacrum diebus festis, certat, curam habitualem penes Capitulum esse; Capitulum decimas et oblationes percipere, et functiones parochiales agere, inter quas onus celebrandi pro populo est recensendum.

Capitulum contra asserit, nonnisi quatuordecim cum Decano esse veros Canonicos, ideoque *septimum* a latere Praepositi non posse esse ex veris, qui alioquin essent quindecim. De eo vero, quod respicit onus celebrandi Missam parochialem, allegat, Sacellanum praeter divitem praebendam omnia tum certa, tum incerta parochialia emolumenta habere;

[1] Cf. N. 3576.
[2] Cf. N. 3596.

ideoque in eumdem id onus incumbere ex Concil. Trident., Sess. 23, cap. 1, *de ref.* Quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 23 sept. in casu?

Die 19 ianuarii 1765: Non proposita.

Die 9 februarii 1765 Sacra, etc. respondit ad I. Praevio recessu a decisis, negative.

Ad II. Praevio recessu a decisis, affirmative.

Ad III. et IV. In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 18-23, 27].

3740.

S. C. C., *Fulginaten.*, 27 apr. 1765.

Virginius Turchi, Prior Fulginatis ecclesiae, qui obiit anno 1762, testamentum condidit anno 1755; biennio post codicillos fecit. Duodenarium praebendariorum in ecclesia constituendum numerum heredem scripsit, certis assignatis bonis. Reliqua bona legavit Canonicis. Plura et alia parva ac pene inutilia legata fecit, ac certam eleemosynam panis quotannis stato die pauperibus distribui iussit. Vir sane moratus et probus, sed sui patrimonii ipse inscius, ac festivissimi capitis, ambiguo et implicato verborum circuitu amplissimam litium segetem reliquit posteris, quae adhuc recisa non est. Interea ingens reperta est pecunia in scrinio testatoris reposita, quae patrimonium et controversiarum causam auxit. In codicillo autem declaravit: *se il numero di dodici beneficiati venisse giudicato eccessivo all'entrate, si possino ridurre a dieci.*

Multiplicem quaestionem proponunt partes, quatuor capitibus communi consensu comprehensam. In quorum tertio agitur de numero novarum praebendarum constituendo. In qua quaestione ponderandum, an admittendus sit calculus et supputatio, detractis omnibus oneribus. Itaque quaeritur:

3. *An, et quot beneficia sint erigenda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 3. Dilata, et firmetur status coram Ordinario, citatis interesse habentibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 75-79].

3741.

S. C. C., *Setina*, 27 apr., 18 maii 1765.

In Civitate Setina Oblatae seu Convictrices sunt Sacrae Familiae, quibus s. m. Clemens XI anno 1718 quaedam exigui reditus beneficia concessit, *praevia tituli collativi suppressione et extinctione.* Simili modo aliud Sancti Antonii largitus est s. m. Benedictus XIII anno 1724. Eas idem Clemens Pontifex anno 1717 a iurisdictione Ordinarii exemptas Cardinali Petro Marcellino Corradino, s. m. vero Clemens XII anno 1731 post Corradini

mortem Cardinali pro tempore Congregationis S. Ivonis de Urbe Protectori in perpetuum subiecit.

Multiplex contra eas excitatur nunc controversia de contributione cathedratici, etc. Hanc omnem Eminentissimus Cardinalis Caracciolo de Sanctobono Protector S. Congregationi delegandam prudentissime impetravit. De 1, nempe de cathedratico, aiunt Oblatae, suum Monasterium exemptum esse ab Ordinarii iurisdictione *iuxta modum et formam indulti Monialibus Farnesianis concessi*. Ideoque non teneri ad cathedraticum, quod pro iurisdictione, quam habent Episcopi super beneficiis, datur. Itidem suorum, quae habent, beneficiorum titulos auctoritate apostolica extinctos. Nec officere clausulam in concessione bonorum ad beneficia pertinentium expressam: *supportatis tamen beneficiorum et cappellaniarum oneribus*. Intelligi illam deberi de oneribus, quae intrinsecus beneficiis ex fundatione inhaerebant, non vero de aliis, quae numquam convenire possunt cum extinctione tituli, quae naturam beneficii et eius bonorum prorsus immutat. Multo magis, quia cathedraticum numquam antea in ea Dioecesi Episcopo solutum fuerat. Non potuisse propterea cogitare Pontificem concedentem *de supportandis iis oneribus*, quae numquam extiterant ante concessionem, et quae post extinctionem tituli cum iis oneribus repugnantiam iuris habebant. Hodiernum Episcopum nunc primum de hoc cathedratico cogitasse. Decessores sua diviti mensa contentos fuisse hucusque.

Contra vero Episcopus propugnat cathedraticum deberi mensae episcopali iuxta taxam Concilii Romani. Unicum Convictricium perfugium esse privilegium exemptionis. Onus Cathedratici beneficiis omnibus medullitus inhaerere, nec praescribi unquam posse. Exemptionem autem de iure nihil proficere Monasteriis super novis beneficiis, quae acquirunt.

Cathedraticum deberi in honorem cathedrae episcopalis, etiam divite mensa, certum est. Ad rem faciunt: *Catacen.*, 21 maii 1644,[1] *Maceraten.*, 8 maii 1734,[2] *Firmana*, 24 iulii 1734.[3] An praescribi, vel remitti ab ipsis Episcopis hoc ius possit, ad rem facit: *Amalphitana*, 5 septembris 1705.[4] Sed advertendum, non peti cathedraticum super universis bonis, sed super iis beneficiorum. Ponderandum, num regula, quae favet Episcopo, locum habeat in beneficiis *aeque principaliter* tantum, non vero *subiective* et cum tituli *extinctione* unitis. Ad rem faciunt: *Amalphitana*, 26 februarii 1707,[5] *Maceraten.*, 8 maii 1734.[6] Disputatur:

1. *An Convictrices Sacrae Familiae teneantur solvere cathedraticum, et in qua summa?*

Die 27 aprilis 1765: Non proposita.

Die 18 maii 1765 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 79-84, 94].

[1] Cf. N. 2651.
[2] Cf. N. 3423.
[3] Cf. N. 3429.
[4] Cf. N. 3038.
[5] Cf. N. 3049.
[6] Cf. N. 3423.

3742.

S. C. C., *Salutiarum*, 8 iun., 13 iul. 1765.

Curia Episcopi contra Sacerdotem Bernardum Marinum excitavit querelas, quia nempe ante aetatem legitimam novem mensium minorem, dolo ac fraude, cum falso testimonio aetatis sacrum Presbyteratus Ordinem suscepisset. Marinus dispensationem ab irregularitate petiit. Sed preces reiectae sunt. Hinc alio se vertit: disputat nunc, se irregularitatem non contraxisse. Pugnat enim, se nihil delicti habere, nihil dolo factum, qui necessarius alioqui esset. Ad haec probari, se errore deceptum ex ipsis literis testimonii suae aetatis nullo patenti vitio laborantibus, non cancellatis, non abolitis, datis anno 1755, tempore non suspecto, dum ad minores Ordines promovendus erat. Neque obiici posse, quod ipsemet antea ab Episcopo veniam petierit pro impetranda *dispensatione* aetatis. Dubitasse tunc de sua aetate; postmodum literas testimonii inspexisse, hinc venisse iustam credulitatem, se nulla *dispensatione* indigere. Haec omnia suo iureiurando nunc comprobare. Videri omnia bona fide acta, ex hoc ipso, quod Episcopus, qui hunc defectum aetatis sciverat, sine dispensatione postmodum Ordinem contulit. De eo vero, quod respicit exercitium Ordinis, contendit, se suscepti intempestive Ordinis notitiam habuisse, dum in legitima aetate erat; ideoque quemadmodum in poenam non inciderat ante, ideo nec ab exercitio prohibitum postea ex communi sententia.

Poena promoti ante legitimam aetatem iure veteri erat suspensio, sed non ipso facto: cap. *Vel non est compos, de temporib. ordinat.* Haud dubium tamen videtur esse, requiri saltem ad poenam, ut quis dolo ac scienter fecerit, non ignoranter, vel iusta ductus credulitate. Quaestio itaque ad factum refertur. Ponderandum hic, quid iure de Marini scientia vel ignorantia praesumi debeat; quid faciat, quod ipse Marinus antea de hoc dubitaverit. Num saltem culpae expers non sit, quia diligentius de hac re debuisset inquirere. Num, et quanti sit aestimanda eius iurata de bona fide asseveratio. Decidendum proponitur:

An constet de irregularitate in casu?

Die 8 iunii 1765: Non proposita.

Die 13 iulii 1765 Sacra, etc. respondit: Pro dispensatione ad cautelam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 126-129, 138].

3743.

S. C. C., *Senogallien.*, 8 iun., 13 iul. 1765.

Angelus Sammaranus e Monte Bodio Dioecesis Senogallien. Ioanni Baptistae filio substituit in universo asse Sodalitium Mortis cum onere constituendi hospitale certis datis legibus. Substitutio non multo post tempore locum habuit atque hospitale constitutum est. Verum decessores

Episcopi iteratis decretis sodalium negligentiam de hospitalis administratione increpantes, testatoris voluntatem integre servandam mandarunt, sed frustra. Propterea hodiernus Episcopus nonnulla in sacra visitatione diei 21 septembris 1761 de hospitali decreta edidit. Reclamarunt illico Sodales, sed licet a biennio et ultra disputanda dubia proposuissent, tarde ad defendendam causam venerunt.

Asserunt, unicum semper hospitalis fuisse administrum; non immutandam hanc consuetudinem. Duorum administrationem noxiam certe esse communi non adhuc diviso patrimonio. Hospitale nulla Ordinarii auctoritate erectum. Episcopum praeter visitationem et redditionem rationis accipiendam nihil praeterea iuris habere. Ita a centum supra annis servatum fuisse. Convenire ipsas synodales constitutiones, quae de Officialibus eligendis quolibet anno nihil dicunt; approbationem solummodo, si ultra annum exerceant, requirunt. De cautione autem danda decretum laudant.

Quaeritur:

V. *An bona hospitalis sint administranda per separatum ministrum ab aliis bonis Confraternitatis in casu?*

VI. *An Administratores praedicti sint approbandi ab Ordinario, et cavere debeant de bene et fideliter administrando in casu?*

Die 8 iunii 1765: Non proposita.

Die 13 iulii 1765 Sacra, etc. respondit ad V. Negative.

Ad VI. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 116-122, 137].

3744.

S. C. C., *Pacen.*, 24 aug., 28 sept. 1765.

In Ecclesia Pacensi Canonicatum Theologalem nuper obtinuit Franciscus de Toleto. Orta est autem dubitatio super Canonici Theologi munere, videlicet super materia legendi. Concordi animo S. Congregationis sententia exquiritur, quae certam legem posteris dicat.

De Theologo nulla quaestio in facto est. Historiam narrat Capitulum, probat Episcopus. Theologalem Canonicatum erectum fuisse anno 1581. Theologos ab ipsa erectione usque ad annum 1667 de *theologia morali* seu de *casibus conscientiae* lectiones habuisse. Anno 1732 Theologum contendere primum coepisse, se ad eam lectionem non teneri, quam is postea omni vita omisit. Propterea factum est, ut anno 1762 vacante Canonicatu Episcopus decreverit: *Canonicatui lecturae inservientem ad theologiae moralis teneri lectionem, et proxime ad illum eligendum ad id posse compelli.* Hinc obtemperare repugnante Francisco Toleto, concorditer postmodum statuisse omnes, ut eius rei consultationem ad S. Congregationem deferrent, eiusque sententiam exciperent.

Aiebat tunc Canonicus de Toleto, hanc lectionem a Tridentini mente alienam. Suos decessores a centum prope annis non legisse. Nullam haberi necessitatem huius lectionis, quam Canonicus Poenitentiarius agit. Adesse in Civitate Regularium domos, in quibus tum scholasticae tum moralis theologiae lectio quotidie habetur. Ad Sacrae Scripturae expositionem et interpretationem paratum se exhibuisse, sed inutili conatu auditorem habuisse neminem. Non teneri itaque ad ea, quae suo muneri extranea sunt.

Affirmat nunc Capitulum, non esse alienam hanc lectionem a mente Synodi Tridentinae, quae Sess. 5, cap. 1, *de ref.*, licet principio ad Sacram Scripturam tantummodo respicere visa sit, tamen postea indiscriminatim de Sacra Scriptura ac de Theologia locuta est. Lectionum numerum, dies, modum, et materiam arbitrio Episcopi relictam esse.[1] Usum hunc in Ecclesia Pacensi ab initio obtinuisse. Obtemperandum itaque Episcopo, qui materiam legendi designat. Nec referre, quod Canonicus Poenitentiarius adsit. Non hinc detrahendum Episcopo, ut mandet Theologo, quod pro necessitate populi casus conscientiae explicet. Clericos ad Regularium domus non accedere; posse autem cogi, ut ad Ecclesiam veniant. Utiliorem ei Clero et populo moralis lectionem, imo et necessariam in iis regionibus. EE. PP. viderint, quomodo sit respondendum:

1. *An Canonicus Theologus cogi possit pro arbitrio Episcopi etiam per multas loco Sacrae Scripturae legere casus conscientiae, seu theologiam moralem in casu?*

Die 24 augusti 1765: Non proposita.

Die 28 septembris 1765 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 179-185, 195].

3745.

S. C. C., *Viterbien.*, 23 nov. 1765.

Agitur de declaranda qualitate sive ecclesiastica, sive laicali Cappellaniae, quae anno 1760 Centumcellis ex testamento Petri Bianchi ad altare S. Michaelis Archangeli in ecclesia Sodalitii Mortis a Curia Ordinarii petente primo ad Cappellaniam nominato, uti ecclesiastica erecta est, ignaris tamen heredibus et Patronis, necnon Sodalibus Mortis ad ius nominandi substitutis, qui omnes nunc contradicunt, ac laicalem esse propugnant.

Decretum quidem editum est: *auctoritate Ordinaria... cappellaniam iuxta dispositionem quondam Petri Bianchi ad altare S. Michaelis Archangeli in ecclesia Confraternitatis Mortis Civitatis Centumcellarum perpetuo erigimus.* Verum Michael Angelus et Ioseph Maria Bianchi heredes Petri, qui ius nominandi habent, ac Sodales ad illud ius substituti, abrogandam institutionem Cappellaniae ecclesiasticae contra mentem testatoris non rite factam supplicant. Aiunt, agi de Cappellania a testatore laico constituta, nulla Ordinarii auctoritate quaesita, in quolibet dubio, uti laicali habenda. Nullum autem dubium esse de voluntate testatoris, non solum ex nominato toties qualitate laicali, ex defectu mentionis dotis et insti-

[1] Cf. N. 2783.

tutionis, et ex nunquam requisito consensu Ordinarii, sed ex ipsis apertissimis testamenti verbis: *qual beneficio semplice o sia cappellania, voglio, che sia meramente laicale, e che l'Ordinario sopra quello o quella non possa mai avervi ius alcuno, nè mai possa dirsi ecclesiastico.* Ex his, inquiunt, apparere qualitatem laicalem apertissimam. Neque obstare factum Procuratoris Andreae Cappellani, qui ignoranter, ac sine ulla auctoritate egit, contra ius clarum heredum ac Patronorum, quod sive ex facto nominati, sive ex facto Curiae imminui nequibat.

Promotor fiscalis Curiae ad iudicium non venit, sed folium transmisit, quo qualitatem ecclesiasticam vindicat ex pluries reptita beneficii appellatione, demandata erectione: *se ne debba eriggere*, etc., ex dotis constitutione, Sacris perpetuis, certo altari, ac verbis: *nominandi, et praesentandi.* Quae autem testator dixerit de qualitate laicali, respicere contendit tantummodo ius nominandi, quod, Ordinario excluso, heredibus unice datum voluit.

Non dubium est, posse Ordinarii auctoritate effici Cappellaniam ecclesiasticam, si ex ultima voluntate constituenda sit, petente herede vel Patrono, dummodo testator a Cappellaniae ecclesiasticae erectione alienus non fuerit. Proponitur:

An Cappellania S. Michaelis Archangeli sit ecclesiastica, ita ut substineatur erectio facta ab Ordinario, et institutio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 205-211].

3746.

S. C. C., *Novarien.*, 23 nov., 14 dec. 1765.

Communias Brolii, quae cum Nunio et Oyda locorum Dioecesis Novariensis in una Parochia concludebatur, propriam sibi Parochiam constitui a Novariensi Episcopo proxime elapsis annis expostulavit ad vitanda incommoda aucti sui populi, ac detrimenta et damna, quae ob longas vias asperas et confragosas in diem patiebatur. Haberi decentem ac aptam in loco ecclesiam. Offerre se pro sui Parochi substentatione congruos redditus et opportunam domum. Nihil causae esse, cur inviti a suis laribus abstrahantur pro fidei rudimentis addiscendis et pro Sacramentis Ecclesiae recipiendis, cur voce et manu pastoris carere debeant, qui in re praesente doceat, pascat et oves suas distincte noscat; cur sine Ecclesiae Sacramentis non perraro obire cogendi sint. Curia Novariensis die 2 augusti 1758 per sententiam novae Parochiae erectionem reiecit, verum Metropolitanus Mediolanensis, ad quem Brolium appellavit, die 13 augusti 1760 locum esse edixit petitae separationi ac dismembrationi ab ecclesia Parochiali Nunii. Tandem inita inter Procuratores Nunii et Brolii concordia, dismembratio decreta fuit. Non placuit ea inita concordia populo Nunii, qui illam nunc impugnat.

Interrogata de hac transactione Curia Novariensis respondit: *annuendum esse petitae separationi seu dismembrationi, non solum, quia homines Brolii tempore hyemali, cum pluviae inundant, non possunt sine magna difficultate parochialem Nunii ecclesiam adire, sed etiam, quia posita tenuitate redituum ipsius parochialis, Parochus ipse impar est manutenendo Coadiutori propriis expensis; cumque piorum benefactorum concurrat oblatio assignandi de proprio novo futuro Parocho congruam sustentationem, non videtur differenda haec spiritualis consolatio eisdem hanc gratiam enixe postulantibus.* Inquiritur:

II. *An admittenda sit dismembratio seu separatio ab ecclesia parochiali loci Nunii, et erigenda nova Parochia in Castro Brolii?*

Die 23 novembris 1765: Non proposita.

Die 14 decembris 1765 Sacra, etc. respondit ad II. Affirmative.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 34, p. 220-225, 240].

3747.

S. C. C., *Terracinen.*, 1 mart. 1766.

Posteaquam prope initium saeculi XIII Honorius III Privernatem et Setinam ecclesias Terracinensi uniit, perpetuas controversias ad haec tempora inter se loca eadem exercuerunt. Episcopus anno 1764 Priverni indixit Synodum. Capitulum Terracinense ad eam Archipresbyterum et quinque Canonicos deputavit, data lege, ne sua iura imminui paterentur. Hi autem, cum vidissent a latere Episcopi Archidiaconum et Praepositum Setinos, de iniuria illata contra suum honorem statim conquesti, non audierunt inde imperium Episcopi, qui indicta poena suspensionis, ne abirent, prohibuit. Nunc sua iura tuetur Capitulum Terracinense de legibus actae Synodi, an Terracinenses obligent, necnon de iniustitia et irrita poena suspensionis ab Episcopo tunc lata.

De Synodo certum esse, Episcopum plures Dioeceses habentem in singulis teneri alternis vocare Synodum. Per unam non obligari Dioeceses alias; ad eam non teneri accedere. Inde sequi, quod si Episcopus ad veniendum ad Synodum extra Dioecesim Terracinenses cogere nequibat, praeceptum, ne discederent, iniustum fuit, ideoque ad obtemperandum non obligatos fuisse.

Contra Episcopus affirmat, cathedrales, licet inter se distinctas, respectu Episcopi unum corpus constituere, atque unam Dioecesim. Ideoque coactam Synodum obligare omnes, ut in *Geruntinen. et Cariaten.*, 11 februarii 1708.[2] Potuisse demum recusantes Terracinenses cogere, qui recedebant, atque inobedientes ecclesiasticis poenis deterrere simul ac ligare, cap. *Quod super his, de maiorit. et obed.*, Concil. Trident., Sess. 6, cap. 3 et Sess. 14, cap. 4, *de ref.* Inquiritur:

[1] Cf. N. 3749, 3754.
[2] Cf. N. 3061.

5. *An Synodus celebrata in Cathedrali Privernen. die 24 iunii 1764 obliget Civitatem et Dioecesim Terracinen.?*

6. *An suspensio Archipresbyteri et quinque Canonicorum Cathedralis Terracinen. substineatur in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 5. Affirmative, et amplius.

Ad 6. Affirmative, et ad Emum Praefectum ad mentem, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 53-60].

3748.

S. C. C., *Avenionen.*, 1 et 22 mart. 1766.

Inter Capitulum Metropolitanae Avenionensis et Capitulum Collegiatae et Parochialis S. Agricolae eiusdem Civitatis controversia agitatur de quarta funebri S. Agricolae danda pro parochianis quibuscumque, licet servitio Metropolitanae addictis, qui in ea Metropolitana tumularentur, necnon de non sepeliendis in Metropolitana parochianis S. Agricolae, qui sepulturam non elegissent.

Ad 1. Capitulum S. Agricolae ait, se curam animarum habere eiusque onera omnia ferre in sua Parochia, ideoque sibi debitam quartam funeralem: cap. *Nos instituta*, cap. *Cum super, de sepult.*, Clement. *Dudum*, eodem tit. Expresse cautum id fuisse in literis Ioannis XXII anni 1321, dum ecclesiam S. Agricolae Parochialem in Collegiatam erexit. Accedere constantem usum ab immemorabili tempore tot saeculorum cursu retentum.

Ad 2. Habere pro se iuris sanctionem, quae favet Parochiae etiam de Canonicis vel Beneficiatis, qui in sua propria ecclesia tumulentur. Apparere ex monumentis, ita servatum fuisse semper.

Ad 3. Apertissimam esse legem de sepeliendis omnino in propria ecclesia, qui sepulturam alibi non elegerint, aut familiae sepulcra non habeant: cap. 1-3, *de sepult.*

Contra vero Capitulum Metropolitanae ad 1. inquit: nunquam solutam quartam ab anno 1642 haberi ex libris capitularibus. Probari autem plenissime ex libris ipsis S. Agricolae exhibitis in S. Congregatione Rituum nunquam ab anno 1668 exactam. Ad 2. Canonicos aliosque Ecclesiae Metropolitanae servitio addictos, ubicumque domicilium habeant, in ea Sacramenta percipere et veros Cathedralis parochianos esse, ac uti parochianos in eadem sepeliendos. Hinc propterea nullam quartam deberi alienis Parochis. Ad 3. Se contendere ait, tantum viatores, exteros, vagos et peregrinos fixum non habentes in loco domicilium in Cathedrali Ecclesia tumulandos esse.

Quaeritur:

1. *An Capitulo Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Agricolae debeatur quarta funeralium parochianorum, qui in Ecclesia Metropolitana sepeliuntur in casu?*

2. *An Capitulo Ecclesiae Collegiatae et Parochialis S. Agricolae debeatur quarta funeralium Canonicorum, Beneficiatorum aliorumque addictorum servitio Ecclesiae Metropolitanae Avenionen. decedentium intra limites dictae Ecclesiae Parochialis, quatenus in eadem Ecclesia Metropolitana tumulentur in casu?*

3. *An Capitulo Ecclesiae Metropolitanae Avenionen. liceat sepelire cadavera parochianorum S. Agricolae in Parochia decedentium, non electa sepultura in dicta Ecclesia Metropolitana in casu?*

Die 1 martii 1766: Non proposita.

Die 22 martii 1766 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, et amplius.

Ad 2. Affirmative, et amplius.

Ad 3. Negative, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 60-68, 76].

3749.

S. C. C., *Novarien.*, 22 mart. 1766.

Resoluta fuit haec causa in Congregatione habita die 14 decembris anni 1765.[1] Nunc autem iterum proponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad II. In decisis iuxta modum, nempe esse locum separationi, facta obligatione in forma iuris valida praestandi congruam novo Parocho, firma remanente annua praestatione ecclesiae S. Ambrosii Eumeniae, necnon cum solo onere solvendi Parochiae Nunii loco antiquae praestationis, pro una vice lib. imperiales 1300, scilicet 200 pro ecclesia, et reliquas pro fundo eiusdem Parochiae. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 77].

3750.

S. C. C., *Urbevetana*, 10 et 31 maii 1766.

In oppido Vulsinii Dioecesis Urbevetanae unica est Parochialis et Collegiata Ecclesia S. Christinae, cui Praepositus inservit cum quinque Canonicis, quos *capitulares* vocant. Tam Praepositus, quam *capitulares* suas habent praebendas, praeter communes reditus. Caietanus Canestrellius Praepositus credidit, *capitulares* teneri ad se adiuvandum in cura, praecipue infirmis morti proximis; quod cum recusassent *capitulares*, S. Congregationem adivit.

Inquit Praepositus, decimas praestari ad alimoniam eorum, qui spiritualia administrant, a populo in compensationem laboris. Quemadmodum itaque non dubitatur, *capitulares* praeter suas praebendas participare tum de iis decimis, tum de emolumentis parochialibus, ita necessario sequi, quod ferre debeant quaecumque onera et labores Parochiae. Ob eamque

[1] Cf. N. 3746.
[2] Cf. N. 3754.

rationem propterea quod collegio universo hoc onus iniunctum est, posse Canonicos sine examine et concursu admitti. Rem autumat conficere inveteratam consuetudinem, quae in ecclesia est, ut Canonici Parochum adiuvent. Ceterum, cum solus Praepositus nequeat in peramplo oppido eiusque praeruptissimo situ non minus, quam toto latissime circumstanti agro solus ubique occurrere, ne gens Sacramentorum praesidio careat, idcirco non minus aequitatis, quam iustitiae esse, ut ipsius ecclesiae Canonici, qui Parochi iuribus et emolumentis utuntur, in laboribus et oneribus Parocho opem ferant.

Vindicant vero Canonici suam libertatem, ex quo sine examine et concursu eliguntur, et etiam Clerici aliquando. Nulla unquam in literis de cura animarum mentio facta fuerit, et ad audiendas confessiones sacramentales indigeant peculiari approbatione. Multo magis, quod Praepositus ipse, dum opus fuit, semper alios sibi adiutores assumpsit; vacante autem Praepositura nunquam curam gerere coacti fuerint. Clarissimum autem esse dicunt, totam curam penes Praepositum esse. Non admitti Praepositum sine concursu et examine. In literis provisionis eidem curam dari. Eo impedito Oeconomum deputari. Explorata haec omnia esse ex monumentis, ex visitationibus Episcoporum, ex ipsa decessorum Praepositorum constanti affirmatione, quae omnia Canonicis libertatem asserunt. Hinc omnino se non adigendos dicunt; quando autem in casu extremae necessitatis adiuvare Parochum debeant, deberi congruam pro incommodo mercedem constitui.

Episcopus rationes pro utraque parte allegat, et concludit: *videtur congruum esse, eosdem, ut adiuvent, et agonizantibus assistant, hortari, et solum modo et forma praescribenda cogi in casu necessitatis.*

Sacra Congregatio secundum varias facti species, quae proponebantur, sententiam dixit. Ceteroquin pensanda certe ex variis rerum conditionibus res est, sed si intime ea res omnis inspiciatur, obligatio Parochum adiuvandi omnibus, qui ex ecclesia sunt, suapte natura insidet, penitius quam dici potest: nimirum aliquando ex caritate, si alias provisum populi saluti sit, ex religione autem et necessitate, si necessitas postulet. Salus enim populi, et praesertim aeterna, suprema lex est: eam curare modis omnibus tenentur omnes, et praesertim, qui dum de ecclesia sunt, de emolumentis ecclesiasticis, sive beneficiis, sive oblationibus, sive eleemosynis capiunt. EE. PP. edicent, quid sit censendum in ea quaestione, quae nunc proponitur:

An Canonici capitulares Collegiatae Ecclesiae S. Christinae teneantur coadiuvare Praepositum in exercitio curae animarum, et praecipue in assistendis moribundis in casu?

Die 10 maii 1766: Non proposita.

Die 31 maii 1766 Sacra, etc. respondit: Affirmative in casu necessitatis tantum, servato in reliquis solito, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 117-125, 142].

3751.

S. C. C., *Viterbien.*, 10 et 31 maii 1766.

Orioli, quod oppidum Dioecesis Viterbiensis est, in ecclesia S. Antonii Reformatorum S. Francisci Faustus Leoni sibi et familiae suae utriusque sexus construxit sepulcrum anno 1754, in quo et ipse et duo filii conditi sunt. Defuncto die 15 februarii 1754 Sacerdote Dominico alio filio, de eo sepeliendo quaestio orta est inter Archipresbyterum Parochum S. Georgii pro sua ecclesia et ecclesiam S. Antonii. Loci Vicarius mandavit expectari iudicium Eminentissimi Episcopi, et interim, salvis iuribus, ad ecclesiam parochialem ferri cadaver, ibique funere exacto, deponi. Iudicium supervenit Eñi Episcopi contrarium ecclesiae *Reformatorum*, qui inde reclamarunt, et modo de suo iure, ut cognoscatur, postulant.

Aiunt, in ecclesia habere sepulcrum a Fausto Leoni pro se suaque familia legitima auctoritate extructum. Ibi Faustum ipsum duosque filios tumulatos. De iure esse, ut in eo alius filius sit tumulandus: cap. *Nos instituta 1, de sepult.*, cap. *Is qui 3*, eodem tit. in 6. Nec recedendum a regula iuris propterea quod Dominicus fuerit Sacerdos, quodque in parochiali adsit designatum pro Sacerdotibus et Clericis sepulcrum. Animadvertunt etenim, non agi hic de Sacerdote vel Clerico addicto servitio ecclesiae, vel in ea titulum beneficii habente, ut in ea sepeliendus omnino sit, sed de Sacerdote nullo vinculo ac nullo beneficio parochiali alligato. In casu praeferendum esse sepulcrum familiae, receptiorem ac veriorem esse doctrinam Reiffenstuel, lib. 3 decr., tit. 28, de sepult., § 1, n. 13. Ecclesiam S. Georgii esse simplicem parochialem, et non beneficiatam, constitutam de simplicibus Presbyteris patrimonialibus.

Eminentissimus Episcopus de re disserendo inter cetera ait: Data etiam legitima extructione sepulcri maiorum praedicti Sacerdotis, adhuc apud Canonistas comprobatum novi, Sacerdotes non esse sepeliendos in sepulcro maiorum, quando in Cathedrali vel matrice adest proprium Clericorum, sepulcrum a laicalibus separatum. Cum S. Georgii ecclesia sit unica parochialis in eodem oppido, nomen etiam habet ac qualitates matricis ecclesiae, cui Presbyteri omnes oppidani, tamquam receptitiae, adscribuntur et inserviunt, eique defunctus Sacerdos speciali iure devinctus erat ex officio cantus Gregoriani ac pulsationis organi.

S. Congregatio nunc primum de hac controversia cognoscit, de qua alias, quod sciatur, iudicavit nunquam. At vero, ubi deficit lex, intrat ratio. Hinc parochiali nativum ius habenti praevalet ex canonum lege sepulcrum familiae, praesumptio est enim, unumquemque ad veterem totius familiae voluntatem se conformasse. Atque hinc sepulcro familiae praefertur sepulcrum proprium officii et simul collegatae societatis ecclesiasticae. Verumtamen haec praesumptio voluntatis locum habet tantummodo, si proprium et peculiare ipsius ecclesiasticae societatis sepulcrum sit. Quando haec omnia vera sint, videndum primo, an Dominicus in

parochiali titulum non retinens, aut beneficiatus, reputari debeat perpetuo servitio ecclesiae addictus cum eaque ita coniunctus, ut esset cum illa cor unum et anima una et cum aliis unico vinculo et unica mente cum eadem devinctus. Certe Concilium sanxit, *ut nullus ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus.*[1] Non ideo tamen hi ecclesiae *adscripti*, qui in ea suis fungantur muneribus, collegium fortasse viderentur facere, nisi ea accederent, quae ad legitimum constituendum collegium necessario requiruntur. Alioquin nulla distinctio esset de collegiis Canonicorum, Beneficiatorum, Mansionariorum aliorumque eiusmodi, quae legitima auctoritate constituta vera collegia sunt. Quando autem nullo certo iure cadaver Dominici in parochiali sit necessario condendum, videndum, quid de iure praesumi debeat de voluntate eiusdem nulli collegio et peculiari perpetuae societati adstricto, et qui Faustum patrem aspexerat paucis ante annis sepulcrum pro familia construere, atque in eo mortuum patrem et fratres condi viderat. Proponitur:

An cadaver Sacerdotis Dominici Leoni depositi in ecclesia parochiali Orioli, sit restituendum cum omnibus emolumentis funerariis, et humandum in ecclesia S. Antonii PP. Reformatorum in sepulcro familiari seu maiorum in casu?

Die 10 maii 1766: Non proposita.

Die 31 maii 1766 Sacra, etc. respondit: Affirmative, reservata quarta Parocho, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 129-143].

3752.

S. C. C., *Brictinorien.*, 31 maii, 21 iun. 1766.

De sepelienda puella, quae in Monasterio S. Ioannis Baptistae Fori Pompilii in Aemilia educationis causa degebat, Maria Sibonia, controversiam contra Monasterium et Parochum S. Petri excitavit Vicarius Abbatialis Parochiae S. Ruphilli, quae ad Capitulum Vaticanum pertinet. Provisum est interea, ut cadaver in ecclesia Monialium deponeretur. Nunc de controversia cognoscitur.

Praemittit Vicarius Abbatialis, iam non probari electionem sepulturae factam a puella ex testimonio duarum Monialium, sive Medici et Confessarii, qui ab ipsis Monialibus audierunt. Adiicit, electionem, si facta esset, non legitimam, atque irritam fuisse, propterea quod non licet in Monialium ecclesiis eligere sepulturam. Hinc concludit, restituendam esse cadaver, quod depositum, non conditum est, cum omnibus emolumentis funeris. De reliquo, etsi electio sepulturae probaretur vel substineretur, negandam non esse quartam Canonicam.

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 16.

Contra vero Monasterium contendit, electionem sepulturae satis superque probatam esse ex affirmatione duarum Monialium, Medici et Confessarii. Ambigi autem non posse, Mariam, quae in Monasterio educabatur, potuisse eam sepulturam eligere. Quamobrem certat, non esse restituendum cadaver, neque emolumentum ullum.

De electione sepulturae, quomodo probari possit etiam per nutus et signa, res apertissima est apud canonistas: *Neapolitana*, 13 februarii 1666,[1] *Senogallien.*, 19 decembris 1739.[2] De sepultura autem in ecclesiis Monialium, facta electione ab educandis: *Pennen.*, 6 iulii 1737,[3] *Feretrana*, 21 aprilis 1742.[4] Proponitur:

1. *An substineatur electio sepulturae educandae Mariae Siboniae in casu?*

Et quatenus negative:

2. *An sit locus exhumationi et respective restitutioni cadaveris una cum funeris emolumentis favore ecclesiae S. Ruphilli in casu?*

Die 31 maii 1766: Non proposita.

Die 21 iunii 1766 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 146-152, 164].

3753.

S. C. C., *Colonien.*, 9 aug. 1766.

Vicarius Generalis Coloniensis die 30 novembris 1758 pro ecclesia parochiali oppidi Kempensis decretum tulit: Cum conciones quadragesimales, quae quavis feria quarta et sexta servatae sunt ab antiquo, minorem utilitatem spiritualem conferant, quam catechesis, qua et iuventus et adulti ad digne suscipiendum SS. Sacramenta praeparantur, volumus, ut pro eo tempore D. Pastor per se vel per alium pio huic operi intendat, etc.

Impugnant hoc et alia vicarii decreta, lata extra visitationem, non monitis neque auditis, quorum intererat. Quaeritur:

XX. *An substineatur ordinatio catechesis faciendae a Parocho vel Sacellanis pro erudiendis pueris ad Sacramenta paschalia, loco concionis quadragesimalis, feriis quarta et sexta in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata ad primam post aquas, suspensa interim executione decretorum.[5]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 234-243].

[1] Cf. N. 2799.
[2] Cf. N. 3509.
[3] Cf. N. 3476.
[4] Cf. N. 3532.
[5] Cf. N. 3756.

3754.

S. C. C., *Novarien.*, 9 aug. 1766.

Decidebatur de haec causa in Congregationibus habitis die 14 decembris 1765 [1] et die 22 martii vertentis anni. [2] Nunc vero eadem iterum proponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a secundo loco decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis ad utrumque, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 234].

3755.

S. C. C., *Andrien.*, 20 dec. 1766, 24 ian. 1767.

Consultissimo S. huius Congregationis iudicio edito 10 februarii 1759 ac Episcopo postea contradicente confirmato diebus 26 novembris 1763 ac 12 maii 1764 statutum iam est, in Civitate Andriae Ecclesiam Cathedralem esse unicam parochialem, eiusque Capitulum unicum Parochum totius Civitatis et territorii; Ecclesiam vero S. Nicolai meram esse coadiutricem in administratione Sacramentorum. Die autem 20 septembris proxime effluxi determinata quoque fuit certa eiusdem Civitatis regio suis finibus circumscripta, ac tertiam populi partem complectens, intra cuius ambitum Ecclesia S. Nicolai Sacramenta ministret. Reliquum nunc est, ut ad novas praecidendas controversias modo praescribatur, quae iura ad officium Parochi pertinentia exerceri queant a Capitulo Cathedralis tum in ecclesia coadiutrice curae, tum in populum degentem in circuitu huic praefinito. Multiplex rerum congeries in 25 quaesita dispertita est.

Eveniente casu, ut vel ministranda sint Sacramenta vel danda sepultura alicui ex Canonicis, sive Presbytero sive Clerico servitio Cathedralis addicto, vel aegrotanti aut absque electione sepulturae decedenti in ambitu S. Nicolai, dubietate vacare inquit Capitulum, quin illi exhibenda sint ab eius Archipresbytero Sacramenta, atque decedens in Cathedrali sit sepeliendus, quia Canonici, Presbyteri Clericique Cathedralis in aliena parochia degentes, non huius, sed Cathedralis, in qua sacra peragunt, et spiritualibus reficiuntur, dicuntur parochiani. Aequum esse propterea ut Capitulo ius Sacramenta administrandi et sepeliendi cadaver sui parochiani tribuatur. Contrariam esse debere substinet, si quis ex Presbyteris vel Clericis S. Nicolai habitans in ambitu Cathedralis aegrotetur, vel moriatur, non electa sepultura. Hunc enim affirmat esse parochianum

[1] Cf. N. 3746.
[2] Cf. N. 3749.

Cathedralis tum propter habitationem, tum ob Cathedralis praerogativam, nam ipsa et matrix et communis omnium habetur Parochia.

Presbyteri S. Nicolai saepius moniti nihil adhuc ex scripto exhibuerunt. Circumferent forsan eorum libellos EE. VV., quae rogantur ea, qua assolent, iurisprudentia definire:

V. *An Canonicis sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis, et habitantibus in ambitu dictae ecclesiae S. Nicolai, in casu infirmitatis Sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis, seu potius a Vicario dictae Ecclesiae S. Nicolai in casu?*

VI. *An iisdem decedentibus absque electione sepulturae, nec alibi eam habentibus, sepeliri debeant in Ecclesia Cathedrali in casu?*

VII. *An Presbyteris seu Clericis adscriptis servitio dictae ecclesiae S. Nicolai, et habitantibus in ambitu Ecclesiae Cathedralis, in casu infirmitatis Sacramenta sint administranda a Vicario dictae ecclesiae S. Nicolai, seu potius a Vicario Cathedralis in casu?*

VIII. *An iisdem decedentibus absque electione sepulturae, nec alibi eam habentibus, sepeliri debeant in dicta ecclesia S. Nicolai in casu?*

Die 20 decembris 1766 Sacra, etc. respondit: Dilata ad primam, et detur dubium iuxta mentem.

Die 24 ianuarii 1767 Sacra, etc. respondit ad V. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VI. In Cathedrali, si in ea adsit sepulchrum proprium, sin minus in sepulchro maiorum, alias in ecclesia S. Nicolai.

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VIII. Ut in sexto. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 35, p. 327-338, tom. 36, p. 1-5].

3756.

S. C. C., *Colonien.*, 14 febr., 14 mart. 1767.

Dilationem in hac causa petentibus die 9 augusti superioris anni [2] Promotoribus fiscalibus Curiae Archiepiscopalis Coloniae, S. Congregatio eorum votis annuens, tunc distulit suum proferre iudicium. Quum modo reproponatur causa: praestat breviter innuere ea, quae Promotorum nomine proferuntur. Ad XX. inquiunt Promotores, formulam huius dubii non convenire in omnibus cum decreto Curiae Archiepiscopalis. Nam hoc non subrogat concionibus catechesim pro erudiendis tantum pueris ad Sacramenta Paschalia. Praecipit catechesim feria quarta et sexta Quadragesimae, quia conciones *minorem utilitatem spiritualem conferunt, quam catechesis, qua et iuventus et adulti ad digne suscipiendum SS. Sacramenta praeparantur.* In hunc ergo finem petunt responderi, ut serventur decreta Ordinarii. Consultissime, aiunt, decretam fuisse subrogationem cateche-

[1] Cf. N. 3758, 3776.
[2] Cf. N. 3753.

sis: paucissimos ad conciones accedere; utiliorem esse catechesim; esse et ipsam praedicationis speciem, ac Parochis stricte inculcandam. Reliquum igitur nunc est, ut EE. VV. sententiam proferant.

Die 14 februarii 1767: Non proposita.

Die 14 martii 1767 Sacra, etc. respondit ad XX. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 36, p. 22-33, 35-37].

3757.

S. C. C., *Viterbien.*, 30 maii 1767.

Ad perficiendam fabricam Ecclesiae Collegiatae et Parochialis Sanctorum Faustini et Iovitae Civitatis Viterbiensis, quae de consensu Emi Episcopi funditus reaedificari debuit, Capitulum eiusdem Ecclesiae post grave aes alienum super Ecclesia et propriis bonis contractum preces dedit, ut saltem pro scutis 1000 super decem Cappellaniis, quae in eadem Ecclesia partim de iurepatronatus, partim de libera Episcopi collatione erectae erant, census imponeretur, hac tamen lege, ut suspensis respectivis earumdem oneribus, ex harum eleemosyna fructus census solverentur, ac residuum pro eiusdem census reintegratione deponeretur. Hisce precibus annuit S. Congregatio ac die 21 novembris 1761 commisit Emo Episcopo, ut veris existentibus narratis et accedente consensu omnium Rectorum et Patronorum Cappellaniarum, de quibus agitur, petitam facultatem accipiendi ad censum summam scutorum 1000 tantum super fructibus earumdem Cappellaniarum, pro suo arbitrio et prudentia Oratoribus gratis impertiatur. Quoniam vero maior Patronorum et Cappellanorum pars consenserat, Capitulum contendit, praefatum rescriptum executioni, spreto ceterorum dissensu, mandari debere, cum illud maxime consonum esset iuris dispositioni, quae eos praecipue cogit ad contributionem pro fabrica ecclesiae, qui ex reditibus et proventibus eiusdem quomodocumque participant.[1] Unde quaeritur:

An Cappellani dissentientes iuris remediis obstringendi sint ad impositionem census pro fabrica Ecclesiae super fundis Cappellaniarum, ita ut rescriptum S. Congregationis diei 21 novembris 1761 sit exequendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 36, p. 109].

3758.

S. C. C., *Andrien.*, 19 sept. 1767.

Data fuit resolutio huius causae die 24 ianuarii proxime praeteriti.[2] Nunc vero reproposita causa quaeritur:

An quoad V., VI., VII., VIII. sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

[1] Pallottini, V. *Ecclesia Collegiata*, § 1, nn. 8, 9.
[2] Cf. N. 3755.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad V. In decisis, et amplius.

Ad VI. Praevio recessu a decisis, affirmative.

Ad VII. In decisis, et amplius.

Ad VIII. Praevio recessu a decisis, negative.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 36, p. 223].

3759.

S. C. C., *Agrigentina*, 12 dec. 1767, 16 et 30 ian. 1768.

Postquam Ignatius Radosti Religioni nomen dederat in inclyto Ordine Praedicatorum motus, ut ipse asserit, suasionibus P. Dionysii Greco Prioris Conventus S. Dominici terrae Clusae, qui patrimonii sacri constitutionem promiserat, professionis nullitatem proposuit in Curia Ecclesiastica Cusana, ubi morabatur, et sententiam suis votis conformem obtinuit, cum lege tamen, ut nisi infra quatuor menses de sufficienti patrimonio fuisset provisus, a celebrandis Sacrificiis arceretur. Deinde quum in paterna domo vitam duceret parum laudabilem, Episcopus Agrigentinus suo Vicario Foraneo iniunxit, ut illi iniungeret accessum ad Civitatem Agrigenti, et quatenus parere recusasset, ut comprehenderetur, et alligatus transmitteretur. Extrema Ignatii paupertas imparem eum reddidit ad subeundas itineris expensas: quapropter Vicarius Foraneus Clusae illum per satellites domi suae sistere mandavit. Sed Ignatius ut id audivit, ira correptus ac furore succensus ad Conventum Dominicanorum properavit, igneo tormento munitus, et quum incidisset in P. Priorem Greco, quem suum infensum hostem, suorumque malorum causam existimabat, exploso tormento, ipsum interfecit. Criminis atrocitate perterritus, profugus discessit, eoque contumace Curia Ecclesiastica Agrigentina ipsum censuris irretitum declaravit. Deinde accessit ad Urbem, et a S. Poenitentiaria absolutionem quoad forum internum reportavit. A die autem patrati homicidii, quod accidit die 4 augusti 1757 ad haec usque tempora tum Romae tum Venetiis commoratus est, ubi resipiscentiae et poenitentiae anteactae vitae signa praebuit, ut habetur ex Parochorum aliorumque testium depositionibus. Pluries interim apud S. hanc Congregationem, sed inutiliter supplicavit pro dispensatione ab incursa ex homicidio irregularitate. Easdem nunc renovat preces fusisque lacrymis EE. VV. clementiam humiliter implorat. Ait, homicidium patrasse in calore iracundiae, id patere ex ipsamet relatione Episcopi Agrigentini, in qua legitur, ipsum non prius arma sumpsisse, quam post acceptam notitiam demandatae contra ipsum capturae. Omni proinde dignum commiseratione atque indulgentia, si praesertim ponderetur, Oratorem nunquam antea fuisse inquisitum, aut ulla culpa vel offensione notatum, et rursus se postea honeste gessisse, aliisque fuisse exemplo ecclesiae inserviendo. Plurimi insuper habendam temporis diuturnitatem, quum Orator a decennio in summa

[1] Cf. N. 3776.

egestate et luctu vitam traducat. Denique animadvertendum proponit, non hic agi de dispensatione indulgenda Clerico ad Ordines promovendo sed de habilitando iam promoto ad exercitium Ordinum.

Ad rem autem praestat animadvertere, quod iuxta divinum eloquium a ministerio altaris arcendi sunt, qui sanguinem humanum fuderunt. Hinc cohaerenter Sac. Concilium Tridentinum, Sess. 14, cap. 7, *de ref.* ita disponit: *Cum etiam, qui per industriam occidit proximum suum et per insidias, ab altari evelli debet; qui sua voluntate homicidium perpetravit, etiamsi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad S. Ordines promoveri possit.* Tenent autem Doctores, Concilium tantum loqui de homicidio voluntario et per industriam. In praesenti igitur casu examinandae imprimis erunt circumstantiae, quae homicidium aut praecesserunt, aut in actu intervenerunt, aut sunt subsecutae, aliaeque in sui exonerationem ab Oratore expositae. Notandum ulterius, an Orator se purgaverit ab infamia ex delicto contracta. Certum est, ex turpi et inhonesta vivendi ratione infamia contrahi ad text. in cap. *Inter dilectos 11, de excessib. Praelat.;* verum si quis per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit et probitatis specimen praebuerit, infamia detergitur, ut ex can. *Si duo*, 35, quaest. 6, et can. *Nunquam*, 14, Dist. 56.

Episcopus Agrigentinus suam sententiam hac super re non explicat, totumque se remittit clementiae ac iustitiae EE. VV., quae definire dignabuntur:

An sit locus dispensationi ab incursa irregularitate in casu?

Die 12 decembris 1767: Non proposita.

Die 16 ianuarii 1768: Non proposita.

Die 30 ianuarii 1768 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 36, p. 285-288, tom. 37, p. 2, 35].

3760.

S. C. C., *Firmana*, 17 dec. 1768.

Cum Societas Sanctissimi Sacramenti erecta in Parochiali ecclesia S. Michaelis Archangeli loci Montis Urbani Firmanae Dioecesis, facultatem petiisset retinendi Ven. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia S. Salvatoris ad ipsam pertinente, restitit Praepositus eiusdem Parochialis, qui in supplici libello plura protulit, ut petitio huiusmodi reiiceretur. Re a Sanctissimo Domino Nostro, cui preces oblatae fuerunt, S. Congregationi mandata cum dubio respiciente facultatem retinendi Ven. Sacramentum, alia etiam adiungere oportuit, quibus quaeritur de Sacris peragendis functionibus.

Ad 2. dubium respiciens functiones, quae fiunt a Societate, Orator aequum esse affirmat, ut illae privative a Praeposito peragantur, tum quia fieri solent in maiori altari suae Parochialis ecclesiae, tum etiam, quia

id statutum est a Sacra Rituum Congregatione die 10 decembris 1703,[1] et ad haec usque tempora observatum, ut ex testibus colligitur.

Diu Societas expectata est, nec quidquam ad sua tuenda iura hucusque exhibuit, quamvis praefixus eidem fuerit terminus ad illa deducendum. Definiendum proponitur:

2. *An ius peragendi omnes functiones pertinentes ad Societatem privative spectet ad Praepositum in casu?*

Die 17 decembris 1768: Non proposita.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 37, p. 356-361].

3761.

S. C. C., *Tranen.*, 14 ian. 1769.

Agitabatur haec causa diebus 14 maii et 17 decembris 1763.[3] Nunc vero in alia forma proponitur; videlicet:

1. *An mensa archiepiscopalis teneatur ad taxam in casu?*

2. *An Capitulum Cathedralis et Clerus tam saecularis, quam regularis Civitatis Trani teneatur ad taxam, in qua summa, et a quo tempore in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, deducto, quod impendit Archiepiscopus in contributione ducatorum 600.

Ad 2. Affirmative, deducto, quod impendit Clerus in contributione ducatorum 600.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 1].

3762.

S. C. C., *Balneoregien.*, 14 et 28 ian. 1769.

In oppido Polimartii sacram iterans visitationem Episcopus Balneoregiensis Societati Misericordiae imperavit, ut ad electionem alumni procederetur. Tunc autem Officialibus Societatis redituum administrationem interdixit, pecuniasque penes debitores sequestro subiecit; ac praeterea plures ex sodalibus ab albo Confratrum delevit, novos addidit, eorumque nominibus in tabella descriptis hanc sequenti decreto firmavit: *Amoventes, lacerantes, deturpantes, aut quocumque modo alterantes praesentem tabellam seu addentes alios Confratres, sint ipso iure excommunicati.*

Aegro animo Officiales et Confratres tulerunt huiusmodi ordinationes, quas in libello Summo Pontifici oblato fusius exposuerunt, orantes, ut totius rei gestae examen Sacrae huic Congregationi committere dignaretur. Res igitur ex oraculo Sanctissimi EE. VV. demandata est, quorum sapienti iudicio inferius transcripta dubia resolvenda subiiciuntur.

[1] Cf. N. 5733.
[2] Cf. N. 3763.
[3] Cf. N. 3727, 3733.

Ad 2. Sodales sustinent, reintegrandos esse Confratres ab albo expunctos repellendosque alios ab Episcopo admissos, quia nulla eidem potestas sit eiiciendi Sodales in legitima possessione existentes, novosque subrogandi, quod unice Confratribus competit. Maxime, quia ex nova hac admissione suborta sunt scandala et non sine divini cultus detrimento exercitium piorum operum fuit intermissum. Asserunt ad 3. liberam Sodalibus competere administrationem bonorum Societatis, nec eisdem auferri posse, nisi de abusu et dissipatione constiterit. In hac autem administratione nullo modo posse Episcopum se ingerere, ut pluries declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium.

Ex parte Promotoris fiscalis nihil hactenus datum est. Episcopus iudicium EE. VV. expectat.

Circa dubia, quae proponuntur, inutile haud est praenotare, posse quidem Episcopum ad tollendos abusus edictis praecavere, ut bona locorum piorum fideliter administrentur, non tamen in administratione se posse miscere, sed illam Officialibus ad id electis relinquere debere, ut resolvit S. C. Episcop. et Regul. in *Castellaneten.*, 14 nov. 1603, [1] solumque ex dispositione Concilii Tridentini Sess. 22, cap. 8, 9, *de ref.* ius illi competit confirmandi Oeconomos et Administratores, ab eisque rationes exigendi. Quoad remotionem Sodalium ab albo Confratrum tradunt Doctores, quod si defectuosi reperti fuerint, praemittendae sint monitiones, nec statim a catalogo delendi; addentes, quod pendente controversia super alicuius remotione, manuteneri is debeat in sua possessione. Omnibus itaque mature perpensis EE. VV. declarare dignabuntur:

2. *An sint reintegrandi Confratres ultimo loco deleti ab Episcopo, et respective delendi novi Confratres ab Episcopo electi in casu?*

3. *An sit restituenda facultas Officialibus Confraternitatis administrandi et exigendi reditus eiusdem Confraternitatis, ita ut sint removenda sequestra in casu?*

Die 14 ianuarii 1769: Non proposita.

Die 28 ianuarii 1769 Sacra, etc. respondit: Dilata, remotis sequestris, et reintegratis interim Confratribus. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 4-9, 12].

3763.

S. C. C., *Firmana*, 28 ian. 1769.

Descripta est facti species huius causae in folio Congregationis habitae die 17 decembris 1768, [3] verum ea tunc proponi non potuit. Nunc ergo resolvenda proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 2. Affirmative in ecclesia Parochiali.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 11].

[1] Cf. N. 1623.
[2] Cf. N. 3766.
[3] Cf. N. 3760

3764.

S. C. C., *Comaclen.*, 17 iun. 1769.

In districtu Parochialis ecclesiae Villae Libolle Dioecesis Comaclen. a saeculo XV erectum fuit a nobili viro Nicolao Maria de Betto publicum oratorium vulgo dictum *delle Camatte*, in quo singulis diebus festis Sacrum fieri consuevit. Aegre id tulit Parochus dictae Villae, quapropter ad eius petitionem Episcopus anno 1760 suo decreto prohibuit, *ne imposterum in dicto Oratorio celebrarentur Missae in diebus Nativitatis Christi, illius Resurrectionis, Epiphaniae, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, S. Cassiani, ac tandem Sancti Titularis ecclesiae Parochialis, sub poena suspensionis Sacerdotum a divinis in eodem celebrantium ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio nostro infligendis, nisi tamen concurrat licentia a Parocho in casibus particularibus concedenda.*

Dolenter id audivit Franciscus Betti, qui Cappellanum suis sumptibus destinaverat, ut singulis diebus festis in dicto Oratorio celebraret, exhibitisque precibus Sanctissimo Domino Nostro, facultatem petiit Sacra peragendi etiam in solemnioribus anni festivitatibus, non quidem ad sui commodum, sed ad solatium incolarum *delle Camatte*, gentisque finitimae. Rei notione Sacrae huic Congregationi mandata, de ea nunc subiicitur examen.

Contendit itaque primum Franciscus Betti, ambigi non posse, quin Oratorium publicum sit, quum adhaereat publicae viae, illius ostium locum publicum spectet, omnibus pateat, et adnexam habeat etiam turrim campanariam. Nec etiam dubitari posse de erectione facta auctoritate Ordinarii. Ex hac oratorii publicitate educit, illud suo quasi iure sibi vindicare, ut in quavis festivitate ibi Sacrificium offeratur, cum praesertim non aliud sit discrimen inter publicum et privatum oratorium, nisi quod in isto sit vetita, in illo vero permissa in solemnioribus diebus celebratio. Hinc infert, quod cum ex dispositione iuris communis liberum sit in quibuscumque anni festivitatibus Missam in publico oratorio celebrare, non liceat Episcopo huius facultatis exercitium coercere. Ad haec adiicit, nedum congruum, immo necessarium esse, ut in dicto oratorio Sacrum non intermittatur, quia plebs adiacens loco *delle Camatte* atque incolae proximarum Vallium Comaclensium duo millia passuum distant ab ecclesia Parochiali Libollae, quod iter ad illam impervium sit ac hyemali praesertim tempore perdifficile. Nec audiendum esse dicit Parochum iactantem, necessario debuisse interdici celebrationem in oratorio, ut pueri ac rudes agricolae ad Parochiam accederent, ibique in fidei rudimentis sacrisque mysteriis instruerentur. Advertit enim, remedium hoc malum addere malo, quum incolae ablata commoditate audiendi Sacrum in Oratorio, nullibi praecepto satisfaciant. Deinde addit, fideles monendos quidem esse, non autem cogendos, ut adeant Parochialem: Conc. Trid., Sess. 22, de [illegible]

in celebrat. Miss., denique perperam conclamari dicit, neminem fore, qui fideles commoneat ac instruat, cum Capellanus Oratorii singulis diebus festis catechesim ad populum habere consueverit. Unde prohibente Episcopo Vercellensi diebus solemnioribus celebrationem Missae in quodam oratorio publico, Sacra Congregatio respondit: Oratorium esse publicum, adeoque licitum esse ibidem celebrare diebus etiam solemnioribus: in *Vercellen.*, 3 augusti 1675. [1] Omnibus itaque perpensis, deliberandum ab EE. VV. erit:

An liceat in publico oratorio delle Camatte *libere celebrare etiam in festis solemnioribus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 28-32].

3765.

S. C. C., *Constantien.*, 8 iul. 1769.

Iudaeus quidam nomine David Marcus, natione Polonus, ex oppido scilicet Kampsa, pluries pro se suaque uxore et quatuor filiis Baptismum petierat, quin tamen unquam voti compos evasisset. Cum vero quadam die in Hospitali Rottenburgensi cum tota familia maneret, nilque minus cogitaret, quam de Baptismo actu suscipiendo, muliercula quaedam bona fide putans, urgente necessitate, quemlibet baptizare posse, nulla praemissa catechesi, neque postulato baptizandorum consensu, aqua lustrali aspersit omnes, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, Amen*, eosdemque monuit ipsos iam esse Baptismo initiatos et Christianos effectos. Varia post itinera dictus David Marcus cum tota sua familia Salemium se contulit in Provincia Sveviae; dubiusque de validitate Baptismi a praedicta muliercula collati, supplex rogavit Reverendissimum Abbatem, ut rite, si opus foret, ipsos baptizare dignaretur, et in catholicae religionis mysteriis erudire. Abbas autem Salemitanus, ne quid hac in re imprudenter ageret, Sacrae huius Congregationis consilium exquisivit, postulavitque declarari, an dictus David Marcus cum sua familia denuo baptizari, saltem sub conditione, deberet.

Datae hinc sunt literae Nuntio Apostolico apud Helvetios, demandatumque examen tum mulieris, quae Baptismum administravit, tum etiam baptizatorum. At, excepto Davide Marco, nemo ex reliquis examini subiici potuit. Ex formali igitur Davidis examine constat, mulierculam manum in hydriam aquae attinxisse, ac primum duos natu minores Rebecham scilicet et Abrahamum lethali morbo laborantem aqua aspersisse, cruce signasse, proferendo verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen*, mox reliquos de familia, ipsum videlicet Davidem ac eius uxorem duosque maiores liberos eadem aqua similiter aspersisse; ipsum autem nescire, an aliorum respectu dicta mulier quidquam pronunciaverit; certum tamen esse, ipsam monuisse, ut si alter ex infirmis moreretur, Sacerdoti notum fieret, eos iam fuisse baptizatos. Praeter Davidis examen prostat etiam extraiudicialis depositio mulieris, quae Baptismum contulit, asserentis, se utrumque parentem ac filios omnes aqua seorsim aspersisse, repetita quoad singulos Baptismi formula: *Ego te baptizo, etc.* Ideo vero ad hoc faciendum fuisse adductam, quia nemo sine Baptismo salvatur. Postea vero rogata, ut panderet, num quidquam Iudaeis dixerit ante Baptismi collationem, declaravit, nihil ea de re cum ipsis fuisse alloquutam. Sacerdos autem Societatis Iesu P. Schwenduman asserit baptizantem esse devotam feminam, sed simplicem, quae sine praecedenti consensu in adultis ad Sacramenti validitatem requisitio, bona fide Baptismum administravit.

[1] Cf. N. 2838.

Inquirendum est itaque, an fides habenda sit devotae mulierculae, quae semel atque iterum extraiudicialiter testata est, Hebraeos singulos a se fuisse baptizatos. Praestat porro nonnulla addere ad validam huiusce Sacramenti collationem pertinentia. Indubia profecto res est, ad Baptismi substantiam qualemcumque personae baptizandae ablutionem sufficere, sive ea immersione, sive perfusione, sive aspersione fiat. Duo idcirco praecipua sunt: primum, ut tantum aquae et eo modo adhibeatur, quantum et quo modo sufficit, ut quis moraliter censeatur ablutus et aqua perfusus; deinde necessarium est, ut aqua immediate corpus tangat, quia non alias homo abluitur. Tandem ubi de adultis agitur, constans et communis apud omnes sententia est, baptizandi voluntatem requiri, ita ut, *si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*, ut inquit D. Thomas, 3 part., quaest. 68, art. 7, ad 2. Voluntas haec autem perfecta et praecisa esse debet, non est tamen necesse, consensum esse actualem, sufficit enim aliquando praecessisse et moraliter adhuc perseverare iuxta communem Theologorum sententiam. Quum vero David cum tota familia Sacrum Baptisma petierit, hinc ponderandum occurrit, an petitionis huius et desiderii conscii fuerint illius filii adulti, eique assensum praestiterint. Quodsi de assensu constiterit, inquirendum ulterius est, an voluntas antecedens recipiendi Baptismum, quae nunquam videtur retractata, moraliter in ipsis perseveraverit, ita ut ex parte adultorum non defuerit intentio saltem virtualis suscipiendi Baptismum. Haec omnia EE. PP. examinanda proponuntur, ut, qua solent, maturitate et prudentia definiant:

An Baptismus ratus haberi debeat, vel potius sub conditione denuo conferri in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 53-60].

[1] Cf. N. 3770.

3766.

S. C. C., *Balneoregien.*, 26 aug., 16 sept. 1769.

Dilata fuit resolutio huius causae die 28 ianuarii praeteriti.[1] Reproposita igitur causa Promotor fiscalis ad 2. sustinet, non tantum Episcopo, sed cuilibet etiam Iudici vel Magistratui ad tuendam propriam dignitatem permissum esse contra refractarios et inobedientes via oeconomica procedere eorumque audaciam illico cohibere. Addit, nonnullos ex iis, quos ab albo Sodalium Episcopus deleverat, die immediate sequenti admissis eorum excusationibus in pristinum statum restituisse, idemque factum fuisse quoad alios, si eodem modo restitui postulassent. Ad 3. fatetur Confratribus competere administrationem bonorum Societatis, sed aeque Episcopo competere ius visitandi Confraternitatem, et ab eorum Administratoribus rationes exposcendi ex dispositione Concilii Tridentini, Sess. 22, cap. 8, 9, *de ref.* Episcopo etiam incumbere abusus tollere, ut Confraternitatum bona recte ac fideliter administrentur. Et in praesenti casu negari non posse, varios quoad administrationem redituum Societatis Misericordiae irrepsisse abusus, ut ex summario deprehendi valet. Omnibus itaque perpensis, dignabuntur EE. PP. eadem dubia declarare.

Die 26 augusti 1769: Non proposita.

Die 16 septembris 1769 Sacra, etc. respondit ad 2. Affirmative in omnibus. Ad 3. Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 109-115, 130].

3767.

S. C. C., *Hildeshemen.*, 16 sept., 18 nov. 1769.

Usus invaluit in Civitate Hildesimen., ut nonnulli Regulares ad Civitatem ipsam pluribus infra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, soleant sibi eligere Presbyterum saecularem ab Episcopo non approbatum, qui eis sit a confessionibus, quamvis non desint, qui vel ex saecularibus, vel ex regularibus, propriaque cuiusque Ordinis familia de Episcopi vel Praelati Regularis licentia confessiones excipiant. Id minime ferri posse censet laudatus Episcopus. Sed ne in re tam gravi quidquam decernat inconsulta Sede Apostolica, pro eximia in eam opinione, ac reverentia, dubia, quae in calce exhibentur, declaranda proponit.

Et primo quidem non diffitetur, complures ex moralis Theologiae Doctoribus opinionem tueri, quod Religiosus iter faciens vel domi permanens possit de licentia tantum sui Superioris Presbyterum quemlibet sive

[1] Cf. N. 3762.

saecularem, sive regularem a nullo Praelato vel Episcopo approbatum sibi in Confessarium eligere. Animadvertit tamen, alios plures ex Theologis tum Moralistis tum Canonistis contrariam sententiam, tamquam magis veram, sustinere ea praecipue ratione, quod si de iure communi et de universali ante Concilium Tridentinum vigente consuetudine nullus Religiosus peccata sua confiteri poterat Sacerdoti ab Episcopo non approbato; multo minus id permissum censeri debeat, postquam Concilium tam sollicite approbationem requisivit in eo, qui sacramentales confessiones exciperet. Nec diversimode intelligenda esse privilegia Regularibus concessa ab Innocentio VII et Sixto IV, cum haec, dum iisdem facultatem tribuunt eligendi Confessarium, si non explicite, implicite saltem designent Confessarium ab Episcopo approbatum, quia requirunt religiosum vel Presbyterum saecularem *idoneum* et *discretum*. Idque confirmari ex Bulla Iubilaei, in qua caveri solet, ut Regulares eligere debeant Confessarium *approbatum*. Animadvertit insuper, quod licet verum esset, quod Superior Regularis Religiosi eligentis praesumatur tribuere Sacerdoti electo iurisdictionem ad absolvendum, nihilominus hoc non sufficeret, quia requireretur ulterius, ut Sacerdos ille idoneus fieret ad exercitium iurisdictionis per approbationem proprii Ordinarii. Idemque dicendum de Praelatis Regularibus itinerantibus, quibus nullo modo fas est Sacerdotem saecularem eligere ab Ordinario non approbatum. Demum observat, nimis irrationabile esse simplicem Religiosum, forsan etiam illiteratum et idiotam ius habere iudicandi de idoneitate et approbandi in Confessarium Sacerdotem quemlibet sive saecularem sive regularem, qui quandoque et ipse illiteratus sit et idiota. Id enim mali evenire posse advertit, ut Religiosus a proprio Conventu in fraudem secedat, et benevolum atque illiteratum Confessarium eligat, quod esset absurdum atque omnino vetitum.

Absolutio in Sacramento Poenitentiae non est nudum dumtaxat ministerium declarandi, quod sint remissa peccata, sed est actus iudicialis, quo a Sacerdote, velut a Iudice, sententia pronunciatur, ut contra novatores definivit Conc. Trident., Sess. 14, *de Poenit.*, can. 9. Quamvis autem, cum quis inauguratur Sacerdos, Ordinis potestatem accipiat, non accipit tamen potestatem iurisdictionis, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ad excipiendas confessiones ab Episcopo approbetur: Synod. Trident., Sess. 23, cap. 15, *de ref.* Hinc Urbanus VIII quodlibet privilegium administrandi Sacramentum Poenitentiae abrogavit, nisi Episcopi facultas intercederet; idemque observandum declaravit Innocentius XI in decreto de frequenti communione, die 12 februarii 1679[1] etiam in casu, quo ageretur de absolutione levium culparum, aut lethalium, quae alias per confessionem fuerint expiatae. Denique non est praetereundum, quod tutior sit sententia Regularibus denegans ius eligendi in Confessarium simplicem Sacerdotem, et s. m. Innocentius XI damnavit propositionem asserentem, illicitum non esse in materia Sacramentorum sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetat lex aut con-

[1] Cf. N. 2848.

ventio, aut periculum gravis damni.[1] Omnibus itaque mature ponderatis, dignabuntur EE. PP. declarare:

I. *An tales confessiones licitae sint in casu?*

II. *An ignorante Episcopo fuerint validae?*

III. *An Episcopo sciente et contradicente, imposterum peragendae validae futurae sint?*

Die 16 septembris 1769: Non proposita.

Die 18 novembris 1769 Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 141-150, 158].

3768.

S. C. C., *Beneventana*, 18 nov. 1769.

Mandavit anno 1767 Curia Archiepiscopalis Beneventana Vicario Foraneo oppidi Montis Sarculi, ut inquireret de inhonesta vitae consuetudine Sacerdotis Raphaelis Paradiso cum puella Antonia Ioderico eiusdem oppidi; necnon de secuta eiusdem Antoniae praegnantia, ac patrato animato abortu. Examinati primum fuerunt Chirurgus et Obstetrix, qui abortus tempore puellam ac natum infantem inviserant. Ille nullum novit externum signum, unde abortus violentiam argueret; haec vero ex ipsa corporis puellae inspectione certum dedit de violento abortu iudicium. Alii undecim testes de assidua Sacerdotis familiaritate ac prava consuetudine primum habita cum Lucia Iudice, dein cum Ursula Quarantello et demum cum dicta Antonia deposuerunt; testati item sunt de publico scandalo, praesertim ex secreta et intima familiaritate cum dicta Antonia, necnon de istius praegnantia ex communi opinione dicto Sacerdoti attributa et de secuto abortu, qui pariter ex publica voce et fama et ex nimia illius cura et sollicitudine eidem imputabatur. Tres quoque aliae feminae ex proprio visu patefecerunt crimen a Sacerdote Paradiso cum dicta Antonia Ioderico in agris admissum.

Ob haec Curia Archiepiscopalis eidem Sacerdoti imperavit, ut sub poena scutorum 50 et suspensionis a divinis a patria abiret ultra octavum lapidem ad diem usque 6 martii 1767. Mandato primum paruit Sacerdos, et a patria secessit, brevi tamen, die scilicet 8 dicti mensis martii ad eamdem rediit ex causa adversae valetudinis, et cum primum convaluit, spiritualia egit exercitia. His absolutis ex praecepto eiusdem Archiepiscopalis Curiae promisit, se cum dicta Antonia non versaturum, nec accessurum ad dictum oppidum Montis Sarculi; sed post brevem absentiam ad patriam rediit. Constanter affirmavit, patriam repetiisse causa adversae valetudinis et Medicorum consilio. Negavit pravam non solum cum dicta Antonia consuetudinem, sed omnem etiam familiaritatem; asseruitque ignorare eiusdem praegnantiam, ac abortum, testes vero fiscales pro repetitis

[1] Cf. N. 754.

habuit et suis defensionibus renunciavit. Hinc Vicarius Generalis edita die 30 iulii 1768 sententia *super diffamato concubinatu cum ingravidatione et inditiato abortu et cum diffamatione ac murmuratione abortus praedicti per dictam Terram in personam Antoniae Ioderici*, censuit dictum sacerdotem Raphaelem Paradiso, *tamquam de praemissis reum repertum et de iure punibilem, condemnandum fore, et esse exulandum, sicuti etiam ad consulendum conscientiae suae pro diffamatione abortus ad adeundam Sanctam Sedem Apostolicam pro absolutione.*

Ut autem ad altaris ministerium restituatur, nunc exponit, se nulla irregularitate notatum esse, vel quatenus irregularis dici possit, saltem implorat EE. VV. clementiam pro opportuna dispensatione. Qua de re disceptanda curavit dubia in calce transcripta. Et ad I. inquit, non incurri ex delicto irregularitatem, nisi haec illi inhaereat ex iuris sanctione, idemque delictum concludenter fuerit probatum: cap. *Is qui, de sent. excom.*, cap. *Ex tenore* 4, et cap. ult., *de temporib. ordin.* Fornicationi autem ac etiam concubinatui nullibi a iure impositam esse poenam irregularitatis. Nullam autem in praesenti casu violenti abortus haberi probationem in genere, immo hanc excludi ex relatione Chirurgi, qui foetu inspecto, nullisque violenti abortus repertis signis ac vestigiis, iudicium protulit, quod naturaliter contigerit; Chirurgi vero relationi magis credendum, quam fallaci, insulsae et inverosimili obstetricis opinioni. Deesse etiam probationem in specie, quia tres mulieres a fisco examinatae nihil concludunt contra personam Sacerdotis Oratoris. Hinc arguit, nullam infamiam contractam fuisse, tum quia deest delicti probatio, tum quia infamia non oritur ex dicto duarum vel trium muliercularum, sed tantum ex communi opinione ac fama penes probos viros et maiorem populi partem: cap. *Inquisitionis* 21, *de accusat.* Nec eam evinci ex poena exilii Oratori inflicta, quia huiusmodi poena iniuncta non fuit ex causa abortus, sed ob turpem consuetudinem, de qua tantum extat probatio. Sustinet autem, quod sicuti ex inhonesta vivendi ratione nulla irregularitas incurritur, ita nulla ex dicta poena exorta fuerit infamia, vi cuius Orator ab Altaris ministerio sit arcendus. In II. dubio saltem postulat benignam dispensationem sibi ex gratia indulgeri. Advertit enim, rem esse de Sacerdote iam promoto, non de promovendo; probat Archiepiscopi testimonio resipiscentiam.

Irregularitas, ut incurratur ex delicto, requiritur actus externus consummatus: can. *Si quis non iratus*, 15, quaest. 1, nec unquam contrahitur, nisi sit in iure expressa: cap. *Is qui, de sent. excom.*, in 6. Nulla autem irregularitatis poena inflicta est Clericis ac Sacerdotibus impudicitiae sordibus ac etiam immundo concubinatu inquinatis, nisi servatis poenarum gradibus praescriptis a Sacro Conc. Trid., Sess. 25, cap. 14. Quoad abortus delictum distinctionem inter foetum animatum et nondum animatum, ut scilicet in primo casu delinquens tamquam homicida puniatur et irregularis evadat: *Si aliquis* 5, cap. *Sicut ex litterarum 20, de homicid.* abrogavit Sixtus V in const. incip. *Effraenatam*,[1] at rigidiorem hanc con-

[1] Cf. N. 165.

stitutionem moderatus fuit Gregorius XIV in const. *Sedes Apostolica.*[1] Foetus, quem Antonia peperit, iam quinquemestris vel saltem quadrimestris erat, ut constat ex examine Chirurgi et Obstetricis. Tota hinc inspectio est, an idem abortus violentus fuerit, et an eius auctor, fautor vel consiliarius censeri possit Sacerdos Raphael Orator. Iosepha Caporale deposuit ... *avendo inteso, che mentovata Antonia Ioderico abortiva, subito feci giudizio, che la riferita Porzia fosse stata quella, che operata aveva l'aborto, così per esser solita commettere tali scelleraggini, come perchè detto Sacerdote D. Raffaele è suo confidente....* Nuntia vero testata est:... *per detto di Antoniella Papa, nipote di detta Porzia si seppe che la cennata Porzia nel luogo della Tora coll'intervento del detto Sacerdote Raffaele aveva applicata la radice della sudetta Ioderico d'onde essere seguito l'aborto, dopo del quale pur anche esso Paradiso continuò a practicare nella sudetta casa d'Antonia.* Et demum Antonia Papa deposuit:.... *viddi portarsi detto Sacerdote D. Raffaele Paradiso unitamente con detta Antonia Ioderico, e stando io accosto al pagliaro da cui detta Porzia stava alquanto lontana, viddi, che il detto Sacerdote Don Raffaele gli fece segno colla mano, acciò se gli fosse avvicinata, come fece ed immediatamente la riferita Porzia col detto D. Raffaele ed Antonia si allontanarono dal detto pagliaro... e la seguente mattina di Lunedì intesi, che la detta Antonia s'era figliata senza saper come...*

Dignentur ideo EE. PP. decernere:

I. *An constet de irregularitate in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An sit concedenda dispensatio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 173-181].

3769.

S. C. C., *Aretina*, 18 nov., 16 dec. 1769.

Praescripta prosequens in constitutione s. m. Benedicti XIV incipien. *Cum semper*[2] Episcopus Aretinus Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Agathae terrae Asciani imperavit, ut Sacrum agerent quotidie pro benefactoribus. Onus huiusmodi grave nimis existimarunt Canonici tum propter tenuitatem redituum Ecclesiae, tum etiam ob pervetustam consuetudinem onus illud non ferendi. Supplices proinde adierunt fel. rec. Clementem XIII petentes absolutionem ab applicatione quoad praeteritum omissa, et omnimodam imposterum ab hoc onere exemptionem, vel saltem illius reductionem ad dies tantum festos. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, auditoque bis Episcopo, nunc ea res iudicio subiicitur EE. PP.

[1] Cf. N. 173.
[2] Cf. N. 345.

Praecipua Oratorum excusatio ex redituum tenuitate desumitur. Quod vero respicit omissam tempore praeterito Sacrificii applicationem, excusatione se dignos esse Capitulares existimant tum ob redituum tenuitatem, tum et maxime ob bonam fidem, in qua hucusque fuerunt, quum nulla in actu erectionis Collegiatae Canonicis iniuncta appareat obligatio Missam Conventualem applicandi. Episcopus in utraque sua relatione confirmans, quae a Capitulo et Canonicis de redituum quantitate asseruntur, ipsorum petitioni favet.

Saepius Sacra Congregatio declaravit, quod Canonici Cathedralium et Collegiatarum teneantur quotidie Missam pro benefactoribus applicare, non obstante redituum tenuitate aut quavis contraria etiam immemorabili consuetudine. Resolutiones hac super re editas videre praestat in *Ferrarien.*, 18 martii 1719,[1] in *Camerinen.*, 9 iunii 1714;[2] verum ob redituum tenuitatem, si annua scuta 30 non excedant, reductionem ad dies tantum festos de praecepto indulgendam censuit Sacra Congregatio, quod quidem probavit etiam laudatus Pontifex in relata const. *Cum semper*, § 19. Vestrum itaque est, Emi PP. declarare:

1. *An Capitulum et Canonici terrae Asciani teneantur applicare Missam Conventualem pro benefactoribus in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An, et quomodo sit locus illius reductioni in casu?*

3. *An, et quomodo pro tempore praeterito sit providendum in casu?*

Die 18 novembris 1769: Non proposita.

Die 16 decembris 1769 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative ad formam constitutionis s. m. Bened. XIV, Cum semper.

Ad 3. Ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 38, p. 186-190].

3770.

S. C. C., *Constantien.*, 20 ian. 1770.

Proposita hac causa in Congregatione diei 8 iulii 1769,[3] resolutio dilata fuit et iussum, ut scriberetur Episcopo iuxta instructionem. Datis itaque litteris Nuntio Apostolico apud Helvetios, iniunctum ei fuit, ut praevio accurato examine tum mulieris, quae Baptismum contulit, tum etiam Marci Davidis eiusque uxoris ac filiorum, circumstantias omnes percunctaretur. Expleto examine acta transmisit laudatus Nuntius cum nova sua relatione. Ex actis patet, de baptizantis intentione nullam in praesenti casu oriri posse disceptationem. Porro ex formali examine constat, mulierem, quae Baptismum ministravit, usam esse aspersione, digito nimirum in aquam intincto, ut ipsa testata est; non tamen constat, singulos seorsim aqua fuisse

[1] Cf. N. 3183.
[2] Cf. N. 3133.
[3] Cf. N. 3765.

aspersos, aut aquae guttas singulos attigisse, vel si fortasse singuli aliqua gutta tacti fuerint, ignoratur, an satis fuerit, ut ablutionis vices impleverit. Gravis oritur dubitatio de Baptismo a Lia suscepto, ob probabilem defectum ablutionis, quae ex una vel altera aquae gutta haberi non potest; magisque grave exurgit argumentum contra Baptismum Davidis patrisfamilias et Sarae uxoris, qui nullo modo aqua fuerunt abluti. Ex alio quoque capite collatio Baptismi, de qua agitur, in maximam venit nullitatis suspicionem: ex depositionibus enim Liae, Sarae et Davidis aperte innotescit, nulla prolata fuisse verba a muliere baptizante, nihilque ab ea fuisse pronunciatum, dum aqua circumstantes aspergebat. Non est tamen dissimulandum, hisce depositionibus aperte pugnare, quae in priori extraiudiciali examine ipsa mulier baptizans fassa fuerat. Verum perpendere oportet, quod mulier baptizans nedum simplex sit et devotula, sed rectum rationis usum, ut communis fert fama, non habeat, praesertim verno et aestivo tempore, adeoque saepius delirans, mente sit confusa; deinde animadverti debet, quod eadem mulier in formali examine respondit, se non recordari, utrum ante cuiuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit. Ex his erui potest, quanta fides adhibenda sit mulieri baptizanti. De intentione suscipiendi Baptismi in Lia, Sara et David hoc unum habetur: Liam scivisse, quod parentes catholicam fidem amplecti conentur, et se etiam voluisse illam fidem amplecti, quam parentes amplexuri essent, sed modum nescivisse. Et addidit: *Aquam sensi in facie, sed non existimavi, me per hoc baptizari, neque desideravi Baptismum, cum nihil scirem de Baptismo. Sed neque pater, quantum mihi constat, tunc voluit ibi baptizari.* Ex his patet, immediate, saltem ante aspersionem propositum Iudaeis non defuisse suscipiendi Baptismum, quamvis nihil de illo tunc cogitaverint, quia existimarunt, nequaquam posse a muliere conferri. Supersunt adhuc liberi, quorum duo postremi infantes: Abraham et Anselmus fuerunt sub conditione rebaptizati. De aliis vero, videlicet Isaaco et Rebecca habetur, ut quid circa se actum sit, prorsus ignorare comperti sint, cum ex eo tempore unus et dimidius iam elapsus sit annus, et ambo aetate infirmiores. His itaque opportune praecognitis, vestrum erit, PP. EE. respondere dubio, quod iterum proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Esse baptizandos sub conditione.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 3-16].

3771.

S. C. C., *Reatina*, 10 et 31 mart. 1770.

Complures in Civitate Reatis ex quovis ordine Familiae sepulchra habent gentilitia tum in Cathedrali, tum etiam in ecclesiis Regularium. Contendunt autem Parochi, puerorum cadavera ante septennium decedentium in Parochiali esse omnino tumulanda, nec ni de ipsorum licentia ad sepulchra gentilitia deferri posse, ita tamen, ut in isto casu omnia funeris emolumenta Parochiae integre persolvantur. Aegre id ferentes eiusdem

Civitatis patresfamilias, ad omnem in posterum dirimendam controversiam infrascripta dubia EE. PP. decidenda proponunt.

Ad 1. quod attinet, sustinent, ex iuris dispositione licere patri pro filio pubertatem non egresso sepulchrum eligere: cap. *De uxore, de sepult.* et cap. *Licet* 4, eod. tit., in 6. Hinc inferunt, innixam iuri deprehendi libertatem deferendi ad sepulchra gentilitia filiorum cadavera in infantili aetate decedentium. Neque obstare putant, a Rituali Romano, tit. 6, cap. 6 ecclesiis tantum parochialibus iniunctum esse praeceptum retinendi sepulchra pro infantibus. Animadvertunt enim, nequaquam ex hoc sublatum fuisse ius patris eligendi sepulchrum pro filiis infantibus, vel eorum cadavera humandi in sepulchro gentilitio. Quo vero ad 2. dubium emolumenta respiciens, ea deberi asserunt in quarta parte, eamque a sola ecclesia tumulante praestandam esse, non autem ab heredibus, qui ultra consuetum funus praegravari non debent: cap. *De his* 4, *de sepult.*, cap. *Cum super*, cap. *Certificari*, cap. *In nostra* 10, eodem tit., et cap. 2, eod. tit., in 6.

Parochi contra animadvertunt ad 1. ius esse Parochiali defunctos sepelire, qui absque electione sepulturae obierint: cap. 1, 2 et 5, *de sepult.*, in 6, proindeque puerorum cadavera ante septennium decedentium in Parochiali fore tumulanda. Negant ullum ius competere patribus familias eligendi sepulturam pro filiis infantibus eorumque cadavera tumulandi in sepulchris gentilitiis, cum neutrum iure ipsis liceat, nisi id invexerit consuetudo: cap. *Licet* 4, *de sepult.*, in 6, quae concludentissime probanda est. Tantum vero abesse dicunt, ut patres familias consuetudine iuvari possint, quin potius contraria prorsus vigeat in Civitate Reatis consuetudo. Hanc autem consuetudinem testibus probare nituntur. Hinc ad 2. dubium Parochi eamdem allegant consuetudinem.

Verum perpendenda est Sac. huius Congregationis sententia in *Novarien.*, 15 martii 1704,[1] quae favet electioni sepulturae in sepulchro maiorum. Quoad emolumenta Parochis debita animadvertere praestat, quid in Synodis Reatinis a. 1716 et 1747 disponatur. Quare ab EE. VV. definiendum erit:

1. *An patribus familias competat ius eligendi sepulturam pro infantibus ante septennium morientibus, et respective tumulandi eorum cadavera in sepulchris gentilitiis absque licentia Parochorum, seu potius illa sepeliri debeant in ecclesiis Parochialibus in casu?*
2. *An, et quae emolumenta funeralia debeantur Parochis in casu?*

Die 10 martii 1770: Non proposita.

Die 31 martii 1770 Sacra, etc. respondit ad 1. Licere patribus familias tumulare filiorum impuberum cadavera in sepulchris gentilitiis sine licentia Parochorum, et amplius.

Ad 2. Affirmative ad formam synodalium constitutionum, et amplius.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 70-78, 91].

[1] Cf. N. 3015.

3772.

S. C. C., *Neapolitana*, 31 mart., 28 apr. 1770.

Matrimonium inierat mense aprilis anni 1759 Vincentius Confalone Marchio Petinae cum Catharina Bajona; et quinque menses ambo simul condormientes convixerat, cum evenit ut Catharina viro inconsulto ope et consilio Theologorum et Confessarii sese receperit in Monasterium S. Pauli, quod vulgo appellatur *delle Scorziate*. Hinc vir Curiam adiens Archiepiscopalem, petiit, ut uxor ad reditum in domum suam et ad praestandi obsequia matrimonialia cogeretur: decretumque petitioni consonum obtinuit. Tunc Catharina viri impotentiam allegavit, addensque saevitias ac turpia nonnulla, matrimonii nullitatem proposuit. Omnia tamen negavit Marchio Vincentius, et sacramenti religione affirmans sequutam matrimonii consummationem, idipsum iterum ac tertio confirmavit, prolato quoque iudicio quatuor Medicorum, ut assertam suam impotentiam excluderet. Res ab anno 1763 obdormivit ad annum usque 1768. Tum demum Catharina institit, ut suum corpus ab obstetricibus recognosceretur, ac recognitione integra fuit renunciata; receptoque deinde septimae manus iuramento, iudicii exitus properabat, quum Marchio Vincentius suas retractans assertiones super matrimonii consummatione antea factas, asseveranter dixit, matrimonium ratum tantum fuisse, non consummatum, proindeque facultatem postulavit ingrediendi Religionem. Hinc Curia Archiepiscopalis sententiam protulit petitioni conformem, a qua matrimonii Defensor appellavit, delataque causa ad Sac. hanc Congregationem, definiendum modo proponitur dubium in calce transcriptum.

Patronus coniugum duo animadvertit: primum, quod in praesenti casu inquirendum non sit de perpetua atque absoluta viri imbecillitate, sed sicuti ante matrimonii consummationem liberum est unicuique ex coniugibus Religionem ingredi, ita satis sit, ut coniuges, quo tempore simul convixerunt, coniugales actus non exercuerint; alterum, quod seposito probationum rigore, sufficiat utriusque coniugis depositio, quo eorum cuique potestas fiat Religioni nomen dare. Accedere etiam inspectionem corporis Catharinae factam a duabus obstetricibus a Iudice electis, quae post adhibita omnia artis remedia illam intactam ac virginem renunciarunt. Praeter haec adstipulari quoque inspectionem corporis viri factam a duobus Medicis totidemque Chirurgis a Iudice electis, qui uno excepto aliquantulum dubitative loquente, flocciditatem et inertiam et vitia consummationem impedientia agnoverunt. Demum nec desiderari dicit iuramentum septimae propinquorum vicinorumque manus, quod una cum iuramento coniugum integram perfectamque probationem ad matrimonii rati dissolutionem constituit: can. *De his requisivisti*, caus. 33, quaest. 1, cap. *Laudabilem, de frigid. et malef.*

Contra haec Matrimonii Defensor observat ex officio, ex sola cohabitatione et condormitione viri iuvenis cum uxore iuvene quinque mensium spatio continuata violentam resultare ac certam iuris et de iure praesumptionem sequutae consummationis: cap. *Litteris 12*, cap. *Tertio loco, de praesumpt.* Praesertim, quia vir ab initio matrimonium consummasse affirmavit, suamque declarationem non solum iuramento pluries firmavit, sed peritorum quoque testimonio comprobavit, et quia corporis mulieris recognitio non prius, quam post novennium fuit expleta, hoc etenim temporis spatio partes coalescere, glutinari atque ad naturalem integritatem redire potuerunt.

His igitur opportune praemissis dignabuntur EE. PP. decernere:

An constet de matrimonio rato et non consummato, ita ut liceat Marchioni Vincentio Confalone ingredi Religionem approbatam ad effectum in ea profitendi in casu?

Die 31 martii 1770: Non proposita.

Die 28 aprilis 1770 Sacra, etc. respondit: Negative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 102-109, 128].

3773.

S. C. C., *Acheruntina*, 16 iun. 1770.

Contractis sponsalibus per verba de futuro inter Iosephum Ioannem Serio et Annam Catharinam Del Pomo, antequam matrimonium iniretur, accidit, ut Iosephus lethali vulnere saucius iamiam esset moriturus. Interrogatus autem a Sacerdote adstante eique extrema pietatis officia persolvente, utrum vellet cum Anna copulari, annuit Iosephus, et matrimonium iuxta ritum Ecclesiae contraxit et paulo post occubuit absque eo quod illud consummaverit. Defuncto Iosepho cogitavit Sabinus Serio illius frater de desponsanda sibi Anna Del Pomo, et hac de causa familiariter cum ipsa conversatus est. Verum animadvertens, obstare impedimentum, quod publicae honestatis appellant, proveniens ex matrimonio cum praedefuncto fratre rato et non consummato, supplex adiit Emum Pro-Datarium pro obtinenda dispensatione, deduxitque causam evitandi scandalum et infamiam, quae ex mutua viri et mulieris consuetudine oriri potuissent. Censuit autem laudatus Emus Pro-Datarius in re tanti momenti votum exquirere Sacrae huius Congregationis, cui huiusmodi inspectio discutienda hodie proponitur.

Sex testes praeter Sabinum Serio et Annam Del Pomo fuerunt examini subiecti, omnesque matrimonii consummationem uno ore excludunt. Praeterea testatur Sabinus Serio, nil quidquam aut minus caste aut minus honeste Iosephum fratrem cum Anna tentasse. Anna vero Catharina affirmat, nullam ipsam inter et Iosephum sive post inita sponsalia sive post Matrimonii celebrationem carnalem copulam intercessisse. Quidquid autem sit de difformi Doctorum opinione circa affinitatem ex matrimonio rato et non consummato exortam, certum est, huiusmodi impedimentum non

[1] Cf. N. 3780, 3783.

fuisse per Concilium Tridentinum coercitum ad primum gradum,[1] sed protrahi ad omnes gradus, ad quos ante Concilium protrahebatur. Ita declaravit S. Pius V, const. *Ad romanum*, 28 novembris 1566.[2] De potestate Summi Pontificis dispensandi super huiusmodi impedimento dubitare non licet, quoniam illud neque ex naturali, neque ex divino iure descendit. Verum cum matrimonia, de quibus agitur, redoleant turpitudinem, idcirco nonnisi, ex urgentibus causis dispensatio concedi solet: Conc. Trid., Sess. 24, cap. 5, *de ref. matrim.*

Quibus omnibus rite perpensis expendendum erit:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.[3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 189-194].

3774.

S. C. C., *Abellinen.*, 7 et 28 iul. 1770.

Apoplectico morbo correptus elapso anno Sacerdos Carmelus de Rienzo, quamvis postea convaluerit, talem nihilominus passus est in sinistro brachio laesionem, ut eius ministerio in Sacro peragendo uti nequeat. Siquidem laeva manus inepta est ad sustinendum calicem dum in elevatione populo ostenditur, atque etiam dum attollitur in iis ex Canone verbis: *Omnis honor et gloria*. Inutiliter etiam ab eadem manu auxilium quaerit ad frangendam Sacratissimam Hostiam super calicem, eamque particulam dividendam, quae postea in calicem ipsum immittitur. Verum fractionem ipsam et divisionem super patenam commode valet perficere. Cum itaque dictus Sacerdos alimenta habere non possit ex fructibus tantum sui patrimonii, qui ad necessariam sustentationem non sufficiunt, supplex ab EE. VV. dispensationem implorat, ut non obstante sinistri brachii debilitate, facultas celebrandi Missam sibi impertiatur. Asserit enim nullam exinde populi admirationem oriri posse, cum celebrare intendat tempore, quo populus in ecclesia infrequens est.

Iamdudum in Ecclesia invaluit disciplina, ut corpore vitiati aut aliqua parte mutilati a Sacris Ordinibus et ab altaris ministerio arcerentur, si propria voluntate vel culpa id acciderit; si autem non proprio facto, sed casu aliquo vel necessitate vitiati fuerint, duobus tantummodo casibus irregulares evaderent: vel scilicet quando membrum, quo carent aut in quo debilitatem patiuntur, ad exercitium Ordinis suscepti vel suscipiendi necessarium fuerit, unde impossibilitas ministrandi emergeret, vel quando talis deformitas adsit, ut sine populi scandalo sacra ministeria exercere non valeant. Cum itaque deformitatem in Oratore excludat Episcopus, videndum superest, an ineptitudo sinistrae manus illum impediat, quominus substantiales sacrificii ritus observet. Verum ad essentiam ritus non videtur necessario requiri, ut Sacerdos utraque manu calicem attollat; neque de mysteriorum significatione quidquam immutari, si Hostiae divisio fiat super patenam.

Emi PP. edicent, quid agendum in praesenti casu, dum quaeritur:

An sit concedenda dispensatio in casu?

Die 7 iulii 1770: Non proposita.

Die 28 iulii 1770 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 244-248, 258].

1 Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 3.
2 Bull. Rom., tom. 4, II, p. 311.
3 Cf. N. 3778.

3775.

S. C. C., *Alexandrina*, 28 iul. 1770.

In oppido Solerii Dioecesis Alexandrinae suppresso Monasterio Ordinis S. Benedicti, erecta fuit Collegiata sub invocatione S. Perpetui, et in ea instituti tres Canonicatus una cum Praepositura curam animarum habente. Auctus postea fuit Canonicorum numerus ex piis fidelium fundationibus ita ut hodie duae Dignitates ac undecim Canonici in Ecclesia numerentur. Aucto sic Capitularium numero, licet singulis diebus choro interesse coeperint, vix tamen diebus festis Missam Conventualem celebrarunt. Nuper autem cognita obligatione Missam Conventualem quotidie celebrandi et applicandi, preces Sanctissimo dederunt tam pro absolutione quoad praeteritum, quam pro reductione ad solos dies Dominicos in posterum. Annuit Summus Pontifex quoad praeteritum, sed reductionis postulatum ad hanc S. Congregationem ablegavit. Nunc itaque Capitulum petit reductionem ad solos dies Dominicos, et conventualiter Praepositus a dicto onere se exemptum esse contendit.

Ad 1. inquit Capitulum, tres Canonicatus antiquiores adeo tenues reditus habere, ut alendo indigenae Sacerdoti vix sufficiant; reliquos vero tot tantisque Missarum oneribus a fundatoribus oneratos fuisse, ut saepenumero vix aliquid libere singulis supersit Canonicis. Ad 2. inquit Praepositus, se ob curam animarum teneri singulis diebus festis et Dominicis Missam pro populo celebrare: propterea cogi non posse ad Missam Conventualem per turnum etiam applicandam, sed ab hoc incompatibili onere se esse eximendum.

Sacra haec Congregatio pluries declaravit Canonicos Cathedralium et Collegiatarum Ecclesiarum teneri ad applicandam quotidie pro benefactoribus in genere Missam Conventualem, non obstante quacumque contraria consuetudine, quamvis immemorabili, ut in *Camerinen.*, 9 iunii 1714,[1] in *Ferrarien.*, 18 martii 1719,[2] idemque edixit s. m. Benedictus XIV in sua celebri constitutione incip. *Cum semper oblatas*, 19 augusti 1744.[3]

1 Cf. N. 3133.
2 Cf. N. 3183.
3 Cf. N. 345.

Spectat itaque ad summam EE. VV. aequitatem ac prudentiam definire:

1. *An, et quomodo sit locus reductioni oneris Missae Conventualis in casu?*

2. *An a dicto onere exemptus sit Praepositus ratione curae animarum in casu?*

Die 7 iulii 1770: Non proposita.

Die 28 iulii 1770 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative pro reductione applicationis ad omnes dies festos de praecepto, satisfactis omnibus oneribus fundationum iuxta votum Episcopi.

Ad 2. Negative ad formam constitutionis s. m. Benedicti XIV, Cum semper.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 236-239, 257].

3776.

S. C. C., *Andrien.*, 15 sept. 1770.

Bis iam resoluta fuit haec causa, videlicet diebus 24 ianuarii et 19 septembris 1767.[1] Nunc vero reproponitur sub hac forma:

An quoad dubia VI., VIII. sit standum in primo, vel in secundo loco decisis?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad VI. In secundo loco decisis.

Ad VIII. Praevio recessu a decisis, affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 39, p. 300].

3777.

S. C. C., *Aesina*, 23 febr., 16 mart. 1771.

Ecclesia oppidi Montis Carotti quamvis antiquiori tempore annuam quamdam praestationem unius rubri frumenti et alterius rubri hordei Episcopo rependere soleret, nihilominus in Dioecesana Synodo anni 1727 praeter hanc praestationem Episcopus compulit Plebanum et Cappellanos ad solutionem etiam scutorum quatuor titulo cathedratici, ex quibus scutum unum a Plebano, alia vero tria a Cappellanis persolverentur. Solutio huiusmodi impleta fuit ad annum usque 1768, hoc autem anno Plebanus et Cappellani coram S. Congregatione de illa conquesti sunt, et modo postulant, ut definiantur dubia in calce transcripta.

Et quoad 1. magnam vim constituunt in notula redituum, quae Vicario Generali et Episcopo exhibita fuit, cum adiecti fuerunt Cappellani Coadiutores. In ea enim notula haec expresse leguntur: *All'Eminentissimo Signor Cardinal Vescovo per il solito cattedratico grano soma una, orzo soma una condotto in Iesi.* Asserunt autem, eamdem notulam coram Vicario Generali Visitatore productam non solum fuisse Promotori fiscali

[1] Cf. N. 3755, 3758.

traditam, ut si quid erroris in ea esset, ipse obiiceret et corrigeret, sed etiam citatis interesse habentibus coram Episcopo fuisse repetitam. Post haec ad 2. dubii examen progredientes, quatenus minus firma ac tuta viderentur, quae supra exposita sunt, sustinent, cathedraticum ad summum deberi in quantitate duorum solidorum seu iuliorum 20, cum Plebanam ecclesiam Montis Carotti ad annum usque 1660 unus tantum rexerit Plebanus, qui ex Concilio Romano adigi non potuisset ad solutionem maioris summae, quam iuliorum 15. Superest modo, ut EE. VV. decernant:

1. *An, et quo iure debeatur annua praestatio frumenti et hordei Episcopo ab ecclesia Montis Carotti eiusque Plebano et Coadiutoribus in casu?*

2. *An ultra dictam annuam praestationem debeatur Episcopo Cathedraticum in quantitate et in qua summa in casu?*

Die 23 februarii 1771: Non proposita.

Die 16 martii 1771 Sacra, etc. respondit ad 1. Deberi titulo cathedratici.

Ad 2. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 40, p. 50-58, 60].

3778.

S. C. C., *Acheruntina*, 8 iun. 1771.

Proposita ac resoluta fuit haec causa die 16 iunii 1770;[1] modo autem tum Sabinus tum Anna Catharina renovant instantiam innixam praesidio nonnullarum tunc omissarum circumstantiarum aliorumque factorum, quae deinde accidisse affirmant. Itaque reticitam fuisse dicunt carnalem copulam, quae inter eos intercessit sub spe obtinendae dispensationis. Insuper accedere, quod post notitiam denegatae a Sacra Congregatione dispensationis, pandita per Annam Catharinam eius cum Sabino illicita consuetudine parentibus et fratribus: hi furiose et ira abrepti mortem ipsi et Sabino minantur, nisi speratum sequatur coniugium. In his ergo circumstantiis quid prudentia et aequitas suggerat, diiudicabunt Emi PP., dum quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 40, p. 150-153].

3779.

S. C. C., *S. Marci*, 8 iun., 31 aug., 28 sept. 1771.

Cum Rosaria Carino conquereretur, frugiferas quasdam herbarum plantas in proprio horto avulsas fuisse ac conculcatas, et maxime doleret, quod tale damnum a Sacerdote Vincentio Morelli suisque villicis fuisset illa-

[1] Cf. N. 3773.

tum, Sacerdos, qui nonnullis antea diebus cum dicta muliere verbis rixatus fuerat, quique prope aderat et huiusmodi querelas audivit, illam conviciis et contumeliis coepit obiurgare. Mulier vero a maledictis minime cessavit. Vincentius furore succensus, accepta securi, Rosariam fugientem insequutus est eamque deprehendit; et quamvis monitus, ne quid damni eidem inferret, eo quia utero gravis esset, nihilominus dexteram in modum percutientis levavit, sed ab ictu iniiciendo abstinuit. Timore magno perculsa mulier statim trepidare et contremiscere coepit, nec multo post ita torminibus vexari se sensit, ut sequenti die abortum ediderit, quam in tertio a conceptione mense tunc reperiri diiudicatum est. Res per Iosephum Tudda, Rosariae virum, ad Curiam Episcopalem delata fuit, quae statim inquisivit contra Sacerdotem Vincentium cui palatium episcopale loco carceris fuit assignatum. Praeter obstetricem duo etiam medici et octo testes foetum inspexere. Recepta quoque fuit depositio Rosariae, quae prima vice minas sibi illatas, easque abortui causam praebuisse narravit, eiusque assertionem duo testes, qui rixae fuerunt praesentes, reliqui vero de auditu, confirmarunt, sed deinde fere post mensem eadem Rosaria in exonerationem propriae conscientiae declaravit, *che in tempo della rissa sentivasi dolori di aborto imminente, onde per puro astio di quell'atto cercò addossare la causa al Sacerdote Vincenzo, essendo, come pubblicamente si è veduto, che pochi mesi addietro si era abortita per altre cause esterne ed interne, onde come tale è solita, sentivasi in quel giorno.*

Semel atque iterum constitutus Sacerdos negavit minas, nullamque abortui causam praebuisse asseruit, compilatoque processu defensionibus renunciavit, maluitque Theologorum iudicio quaestionem definiri. Hinc preces exhibet, ut proposita ad calcem dubia definiantur.

Inter causas abortus potissimum a Physicis recensetur timor, cum mulieres timidae et meticulosae procliviores sint ad abortum. Ponderandum itaque est, an timor a Sacerdote Vincentio Rosariae incussus causare, vel saltem properare potuerit abortum, in quo totum causae momentum pendet. De irregularitate in casu abortus videnda resolutio S. Congregationis in *Beneventana*, 18 novembris 1769.[1] Quare EE. VV. sapientiae et aequitati diiudicandum relinquitur:

I. *An constet de irregularitate in casu?* Et quatenus affirmative:
II. *An sit locus dispensationi in casu?*
Die 8 iunii 1771 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.
Ad II. Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.

In instructione autem quaesitum ab Episcopo fuit, qua de causa processus informativus in Curia Episcopali coeptus suspensus interceptusque remanserit, quin Sacerdos defensiones paraverit, nec super qualitate criminis et poenae sententia prolata fuerit. Episcopus respondit: *ob suam bonam religiosamque vitam tum ob ipsiusmet paupertatem ulterius non molestandum censui*, praesertim, quia de die in diem *verae poenitentiae, constantis emendationis et non fucatae resipiscentiae indubia exhibuit laudatus*

[1] Cf. N. 3768,

Sacerdos signa cum communi aedificatione. Rogantur idcirco EE. PP. decernere:

An sit locus dispensationi in casu?
Die 31 augusti 1771: Non proposita.
Die 28 septembris 1771 Sacra, etc. respondit: Negative.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 40, p. 147-150, 257-259].

3780.

S. C. C., *Neapolitana*, 28 sept. 1771.

Negativa responsio in hac causa data fuit die 28 aprilis 1770.[1] Novis vero nunc paratis iuribus ad excludendam matrimonii consummationem, obtentoque beneficio novae audientiae, eadem quaestio reproponitur.

Coniugum Patronus dicit, nullius momenti esse praecedentes viri declarationes de consummato opere in secunda et tertia condormitionis nocte, quum illae prodierint in litis aestu easque ex ore Vincentii expresserit avaritiae spiritus sive timor amittendi commodum uxoriae dotis. Et revera Vincentius ipse tunc etiam dixit, maritale opus non complevisse prima nocte: at qui primo amoris aestu impotens fuit, nec secundo, nec tertio concubitu potentiam acquirere potuit. Observat insuper Patronus coniugum, toto demum quinquemestre condormitionis tempore virum numquam officio suo functum fuisse, unde eo minus ambigendum, nec secunda, nec tertia nocte illud implere potuisse. Praesertim quum alias plures urgere iactet probationes consummationis exclusivos: Vincentium ad potentiam acquirendam consilio Medicorum mutasse locum, calidiores cibos et medicinam sumpsisse, etc. Ex his autem viri impotentiam evinci. Urgere: uxorem pluries, tempore non suspecto, de viri imbecillitate passim conquestam fuisse.

Igitur EE. PP. dignentur responsum dare:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?
Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et coadiuventur probationes servata forma constitutionis Benedictinae.[2]
[Thesaurus Resolutionum, tom. 40, p. 261-266].

3781.

S. C. C., *Gerunden.*, 14 dec. 1771, 11 ian. 1772.

Per actum inter vivos fundavit Sacerdos Bonaventura Pararols anno 1755 beneficium ad altare Beatae Mariae Virginis nuncupat. de Porticu Villae de Olot. Patronatum activum post sui obitum deferri voluit ad Hieronymam Anglada et Pararols sororem suam, eiusque heredes in infi-

[1] Cf. N. 3772.
[2] Cf. N. 318, 3783.

nitum. Leve Beneficiato onus imposuit adimplendi per se, vel per alium celebrationem trium Missarum quolibet anno. Haec summa est fundationis beneficii Ordinarii auctoritate postea erecti. In alio autem instrumento patronatum quoque passivum, necnon bona ac reditus beneficii contulit favore descendentium supra relatae familiae de Anglada; declaravitque, quod si vacationis tempore nullus de eadem familia idoneus adesset, tunc a praesentatione esset abstinendum, usquedum habilis ex ea aliquis evaderet, et interim fructus investirentur, donec beneficii reditus ad summam librarum centum monetae Barchinonensis augerentur. Sequuto autem huiusmodi investimento, decurrentes fructus, quousque beneficium vacaret, erogari voluit in subsidium dotale alicui puellae ex memorata sororis familia conferendum. Tandem beneficium, de quo agitur, compatibile esse voluit cum alio quolibet ecclesiastico beneficio; et Beneficiatum minime teneri dixit ad recitationem Horarum Canonicarum, donec saltem ad aetatem annorum 24 non pervenisset, *o altrimenti gli si commuti il detto obbligo della recita delle Ore Canoniche in altra orazione vocale a disposizione del Superiore.*

De singulis ex intervallo appositis conditionibus quaeritur, utrum sint approbandae, prout ipsemet fundator enixis precibus exorat. Episcopus precibus annuendum putat.

Certa res est atque unanimi Doctorum firmata consensu, fundationes post decretum legitime interpositum nullo modo alterari posse aut immutari. Si vero fundator hanc facultatem in actu fundationis sibi reservaverit, tunc novae leges ac novae conditiones adiici possunt, quia vigore reservationis retrotrahuntur. Si autem in fundatione reservata non fuerit variandi facultas, permitti posse, de consensu tamen Episcopi, ut adiiciantur conditiones, quae non sint iuri contrariae. Diiudicent Ergo Emi Patres:

An sit locus approbationi instrumenti in casu?

Die 14 decembris 1771: Non proposita.

Die 11 ianuarii 1772 Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta modum; modus est, quod ex conditionibus in instrumento adiectis serventur tantum dispositiones quoad patronatum activum et passivum, ita tamen, ut numquam suspendatur praesentatio favore passive vocatorum, et quatenus non adsint, favore cuiuscumque etiam extranei.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 40, p. 319-323, tom. 41, p. 1].

3782.

S. C. C., *Nullius Trium Fontium*, 14 mart., 4 apr. 1772.

Ab ecclesia D. Nicolai Terrae S. Aedisti ad locum magis opportunum translatis monialibus Ordinis S. Augustini, cl. mem. Cardinalis Petrus Aldobrandinus, tunc temporis Abbatiae Trium Fontium perpetuus Commendatarius, eamdem ecclesiam concessit Bernardino Lupi cum lege erigendi quatuor Canonicatus et unum Sacristae Officium eique potestatem fecit concedendi Statuta, quibus Praebendarii parere debuissent. Huiusmodi concessionem anno 1621 s. m. Gregorius XV confirmavit. Memoratus autem Lupi in testamento plura bona stabilia et census pro fundo novorum Beneficiorum assignavit, et regulas pro regimine Praebendariorum exaravit, quas anno 1623 Cardinalis Caietanus tunc temporis Sacrae huius Congregationis Praefectus, propria auctoritate probavit. Nullum in his de Missa Conventuali verbum. Nullibi constat, ecclesiam Apostolicae Sedis auctoritate in Collegiatam fuisse erectam, sed solum in nonnullis posterioribus actis Collegiatae nomen eidem tributum legitur. Praebendarii vero Missam Conventualem pro benefactoribus in genere retroactis temporibus non celebrarunt. Id autem cum Eminentissimus Abbas Sacrae Congregationi exposuisset, responsum accepit, ut Presbyteros S. Nicolai moneret ad Conventuale Sacrum quotidie applicandum. Huiusmodi monitione Presbyteri commoti, exemptionem ab onere Missae Conventualis supplices efflagitant, tum quia eorum ecclesiam sub dispositione constitutionis s. m. Benedicti XIV[1] non comprehendi putant, tum etiam quia gravia sustinent onera, tenuesque reditus consequuntur.

Emus Abbas de sua sententia rogatus, censet, ecclesiae S. Nicolai vel ex Canonicorum placito, vel minus exacta notitia fuisse tributam nuncupationem Collegiatae, cum ab ea longe distet Collegialitatis idea, quae immo ab eius origine repugnare videtur. Quatenus tamen Collegiata dici posset, existimat nihilominus, fundatoris mentem alienam omnino fuisse ab impositione oneris Missae Conventualis, de qua nullam fecit mentionem.

Ex cap. *Cum creatura, de celeb. Miss.* clare desumitur obligatio Missam Conventualem quotidie celebrandi. Ab hac tamen regula excipiuntur ecclesiae, quae vere Collegiatae non sint, quemadmodum tradit laudatus Pontifex Benedictus XIV, *Instit.* 107, § 2, num. 15. Hisce perpensis diiudicent EE. PP., quid statuendum sit, dum quaeritur:

I. *An Presbyteri seu Canonici ecclesiae S. Nicolai S. Aedisti teneantur applicare Missam Conventualem pro benefactoribus in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et quomodo sit locus illius reductioni in casu?*

Die 14 martii 1772: Non proposita.

Die 4 aprilis 1772 Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 41, p. 95-99, 105].

[1] Cf. N. 345.

3783.

S. C. C., *Neapolitana*, 18 iul., 29 aug., 19 sept. 1772.

Agebatur de hac causa diebus 28 aprilis 1770,[1] atque 28 septembris 1771,[2] quando resolutio dilata fuit. Nunc idem dubium sub eadem forma reproponitur:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 18 iulii 1772 Sacra, etc. respondit: Praevio recessu a decisis, licere Marchioni Vincentio ingredi Religionem approbatam, et in ea profiteri, et ad mentem. Mens est, quod March. Catharina libera non remaneat, nisi post expletum a Marchione Vincentio integrum tyrocinii annum, emissamque professionem, idque eidem Marchionissae Catharinae notificetur.

Defensor autem matrimonii iterum sustinet, Marchionem de impotentia accusatum anno 1759 matrimonii consummationem solemni iuramento affirmasse, ac postea recessisse consummationem negando. Gravissimum hinc oriri dicit difficultatem, quam serio ponderandam iterum proponit, cum prioribus magis, quam posterioribus assertionibus deferendum esse contendat cap. *Per tuas, de probat.* Nihil igitur superest, nisi, ut EE. PP. definiant:

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu?

Die 29 augusti 1772: Non proposita.

Die 19 septembris 1772 Sacra, etc. respondit: In secundo loco decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 41, p. 184, 234-236, 244].

3784.

S. C. C., *Augustana*, 19 dec. 1772.

Ioseph Frank, Presbyter Augustanae Dioecesis et Parochus Villae Roth supplicem Sanctissimo D. N. obtulit libellum, in quo narravit, ex Chirurgi incuria atque imperitia ob subortam in sinistra manu inflammationem illius digitos amisisse, atque idcirco, tamquam irregularem, a Missae celebratione debuisse abstinere. Supplicavit idcirco pro dispensatione, et facultate celebrandi ope digitorum argenteorum, quibus affabre elaboratis atque ab Episcopo consecratis, possit omnes Missae ritus et caeremonias, ipsam quoque Hostiae elevationem et fractionem absque ullo incommodo, periculo aut dedecore peragere. Ut autem facilius dispensationem assequeretur, exposuit, Parochiam esse valde tenuem, teneri matrem senem et pauperrimam ex naturae debito sustentare, neque hac miserrima tempestate subrogare posse Capellanum, qui eius loco Missam celebret.

[1] Cf. N. 3772.
[2] Cf. N. 3780.

Remissae fuerunt preces Sacrae huic Congregationi, quae Officiali Augustano commisit, ut facto coram Caeremoniarum Magistro experimento, referret, an in Oratore appareat deformitas, quae scandalum generet in populo, aut divinis praestet impedimentum, praesertim quoad Augustissimae Hostiae fractionem. Officialis Augustanus sinistram Oratoris manum diligenter inspexit, deprehenditque, non tantum digitos (ut per errorem fuit in supplici libello expressum), sed integram volam Chirurgi incuria atque imperitia fuisse deperditam et a brachio totaliter abscissam. Caeterum retulit, sine ulla prorsus deformitate aut scandalo Missae Sacrificium ita ab Oratore posse celebrari, ut digitorum et manus defectus non advertatur ab adstantibus, nisi ab iis, quibus illorum deficientia aliunde cognita fuerit. Id autem ex eo contingere dixit, quia celeberrimus quidam Augustanae Civitatis artifex manum ex cupro et argento vivae manui simillimam elaboravit, et brachio mediis fascibus sub vestis manica conditis adeo accurate aptavit, ut non artefacta, sed quasi viva et vera manus appareat. Addidit, pollicem et primum digitum seu indicem ex argento confectos, et in partibus interioribus, quibus Sacrosancta Hostia tangitur, auro purissimo esse obductos, atque in ipsius manus artefactae cavitate latere spiras calybeas, quae partim motione brachii, partim vero pressione minimi digiti modo pollicem, modo indicem, modo utrumque iuxta officii exigentia movent, ita ut spirarum intus latentium auxilio pollex et index vel ab invicem recedant, vel mutuo se tangant pro varietate rituum, qui in Missa peragi debent. Hinc fieri, ut Orator non solum possit ad initium Missae utraque manu Missale aperire, sed etiam ante Offertorium utraque manu calicem coopertum detegere, patenam in altum elevare, cum ea crucem super altare efformare, Hostiam Sacram in illa ponere, calicem tum ante infusionem vini, tum post purificationem abstergere, et manu artefacta tenere, omniaque adamussim, quae necessaria fuerint, adimplere. Quo vero ad Augustissimae Hostiae elevationem et fractionem asseruit Officialis, utrumque una atque altera manu sine ullo prorsus periculo, scandalo aut deformitate ab Oratore perfici; ipsumque ope manus artefactae Hostiam frangere, et calicem elevare. Eadem quoque testatus est de aliis ritibus et caeremoniis ad Missae Sacrificium pertinentibus.

Compertum est, irregularitatem ob defectum corporis ex Veteri Testamento desumi: *Levit.* 21, 18 et 19. Qualecumque tamen fuerit ecclesiasticae disciplinae initium de irregularitate ob defectum corporis, satis liquet ex Summorum Pontificum responsis, huiusmodi defectum non absolute, et simpliciter constituere aliquem irregularem, sed solum, quando defectus accidit ex culpa, vel quando talis sit, ut vel absolute defectuosum reddat inhabilem ad obeundas ministerii functiones, vel ratione defectus adsit periculum irreverentiae aut scandali: cap. *De Presbytero 1, de corpore vitiatis*, cap. *Thomas*, eod. tit., cap. *Presbyterum, de clerico aegrotante.* His ergo omnibus perpensis Emi PP. decernent:

An sit locus dispensationi in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 41, p. 292-297].

3785.

S. C. C., *Faventina*, 17 iul. 1773.

In pastorali visitatione habita anno 1770 Episcopus Faventinus nonnulla edidit decreta, quibus Parocho S. Iacobi de Pinna ius esse censuit peragendi funerales functiones in ecclesia Sodalium Tertiariorum Sancti Antonii Patavini, quae intra limites illius Parochiae sita est. Ab hisce decretis Confratres reclamaverunt, eorumque rationes septem dispertitae dubiis fusius relatae fuerunt in folio diei 3 praeteriti mensis aprilis, in quo sodalitium ad 5. dubium asserit, inter functiones parochiales recenseri quidem associationem cadaveris usque ad ecclesiam tumulantem, sed postquam cadaver ad ecclesiam delatum est, nullum ius Parocho competere faciendi officium vel alias funebres functiones super eo peragendi. Unde functiones funebres in ecclesia Confratrum non a Parocho, sed a Capellano explendas esse, potissimum, quia modo tantum quaestio est de funere decedentium extra Parochiam S. Iacobi et non subiectorum eidem Parocho, adeo ut cesset omnis ratio, ob quam ullum iurisdictionis actum idem Parochus exercere queat.

Super 5. dubio innititur Parochus constitutionibus synodalibus Faventinis. Asserit enim, in Synodo Card. Rossetti statutum fuisse, *functionem sepeliendi* cadavera tumulanda in ecclesiis Confraternitatum *spectare ad Parochum, sub cuius Parochia sunt, et non ad eorum Cappellanum.*

Sacra Congregatio Rituum quoad tumulandos in ecclesiis Confratrum legem dixit in decretis generalibus [1] ad dub. 20: *An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum?* rescripsit: *Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium.* Ad praedictorum tamen decretorum calcem legitur: *Et ita salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a Sancta Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis declaravit et decrevit.* His itaque decretis constanter adhaesit Sacra haec Congregatio, ita tamen, ut rationem semper habendam duxerit vel constitutionum synodalium aut provincialium, vel consuetudinis immemorabilis aut saltem centenariae, ut in *Bononien.*, 28 iulii 1724. [2] Haec nón inopportune adnotanda erant, ut EE. PP. tutius diiudicare possent:

5. *An idem Parochus habeat ius peragendi funerales functiones in ecclesia eorumdem Confratrum, quando cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia, et an aliqua portio cerae illi debeatur in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 5. Quoad primam partem affirmative, et serventur constitutiones synodales; quoad secundam dilata et coadiuventur probationes. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 42, p. 83-89, 122-132].

[1] Cf. N. 5733.
[2] Cf. N. 3279.
[3] Cf. N. 3803.

3786.

S. C. C., *Adrien.*, 18 dec. 1773, 22 ian. 1774.

In ea parte Padi, quae vocatur *di Ariano* seu *di Gorro*, extat Villa Serravallis, cuius habitatores profecturi sive ad Villam S. Mariae, sive ad Matricem ecclesiam Ariani, transfretare debent Padum *di Ariano*. Distantia utriusque Villae S. Mariae et Serravallis habitatores impulit, ut anno 1627 a tunc temporis Episcopo Adriensi peterent sibi assignari in subsidium Parochialis oratorium S. Mariae del Traghetto, prout revera obtinuerunt, cum onere, quod ab habitatoribus assumptum asseritur, persolvendi quandam primitiam pro sustentatione Capellani Curati, qui Sacramenta administraret. Hodiernus vero Episcopus Adriensis, dum anno 1771 pastoralem ageret visitationem, ad preces populi Villae S. Mariae dictum oratorium in veram Parochialem erexit, servata tamen matricitate ecclesiae Ariani, ac reservatis hodierno ecclesiae matricis Archipresbytero, quousque viveret, omnibus emolumentis atque proventibus, quos ex dicta ecclesia S. Mariae percipere consueverat. Huiusmodi novae Parochiae erectionem aegre tulerunt Archipresbyter Terrae Ariani, necnon Comes Caietanus Gilioli et populus Serravallis, qui omnes de illius nullitate conquesti sunt, super qua modo praesens controversia instituitur.

Promotor fiscalis Curiae Episcopalis Adrien., necnon novus Parochus Villae S. Mariae del Traghetto praemittunt, ad sustinendam dismembrationem ecclesiae Parochialis alterutram ex his causis sufficere: nempe aut distantiam locorum, aut magnum incommodum parochianorum accedendi ad ecclesiam Parochialem. His praemissis contendunt, utramque causam copulative concurrere in hodierna quaestione, *distantiam* nimirum, cum locus Serravallis quinque milliariis distet a Terra Ariani; *itineris* etiam *difficultatem*, cum necessaria sit transfretatio fluminis Padi, quae hyberno praesertim tempore difficilis redditur propter aquarum intumescentium redundantiam. Animadvertunt praeterea transfretationem Padi necessariam quidem esse Serravallensibus etiam, ut pergant ad novam Parochialem S. Mariae, sed affirmant, longe minorem esse distantiam, cum Villa S. Mariae distet a Villa et oratorio Serravallis minus quam duo milliaria. Aiunt, perperam obiici dissensum Archipresbyteri Parochialis ecclesiae Ariani, nam dismembrationem Parochiae iustis concurrentibus causis iuxta Concilii Tridentini [1] dispositionem fieri posse *etiam invitis Rectoribus*. Contendunt deinde dictum Archipresbyterum suum praestitisse consensum, quando die 8 iunii 1771 novae Parochiae institutionem admisit et emologavit per publicum instrumentum, ac rursus consensisse in actu formalis erectionis, et tandem imposterum etiam consensum praestitisse, cum poenitentia ductus, eorum omnium, quae adversus novam erectionem inconsulto patraverat, eiusdem erectionis iustitiam admisit. Quo vero ad novae collectae

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 4.

gravamen, de quo Serravallenses conqueruntur, asserunt, hanc sponte oblatam fuisse, et impositam solis habitatoribus Castri S. Mariae *del Traghetto*; Serravallensibus autem unice remansisse antiquum onus primitiae Sacramentalis, ad quam sese obstrinxerunt maiores anno 1627, quando, ipsis rogantibus, oratorium S. Mariae destinatum fuit pro administratione curae auxiliaris. Demum ad dissensum quod attinet Comitis Gilioli, animadvertunt, eum nullam in Castro Serravallis obtinere temporalem iurisdictionem, oratorium vero loci Serravallis esse de iurepatronatu laicali, et spectare ad familiam Marchionum de Bevilacqua.

Altera vero pars contendit, solemnitates omissas fuisse in erectione novae Parochiae. Ait nempe, defuisse citationem et consensum Archipresbyteri Parochialis ecclesiae Ariani, addit insuper, illius consensum *expost* non accessisse, quia idem Archipresbyter una cum Serravallensibus mandatum procurae solemniter dedit ad dissentiendum, et quamvis *expost* accessisset, per posteriorem consensum ratam haberi non potuisse dismembrationem sua ex indole nullam ob omissam praeviam citationem pro forma requisitam. Negat adfuisse consensum Comitis Caietani Gilioli, cuius familia Comitatu Serravallensi *cum mero et mixto imperio ac vassallagiis et homagiis* donata fuit a s. m. Martino V. Defuisse pariter consensum populi Serravallensis et Capituli Ecclesiae Cathedralis. De consensu Serravallensium observat, inani prorsus conatu obiici actum anni 1627, cum gestus fuerit ab aliquibus tantum rusticanis. Caeterum animadvertit, nullimode actum tunc fuisse de dismembratione, sed tantum de primitia. Ex defectu itaque solemnitatum concludit, nullam et irritam esse novae Parochiae erectionem. Idem evincere conatur ex defectu iustae causae, tum quia extensio totius Villae S. Mariae in ea parte, quae longior est et magis a Parochiali Arianensi distans, non excedit tria milliaria, tum etiam quia iter est satis commodum, nullisque aquis interiectum. Insuper urget, nullam necessitatem aut utilitatem adfuisse uniendi novae Parochiae S. Mariae populum Serravallis, cum etiam post hanc unionem opus fuerit deputare Vicarium Curatum in oratorio eiusdem loci, qui animarum necessitati praesto sit. Intolerabilem insuper ac perdifficilem populo Serravallensi factum fuisse accessum ad novam Parochiam, quia eidem populo brevior est et securior transitus fluminis Padi ad petendam Ariani Parochiam, quam novam S. Mariae.

Haec itaque postquam assueta maturitate perpenderint, definient Emi Patres:

An dismembratio et respective erectio novae Parochiae sustineatur in casu?

Die 18 decembris 1773: Non proposita.

Die 22 ianuarii 1774 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 42, p. 257-264, tom. 43, p. 1].

3787.

S. C. C., *Lucen.*, 26 febr., 12 mart. 1774.

Decennio post editam a s. m. Benedicto XIV notissimam constitutionem *Cum semper oblatas*,[1] in qua multa de applicatione Missae pro populo diserte praescripsit et declaravit, Episcopus Lucensis in Galaecia nonnulla anno 1755 ad illius normam condidit Statuta. Inter caetera mandavit, ut Parochi, qui duas insimul unitas Parochias haberent, non una tantum diebus festis Sacrificii applicatione contenti essent, sed in una Parochia per seipsos, in alia vero per alterum Sacerdotem Missam pro populo celebrare atque applicare tenerentur. Non omnibus tamen haec arrisit ordinatio. Hinc Iosephus Didacus Guttierez, Rector Parochiae de Meilan, cui altera unita reperitur, dubius, quid agere debeat, pro conscientiae serenitate, quaestionem ab EE. VV. definiri supplicat. Episcopus hodiernus de more auditus censuit rationes pro utraque parte exponere, ut ex earum accurato examine certum proferri valeat super proposita controversia iudicium. Et sane, qui onus duplicis applicationis inhaerere existimant Parocho duabus Parochiis praeposito, innituntur synodalibus Dioecesis constitutionibus anno 1669, quibus applicatio Missae pro populo animarum Rectoribus ita praecise iniungitur, ut si in distinctis sui regiminis ecclesiis bis eodem festo celebraverint, utramque Missam pro suo respective populo applicare teneantur, quacumque alia obligatione postposita, nulloque a fidelibus accepto stipendio. Synodales hac de re constitutiones conformes asserunt dispositioni Concilii Tridentini, necnon constitutioni Benedictinae. Verum contrariae opinionis assertores affirmant, neque in Constitutione s. m. Benedicti XIV, *Cum semper oblatas*, neque aliis in locis verbum ullum fieri de onere applicationis in diversis Parochiis uni Parocho commissis. Sustinent idcirco Parochiarum unionem non praeseferre onus duplicis applicationis, quia cum unus sit Parochus, unus etiam quoad spiritualia censendus est populus. Quaeritur:

An Parochi duabus ecclesiis Parochialibus praepositi teneantur Dominicis aliisque festis diebus Missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu?

Die 26 februarii 1774: Non proposita.

Die 12 martii 1774 Sacra, etc. respondit: Affirmative, exceptis tantum Parochiis unitis unione plenaria, et extinctiva, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 43, p. 37-42, 48].

[1] Cf. N. 345.

3788.

S. C. C., *Segovien.*, 12 mart., 23 apr. 1774.

In relatione status suae Ecclesiae Episcopus Segobiensis dubium S. Congregationi proposuit: An Confirmationis Sacramentum solis adultis, aut usu rationis praeditis ministrare debeam, an etiam pueri, nulla habita aetatis ratione ad illius Sacramenti susceptionem vi consuetudinis hic vigentis admitti licite possint, in nostris praecipue tam amplis Hispaniae Dioecesibus, in quibus, dum earum visitatio fit, vix ac ne vix quidem convocari queunt adulti per montes et agros dispersi, inducique, ut priusquam tantum Sacramentum suscipiant, Sacramentali confessione disponantur, nisi visitatio in plures, quam commode fieri potest, dies protrahatur. Quae impedimenta meo iudicio in causa fuere, cur Episcopi huius Regni Confirmationis Sacramentum et pueris et adultis communi beneficio etiam num conferre consueverint.

Super hoc igitur EE. VV. iudicium exquiritur, nec inopportune erit nonnulla animadvertere, quae ad rem conferre posse videntur. Nullam olim aetatem ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum praefinitam fuisse, sed aetatem quamlibet, sicut Baptismo, ita et Confirmationi idoneam habitam fuisse luculentissime patet ex antiquissimo more, qui in Ecclesia viguit et ad saeculum usque XIII perseveravit conferendi Confirmationem statim post Baptismum, de quo plura apud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. 1, cap. 2, art. 1, § 2 et sequ. Constat praeterea diu multumque in Ecclesia permansisse usum confirmandi pueros. Siquidem Innocentius Papa I in ep. ad Decentium Eugubinum Episcopum, § 6 meminit Confirmationis infantium his verbis: *De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* Meminit etiam S. Augustinus, tract. 6 in I. Iohannis Epistolam, num. 10 dicens: *quando imposuimus manus istis infantibus, adtendit unusquisque vestrum, etc.* Meminit denique Gennadius in *libro de Eccles. dogmat.*, necnon Ordo Romanus, aliique libri rituales saeculi VIII, IX, X, XI, ubi ritus describuntur, quibus parvuli consignari debent. Morem hunc saeculo etiam XII et XIII passim obtinuisse plures ostendunt synodales Dioecesum constitutiones. Huiusmodi tamen disciplina saeculo XIII desinente et XIV ineunte coepit immutari in Germania, Gallia et Italia. Atque haec hodierna est disciplina Ecclesiae, quam Catechismus ex decreto Concilii Tridentini editus *De Confirmat. Sacram.*, tit. *Qua aetate Christiani ad hoc Sacramentum admittendi*, his verbis expressit: *Observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.* Quamvis autem consultissime cautum sit in Latina Ecclesia, ut renatis fonte Baptismatis conferatur Sacramentum Confirmationis in ea solum aetate, in qua instructionis capaces sunt, et possunt

divini beneficii pretium pro meritis aestimare, vetitum tamen absolute non est, ne ullo unquam casu septennio minoribus conferri queat. Si quis autem quaerat, quaenam esse possit iusta et urgens causa ministrandi Confirmationem infantibus ac pueris, primo loco respondetur, quod habenda ratio est discriminis eorum vitae. Praeter vitae discrimen aliae insuper non desunt iustae causae, ut si praevideatur futura diutina absentia Episcopi, aut non facilis in posterum futurus ipsius Episcopi accessus ad pueros vel ob ingravescentem eiusdem aetatem, vel propter puerorum distantiam a Civitate, vel propter itineris difficultatem, aliamve iustam causam, ut est sententia etiam s. m. Benedicti XIV exposita in Tract. *De Synodo Dioeces.*, lib. 7, cap. 10.

His ergo relatis inquirendum est, an quae in praemisso postulato afferuntur motiva et causae ungendi etiam pueros ante septennium, uti fieri consuevit in Dioecesi Segobiensi, satis aptae sint atque idoneae, ut recedatur a generali regula. Quaeritur:

1. *An attentis peculiaribus circumstantiis Sacramentum Confirmationis administrari possit etiam pueris et infantibus nulla habita aetatis ratione in casu?*

2. *An etiam administrari possit pueris et infantibus in mortis periculo constitutis in casu?*

Die 12 martii 1774: Non proposita.

Die 23 aprilis 1774 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative nonnisi in gravibus et urgentibus circumstantiis, super quibus conscientia Episcopi oneretur.

Ad 2. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 43, p. 66-73, 78-83].

3789.

S. C. C., *Lauretana*, 11 iun., 9 iul. 1774.

Capitulum Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Stephani Oppidi Castri Fidardi duodecim Canonicis constituitur, quos inter connumeratur Sacerdos Nicolaus Bartolini eiusdem Ecclesiae Praepositus et Rector, qui quadragesimum praestiti servitii annum emensus, humiliter supplicavit Sacrae huic Congregationi pro obtinendo iubilationis indulto. Preces remissae fuerunt Episcopo, ut Capitulum audiret. In Capitularibus autem comitiis habitis die 10 augusti 1773 Canonici petitae iubilationi obstiterunt, tum quia Orator continuum ac laudabile servitium Ecclesiae non praestiterit, *perchè avendo annessa alla Prepositura la Parochia, ha atteso, come asseriscono gl'anziani di questo Capitolo, ordinariamente al confessionale solo in tempo di Matutino, terminato il quale, partito dalla chiesa ed a questa non è più tornato, se non per quel tempo, in cui li Corali erano obbligati al Coro all'ora di Terza, Messa cantata e susseguenti Ore, alle quali ritornava al confessionale, come anche presentemente costuma;* tum etiam, quia viribus satis pollet, unde proprio munere adhuc fungi valet. Qua de re necesse fuit dubia proponere sapienti EE. VV. iudicio definienda.

Ad I. Praepositus quadragenarium servitium laudabiliter expletum satis probari sustinet ex iuratis depositionibus Sacristae Ecclesiae, Notarii localis ac Cancellarii episcopalis. Accedere etiam senectutem ac morbum, cum sexagesimum quartum aetatis annum iam agat, assiduasque patiatur nervorum convulsiones, quarum causa pluries sensibus destituitur, prout Medicus et Chirurgus testantur. Ac praeterea observat, Canonicum, cui animarum cura incumbit, haberi tamquam choro praesentem, dum Sacramentales excipit confessiones. Ad II. sustinet, vigore indulti iubilationis participem fieri debere de omnibus fructibus et distributionibus, de quibus alii Canonici participant, cum censeatur Ecclesiae adhuc inservire, qui post diuturnum servitium quiescit. Nec recte opponi aliorum trium Canonicorum exemplum, qui licet iubilationis indultum obtinuerint, nunquam tamen de fallentiis participes facti fuerunt, quia non constat, Canonicos iubilatos, fallentias petiisse, easque a Capitulo fuisse denegatas.

Inquirendum primo est, an Sacerdos Nicolaus Bartolini Praepositus Ecclesiae S. Stephani Oppidi Castri Fidardi per annos quadraginta continuo et laudabiliter dictae Ecclesiae inservierit. De Canonico curam animarum habente in eadem Ecclesia censet s. m. Benedictus XIV, *Instit. Eccles. 107, num. 56*, tamquam in choro praesentem habendum esse, dum fidelium excipit confessiones et Sacramenta parochianis ministrat, idque etiam declaravit Sac. Congreg. in *Mediolanen.*, 13 februarii 1639.[1] Videndum proinde ulterius, an Orator, dum a choro abfuit, distentus revera fuerit ab exercitio curae animarum Praepositurae ab ipso possessae inhaerente. Post haec ponderandum, an Ecclesia Collegiata Castri Fidardi, congruo servitio destituta remaneat, si Oratori iubilatio indulgeretur. Porro Canonici iubilati, licet choro non intersint, habentur nihilominus tanquam praesentes, eisque debentur distributiones omnes, de quibus participant alii Canonici atque etiam illae, quae ob aliorum absentiam interessentibus accrescunt. Ab hac tamen regula receditur, si Capituli obstent constitutiones, vel consuetudo adversetur: in *Reatina*, 19 aprilis 1692.[2] His sedulo animadversis, dignabuntur Emi PP. definire:

I. *An sit concedenda iubilatio in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An Praepositus Bartolini vigore indulti iubilationis, si choro non intersit, participare debeat de punctaturis seu fallentiis in casu?*

Die 11 iunii 1774: Non proposita.

Die 9 iulii 1774 Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.[3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 43, p. 142-148, 159].

[1] Cf. N. 2601.
[2] Cf. N. 2927.
[3] Cf. N. 3799.

3790.

S. C. C., *Caurien.*, 9 et 30 iul. 1774.

Cum vacaret beneficium seu capellania de iurepatronatu laicali, nominatus ad eam fuit Ildephunsus Valentius Fernandez Montero e Villa Carceris. Quia tamen nondum fuerat tonsura insignitus, nec immerito timeret, quominus ob defectum Clericatus illius possessionem assequi posset, coepit cogitare remedium, quo dimissa Capellania per aliquod tempus, eam in posterum posset obtinere. Sic itaque cum Patrono convenit, ut iste ad illam nominaret quemdam Presbyterum, de re tota optime conscium. Presbyter vero eandem Capellaniam dimitteret statim ac Ildephunsus clericus fieret, ut hoc pacto, per dimissionem a Presbytero factam ipse in beneficii possessionem subingrederetur, et primae nominationis effectus haberetur. Ita porro res composita fuit et hoc pacto exequuta. Mirum profecto, quod nemo ex paciscentibus deprehenderit fraudem huic pactioni inhaerentem, aut saltem nec de illa dubitaverit, praesertim, quia res in iudicium deducta fuerat contra Presbyterum, qui renuebat capellaniam dimittere, quamvis postea a lite recesserit, unde Ildephunsus illam a triennio possidet et fructus percipit.

Verum cum postea idem Ildephunsus ad Sacros Ordines promoveri cuperet, certior de simonia factus, adiit Sac. Poenitentiariam, a qua pro foro interno obtinuisse asserit absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate, et convalidationem tituli beneficii. Episcopus tamen renuit illum ad Ordines promovere, nisi pro foro etiam externo sibi consuluisset, cum iam simoniae rumor per magnam partem populi Villae Carceris et per ipsam quoque Civitatem Cauriensem fuisset evulgatus. Hinc obsequendo Episcopi monitis EE. VV. benignitatem implorat, ut absolutionem, dispensationem, et tituli convalidationem dignentur impertiri. Ait siquidem, ignorantia iuris errasse, dum illicitam pactionem convenit, de qua nullam suspicionem praeconceperat. Dignum proinde videri, ut voti compos fiat, cum praesertim pactio subingrediendi in beneficium effectu caruerit, quia illud assequutus fuit per spontaneam dimissionem a Presbytero in iudicio factam.

Episcopus refert simoniam iuxta suam opinionem fuisse invincibiliter, bona fide et ex ignorantia commissam.

Nil mirum, si ad extirpandam simoniam severissimae leges omni aetate editae comperiantur, quemadmodum constat ex cap. *Cum super, de confess.*, cap. *Sicut*, cap. *Ex tua, de simon.*, can. *Quicumque*, can. *Cum ordinatur*, 1, quaest. 1, et alibi. Invaluit perniciosus abusus saeculo circiter XVI, quare licet s. m. Pius IV huic malo providisset,[1] nihilominus S. Pius V ad eliminandam penitus corruptelam aliam edidit constitutionem incipien. *Intolerabilis*, 1 iunii 1569.[2] Inquirendum, an ignorantia in Oratore prae-

[1] Cf. N. 106.
[2] Cf. N. 130.

sumi valeat, cum praesertim res sit de ignorantia iuris, et an ea saltem a poena excusare possit. Denique notandum, quod Orator post pactionem Primam Tonsuram et Minores Ordines suscepit. Quare perpensis omnibus circumstantiis Emi PP. decernent:

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, dispensatione, et convalidatione tituli beneficii in casu?

Die 9 iulii 1774: Non proposita.

Die 30 iulii 1774 Sacra, etc. respondit: Dimittat, restituat fructus perceptos, et postea supplicet.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 43, p. 166-168, 172].

3791.

S. C. C., *Camerinen.*, 20 aug. 1774, 18 mart. 1775.

Ad tramites providae Benedictinae constitutionis incipientis: *Pastoralis officii*, [1] unita anno 1736 fuerunt Praebendis Theologali et Poenitentiali Cathedralis Camerini nonnulla Beneficia simplicia cum respectivis eorum titulis. In unione autem Beneficiorum prae ceteris cathedratici onus expressum fuit, illudque omnino praestare professi sunt ipsimet Canonici, a quibus unio fuerat obtenta. Elapso vix quadrimestre, ac Sede Episcopali vacante, Canonicus Theologus alia quatuor Beneficia simplicia decreto Vicarii Capitularis suae Theologali Praebendae uniri curavit, ita quidem, ut praebendae reditus ad annua scuta 300 adaucti fuerint. Quamvis pro huiusmodi Beneficiis unitis cathedraticum ab antecessoribus Beneficiatis semper fuerit persolutum, illud tamen post sequutam unionem reprendere detrectarunt Canonicus Mancini Theologus et Canonicus Flaminii Poenitentiarius, illudque praestare modo renuunt Canonici Vivani et Carducci eorum successores. Hac itaque de causa Promotor fiscalis illos in iudicium vocavit, et modo instat pro resolutione dubii, quod EE. VV. sapienti iudicio subiicitur.

Inquit enim, omnes Beneficiatos teneri ad solutionem cathedratici erga proprium Episcopum in signum subiectionis et in honorem Sedis Episcopalis: cap. *Conquerente, de officio Ordin.*, cap. *Pastoralis, de donat.* Idque etiam pro Beneficiis simplicibus, cum eadem quoad ista honoris et subiectionis ratio concurrat. Neque ob sequutam Beneficiorum unionem Praebendis Canonicalibus onus cathedratici extinctum praesumi posse affirmat, cum per unionem haud eximi potuisse dicit ab onere cathedratici, quod ex ipso actu erectionis Beneficiorum oritur, eisque semper inseparabiliter inhaeret, neque ab Episcopo in totum remitti valet: cap. *Pastoralis, de donat.* Porro contendit, cathedraticum deberi a die adeptae per Canonicos Beneficiorum possessionis. Idque pluries decisum ab hac Sacra Congregatione, et signanter in *Amalphitana*, 26 februarii 1707, [2] in nihilum

[1] Cf. N. 289.
[2] Cf. N. 3049.

refragante, quod ab Episcopo antecessore nunquam fuerit perceptum quia cathedraticum nec praescribi potuit, nec ab Episcopo remitti. Denique quantitatem cathedratici praefiniendam esse confidit ad formam decreti Episcopi Terelli post Concilium Romanum evulgati, necnon synodalium constitutionum Episcopi Vivani et hodierni Episcopi, in quibus omnibus iuxta taxam Concilii Romani persolvenda praecipitur.

Ex alia parte nihil hactenus deductum est.

Videndum tamen, an unicum cathedraticum a toto Canonicorum et Beneficiatorum coetu, seu potius ab unoquoque singillatim persolvi debeat. Si Canonici et Beneficiati sustentantur ex massa communi, ex eaque unusquisque suam percipit partem, tunc unicum cathedraticum rependere sufficit, quemadmodum statuit Concilium Romanum, tit. 8, cap. 4. Si vero Beneficiati praeter portionem, quam ex massa communi retrahunt, alia etiam Beneficia simplicia obtineant, ex his omnibus cathedraticum Episcopo solvere debent, ut in cit. *Amalphitana*, 26 februarii 1707. Quo vero ad quantitatem statutum est, ut duo solidi persolvantur, et in Concilio Romano iulii viginti monetae Romanae fuerunt pro solidis praefiniti. His sedulo perpensis, dignabuntur Emi PP. decernere:

An, et a quo tempore, et in qua annua summa debeatur cathedraticum pro Beneficiis unitis Praebendis Theologali et Poenitentiariae Cathedralis in casu?

Die 20 augusti 1774: Non proposita.

Die 18 martii 1775 Sacra, etc. respondit: Affirmative, a die adeptae per Episcopum possessionis, et in summa praefinita a Concilio Romano. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 43, p. 198-203, tom. 44, p. 1].

3792.

S. C. C., *Comen.*, 8 apr., 6 maii 1775.

Clericus Petrus Sertorius Tonsura insignitus, casuali ac repentina pulveris tormentarii accensione adeo graviter in dextera manu laesus fuit, ut eiusdem liberum in parte inferiori usum ac exercitium amiserit, unice salvis et incolumibus superstitibus digitis indice et pollice, ac superiori eiusdem manus parte, quibus libere et prompte utitur. Ex hoc innoxio casu id evenit, ut non valeat patenam post hostiae consecrationem in Missae celebratione tractare, nisi vel contra praescriptum rubricarum utatur, vel laeva manu, vel pollice et indice post consecrationem non seiungendis. Hinc idem Clericus Petrus humillimas preces porrexit pro dispensatione ab irregularitate ex dicto defectu contracta, ut ad Presbyteratum promoveri queat Parochiamque assequi possit. Auditus Episcopus praedicta confirmat et addit: *Dexteram manum laesam et partim detruncatam tam in prophanis, quam ecclesiasticis operationibus ea arte tractat, ut parte inferiori laesa ad pectus conversa, superior tantum pars incolumis ad oculos*

[1] Cf. N. 3796.

exhibeatur, nullamque propterea, nisi curiose investigantibus, exhibet patentem deformitatem, nec ullum scandalum generat, aut ullum impedimentum, praeter praedictam, divinis praestat; ac concludit: *ecclesiasticae disciplinae studium, probati mores, congrua rerum ecclesiasticarum scientia postulatae dispensationis gratiam eidem promererentur.*

De irregularitate ob defectum digitorum litteralis est textus in cap. *Presbyterum 2, de cler. aegrot. et debilit.* Emi Patres qua ornantur iuris sacri peritia ac aequitate, et clementia, dignentur responsum dare:

An sit locus dispensationi in casu?

Die 8 aprilis 1775: Non proposita.

Die 6 maii 1775 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 14-16, 18].

3793.

S. C. C., *Ordinis S. Basilii,* 8 apr., 6 maii 1775.

Innocentius Zappia monasticam professionem emisit in Ordine S. Basilii Magni, nullaque praemissa disquisitione, utrum Confirmationis Sacramento munitus esset, bona fide et citra contemptum dein Primam Tonsuram et Minores Ordines a proprio Abbate Regulari suscepit. Sed cum iam ad vigesimum aetatis annum perventus post sedulam perquisitionem novisset, se eo Confirmationis Sacramento carere, dubium inde subortum est, an legitime Tonsuram et Ordines suscepisset. Quare huic Sacrae Congregationi preces porrexit pro absolutione et dispensatione ab irregularitate, quatenus in ipsam inciderit, et pro rehabilitatione ad alios Ordines. Ipse Orator iureiurando testatur: *Non mi ricordo affatto, che io fossi giammai cresimato, come ancora, che avendo fatto diligenza dal Parroco nel mio Paese, nel solito Libro de' Cresimati, mi viene avvisato, che io fra essi non mi trovavo scritto.* Ac Procurator Generalis Ordinis testatur de bona fide Oratoris in recipiendis Ordinibus, unde censet eiusdem petitioni benigne esse indulgendum.

Iuxta constantem perpetuumque Ecclesiae usum et praxim ambigi nequit, Confirmationis Sacramentum Ordinum collationi praemittendum esse: cum enim Confirmationis Sacramentum a Christo Domino institutum fuerit, ut fideles in S. Baptismo spiritualiter regenerati gratia perfectionis, consummationis seu augmenti spiritualis corroborentur, maxime expedit ac convenit, ut illud iam susceptum sit ab iis, qui in sortem Domini vocati ad Ordines sunt promovendi. Hanc fuisse perpetuam Ecclesiae disciplinam, recenti etiam decreto S. Concil. Trident. roboratam,[1] testatur Iuvenin., *de Sacr.*, dissert. 3, quaest. 9, cap. 1. In quam autem poenam incurrant ii, qui non praemissa Confirmatione Ordines suscipiunt, non una et concors est Doctorum opinio. Sacra Congregatio in

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 4.

una *Ordinis Capuccinorum,* 15 novembris 1710[1] Regulari iam ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promoto, qui valde dubius erat, an inunctus revera fuisset Sacro Chrismate, vel ante legitimam aetatem Subdiaconatum suscepisset, responsum dedit: *Praevia confirmatione sub conditione, pro absolutione et dispensatione quoad irregularitatem ad cautelam.* Dignentur itaque EE. PP. decernere:

An, et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

Die 8 aprilis 1775: Non proposita.

Die 6 maii 1775 Sacra, etc. respondit: Praevia confirmatione, in reliquis ad D. Secretarium ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 9-11, 18].

3794.

S. C. C., *Granaten.,* 6 maii 1775.

Apud Alhamae oppidum in ecclesia PP. Carmelitarum anno 1725 patratum fuit sacrilegum furtum Sacrae Pixidis, in qua complures Sacratissimae Particulae asservabantur. Probata per Curiam Ecclesiasticam earum identitate, cum repertae fuissent in domo rei, solemniori pompa translatae fuerunt in chorum inferiorem extra clausuram Monialium Ordinis S. Francisci Excalceatarum Monasterii sub invocatione Angeli Custodis in Civitate Granatensi, donec die 4 novembris eiusdem anni 1725 iussu Archiepiscopi Perea clausae in parva pixide argentea sigillis obsignata, translatae fuerunt in chorum interiorem intra clausuram eiusdem Monasterii, in quo etiam modo asservantur. Praetereundum tamen non est, praedictum Archiepiscopum Peream, cum forsan vereretur, ne alicuius ex Sacris Particulis corruptione, quae temporis successu evenire potuisset, Moniales periculo materialis idololatriae exponerentur, iussisse in eodem altari asservari quoque et renovari Augustissimum Eucharistiae Sacramentum. Anno 1734 Monialium nomine supplex hac de re libellus exhibitus fuit Sacrae Congregationi. Datis de more literis ad Archiepiscopum, ut de re tota referret: hic adhibitis peritis, assumptisque etiam expertis viris ecclesiasticis ad earum Particularum formalem recognitionem devenit. Cumque constitisset Particulas incorruptas esse, Archiepiscopus iussit, ne loco dimoverentur, quin immo vetuit, ne inibi imposterum conservarentur aut renovarentur aliae Particulae consecratae. Exinde frequentiores praedictarum Particularum recognitiones fuerunt. Cum vero hodiernus Archiepiscopus nollet diutius tolerare, quod Sacrae hae Particulae asservarentur intra clausuram Monialium, sive quia hoc decreto Sac. Conc. Trident. vetitum est,[2] sive quia praeter necessitatem clausurae leges violarentur frequentibus recognitionibus: curarunt Moniales obtinere apostolicum indultum, cuius vigore Archiepiscopi committebatur

[1] Cf. N. 3094.
[2] Sess. XXV, *de regul.*, c. 10.

arbitrio facultas indulgendi retentionem intra clausuram praedictarum SS. Particularum. Cum vero in nova recognitione in minoribus fragmentis aliquod immutationis vestigium deprehenderetur, Archiepiscopus iussit decrevitque: *che la piccola pisside legata e sigillata si trasportasse al ciborio dell'altare maggiore in ora opportuna, senza pompa straordinaria e per il passo interno della sagrestia.*

Gravissimum hoc fuit monialibus, quae modo petunt indulgeri sibi facultatem retinendi in choro interiori praedictas Sacras Particulas. Exponunt, se esse in possessione quinquaginta ferme annorum asservandi intra clausuram Sacratissimum hoc depositum. Subdunt, vetitum quidem esse asservari et retineri intra clausuram Eucharistiae Sacramentum, verum intelligendum de eo quod conficitur pro Sacra Synaxi, et ad Ritualis praescriptum singulis saltem hebdomadis renovari debet; hac sub lege minime comprehendi casum praesentem. Omnibus igitur inspectis circumstantiis definire dignentur EE. PP. simulque responsum dare dubio, quod proponitur:

An, et quomodo sit providendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, iuxta decretum Archiepiscopi, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 18-26].

3795.

S. C. C., *Malacitana*, 6 maii, 17 iun. 1775.

Violento convulsionum morbo adeo in laeva corporis parte laesus fuit Simon Serranus in undecimo aetatis anno, ut paulisper claudicet, duosque manus sinistrae digitos: medium et anularem, rigidos inflexibilesque habeat. Clericali militiae dein ab Episcopo adscriptus, ac etiam ad Cappellaniam laicalem suae Familiae nominatus, petiit ab hac Sac. Congregatione saltem se dispensari, ut ad Sacros Ordines ac ad Presbyteratum promoveri queat. Inquit, non culpa, nec delicto, sed morbi vi duo sibi obesse. Quod primum attinet, non claudicare cum gravi deformitate vel scandalo, nec baculo aut alio auxilio egere, sed tantum levissime in sinistro pede, ut nec deformitas exurgat, nihilque obsit altaris ministerio ac caeremoniarum omnium implemento. Ex hoc itaque defectu nullam irregularitatis notam induci: cap. 9, *Si quis in infirmitate*, dist. 55; quod vero alterum spectat, non rem esse de digitis indice vel pollice pro consecratione necessariis. Nec obesse, quod post consecrationem folia volvere nequeat, nec patenam ad imum labri accedere: folia quippe vel manu dextera, vel ipsorum compressione recte absque deformitate volvere posse; patenam vero, si non ad imum labri vel menti, saltem supra pectus et prope collum accedere posse. Hinc saltem postulat sibi dispensationem indulgeri. Quid consulendum in casu sit, decernant EE. PP. Proponitur:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

Die 6 maii 1775: Non proposita.

Die 17 iunii 1775 Sacra, etc. respondit: Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 32-35].

3796.

S. C. C., *Camerinen.*, 17 iun., 8 iul. 1775.

Resoluta fuit haec causa die 18 martii proxime praeteriti.[1] Obtenta vero a Canonicis nova audientia, dignentur EE. VV. sapientissime deliberare:

An sit standum, vel recedendum a decisis die 18 martii 1775 in casu?

Die 17 iunii 1775: Non proposita.

Die 8 iulii 1775 Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 43, 47].

3797.

S. C. C., *Alatrina*, 8 et 29 iul. 1775.

Cum fatisceret in Ecclesia Collegiata Alatrinae Civitatis Cappella sub invocatione S. Nicolai de Bario et S. Antonii Abbatis, hinc Alatrinus Antistes decrevit in eadem esse intermittendam Sacrorum celebrationem, mandavitque, ut Cappella propriis Cappellanorum sumptibus restauraretur sive reaedificaretur. Ab hoc decreto Cappellani recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, authumantes, Cappellam indigere reaedificatione, eaque propter esse valde dubitandum, an ad ipsos, seu potius ad Compatronos pertineat onus necessariae reaedificationis. Audito Episcopo, is peritorum accersito consilio, retulit: *Cappellam esse fere destructam, et omnino iacere ad divina officia inservibilem, eamque accurata reaedificatione ad suum decorosum statum crederem in Domino reducendam.*

His praehabitis, dignabuntur EE. VV. decernere:

1. *An, et ad quos spectet reaedificatio Cappellae sub invocatione S. Nicolai de Bario et S. Antonii Abbatis in casu?*

2. *An, et qua poena contravenientes sint puniendi in casu?*

Die 8 iulii 1775: Non proposita.

Die 29 iulii 1775 Sacra, etc. respondit ad 1. Reaedificationem spectare ad Patronos.

Ad 2. Episcopus praefigat terminum Patronis, quo elapso procedat, prout de iure.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 54-56, 65].

[1] Cf. N. 3791.

3798.

S. C. C., *Sedunen.*, 29 iul., 19 aug., 9 sept. 1775.

Cum Sedunensis Antistes in loco Camperiaco populum cuiusvis aetatis et praesertim iuvenes muniendos Sacramento Confirmationis, rudes ac imperitos in doctrina fidei comperiisset ex culpa indocti et ignorantis Rectoris Gaillard, cuius insufficientia patuit in actu ipsius visitationis: idem Episcopus eidem praecepit, ut ad examen coram Examinatoribus Synodalibus accederet. At persistente Gaillardo in eius contumacia, Sedunensis Antistes eidem ademit potestatem administrandi Comperiaci Sacramenta, tandem illum declaravit a divinis suspensum, et beneficio privavit. Tenues Camperiacensis ecclesiae redditus vetarunt Episcopo, ne ecclesiam et populum provideret de idoneo Coadiutore. Hanc autem remotionem, tamquam iniustam, non sustineri Gaillardus conclamat; contenditque, se esse ad ecclesiam suam redintegrandum.

In iure certissimum est, Parochum imperitum esse removendum ab exercitio curae animarum, ut habetur ex cap. final., *de aetat. et qualit.* Videtur igitur, Sedunensem Episcopum iure praecepisse Gaillard, ut propter gravem suspicionem suae imperitiae novo sese subiiceret examini, idque etiam sub poena privationis Parochialis Beneficii, ut in *Pampilonen.*, 15 ianuarii 1667.[1] Ex dictis poterunt EE. VV. iudicare ac una simul sapienter edicere:

An remotio Rectoris Curati Comperiacensis sit substinenda, seu potius idem Rector sit redintegrandus ad suam ecclesiam in casu?

Die 29 iulii 1775: Non proposita.

Die 19 augusti 1775: Non proposita.

Die 9 septembris 1775 Sacra, etc. respondit: Episcopus se gerat ad formam Concilii Tridentini, Sess. 21, cap. 6, de ref., eique scribatur iuxta instructionem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 72-74, 76, 87].

3799.

S. C. C., *Lauretana*, 9 sept., 2 dec. 1775.

Dilata fuit resolutio huius causae die 9 iulii 1774.[2] Quoniam vero Episcopus in sua transmissa informatione dixerat: *Praepositum cumulate probare quadragenarium servitium assiduae et laudabiliter choro praestitum*, iussus est, ut referret, undenam huiusmodi probationem desumpsisset. Satisfecit Episcopus epistola sua nuperrime Sacrae Congregationi transmissa, ubi praesertim contra testes, Canonicorumque machinationes

[1] Cf. N. 2800.
[2] Cf. N. 3789.

in haec verba prorumpit: *Liceat mihi confidenter et ingenue asserere, graviter me fuisse commotum propter illaudabiles artes, putidasque seductiones adhibitas ad subvertendum intellectum testium maiori ex parte rusticorum aliorumque minus integrae famae expiscatorum ad parandam invidiam adversus Praepositum.* Hactenus tamen nulla nomine Capituli iura allata fuere. Praepositus vero ius suum uberrime vindicat ope plurium documentorum, quae Eminentiarum Vestrarum oculis subiicientur, ut causa sub eadem dubiorum forma reproposita resolvi possit.

Die 9 septembris 1775: Non proposita.

Die 2 decembris 1775 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative, et amplius. Ad II. Affirmative, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 44, p. 92, 97].

3800.

S. C. C., *Balneoregien.*, 22 iun., 17 aug. 1776.

Ad Ecclesiam Balneoregiensem promotus extitit Episcopus Baldassini, qui post decennium, cum ad Episcopatum Aesinum fuerit translatus, Balneoregiensis Ecclesia hodierno Antistite provisa fuit. Is utilitati ac manutentioni suae Ecclesiae incumbens, cum viderit, dispersa fuisse animalia pertinentia mensae Balneoregiensi, iudicialiter institit pro deficientium animalium reintegratione, obtinuitque mandatum executivum adversus antecessorem Episcopum pro summa scut. 155.58. Ulterius vero, cum Cathedralem Ecclesiam adeo fatiscentem ac deturpatam invenerit, ut pro necessariis restaurationibus ingentem summam impendere debeat, id totum culpae ac negligentiae praedecessoris Antistitis tribuendo, eundem in ius vocavit coram Auditore Camerae pro reintegratione damnorum. Ad ea recognoscenda iudiciales periti hinc inde electi deputatique fuerunt. Retulerunt ii, restaurationes Cathedralis Ecclesiae omnino necessarias ascendere ad summam scutorum 423.90. Sequuta hac peritorum iudicialium relatione, praecedens Antistes non ad Auditorem Camerae, sed ad hanc Sacram Congregationem spectare ait causae definitionem. Iudex igitur reservavit ius agendi pro summa scutorum 423.90 usque ad exitum causae in Sacra Congregatione. Promotor itaque Fiscalis Curiae Balneoregiensis necessarias restaurationes illas dici debere sustinet, quae a iudicialibus peritis recognitae fuerunt, propterea que, cum iudiciales periti hinc inde electi eas liquidaverint in summa scut. 423.90, non esse ambigendum, pro dicta summa Praedecessorem Antistitem ad formam iudicialis peritiae teneri et obligatum esse. Sustinet ulterius, restaurationes Cathedralis Ecclesiae soli Episcopo pertinere, nisi adsit aliquod statutum in contrarium vel aliqua contraria consuetudo, vel demum Ecclesia redditus habeat particulares pro fabrica, quae quidem circumstantiae deficiunt in casu, de quo agitur. Animadvertendum est, quod superiori tempore Cathedralis Ecclesiae Balneoregiensis restaurationes ad Episcopum pertinuerunt. Partes erunt EE. PP. definire:

1. *An, et quae restaurationes et reparationes necessariae fuerint in Ecclesia Cathedrali in casu?*

2. *An, et ad quem illarum onus pertineat in casu?*

Die 22 iunii 1776: Non proposita.

Die 17 augusti 1776 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, ad formam peritiae.

Ad 2. Spectare ad Episcopum Baldassini, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia Ssm̃i iuxta liquidationem faciendam coram D. Secretario.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 45, p. 80-82, 95].

3801.

S. C. C., *Leodien.*, 19 iul., 9 aug. 1777.

In oppido Lossensi Leodiensis Dioecesis adest Collegiata Ecclesia S. Odulpho dicata. Antiquissima in ea viget consuetudo, quod quilibet de Canonicatu dictae Ecclesiae provisus fructibus Praebendae careat per duos integros annos a die suae receptionis, non autem provisionis computandos. Canonicus Thomas Leducq per lapsum duodecim et ultra annorum solum nudumque titulum Canonicatus retinuit, nec unquam curavit se in Canonicum recipi a Capitulo, donec anno 1771 dictum Canonicatum titulo permutationis cum Beneficio Ecclesiastico personalem residentiam non requirente cessit Sacerdoti Philippo Lamberto de Faijs. Apostolicis inde super hac permutatione litteris expeditis praefatus Faijs in Canonicum supradictae Collegiatae Ecclesiae fuit receptus, et immissus in possessionem Canonicatus et Praebendae. Renuente vero Capitulo illum admittere ad eorumdem Canonicatus et Praebendae fructuum participationem, nisi post lapsum duorum annorum a data receptionis in Canonicum computandorum, iuxta consuetudinem Ecclesiae, preces proinde Canonicus obtulit Sacratissimo Principi, exponens, obiectam consuetudinem nec hactenus probatam existere, nec edoceri, quod illa fuerit legitime introducta, quinimo cum Canonici inter se diviserint fructus huius Canonicatus et Praebendae toto tempore, quo Thomas Leducq de Canonicatu provisus abfuit a residentia usque ad diem antedictae permutationis, ex quo non curaverit se immitti in possessionem suorum Canonicatus et Praebendae: hinc sequi, Oratorem minime teneri expectare duos annos, priusquam ad perceptionem fructuum admittatur. Quibus expositis supplex fuit pro compellendis Canonicis, ut Oratorem ad illorum perceptionem admittant, eosque a die suae praesentationis sibi restituant. Auditus de more fuit Episcopus, qui votis Canonici censuit adhaerendum.

Porro duae potissimum sunt inspectiones: altera, quae pertinet ad probationem consuetudinis, et altera, quae versatur circa illius applicationem propositae quaestioni. Ad primam enim quod attinet, praestat in iure adnotare, communi Doctorum sententia valida et licita reputari,

[1] Cf. N. 3806.

nec sub lege Tridentinae Synodi, cap. 14, Sess. 24, *de ref.*, et constitutionis S. Pii V[1] comprehendi statuta vel consuetudines Ecclesiarum, quibus cautum est, ut Canonici aut Sacerdotes noviter recepti per aliquod temporis spatium illarum servitio gratis incumbere teneantur. Idipsum etiam procedit quoad fructus Canonicatus et Praebendae, si illi cedunt in utilitatem et beneficium Ecclesiae, vel fabricae, vel sacrarii vel in pios usus erogantur; secus vero, si convertuntur in commodum, lucrum et utilitatem aliorum Canonicorum. De consuetudine superius exposita in Ecclesia Lossensi vigente testatur Episcopus in suis litteris Sacrae Congregationi datis. Porro si ex consuetudine biennii carentiae tempus incipiendum est a die receptionis, non autem a die provisionis Canonicatus: hoc biennium incipere nunquam potuit tempore, quo Canonicatum habuit Thomas Leducq permutans. Dubium est:

An, et a quo tempore Philippo Lamberto de Faijs debeantur fructus Canonicatus, et eidem a Capitulo sint restituendi in casu?

Die 19 iulii 1777: Non proposita.

Die 9 augusti 1777 Sacra, etc. respondit: Fructus deberi post biennium carentiae computandum a die receptionis; in reliquis negative, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 46, p. 121-124, 131].

3802.

S. C. C., *Pontis Curvi*, 9 aug. 1777.

Benedictus XIV anno 1749 Parochialem ecclesiam S. Michaelis Archangeli Civitatis Pontis Curvi cum omnibus bonis et redditibus perpetuo univit Domui Patrum Doctrinae Christianae, utpote qui alteram Parochialem ecclesiam S. Marci finitimam possidebant, mandavitque, ut universa animarum cura exequeretur in altera ex supradictis unitis ecclesiis, quae aptior ab Episcopo iudicata fuisset; et tamquam aptior ab eo selecta fuit ecclesia S. Michaelis Archangeli, licet deformis et fatiscens. Quo posito Patres Doctrinae Christianae solo aequarunt ecclesiam S. Marci, quae ruinam minabatur, novumque prope eam aedificarunt Collegium pro commoda Religiosorum habitatione. Novam etiam modo meditantibus Patribus construere ecclesiam prope Collegium, et in eam transferendi munia parochialia, quae in ecclesia S. Michaelis Archangeli exercentur, contradictores invenerunt parochianos eiusdem Parochialis ecclesiae, propugnantes, ipsis admodum incommodam esse noviter construendam ecclesiam pro Sacramentorum receptione, ideoque vel esse restaurandam, vel e fundamentis aedificandam illam S. Michaelis in eodem situ, in quo nunc semidiruta existit. Super precibus hinc inde porrectis huic Sacrae Congregationi, auditus de more fuit Episcopus, qui in eam descendit sententiam: *ut animarum cura ab ecclesia S. Angeli haud tolleretur, et in illiusmet situ iam utrique populo satis commodo nova ecclesia*

[1] Cf. N. 134.

suscitaretur, quoties tamen ipsimet parochiani sibi huiusmodi aedificii intra congruum annorum curriculum suis expensis perficiendi onus assumant, atque formiter obligent caveantque recepto nihilominus a Patribus praedictis amborum Parochiarum redditu, quoad summam exsuperantem, detractis expensis pro ea in alia ecclesia interim exercenda necessariis, et congrua alimentaria Vicario Curato debita.

Quinque sunt dubia, in quibus tota quaestio versatur. Videant igitur Eminentissimi Patres, qua iuris ratione ea sint expedienda.

1. *An sit locus reaedificationi et ampliationi ecclesiae Parochialis S. Michaelis Archangeli, sive potius illius restaurationi in casu?* Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam:

2. *An reaedificanda sit in eodem situ, seu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinae Christianae in casu?*

Die 9 augusti 1777: Non proposita.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 46, p. 144-146].

3803.

S. C. C., *Faventina*, 14 mart. 1778.

Data fuit resolutio huius causae die 17 iulii 1773.[2] Non placuit Confraternitati decisio quinti dubii quoad primam eius partem, imploratoque ab ea novae audientiae beneficio, quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad 5 dubium quoad primam eius partem in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 5. In decisis quoad omnia.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 47, p. 60].

3804.

S. C. C., *S. Severini*, 4 apr., 5 et 19 sept. 1778.

Anno 1774, dum Dominicus Laettus, Parochus S. Annae Castri Frontalis in Congregatione S. Philippi Neri Recinetensi se receperat, Pater Minottus ex Ordine Conventualium, qui eo anno quadragesimales conciones in dicto Castro Frontali habebat, innumeris datis tam ad Episcopum, quam ad Vicarium Generalem litteris acriter invexit contra dicti Parochi Laetti mores velut impudicam scandalosamque vitam ducentis, summopere instans, ipsum a Parochiae exercitio perpetuo excludi et Oeconomum deputari, imo nec minis pepercit, ut voti compos fieret. Ut autem de impictis criminibus constaret, transmisit Pater Minottus ad Episcopum tres feminas, quae in extraiudiciali depositione per Vicarium Generalem excepta de inhonestis sermonibus tactibusque in proprias personas deposuerunt. Hisce plene fidens Episcopus, illico in Oeconomum deputavit Sacerdotem Iosephum Bertone, et in visitatione Sacrorum Liminum anni 1774 rogavit sibi praescribi, quid in hoc rerum statu... aggredi valeret. Respondit haec S. Congregatio: *De ecclesia Parochiali S. Annae Castri Frontalis, quam suo Parocho etiamnum destitutam esse scribis, Sacra haec Congregatio nil aliud statuendum censet, nisi... quod ipsi ecclesiae titularis Parochus rite legitimeque constituatur. Quod autem pertinet ad praedictum Laettum, Tuae Episcopalis aequitatis prudentiaeque erit, quid facto opus sit, statuere.*

[1] Cf. N. 3805.

[2] Cf. N. 3785.

Conquesto Parocho Laetto coram hac Sacra Congregatione, de impicta sibi incontinentia deque sua diffamatione, necnon de iniusta ac irregulari sua expulsione a Parochiae exercitio, auditus fuit Episcopus, ut expulsionis causas referret, qui statim ad eas verificandas Commissarium ad Castrum Frontalis transmisit, a quo duodecim interrogati fuerunt testes tum super Parochi moribus, tum super illius fama. Hoc itaque testium processu iam ad Sacram Congregationem delato duo nunc postulat Parochus Laettus: *alterum*, ut revocetur appositio Oeconomi ipseque reintegretur ad suae ecclesiae regimen, et *alterum*, ut sibi resarcirentur damna obventa tum ex dicta appositione Oeconomi, tum ex sua expulsione, quam nullam, iniustam, et calumniosam fuisse propugnat. Ad *primum* tuetur, dictam expulsionem nullam esse et spoliativam, utpote factam se non citato, nec interpellato, nec defenso, nec audito, nec monito, unde omnia abroganda esse, omniaque in pristinum restituenda: cap. *Conquerente 7, de restit. spoliat.* Addit, tria ad privationem, seu perpetuam suspensionem requiri, nempe causam gravem, concludentem illius probationem et canonicam servatam formam. Haec autem omnia in casu deficere sustinet Laettus. Ad *secundum* advertit sibi esse reficienda omnia damna, quae propter nullam iniustamque expulsionem a Parochiae exercitio et administratione illata fuerunt ad text. in cap. *Constitutum, 8, de filiis presbyt.*

Episcopus in sua informatione post repetitam ignaviam Parochi Laetti in exercendo munere parochiali eiusque diffamationem concludit: *Fateor quippe, nos modo non in eo esse probationum genere, ut Orator sit suo proinde titulo exauctorandus. Ast quis dixerit, Parochum hunc iampridem populo invisum et inutilem, ex turpi posterum suborta diffamatione etiam scandalorum non futurum?*

Iuxta sanctiones Concilii Tridentini praescriptum habetur quoad privationem Parochorum turpiter et scandalose viventium, quod postquam *moniti* et *puniti* fuerint, si adhuc in nequitia perseveraverint, illico priventur: Sess. 21, cap. 6, *de ref.* His positis inquirendum primo est, an constet de incontinentia Parochi Laetti. De inhonestis tactibus deponunt dictae tres mulieres; caeteri vero testes unice de turpiloquiis et assidua conversatione cum mulieribus, de diffamatione et negligentia in parochiali munere exercendo. Inquirendum item est, an deficiente quavis monitione, ac punitione, rite recteque iuxta conciliarem sanctionem illico nec monitus nec auditus fuerit ipse suspensus a propria Parochia, eidemque Oeconomus deputatus. EE. PP. ea, qua ornantur, iuris sacri peritia, decernent:

I. *An sustineatur appositio Oeconomi, seu potius Parochus Laetti sit reintegrandus ad regimen suae ecclesiae Parochialis in casu?*

II. *An sit locus refectioni damnorum, et in qua summa in casu?*

Die 4 aprilis 1778: Non proposita.

Die 5 septembris 1778: Non proposita.

Die 19 septembris 1778 Sacra, etc. respondit ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, reservato iure Promotori fiscali agendi contra Parochum Laetti ad formam Concilii Tridentini, et amplius.

Ad II. Restituendos esse omnes fructus Parochiae tempore Oeconomatus decursos, dempta congrua pro Oeconomo, aliisque necessariis expensis. In reliquis negative, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 47, p. 84-89, 198, 211].

3805.

S. C. C., *Pontis Curvi*, 16 et 30 ian., 6 mart. 1779.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis habitae die 9 augusti 1777,[1] verum tunc proponi non potuit. Redit nunc ad Eminentissimorum Patrum iudicium eadem causa novis illustrata iuribus et documentis.

Die 16 ianuarii 1779: Non proposita.

Die 30 ianuarii 1779: Non proposita.

Die 6 martii 1779 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 48, p. 5, 8, 15].

3806.

S. C. C., *Balneoregien.*, 7 et 28 aug. 1779.

Resoluta fuit haec causa die 17 augusti 1776.[2] Facta vero utrique parti reclamanti potestate iterum iura sua deducendi in Sacra Congregatione, respondendum nunc est:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 7 augusti 1779: Non proposita.

Die 28 augusti 1779 Sacra, etc. respondit: In decisis ad utrumque, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 48, p. 90, 95].

[1] Cf. N. 3802.
[2] Cf. N. 3800.

3807.

S. C. C., *Sutrina*, 28 aug. 1779.

Confraternitas Suffragii Animarum Purgantium terrae Tulpharum Sutrinae Dioecesis, quae ab anno 1758 canonice erecta reperitur in ecclesia dicata Beatae Mariae Virgini Misericordiae, comitia celebravit die 1 iunii 1777, in quibus capta fuit resolutio Sodalitium a dicta ecclesia Misericordiae transferendi ad ecclesiam S. Antonii Patavini Patronis istius assentientibus. Pro facultate huius peragendae translationis preces porrectae fuerunt Summo nostro Pontifici, qui eas ablegavit ad hanc Sacram Congregationem. Auditus de more fuit Sutrinus Antistes, qui petitam translationem approbavit, fuitque in voto, Confratres esse exaudiendos. Pro translatione nunc urgent Confratres. Aiunt ipsi, iustam et rationabilem concurrere transferendi causam, quia ecclesia B. M. Misericordiae tamquam a terra Tulpharum distans, adeo Confratribus incommoda est, ut illius campanae sonitus in eadem terra non audiatur, ideoque eorum functiones et officia negliguntur; rursus quia ecclesia S. Antonii Patavini, ad quam Sodalitium est transferendum, uti in medio terrae sita, commodior et aptior est pro sacris peragendis functionibus et officiis. Inquirunt insuper, Sodalitium nullam obligationem cum ecclesia Beatae Mariae Misericordiae eiusque Patrono contraxisse. Quo posito sustinent, effectum esse legitimae translationis, ut omnia secum deferat, quae alibi erant. Dubia sunt:

1. *An sit locus translationi Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium ab ecclesia Beatissimae Virginis Misericordiae ad ecclesiam S. Antonii Patavini in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An transferendi sint etiam redditus et onera a dicta Confraternitate implenda in dicta ecclesia B. Mariae Virginis Misericordiae in casu?*

Die 28 augusti 1779: Non proposita.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 48, p. 106-108].

3808.

S. C. C., *Faventina*, 29 apr., 3 iun. 1780.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Stephani terrae Cotiniolae Faventinae Dioecesis antiquissimis temporibus componebatur ex Archipresbytero cum onere curae animarum et ex tribus Canonicis, qui pro eorum respective Praebenda ex redditibus Archipresbyteratus ad scuta biscentum ascendentibus annuatim percipiebant dumtaxat quatuordecim corbes frumenti. Illorum onera tenuitati Praebendae correspondebant: nam Cano-

[1] Cf. N. 3809, 3813.

nici tenebantur solis festivis diebus canere Missam Conventualem, nec non celebrare respectivum Officium. Anno 1725 quarti Canonicatus institutio facta fuit vi testamenti Sanctis Sylvestri Soleri, assignata Praebenda annuorum circiter scutorum triginta. Anno vero 1731 Canonicus Caesar Gratiani condito testamento ex asse sibi scripsit heredem Capitulum dictae Collegiatae. Ac demum anno 1740 Antonius Zarabini in eius ultimo elogio de omnibus suis bonis, quae valoris erant scutorum viginti millium, et ultra, heredem instituit massam communem canonice erigendam aggregandamque Capitulo dictae Collegiatae Ecclesiae, cum onere quotidie canendi Missam per turnum in expiationem animae Zarabini fundatoris.

Onus quotidie celebrandi Missam Conventualem cum applicatione pro fundatore Zarabino implevit Capitulum; praetermisit tamen alteram pro benefactoribus in genere iuxta encyclicam Benedicti XIV, quae incipit: *Cum semper oblatas,* [1] putans illam pro Zarabino sufficere. Hunc errorem detexit Episcopus, consuluitque Canonicis, ut recursum haberent ad hanc Sacram Congregationem.

Preces itaque porrexerunt Canonici huic Supremo Tribunali postulantes absolutionem quoad praeteritum, quo vero ad futurum pro dictae Missae reductione, necnon ut declaretur, an omnes Canonici, tam antiquae, quam novae erectionis, teneantur per turnum ad celebrationem Missae Conventualis, et a qua massa detrahenda sit illius eleemosyna.

Prae oculis tamen habendum est, ad celebrationem Missae Conventualis cum applicatione pro benefactoribus in genere, tamquam inhaerentem universo Canonicorum coetui, teneri per turnum omnes Canonicos, cuiusvis sint erectionis, nullo recepto stipendio iuxta cit. encyclicam s. m. Benedicti XIV. Ponderandum pariter est, tres antiquos Canonicos, excepto Archipresbytero, annuos habere redditus scutorum 49, Canonicum vero Solieri scutorum 65, caeteros autem Canonicos et Mansionarios Zarabini scutorum 39. Munus erit EE. PP. definire:

1. *An ad celebrationem et applicationem Missae Conventualis teneantur tam Archipresbyter et Canonici antiqui, quam Canonici et Mansionarii novae erectionis Zarabinae in casu?* Et quatenus affirmative quoad omnes:

2. *An, et ex qua massa, et pro qua rata sit desumenda eleemosyna dictae Missae in casu?*

Die 29 aprilis 1780: Non proposita.

Die 3 iunii 1780 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative quoad omnes; teneri per turnum, et amplius, et ad mentem.

Ad 2. Affirmative ex massa communi Zabarina ad ratam eleemosynae manualis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 49, p. 59-61, 67].

[1] Cf. N. 345.

3809.

S. C. C., *Sutrina*, 15 iul. 1780.

Descripta invenitur haec causa in folio Congregationis diei 28 augusti 1779, [1] verum tunc proponi non potuit. Causa hinc sub iisdem dubiis reproponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, cum pactis et conditionibus ab Episcopo approbandis.

Ad 2. Affirmative, salvis dispositionibus testatorum. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 49, p. 92].

3810.

S. C. C., *Novarien.*, 5 aug. 1780.

Hieronymus Pescatori degens in oppido Momi Novariensis Dioecesis anno 1608 per contractum inter vivos quosdam census etc. donavit Confraternitati SSmi Sacramenti dicti oppidi, onere adiecto, quod Confraternitas eligeret Presbyterum, qui deberet Missam celebrare singulis diebus Dominicis, aliasque quatuor in hebdomada. Haec accepto tulit Confraternitas, sibi tamen reservato iure petendi onerum reductionem, quatenus bonorum donatorum redditus impares essent pro illorum implemento. Et reapse antequam eadem donatio suum sortiretur effectum, ipsemet donans ad instantiam Confraternitatis publico stipulato instrumento anno 1610 praedictas quatuor Missas in qualibet hebdomada ad tres tantum reduxit, quo onere imminuto Confraternitas donationem in omnibus acceptavit oneraque adimplere curavit. Verum cum a pluribus mensibus vacaverit Cappellania, nemo Presbyter nunc reperitur, qui eam postulet vel oblatam acceptare velit propter tenuitatem redditiuum pro ferendis oneribus prorsus imparium. Quare Confraternitas hanc Sacram Congregationem supplicavit pro Missarum reductione. Super his precibus requisitus Episcopus post relatos contractus initos donantem inter et Confraternitatem, subdit, Missarum reductionem, quae postulatur, non esse admittendam.

Regula iuris est, Missarum celebrationem ex contractu prosilientem reductioni non subiacere, praesertim in casu, in quo redditus bonorum assignatorum imminuti non sunt, quinimo pares pro Missarum celebratione, quae in concursu cum aliis oneribus, si redditus non suppetunt pro omnium onerum implemento, praeferri debet caeteris oneribus, quae potius minuenda vel reducenda sunt. Dubium est:

An, et quomodo Confraternitatis precibus sit annuendum in casu?

Die 5 augusti 1700: Non proposita. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 49, p. 112-114].

[1] Cf. N. 3807.
[2] Cf. N. 3813.
[3] Cf. N. 3812.

3811.

S. C. C., *Rosnavien.*, 20 aug 1780. [1]

Quod et materiae gravitas, et diversarum quaestionum copia, quas in Tuis literis sub die 20 mensis februarii 1779 ad Sacram hanc Concilii Congregationem proposuisti, expostulabat: ut iis diu diligenterque discussis, dum Tibi respondendum adgreditur, et de pastorali, quam geris huiusce Tuae Dioecesis sollicitudine, et de filiali, quam erga Sanctam Sedem Apostolicam significas, veneratione, plurimum gratulatur.

Duo sane tantum quaesiveras ab initio, nimirum: quid statuendum sit 1. de illis matrimoniis, quae licet absque omni impedimento dirimente, sed tamen non observata lege Tridentina, coram ministro haeretico, tam ab haereticis inter se, quam, ubi contrahentium una pars catholica est, contrahuntur? 2. de illis, quae cum impedimento dirimente, sive ubi utraque, sive ubi alterutra saltem contrahentium pars haereticam sectam profitetur, sive coram Parocho catholico, sive ministro haeretico ineuntur ac celebrantur. Cum autem ipse pro Tua sapientia probe intelligeres, hisce dubiis, nisi enucleatius perferrentur, apte satis fieri non posse: illa deinceps per partes distinguere instituisti, ac distributis quaestionibus articulatim in hunc modum proponere.

1. Utrumne matrimonia non observata lege Tridentini [2] coram ministro haeretico in Hungaria ab haereticis quidem inter se saepe, ubi autem alterutra contrahentium pars est catholica, nonnumquam, inita ac celebrata, pro virtute decreti Tridentini sint nulla et irrita: vel vero provisio recolendae memoriae Benedicti PP. XIV ad Belgium atque alias eius provincias data, [3] sit ad matrimonia quoque praedicto modo inita et ineunda per Hungariam extendenda? Noveris igitur, non unam eamdemque utrorumque habendam esse rationem. Quamquam enim commendata provisio, donec per S. Sedem Apostolicam aliter declaratum non fuerit, tamquam pro non extensa ad Hungariam ab omnibus censenda sit: priora tamen, nempe haereticorum inter se coram ministro haeretico inita, ita a te oportet dissimulari, ut super eorumdem validitate seu invaliditate ab omni prorsus abstinens nedum ferendo iudicio, verum etiam promovenda disputatione, ex qua non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi metus in catholicae religionis perniciem foret expectandus. Posteriora autem, scilicet catholicorum cum haereticis, quae Apostolica Sedes, prout ex eodem, quem laudas, felicis recordationis Benedicto XIV plane didiceris, in aliquibus locis, cum ea impedire non valeat, tolerat quidem et ecclesiastica quadam prudentia, commiseratione et mansuetudine, ne maiora enascantur mala, dissimulat: et quamvis matrimonia mixta coram Parocho catholico,

[1] Ad Episcopum Rosnavien.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.
[3] Cf. N. 3527.

absque alio dirimente impedimento, celebrata valida dignoscantur: prudentiam tamen tuam non latet, ab huiusmodi nuptiis velut catholico homine prorsus indignis semper Ecclesiam abhorruisse, nec quidquam intentatum reliquisse, quo fideles suos ab eis ineundis omni ope deterreret, propterea-que si quibusdam in regionibus propter locorum et temporum difficultatem ea tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nullo pacto approbationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad graviora vitanda mala offert necessitas, non voluntas.

2. Verum enimvero, inquis, quia haeretici in Hungaria matrimonia inter se etiam in gradibus prohibitis contraherent vigore solius regiae concessionis, iure merito mihi quaeri posse videtur: quidnam de huiusmodi matrimoniorum valore sit pronunciandum? At nisi Ecclesiae, cuius auctoritate introducta sunt, legitima impedimentorum dispensatio intercesserit, invalida esse in eadem Benedicti XIV declaratione satis aperte decernitur. Statuit enim, ut vel in ipsis Foederati Belgii provinciis matrimonia inter haereticos, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis observata, pro validis habeantur, *dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum*, qua exceptione manifeste ostendit, si quod aliud subsit canonicum impedimentum, quale est, quod ex gradibus prohibitis enascitur, huiusmodi matrimonia non valere.

3. Quaeris insuper: possitne parochus catholicus eiusmodi matrimoniis, illis scilicet, quae ab haereticis inter se contrahuntur, aut assistere aut saltem, ut coram ministro (nempe haeretico) contrahantur, assensum suum praebere? Quoad assistentiam porro iam teneas, omnino non licere. De consensu autem nonnulla supersunt exquirenda, de quibus plenior a te relatio desideratur.....

4. Sed Tu pergis adhuc, quid si coniugum eiusmodi uterque haeresim eiuret et fidem orthodoxam amplectatur, debetne dispensationem ab Episcopo suo accipere et ad redintegrandum matrimonium stringi? Aut si plane nolit, imo separari cupiat, ad alia vota liber pronunciari? Ad haec cum iuxta responsionem ad 2. dubium, de quo agitur, iam plane sequitur, ut, si in illo per conversionem permanere voluerint, ab eisdem dispensatio petenda sit et ab Episcopo concedenda, si necessaria gaudeat facultate, novoque consensu in facie Ecclesiae pristinum coniugium esse redintegrandum; quodsi ab eo resilire obfirmate velint, atque ad alias nuptias convolare, in irritum cessis adhortationibus Tuis, quas adhibere non praetermittes ad illam redintegrationem suadendam, tum impediri non poterunt, quominus iure suo et libertate utantur.

5. Quaeris tandem: quid si unus tantum huiusmodi coniugum convertatur, altero in haeresi permanente, cum his dispensatio dari nequeat, quid, inquam, debetne a vinculo immunis decerni et proinde ad alias nuptias liber declarari? Recte intellexisti, dispensationem, altero tantum converso, altero in haeresi permanente, a Te dari non posse; proinde ubi casus huiusmodi contigerit, recurras, oportet, ad hanc S. Sedem, quae pro iudicio suo et auctoritate statuet, quid facto opus sit, attentisque circum-

stantiis, Deo inspirante, modum praefiniet, quo tuto Te geras, ut gregi Tuo opportune in Domino providere valeas.

[Roskovány, De Matrimoniis Mixtis, tom. II, p. 539-542].

3812.

S. C. C., *Novarien.*, 26 aug. 1780.

Descripta habetur haec causa in folio Congregationis diei 5 augusti currentis,[1] verum tunc proponi non potuit. Proposita igitur eadem causa:

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative quoad onera expressa in donatione Pescatoris et per Sodalitium acceptata.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 49, p. 117].

3813.

S. C. C., *Sutrina*, 20 ian. 1781.

Agebatur de hac causa die 28 augusti 1779[2] et die 15 iulii 1780.[3] Cum autem nonnulli ex Confratribus contradictores novam audientiam impetraverint, causa nunc redit ad novum EE. PP. iudicium sub hac dubii forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 3].

3814.

S. C. C., *Nullius Ferentilli*, 7 et 28 apr. 1781.

Abbatia Nullius Ferentilli, quae in spiritualibus subest Lateranensi Capitulo, unicam habet Collegiatam Ecclesiam S. Mariae Materillae nuncupatam, in qua Missam Conventualem hactenus applicatam nunquam fuisse pro benefactoribus cognovit vigilantissimus Patriarcha Alexandrinus, Franciscus Mattei, Canonicus Lateranensis, qua Praefectus et Visitator praefatae Abbatiae. Quare decrevit, ut Canonici infra duos menses peterent a Sancta Sede absolutionem quoad praeteritum, quo vero ad futurum praecepit eam esse applicandam, quotiescumque celebretur. Archipresbyter tamen renuit eam applicare, quia eidem incumbit onus Missae pro populo. Reliqui Canonici praedictum onus aegre ferunt, quia Praebendarum reditus ad congruam scut. 30 vix et ne vix quidem pertingunt. Ideoque pro revocatione praedicti decreti, vel saltem pro dispensatione

[1] Cf. N. 3810.
[2] Cf. N. 3807.
[3] Cf. N. 3809.

obtinenda praedictae applicationis, nedum pro absolutione quoad praeteritas omissiones supplices accedunt ad hunc Amplissimum Ordinem. Quatenus autem huiusmodi petitio reiicienda videatur, dubium oritur, an, et quomodo dictae applicationi sit consulendum, quo ordine, et per quos, an etiam Archipresbyter applicare teneatur. Nulla quippe extat massa distributionum; fallentiae autem, si quae sunt, non interessentium choro, sed vigore Constitutionum sacrarii favore Archipresbyter et Canonici interessentes persolvunt. Quapropter eleemosyna pro Missa Conventuali ex massa distributionum, prout fieri solet in casu, de quo agimus, fieri nequit: ideoque vel Canonici et Archipresbyter, quilibet pro rata, contribuere debebunt eleemosynam pro Missa Conventuali, quin ordo praescriptus ad eamdem Missam cum cantu celebrandam innovetur, vel ordo praedictus erit immutandus, ne aliqui Canonici et praesertim Archipresbyter, graviori, quam caeteri, onere premantur.

Ad rem quod attinet, celebris est constitutio *Cum semper oblatas* s. m. Benedicti XIV.[1] Affinis quodammodo causae species legitur in *Faventina*, 29 aprilis et 3 iunii 1780.[2] Definient EE. VV. tria, quae proponuntur dubia:

1. *An decretum in sacra visitatione factum sit exequendum in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An Archipresbyter, et qui Canonici, et pro qua rata pro eleemosyna Missae Conventualis contribuere teneantur in casu?*

3. *An sit consulendum SS̄mo pro absolutione quoad Missas in praeteritum non applicatas in casu?*

Die 7 aprilis 1781: Non proposita.

Die 28 aprilis 1781 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Teneri omnes per turnum ad rationem manualis ex massa distributionum constituenda ad rationem Concilii.[3]

Ad 3. Ad D. Secretarium cum SS̄mo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 62-65, 78].

3815.

S. C. C., *Pisauren.*, 28 apr., 16 iun. 1781.

Frater Paschalis Veneranda Fanensis die 1 octobris anni 1774 religiosum habitum assumpsit in Conventu Beati Sanctis Ordinis Minoris Observantiae S. Francisci Montis Birotii Provinciae Marchiae, ibique elapso tyrocinii anno, erronee asserens se esse in decimo sexto et duobus mensibus suae aetatis anno constitutum, solemnem professionem emisit die 1 octobris 1775. Detecto aetatis errore, et nondum elapso quinquennio a die emissae professionis, idem Frater Paschalis mense ianuario superioris anni 1780 institit penes Superiorem antedicti Conventus nullam irritam-

[1] Cf. N. 345.
[2] Cf. N. 3808.
[3] Sess. XXI, *de ref.*, c. 3; sess. XXII, *de ref.*, c. 3.

que declarari professionem suam. Compilato processu, idem Frater Paschalis illum produxit in Curia Episcopali Pisaurensi, a qua definitivam retulit sententiam, qua declaratum fuit, nullam et invalidam esse professionem Fratris Paschalis, eidemque propterea licere Religionis habitum dimittere et ad saeculum redire, ac in eo manere.

Delata causa ad hanc Sacram Congregationem, nunc iura sua deducit tum Frater Paschalis, tum Defensor professionis. Sustinet primus, eum nulliter emisisse professionem suam. Ille quippe docet ex fide Baptismatis, ipsum ortum habuisse die 2 iulii 1760, ipsumque Seraphicam Religionem S. Francisci Minorum de Observantia, fuisse professum die 1 octobris 1775, et sic, dum erat in aetate annorum quindecim et mensium trium. Illius enim, qui ante decimum sextum annum Religionem profitetur, nullam et irritam esse professionem, nullamque in profitente ad quoscumque effectus inducere obligationem, decrevit Sacrosancta Tridentina Synodus, Sess. 25, cap. 15, *de regul.* Animadvertit e contra Defensor professionis, servatam non fuisse formam notissimae constitutionis s. m. Benedicti XIV, quae incipit: *Dei miseratione*, [1] et alterius incipientis: *Si datam*, [2] in quibus praescribitur sub poena insanabilis nullitatis, eligendum esse, antequam efformaretur processus, Professionis Defensorem, ut pro illius validitate se sistat in iudicio. Quae omnia cum Superior Conventus in conficiendo processu praetermiserit: nullum esse contendit Defensor professionis.

Ponderandum tamen est, deputatum ab Episcopo fuisse professionis Defensorem, qui in iudicio pro ea stetit, iuraque deduxit. Quibus perpensis ab EE. VV. decernendum est:

An constet de nullitate professionis in casu?

Die 28 aprilis 1781: Non proposita.

Die 16 iunii 1781 Sacra, etc. respondit: Affirmative. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 80-82, 100].

3816.

S. C. C., *Nullius Sublacen.*, 16 iun., 7 iul. 1781.

Anno 1720 Ioseph, Giordani condito testamento, iussit, quod ex omnibus eius bonis hereditariis gemini erigerentur Canonicatus in Collegiata Ecclesia S. Andreae Sublaci. Inter bona hereditaria domus adest Sublaci in contrata *Piedi la Paia* tribus contignationibus composita. Haec domus divisa fuit inter duos Canonicos: Bartholomaeum Funaroli et Paschalem Spila. A sua domus portione Canonicus Funaroli non aliam exigit pensionem, quam in annuis scutis viginti tribus, quae dislocationibus restaurationibusque subiecta sunt. Ut autem ipse eiusque in Canonicatu successores ab his eximerentur expensis, utque augerentur Canonicatus redditus,

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. N. 385.
[3] Cf. N. 3817.

e re sua putavit illam alienare, investiendo tamen pretium ex illius venditione retrahendum; ad quem effectum eam aestimare fecit a perito Urbis, qui illam aestimavit in scutis mille viginti duobus. Hanc aestimationem, uti excessivam, pluribusque refertam erroribus improbarunt quatuor periti Sublacenses, qui iuxta morem regionis ac iuxta vetustam caementorum qualitatem, praedictam portionem domus aestimarunt in scutis octingentis quinquaginta. Affixis edictis, unus inventus fuit oblator Lauretus Petrucci, qui pro emptione dictae domus portionis obtulit eamdem aestimatam summam scutorum octingentorum quinquaginta, solvendam tamen ratatim infra terminum trium annorum, cum reservatione dominii favore Canonici, et interim, donec sequatur pretii solutio, ac donec fiat investimentum, cum onere solvendi usuras ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario et anno. Pro validitate stipulationis huius contractus emptionis et venditionis Canonicus Funaroli preces porrexit huic Sacrae Congregationi pro beneplacito apostolico.

Litterae datae fuerunt Vicario Generali Sublaci, qui retulit, hunc alienationis et emptionis contractum pro oblata summa utilissimum esse Canonicatui. Auditis autem Patronis, qui audiri potuerunt, eos alienationi dictae ratae domus assentitos fuisse, excepto Canonico Spila, eiusdem Domus compossessore, qui petitioni Concanonici Funaroli contradicit.

Sustinet Canonicus Funaroli, beneplacitum apostolicum non esse denegandum in contractu, qui tendit in evidentem Canonicatus utilitatem; iniustam esse Canonici Spila contradictionem, quoties bona divisit ac quoties nullum ius habet super bonorum portione, quae obvenerunt Canonico Funaroli. Animadvertendum tamen est, divisionem bonorum fundatoris inter Canonicos per simplicem privatam synographam factam fuisse. Dubium est:

An sit concedendum beneplacitum apostolicum super venditione domus spectantis ad Canonicatum Giordani in casu?

Die 16 iunii 1781: Non proposita.

Die 7 iulii 1781 Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 103-105, 110].

3817.

S. C. C., *Pisauren.*, 7 iul. 1781.

Resoluta fuit haec causa die 16 iunii proxime praeteriti. [2] Eadem nunc reproponitur sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 111].

[1] Cf. N. 3819, 3822, 3824.
[2] Cf. N. 3815.

3818.

S. C. C., *Lucana*, 28 iul., 18 aug. 1781.

Pia mulier Thomasia Piombini in ultimo, quo decessit, testamento, voluit, ut suis heredibus de Vannuccinis eorumque heredibus deficientibus in suo praedio cum aede sacra S. Vincentio dicata et cum adnexis succederet Monasterium et Moniales S. Leonis Ordinis S. Clarae terrae Petrae Sanctae *con espressa proibizione, quod locum praedictum dictae Moniales non possint vendere nec impegniare quoquomodo, et teneantur in perpetuum illo frui, Missam in omni die Sabbathi in ecclesia S. Vincentii celebrare et eam officiare, prout decet, et cum carico et obligo, quod Moniales praedictae teneantur quolibet anno celebrari facere in Monasterio earum Sanctae Clarae Festivitatem Conceptionis Beatae Mariae Virginis, et die sequenti Officium Mortuorum pro anima dictae testatricis.*

Extincta Vannuccinorum familia, locus factus fuit successioni ad possessionem praedii et ecclesiae favore praedicti Monasterii. Moniales onera a testatrice praescripta adamussim hactenus impleverunt. Nunc precibus exhibitis SSmo Domino Nostro et ad hanc Sacram Congregationem remissis, narrant, praefatam ecclesiam, eius attenta vetustate, ruinam minari, proindeque eam esse demoliendam; propter eaque postulant facultatem transferendi Missarum onera a demolienda ecclesia ad illam proprii Monasterii, quoniam illius reaedificatio seu restauratio totum absumeret praedium. Lucanus Archiepiscopus de more auditus, vera esse retulit, quae a Monialibus exposita fuerunt, earumque votis annuendum esse censuit. Dubium proponitur:

An sit locus demolitioni ecclesiae S. Vincentii et respective translationi illius caementorum, utensilium et oneris Missarum ad ecclesiam Monasterii S. Leonis terrae Petrae Sanctae in casu?

Die 28 iulii 1781: Non proposita.

Die 18 augusti 1781 Sacra, etc. respondit: Affirmative, facta per Moniales obligatione in forma iuris valida celebrationis Missae in ecclesia Monasterii in omnibus Sabbatis, et satisfactionis aliorum onerum ad formam testamenti, servatis cautelis a Sacro Concilio praescriptis [1] *in demolitione, et aliis solitis et consuetis.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 128-131, 135].

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 7.

3819.

S. C. C., *Nullius Sublacen.*, 18 aug. 1781.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis diei 16 iunii proxime praeteriti, [1] verum neque tunc, neque die 7 iulii proponi potuit. Nunc ergo causa sub eadem dubii forma proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 50, p. 136].

3820.

S. C. C., *Ferentina*, 16 mart., 20 apr. 1782.

Litteris datis Sacrae Congregationi occasione visitationis SS. Liminum Episcopus Ferentinus narrat: *Visitans Dioecesim, et requisitus a locorum Communitatibus ad administrandam Confirmationem, ab eis non coacte, sed spontanee ex vetusta consuetudine scuta septem, aut pro locorum usu paulo maiorem summam habui, et accepi quidem, ne iura episcopalia laederem, sed ea statim distribui seu pauperibus iisdem in locis, in quibus illa recepi:* Demum concludit: *Praxim hanc num tuta conscientia ante hac servare potuerim, et in posterum retinere valeam, ab EE. VV. pro earum benignitate et sapientia responsum mihi reddi obsequenter exoro.*

Sub gravissimis poenis vetitum est pecuniam recipere pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione Chrismatis, vel promotionibus graduum: cap. 101, 105, Caus. I, qu. 1. Perquisitis regestis huius Sacrae Congregationis idem eruitur, ut in *Boianen.*, 14 novembris 1654, [3] in *Amalphitana*, 18 iulii 1699. [4] Vestrum erit, EE. PP. definire:

An liceat Episcopo Ferentino occasione sacrae visitationis exigere procurationem a Communitatibus suae Dioecesis ex causa administrationis Sacramenti Confirmationis etiam vigore immemorabilis consuetudinis in casu?

Die 16 martii 1782: Non proposita.

Die 20 aprilis 1782 Sacra, etc. respondit: Negative ex causa administrationis Sacramenti Confirmationis. [5]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 34-37, 47].

[1] Cf. N. 3816.
[2] Cf. N. 3822, 3824.
[3] Cf. N. 2740.
[4] Cf. N. 2970.
[5] Cf. N. 4062.

3821.

S. C. C., *Tirasonen.*, 20 apr., 11 mai 1782.

In relatione status Ecclesiae nonnulla Sacrae Congregationi proponit dubia Rmus Episcopus, quorum EE. VV. iudicium exquirit. Unum est, an provisus de Beneficio Parochiali vel Praebenda in Cathedrali Ecclesia, satisfaciat praecepto Sac. Concilii Tridentini, Sess. 24, cap. 12, *de ref.*, si orthodoxae fidei professionem emiserit non utique post possessionem adeptam, sed immo ante ipsam, et eo tamen fine et consilio, ut huiusmodi praeceptum, adimpleat, idque fiat proximo ante possessionem tempore, interque actus ad eamdem praevios ac praeordinatos; veluti dum Beneficii collationem aut institutionem suscepturus accedit aut post eam susceptam, ita ut illa Sac. Concilii verba ad minus hunc sensum patiantur, quod nedum sequentia: *intra duos menses*, afficiant, sed ad praecedentia item: *a die adeptae possessionis*, referri possint; ideoque si teneri significant provisum ad minus a die nactae possessionis, ille cumulate praestet, qui vel ante nactam obtemperavit; et contingit non semel gravari Parochos longo itinere huius tantum professionis emittendae causa, dum in locis valde remotis festinanter et per seipsos possessionem apprehendere coacti sunt, cum aliter ab ipso obtentae adprobationis vel institutionis actu expediti prorsus abire possent. Alterum dubium in eo versatur, an qui fidei professionem facere tenebatur et ultra praefinitum bimestre distulit, maxime ad notabile usque tempus, veluti dum iam tertius aut quartus mensis effluxerit: an in fructibus privetur decursis tantummodo a primi bimestris termino finito, an universis ab ipso die captae possessionis.

Videndum est, an Sac. Concilium Tridentinum, dum definivit, quod provisi de Beneficiis curatis, de Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus teneantur catholicae fidei professionem facere ad minus infra duos menses a die adeptae possessionis, tempus huiusmodi obligationis arctaverit ad actum possessionis tantum, ita ut nulla ratio habenda sit de eo tempore, quod ab institutione vel collatione Beneficii ad possessionem intermedium decurrit. Sane ex canone 10 Concilii Toletani XI habetur, quod obtinentes ecclesiasticas Dignitates *non ante honoris consecrationem accipiant, quam placiti sui innodatione promittant, ut fidem catholicam sincera cordis devotione custodientes, iuste et pie vivere debeant.* Ex quo patet, provisum de ecclesiastica Dignitate orthodoxae fidei professionem facere debere ante consecrationis tempus. Nec est praetereundum, quod in Beneficiis duplex distinguitur a Doctoribus possessio: una verbalis, quae fit per verba cum traditione alicuius signi, puta cum impositione bireti; altera realis, quae fit per actualem introductionem in possessionem Beneficii: Engel, in *Iur. Can.*, lib. 3, tit. 7. Haec de primo dubio perpendenda sunt. Quod vero attinet ad secundum dubium, animadvertere praestat, dictum Sac. Concilium Sess. 24, cap. 12, *de ref.* statuisse, quod obtinentes Beneficium curatum, Dignitates ac Canonicatus... si intra praefinitum duorum mensium spatium a die adeptae possessionis publicam orthodoxae fidei professionem non fecerint, *fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur:* huiusmodi vero poena intelligenda est de fructibus Beneficii tantum, non autem de distributionibus quotidianis. De tempore, quo memorata poena negligentes afficiat, tuetur Barbosa, *alleg.*, 61, num. 23, habere locum quoad fructus, qui post lapsum duorum mensium Beneficiato debentur, nec comprehendi fructus decursos primo bimestri. Consonat etiam resolutio Sac. Congregationis in *Alatrina*, 12 februarii 1661, in qua sic decisum habetur: *Sacra Congregatio censuit, Oratorem lucratum fuisse fructus duorum mensium a die captae possessionis; reliquos vero usque ad emissam fidei professionem in Capitulo suos non fecisse.* Lib. 22 Decret., p. 451. Nec ab amissione fructuum, qui elapsis duobus mensibus decursi sunt, excusat Beneficiatos fidei professio ex post emissa.

Omnibus itaque consideratis dignabuntur EE. VV. definire:

1. *An obtinentes Beneficium cum cura animarum, Dignitates et Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus, satisfaciant praecepto Sac. Concilii, Sess. 24, cap. 12,* de ref., *si professionem fidei emittant post susceptam institutionem vel collationem, et antequam in possessionem immittantur in casu?*

2. *An qui fidei professionem facere tenentur, et ultra praefinitum bimestre tempus distulerint, priventur fructibus dicti primi bimestris, seu potius fructibus ex post decurrendis in casu?*

Die 20 aprilis 1782: Non proposita.

Die 11 maii 1782 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, nempe a die elapsi primi bimestris.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 53-58, 63].

3822.

S. C. C., *Nullius Sublacen.*, 11 maii 1782.

Resoluta fuit haec causa die 18 augusti 1781.[1] Verum Canonicus Paschalis Spila succumbens iterum audiri postulavit, obtinuitque. Quare respondendum erit:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 71].

[1] Cf. N. 3819.
[2] Cf. N. 3824.

3823.

S. C. C., *Tirasonen.*, 11 maii, 8 iun., 13 iul. 1782.

Episcopus Tirasonensis retulit, quod dum aliqua episcopalis sedes suo caret Pastore, Regulares in ea Dioecesi degentes pro suscipiendis Ordinibus alium petunt Antistitem eique exhibent tum dimissoriales litteras suorum Praelatorum, in quibus de huiusmodi vacatione mentio fit, tum etiam testimoniales Vicarii Capitularis idipsum confirmantes. Cum autem sedis episcopalis vacatio non excipiatur in bulla s. m. Benedicti XIV, quae incipit: *Impositi Nobis*, [1] ut Regulares pro Ordinum susceptione adeant Episcopum, quem maluerint, tunc anceps haeret, num Regularibus ad ipsum in simili casu accedentibus licite Ordines conferre possit.

Scire praestat, quod perquisitis regestis Sacrae Congregationis, deprehensum est, in decreto edito die 11 ianuarii 1596 confirmato a Clemente VIII die 15 martii eiusdem anni, [2] facultatem indultam fuisse Regularibus dirigendi proprios subditos pro susceptione Ordinum cuicumque Catholico Antistititi, si dioecesanus Episcopus abfuerit, vel non sit habiturus Ordinationes, quin ulla fiat mentio alterius casus, videlicet sedis vacantis. Reticetur quoque vacatio sedis episcopalis a Concilio Romano, a Benedicto XIV in relatis apostolicis litteris: *Impositi Nobis*. At Card. Petra et Riganti referunt eamdem decisionem Sacrae Congregationis, atque in ea praeter duos casus, de quibus nulla est quaestio, alterum: *sedis vacantis* aeque comprehendunt. Omnibus mature perpensis, dignabuntur EE. PP. definire:

An Regulares degentes in Dioecesi, ubi Sedes Episcopalis vacet, possint promoveri ad Ordines a quocumque Catholico Antistite cum litteris dimissorialibus suorum Praelatorum et cum attestatione Vicarii Capitularis, testantis de Sedis Episcopalis vacatione in casu?

Die 11 maii 1782 Sacra, etc. respondit: Dilata.

Die 8 iunii 1782: Non proposita.

Die 13 iulii 1782 Sacra, etc. respondit: Dentur decreta dierum 24 augusti 1619 [3] *et anni 1775 sub die 20 iulii (ubi idem decretum repetitur), facto verbo cum SSmo.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 64-71, 89, 96].

[1] Cf. N. 376.
[2] Cf. N. 2294.
[3] Cf. N. 2418.

3824.

S. C. C., *Nullius Sublacen.*, 13 iul. 1782.

Agebatur de hac causa in Congregatione diei 16 iunii 1780, [1] 18 augusti 1781, [2] ac 11 maii 1782. [3] Nunc ergo quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius: cum obligatione conficiendi reinvestimentum pretii scutorum nempe 850 in bonis liberis, tutis et fructiferis ad rationem sc. quatuor pro quolibet anno et centenario, vel quatenus pretium non solvatur, cum obligatione solvendi per emptorem fructus recompensativos ad rationem sc. quatuor pro quolibet centenario et anno, et cum reservatione dominii usque ad solutionem integri pretii, et cum solitis clausulis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 97].

3825.

S. C. C., *Ferrarien.*, 14 sept. 1782.

Quae inter Parochum oppidi Bondeni Ferrariensis Dioecesis et Sodalitium SSmi Sacramenti eiusdem loci excitatae sunt controversiae, in undecim dispartitae dubiis sub oculis EE. VV. subiiciuntur.

Ad 1. dubium quod attinet, observare praestat, quod in Sacra Congregatione Rituum ad componenda, quae Parochos inter et Sodalitia excitabantur dissidia, quamplurima anno 1703 proposita fuerant dubia. [4] Ad 7. dubium tuetur Barbosa, *de off. et pot. Episcop.*, part. 13, alleg. 78, num. 24, quod Episcopus facultatem habet adigendi Sodales non solum, ut in eorum numero aliquem recipiant, sed etiam, ut ex eorum coetu aliquem expellant. Sac. Congregatio definivit, liberum esse Episcopo removere Officiales et Administratores a Confratribus electos, quoties minus idoneos compererit: in *Asculana*, 24 martii 1725. [5] His ergo aliisque ad rem ponderatis, non graventur EE. PP. definire:

1. An Confraternitas Sanctissimi Sacramenti terrae Bondeni habere debeat dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis, ita ut Parochus praeter ius parochiale habeat ius praeeminentiae et superioritatis in casu?

7. An constet de legitima expulsione Confratrum, seu potius sint reintegrandi in pristinum statum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Competere Parocho ius praeeminentiae in functionibus ecclesiasticis Confraternitatis ad formam resolutionis S. C.

[1] Cf. N. 3816.
[2] Cf. N. 3819.
[3] Cf. N. 3822.
[4] Cf. N. 5733.
[5] Cf. N. 3293.

Rituum anni 1703, ad 1. et 2. dub. In aliis autem actibus eiusdem Confraternitatis posse Parochum habere praeeminentiam et superioritatem, quatenus eidem praesit ex delegatione Archiepiscopi.

Ad 7. Affirmative ad primam partem; ad secundam: arbitrio Emi Archiepiscopi, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 130-138].

3826.

S. C. C., *Placentina*, 14 sept., 23 nov. 1782.

Adhuc vivens Canonicus Caesar Casati legatum instituit unius Missae quotidianae et duorum Anniversariorum, quae singulis annis in suffragium animae suae et germani fratris celebrari mandavit ad altare S. Io. Baptistae in ecclesia Sanctissimae Annunciationis Patrum S. Augustini oppidi Chiavennae Landae. Legatum pro dote assignatum accedente consensu Prioris Generalis per contractum inter vivos acceptarunt PP. Augustiniani, et onera iniuncta adimplere promiserunt. Cum autem Conventus S. Augustini Chiavennae Landae apostolica auctoritate suppressus fuerit, eiusque bona et onera ad Conventum eiusdem Ordinis in Civitate Burgi S. Donnini translata extiterint, Religiosi a SSmo Domino Nostro postularunt, ut pium legatum Casati ad ecclesiam Burgi S. Donnini transferre dignaretur, facta tamen onerum reductione. Precibus annuit Summus Pontifex, qui Placentino Episcopo facultatem iniunxit reducendi Missarum onera ad ratam redituum. Verum cum Marchio Aloysius Casati adversus petitionem Religiosorum reclamasset, placuit Sanctissimo Domino Nostro rem totam iudicio Sacrae Congregationis subiicere, quocirca causa quatuor partita dubiis ab EE. VV. definienda proponitur. Ad IV Marchio advertit, quod si praedia adimplemento pii legati subiecta remaneant, nulla opus erit reductione, cum redditus pro illorum adimplemento sufficiant.

Prae oculis habendus est contractus initus inter Canonicum Casati et dictos PP. Augustinianos, qui legatum acceptarunt. Quaeritur:

IV. *An, et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu?*

Die 14 septembris 1782 Sacra, etc. respondit: Dilata ad primam.

Die 23 novembris 1782 Sacra, etc. respondit ad IV. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 138-142, 169].

3827.

S. C. C., *Brictinorien.*, 14 dec. 1782.

S. m. Gregorius XIV mensae episcopali Brictinorien. univit ecclesiam Parochialem S. Donati loci de Polenda, iniuncto tamen onere Episcopo, ut parochianorum curam exerceri faceret per Presbyterum saecularem, eique ex proventibus eiusdem Parochiae congruam persolveret. Instante Episcopo, SSmus Dominus Noster per apostolicas litteras expeditas die 11 aprilis 1778 Parocho nonnulla assignavit praedia, reliqua vero bona ac ius percipiendi decimas mensae episcopali reservavit. De huiusmodi bonorum divisione conquestus est populus dicti loci Polendae, qua de re causa sub dubiis inferius describendis ab EE. VV. definienda proponitur.

Qui iura tuetur oppidanorum loci Polendae, apostolicas litteras obreptionis et subreptionis vitio laborare sustinet altera in parte, quia minus recte narratum fuit, bona assignata pro congrua Parochi sustentatione sufficere, cum ex illorum fructibus, detractis oneribus, parum emolumenti percipiat. Quare ad III. contendit, teneri Episcopum tam de tempore praesenti, quam in futurum ad subeundas expensas, quae requiruntur in necessariis peragendis ecclesiae instaurationibus et in comparandis pro illius usu sacris supellectilibus, cum mensa episcopalis potiorem partem redituum Parochiae, et praesertim decimas percipiat. Contra vero Promotor fiscalis ad III. advertit, aedificiorum restaurationes, sacrorumque utensilium manutentionem Parochiae Rectori incumbere, cum ab episcopali mensa nonnulla praedia ei fuerunt assignata sub expressa lege, ut illa inservirent pro eius congrua sustentatione onerumque adimplemento. Post haec diiudicent Eminentiae Vestrae:

III. *An, et cuius sumptibus faciendae sint reparationes, necnon sacrae supellectiles in parochiali ecclesia S. Donati tam de tempore praesenti, quam in futurum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et ad mentem; mens est, quod scribatur Episcopo Ariminensi iuxta votum R. P. D. Secretarii.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 51, p. 182-187].

3828.

S. C. C., *Collen.*, 8 febr., 15 mart. 1783.

E vivis decedens Vincentius Gagliani in testamento condito anno 1672 mandavit, ut de bonis suis Collegiata erigeretur in ecclesia S. Mariae in Caelum Assumptae Oppidi Podybonitii. Secuta eius morte anno 1685 ad Collegiatae erectionem auctoritate Ordinaria deventum est. In dicta Collegiata nunquam Sacrum Conventuale pro benefactoribus in genere applicatum fuit, quia praeter Vincentium Gagliani fundatorem, nullum alium habet benefactorem. Verum Canonici ad consulendum propriae conscientiae securitati postulant ab EE. VV. declarari, an onus praedictum ipsis incumbat. Episcopus exposita confirmat, et existimat, Oratores non teneri ad onus applicandi Sacrum Conventuale pro benefactoribus in genere.

Iuxta sententiam Sac. Congregationis probatam a s. m. Benedicto XIV in constitutione *Cum semper oblatas*, edita die 19 augusti 1744,[2] Missa Conventualis non solum celebrari, sed applicari etiam debet pro benefactoribus. Advertit laudatus Pontifex, *Institit.* 107, § 2, num. 15, quod

[1] Cf. N. 3847, 3857.
[2] Cf. N. 345.

ecclesiae, quae Collegiatae non sunt, non tenentur ad onus applicandi Missam Conventualem, quamvis in illis Horae Canonicae quotidie persolvantur, et Missa cum cantu celebretur. Ad dignoscendum vero, an ecclesia sit Collegiata, vel non, plura ad rem proponit Corrad. in *prax. benef.*, lib. 2, cap. 15 a num. 1 ad 8, et concludit, Collegiatarum erectionem solius Apostolicae Sedis auctoritate fieri debere. Sac. Congregatio in *Conversana*, 27 iunii 1626 [1] definivit, *Episcopum non posse ecclesiam Parochialem in Collegiatam erigere*. Videndum, an Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Mariae in Caelum Assumptae terrae Podybonitii, cuius erectio auctoritate Ordinarii facta est, teneatur ad applicationem Missae Conventualis pro benefactoribus. In consimili causa *Nullius Trium Fontium*, 4 aprilis 1772 Sac. Congregatio respondit: *Negative*. [2] Hisce omnibus perpensis decernent Eminentiae Vestrae:

An Canonici Ecclesiae S. Mariae in Caelum Assumptae Oppidi Podybonitii teneantur applicare Missam Conventualem pro benefactoribus in genere in casu?

Die 8 februarii 1783: Non proposita.

Die 15 martii 1783 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 52, p. 48-51].

3829.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 15 mart., 5 apr. 1783.

Cum de mense maio praeteriti anni vacasset Parochialis ecclesia S. Michaelis oppidi Trebiani, Episcopus concursum de more indixit pro die 28 eiusdem mensis. Peracto examine coram tribus Examinatoribus, octo favorabilia vota habuit Sacerdos Daniel Frateschi, quinque vero Sacerdos Bartholomaeus Ratto. Hunc Episcopus praeelegit et Emo Pro-Datario commendavit. De Episcopi iudicio conquestus est apud Sac. Congregationem Sacerdos Frateschi, eoque instante dubium inferius transcriptum EE. VV. definiendum proponitur.

Contendit enim, Episcopos in Parochialium collationibus ex Sac. Concilii Tridentini dispositione [3] iudices esse constitutos, ut digniorem eligant. Ab hac autem Tridentini lege recessisse Episcopum, dum praeelegit Sacerdotem Ratto, se ipso posthabito, qui doctrina et experientia magis probatus fuerat. Atque hinc Episcopi iudicium irrationabile censendum esse. Despiciendam vero praesumptionem militantem pro recto iudicio Episcopi, cum praesumptio cedat, quando ex coniecturis constet Episcopum humana quadam affectione fuisse allectum. Hanc affectionem erga Sacerdotem Ratto desumit ex illius relatione ad Sac. Congregationem transmissa, utpote quae multa contineat a veritate aliena. Alienum quippe a

[1] Cf. N. 2468.
[2] Cf. N. 3782.
[3] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 18.

veritate esse dicit, quod populus Trebiani ad Episcopum tumultuarie accesserit et ab eo petierit eligi in Parochum ipsum Sacerdotem Frateschi. Alienum pariter, quod parochianorum subscriptiones appositae in precibus ipsius favore Episcopo porrectis fuerint expiscatae. Alienum quoque, quod sanior populi pars pro Sacerdote Ratto supplicaverit. Sustinet enim postulationem Sacerdotis Frateschi factam fuisse a Deputatis in publicis comitiis ad id electis; parochianos autem coram Praetore locali preces obsignasse. Ac praeterea pluribus attestationibus probare nititur, Sacerdotem Ratto esse populo invisum.

Pluries monitus fuit dictus Sacerdos Ratto, nec tamen iura sua deducere curavit. Episcopus in sua relatione pluribus adductis rationibus tuetur, quod ideo Sacerdotem Bartholomaeum Ratto alteri Sacerdoti Frateschi praeposuerit, quia omnibus mature perpensis, illum magis dignum, magisque idoneum ad regendam Parochialem ecclesiam Trebiniani deprehenderit EE. PP. rogantur assueta maturitate definire:

An constet de irrationabili iudicio Episcopi in casu?

Die 15 martii 1783: Non proposita.

Die 5 aprilis 1783 Sacra, etc. respondit: Negative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 52, p. 60, 73].

3830.

S. C. C., *Tusculana*, 5 apr., 10 maii 1783.

Carolus Antonius Fallani anno 1727 patrimonium constituit Sacerdoti Alexandro Gaspari Gregori eius nepoti, assignavitque quamdam vineam sitam in loco qui dicitur alla *Montagna*, nunc ad olivetum redactam annui redditus sc. 26. Cum autem praedicta summa iuxta Synodum Tusculanam non sufficeret, idcirco Zenobia Fallani et Franciscus Gregori dicti Sacerdotis Alexandri genitores addiderunt alia scuta decem retrahenda ex pensionibus domus cum crypta et cella vinaria, ex quibus annua sc. 45 retrahebantur. Hoc autem augmentum factum legitur, donec *Il Signore Alessandro loro figlio sarà provisto di qualche idoneo e sufficiente beneficio ecclesiastico, e poi li sudetti scudi dieci annui... debbano ritornare ad essi cedenti ed assegnanti*.

Conciliatis vero nuptiis inter Clementinam Bianchi praefati Alexandri Gasparis Gregori ex sorore neptem et Iosephum Marini, idem Sacerdos Alexander die 12 ianuarii 1768 contemplatione huius matrimonii sponsae dotem auxit aliis scutis quatuorcentum, nempe: *scudi duecento in un oliveto spettante a detto Signor D. Alessandro, posto nel vocabolo* la Montagna, *ed altri scudi duecento in una vigna allo stesso Signor D. Alessandro spettante, posta nel vocabolo la selva di Monte Dragone*. Et licet expresse cautum fuisset, ut fructus istorum bonorum non prius coniuges percipere possent, quam post obitum Sacerdotis constituentis, nihilominus iste in actu stipu-

[1] Cf. N. 3831.

lationis declaravit, *cedergli tutte le raggioni ed azzioni, a sola riserva del usufrutto di detto oliveto e vigna vita durante del detto Signore D. Alessandro.* Deinde dictus Sacerdos die 30 aprilis eiusdem anni 1768 in novum ac pinguius dotis augmentum cessit nepoti *la metà della casa, grotta e tinello ad esso Signore Alessandro appartenente e spettante, non solo per assegna fattagli in patrimonio sagro... ma ancora come erede della quondam Zenobia Fallani sua madre... con espressa legge e dichiarazione, che il dominio, proprietà ed usufrutto... non s'intenda trasferito a favore di essa Clementina Bianchi, se non dopo la morte di esso Signor D. Alessandro.*

Validitatem istorum contractuum quoad ea tantum bona, quae in patrimonium sacrum constituta fuerant, impugnat modo Sacerdos Gregori, utpote gesta absque Ordinarii auctoritate. Inquit enim, ex Concilii Tridentini dispositione statutum esse, [1] nemini licere alienare, cedere, aut distrahere patrimonium sacrum, nisi ecclesiastica accedat auctoritas; immo vetitam esse quamcumque permutationem, etiamsi ordinatus alia bona possideret, vel beneficium ecclesiasticum obtineret. Addit, non licere Clerico patrimonium sacrum distrahere, quamvis usumfructum sibi ad vitam reservaverit. Hinc irritos esse contractus a se ipso stipulatos favore Clementinae Bianchi ob defectum consensus Ordinarii ad illorum firmitatem omnino requisiti. Contra haec, qui pro Clementina causam agit, fatetur, alienari non posse bona patrimonii sacri absque proprii Episcopi licentia; verum tuetur, dotis augmentum factum a Sacerdote Gregori non importare alienationem. Ait enim, vetitam a Concilio Tridentino et Synodo Tusculana patrimonii distractionem, ne Clerici mendicare cogantur: contractus vero a Sacerdote Gregori celebratos nec Concilio Tridentino, nec Tusculanae Synodo adversari, cum bonorum dominium, illorumque usumfructum, quoad vixerit, in donatariam non transtulerit.

Saepe in Sac. Congregatione ad examen revocati fuerunt contractus celebrati a Clericis de bonis patrimonii sacri, nec abs re erit resolutiones referre, quae aliquando prodierunt. Die 10 octobris 1636 disputatum fuit dubium: *An Presbyter possit absque licentia Episcopi donare patrimonium, ad cuius titulum est ordinatus, reservato sibi usufructu ad vitam?* Et fuit responsum: *Non posse.* Lib. 29 Decret., p. 286. Ita etiam in *Parmen.*, 20 iulii 1641, [2] *Bitecten.*, 16 novembris 1686. [3] Hisce omnibus perpensis definient Eminentiae Vestrae:

An instrumenta dierum 12 ianuarii et 30 aprilis 1768 sustineantur in casu?

Die 5 aprilis 1783: Non proposita.

Die 10 maii 1783 Sacra, etc. respondit: Non sustineri instrumentum diei 12 ianuarii 1768 quoad olivetum tantum, salvis iuribus coniugum Bianchi competentibus prout de iure; sustineri autem instrumentum diei 30 aprilis 1768, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 52, p. 77-82, 85].

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 2.
[2] Cf. N. 2628.
[3] Cf. N. 2896.

3831.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 21 iun. 1783.

Resoluta fuit haec causa die 5 aprilis proxime praeteriti. [1] Nunc vero iterum proponitur sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 52, p. 121].

3832.

S. C. C., *Firmana*, 16 aug., 6 sept. 1783.

In precibus, quas Xaverius Agostini, Canonicus Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Civitates Firmi obtulit SSmo Domino Nostro, narravit, plures in dicta Collegiata abusus irrepsisse contra formam decretorum tam Sac. Congregationis, quam Archiepiscopi, ideoque illos corrigi et emendari postulavit. Ablegatis huiusmodi precibus ad iudicium EE. VV., omnis controversia novem dispertita capitibus proposita fuit totidem dubiis, inter quae VII erat: *An omnes et singuli Canonici dictae Collegiatae Ecclesiae teneantur contribuere pro expensis utensilium parochialium, seu potius ad dictas expensas teneantur solummodo Prior et Sub-Prior curam animarum habentes in casu?* Die vero 8 iunii elapsi anni omnia haec dubia discussioni subiecta fuerunt, silentibus Capitularibus. Verum ad VII. nulla fuit capta resolutio, mandatumque extitit, ut praefigeretur terminus Priori ad deducendum sua iura in Sac. Congregatione. Causa hodie reproponitur, deducente sua iura etiam Priore Collegiatae. Non graventur EE. PP. definire:

III. *An omnes et singuli Canonici Collegiatae Ecclesiae teneantur contribuere pro expensis utensilium parochialium, seu potius ad dictas expensas teneantur solummodo Prior et Sub-Prior animarum curam habentes in casu?*

Die 16 augusti 1783: Non proposita.

Die 6 septembris 1783 Sacra, etc. respondit ad III. Affirmative, ita tamen, ut unusquisque contribuat pro rata suae congruae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 52, p. 177-179, 191].

3833.

S. C. C., *Imolen.*, 16 aug., 6 sept. 1783, 10 ian. 1784.

Usque ab anno 1774 ecclesia Parochialis S. Michaelis de Puteo Dioecesis Imolensis nonnullis indigebat restaurationibus, pro quibus requirebatur impensa scut. 63. Sacerdos Franciscus Braga, eiusdem ecclesiae Parochus, Sacram adivit Congregationem, petiitque, ut ad contribuendum

[1] Cf. N. 3829.

pro rata populus adigeretur, utpote quia Parochiae reditus ad congruam Parochi sustentationem non sufficerent. Petitioni huic restitit populus. Neglecto restaurationis opere, ecclesiae status deterior effectus est, quare Sacerdos Braga novas exhibuit preces, quibus narravit, ecclesiam praedictam in parte iam collapsam esse, in parte vero ruinam minari; ne igitur retardata restauratione penitus collaberetur, efflagitavit, ut taxa super populum et reliquos possidentes in districtu Parochiae imponeretur, cuius ope restaurationes, quae necessariae forent, perfici possent. Die 18 iulii anni 1778 per modum provisionis impertita fuit Parocho facultas imponendi censum scutorum centum et viginti super bonis Parochiae, ut haec summa impendi posset pro restauratione turris campanariae, reservatis tamen tam Parocho, quam populo iuribus in Sac. Congregatione deducendis ad effectum decernendi, cuinam onus restaurationis incumberet. Cum autem in dies restaurationis necessitas augeatur, hinc Parochus hodie instat, quod ab EE. VV. definiatur, quisnam teneatur ad extinctionem census, eiusque fructus persolvendos et ad alias restaurationis expensas.

Parochus sustinet, quod attenta paupertate suae ecclesiae, et exiguis reditibus beneficiorum, quae in illa existunt, ex Concilii Tridentini lege[1] iniuria detrectant populus et possidentes in districtu Parochiae subire onus restaurationis. Pro parte parochianorum nihil allatum fuit. Emus Episcopus existimat, restaurationis opus perfici debere a populo et possessoribus bonorum in districtu Parochiae. Superest modo, quod EE. VV. decernant:

An, et quis teneatur ad reparationem ecclesiae Parochialis, et respective ad extinctionem census, eiusque fructuum solutionem in casu?

Die 16 augusti 1783: Non proposita.

Die 6 septembris 1783 Sacra, etc. respondit: Teneri populum et possidentes in districtu Parochiae per aes et libram.

Reproposita vero causa sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 10 ianuarii 1784 Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 52, p. 179-182, 192, tom. 53, p. 12].

3834.

S. C. C., *S. Severinae*, 10 et 24 ian. 1784.

Delatum est Curiae ecclesiasticae S. Severinae Sacerdotem Franciscum Apa Oppidi Arcis Bernardae, mentito proprii Ordinarii et Cancellarii charactere litteras dimissoriales exarasse, quibus constabat, ipsum peregisse examinis experimentum coram proprio Ordinario, et idoneum fuisse repertum; legitimam praeterea habere aetatem et esse provisum de sufficienti patrimonio, insuperque peractas fuisse in ecclesia denunciationes, nullumque detectum impedimentum; ulterius ab Apostolica Sede dispen-

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 7.
[2] Cf. N. 3895.

sationem obtinuisse, ut non servatis interstitiis ad Sacros Ordines promoveri posset tribus diebus festivis; posse idcirco promoveri ab Episcopo Venafrano Vicario Generali Archiepiscopi Neapolitani, vel eo impedito, a quocumque Catholico Antistite. Delatum pariter est, habuisse attestationem ab Episcopo Venafri impedimenti, cuius causa Ordinationes habere non posset, atque hisce suffultum documentis Ordines Sacros Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus diebus 17, 24 et 26 iulii anni 1769 suscepisse ab Episcopo Caiacensi, deindeque pluribus in locis Missam celebrasse, et praesertim in Oppido Arcis Bernardae. Habita huiusmodi relatione, compertoque, quod Sacerdos Apa Messanae moraretur, curavit Archiepiscopus, ut a Vicario Capitulari Messanensi in carceribus detruderetur. Dum vero ex Messana ad carceres sui Ordinarii traduceretur, Regium ductus est, ubi fugam arripuit et ad Urbem confugit.

Anno 1773 preces obtulit s. m. Clementi XIV, quibus immunem se esse dixit a crimine, ex quo vinculis mancipatus fuerat. Preces remissae fuerunt Sac. Congregationi, quae illas reiecit die 7 septembris eiusdem anni. Modo vero postulat, ut innoxius declaretur ab irregularitate, vel saltem sibi facultas impertiatur, ut Missam in Urbe celebrare possit. Conqueritur enim, quod causa a suo Ordinario nunquam fuerit absoluta, licet a die impicti criminis quatuordecim anni iam effluxerint; asserit, se pluries institisse, ut vel condigna poena plecteretur, si reus, vel, si innocens, assolveretur. Post haec inquit ad I. neminem irregularem dici posse, nisi constet de crimine, cui irregularitatis poena sit infixa. Singula postmodum recenset crimina, quae ab Archiepiscopo ei obiiciuntur, eaque non subsistere, nec probari contendit. Ad II. contendit, ex hactenus deductis minime probari crimina. Verum notat, quod etsi de iisdem criminibus convictus esset, adhuc tamen dispensationem ab irregularitate mereretur, cum summa prematur rei familiaris angustia, et fere quindecim anni effluxerint a die commissi delicti, et toto hoc tempore vitam ecclesiastico viro dignam duxerit, omnesque sui criminis maculas deterserit. Archiepiscopus in binis relationibus ad Sac. Congregationem datis testatur, causam in sua Curia ecclesiastica adhuc pendere indecisam et quidem ex Oratoris culpa, qui nunquam coram Ordinario se sistere voluit, et propterea concludit, ipsum super instantia, quam hodie proponit, audiri non debere.

Irregularitatem certe incurrunt omnes, qui Ordines susceperunt sine proprii Episcopi scientia et consensu: cap. *Veniens*, *1*, *de eo, qui furtive Ordinem susceperit*. Irregulares quoque evadunt promoti ad Ordines Sacros extra tempora a iure statuta sine apostolica dispensatione: cap. *Cum quidam*, *8*, *de temporibus Ordinat*. Eadem poena afficiuntur falsificantes litteras proprii Ordinarii vel Capituli: cap. *Tam litteris vestris*, *33*, *de test. et attestat*. Poenam irregularitatis quoque statuit Pius II in const. quae incipit: *Cum ex sacrorum*,[1] contra eos, qui sine dispensatione ante legitimam aetatem vel absque dimissorialibus litteris proprii Episcopi ordinari praesumpserint. Nec demum irregularitatem evadunt, qui ecclesiastica censura

[1] Cf. N. 57.

irretiti Missae Sacrificium celebrarunt: cap. *Is qui, de sent. excom.*, in 6.
Quibus animadversis, decernent Eminentiae Vestrae:

I. *An constet de irregularitate in casu?* Et quatenus affirmative:
II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?*
Die 10 ianuarii 1784: Non proposita.
Die 24 ianuari 1784 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative. Ad II. Negative, et ad mentem.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 17-21, 25].

3835.

S. C. C., *Verulana*, 8 et 22 maii 1784.

Episcopus Verulanus animadvertens in Civitate Frusinonis duas tantum Parochias non sufficere ad populi multitudinem, de altera erigenda Parochia cogitavit in ecclesia Sanctissimae Annunciationis, quae in commodiori Civitatis loco sita est, et sacris supellectilibus abunde ditata. Modum autem constituendi congruam novo Parocho, oblatis precibus Sanctissimo D. N. exposuit, et petiit facultatem uniendi nunc duo Beneficia, ita tamen, ut unio sortiatur effectum tunc, cum illorum vacatio contigerit. Suam praeterea exposuit mentem, ut statim, ac sequuta fuerit vacatio unius ex hisce Beneficiis, devenire ipse possit ad actum erectionis Parochiae cum assignatione mille et quingentarum animarum existentium in ea Civitatis parte, quae denominatur *il Borgo di Napoli ed il Colle Campagiorni*, quae nunc subsunt Parocho S. Mariae; post vacationem vero alterius Beneficii adiiciendas novae Parochiae censet alias mille et quingentas animas, quae incolunt regiones nuncupatas *il Borgo di Roma, di S. Martino, e Giardino de Pesci*, quarum aliquae sunt ex Parochia S. Mariae, aliae ex Parochia S. Benedicti.

Petitioni assensum praebuit tum Capitulum Collegiatae, quod habet curam habitualem ecclesiae S. Mariae, tum etiam Parochus S. Benedicti. Restitit tamen erectioni dictae Parochiae Sacerdos Dominicus Sellari possessor Beneficii S. Petri, et attenta illius oppositione preces ab Emo Pro-Datario Sacrae Congregationi ablegatae sunt.

Promotor fiscalis inquit, Concilium Tridentinum demandasse,[1] ut aucto parochianorum numero, cogatur Parochus alios assumere Sacerdotes ad Sacramenta ministranda, vel si ob locorum distantiam difficilis pateat accessus ad Parochiam, aliae Parochiales erigantur ecclesiae. In Civitate autem Frusinonis utrumque casum verificari: nempe populi multitudinem, et difficultatem accedendi ad Parochiales ecclesias hodie extantes. Constabilita necessitate erigendi novam Parochiam, sustinet solius Parochi operam pro regimine trium millium animarum haud sufficere, et propterea existimat, dicto novo Parocho adiiciendos esse binos Vicarios curatos, eidemque Parocho assignandam fore sufficientem congruam, qua et sibi

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 4.

et Vicariis curatis prospicere valeat. Hanc vero congruam minime assignari posse ex reditibus ecclesiarum parochialium S. Mariae et S. Benedicti, quia ipsarum reditus exigui sunt; hinc contendit, constitui debere fundum ex fructibus Beneficiorum, quae Episcopus unire posse censet. Pro parte Sacerdotis Sellari nil deductum est.

Sacra Congregatio has divisiones seu dismembrationes iusta concurrenta causa, et perpensis omnibus circumstantiis, admisit, ut in *Aquen.*, 13 iulii 1720,[1] in *Imolen.*, 8 iunii 1720.[2] Urgente vero dismembrationis necessitate de Parochi congrua nonnulla statuit Concilium Tridentinum, Sess. 21, *de ref.*, cap. 4 et 5. Quid in praesenti casu iuris sit, quid circumstantiae exposcant, EE. PP. propria doctrina cognoscent et definient:

An, et quomodo sit locus erectioni Parochiae in casu?
Die 8 maii 1784: Non proposita.
Die 22 maii 1784 Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta votum Episcopi, reportato tamen consensu Capituli per actum capitularem, et amplius.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 117-123].

3836.

S. C. C., *Beneventana*, 22 maii 1784.

Anno 1755 in Ecclesia Metropolitana Beneventi Poenitentiarii officium vacavit. Archiepiscopus Pacca censuit, collationem fieri non posse absque concursu; proindeque indicto concursu praetulit Sacerdotem Felicem Sbordone, qui erat Metropolitanae Mansionarius. Aequo animo ferre Capitulum non potuit Mansionarii praeelectionem, contenditque, quod in provisionem Poenitentiarii vel concursus habendus non esset, vel saltem Canonici tantum Metropolitanae admitti ad concursum deberent. Nunc itaque Canonici infrascripta dubia proponunt, de quibus EE. VV. iudicium exposcunt. Ad I. inquiunt, Concilium Tridentinum Poenitentiarii Praebendam in omnibus Ecclesiis Cathedralibus erigi mandasse[3] nulla adiecta lege concursus; porro in institutione nulla certa Praebenda assignata dignoscitur, et Poenitentiarii officium pro solis Canonicis institutum deprehenditur. Nec obesse Benedicti XIII constitutionem *Pastoralis officii*,[4] qua collationem Praebendae Poenitentiarii per concursum fieri mandavit; advertunt enim, per hanc constitutionem invertere nequaquam voluisse leges in actu erectionis constitutas, minusque laedere iura Capituli Ecclesiae Metropolitanae. Quod attinet ad II. inquiunt ex dictis satis deprehendi, nullimode indicendum esse concursum in collatione offici Poenitentiarii; quatenus vero indicendus foret, ad illum solos Canonicos admitti posse. Pro parte Cleri Civitatis et Dioecesis nihil deductum est. Emus Archiepiscopus in ea est sententia, quod Capituli huius Metropolitanae ius rite fundatum sit. Hisce praenotatis decernendum erit:

[1] Cf. N. 3212.
[2] Cf. N. 3211.
[3] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 8.
[4] Cf. N. 289.

I. *An in electione Canonici Poenitentiarii sit convocandus concursus in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An ad concursum admitti debeant soli Canonici Ecclesiae Metropolitanae Beneventi, seu potius omnes de Clero saeculari in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 128-134].

3837.

S. C. C., *Vallisoletana*, 22 maii 1784.

Rocchus de Arebalo et Catharina Ramos coniuges prole carentes anno 1677 per contractum inter vivos pium Missarum legatum instituerunt in Parochiali ecclesia S. Mariae Villae de Rueda. Hoc legatum solemni stipulatione acceptarunt beneficiati eiusdem ecclesiae, eiusque adimplementum promiserunt. Ex instrumento hac de re confecto patet, eosdem coniuges demandasse, ut beneficiati praedicti dato campanae signo tenerentur quotidie duabus horis ante meridiem Missam cum cantu celebrare in altari maiori, eaque expleta, canere responsorium super tumulum Christophori Ramos, atque insuper in die festo S. Rocchi praefatae Missae assistere deberent omnes beneficiati sacris vestibus induti absque eo, quod ullum emolumentum aut stipendium perciperent. Dotem huius legati constituerunt in quadraginta millibus Regalibus *di Vellon*, quorum viginti-quatuor millia in pecunia numerata beneficiatis persolverunt in actu stipulationis, pro reliquis vero sexdecim millibus assignarunt censum aequalis summae, quem ipsi coniuges emerant a Communitate dictae Villae de Rueda. Hac non obstante oneris assumptione, moderni beneficiati dictae Villae Missam canunt quater tantum in hebdomada, nec illam celebrant hora a fundatoribus praescripta, minusque Responsorium mortuorum canunt, idque permissum asserunt a quodam Vicario Villae Medinae, qui reductionis indultum concessit. Verum Andreas de Arebalo, fundatorum heres, instetit, ut declaretur, beneficiatos teneri ad onerum adimplementum, iuxta assumptam in instrumento fundationis obligationem, non obstante reductionis indulto. Obiit Andreas, et instantiam modo prosequitur Catharina Ramos, eius uxor.

Beneficiati, licet iudicialiter requisiti et diu expectati, nihil hactenus deduxerunt. Episcopus litteris datis die 19 augusti elapsi facti seriem confirmat, insuperque testatur, legati fundationem Ordinaria auctoritate fuisse confirmatam. Addit praeterea, Missarum numerum aliaque pia opera iuxta fundatorum voluntatem beneficiatos adimplevisse ad annum usque 1731, quo tempore omnia Missarum onera ecclesiae S. Mariae a quodam Villae Medinae Vicario fuisse reducta. Refert etiam, quod ex dotis capitali restant modo Regalia triginta tria millia et quatuor centum in tot censibus ad

[1] Cf. N. 3840.

rationem Regalium trium pro quolibet centenario; sed notat, quod in actu institutionis legati fructus in ratione quatuor Regalium pro centenario fuerant constituti.

Quamvis iuxta regulam sit locus reductioni legatorum, si quando reditus deficiant, nihilominus notat Benedictus XIV in opere, *De Synodo Dioecesana*, lib. 13, cap. 25, num. 25, quod ab huiusmodi regula receditur, quando onera per contractum fuerint acceptata. Et num. 26 addit, Episcopos, quibus data est facultas reducendi Missas, non posse earum numerum in contractu praescriptum et vicissim acceptatum minuere, licet imminuti fuissent reditus assignati. Sacra Congregatio Missarum reductionem denegavit, si onera per contractum acceptata fuerunt, ut in *Neapolitana*, 27 ianuarii 1703 [1] Irritas quoque declaravit huiusmodi reductiones factas ab Episcopis vigore indulti reductionis a Sede Apostolica concessi, quae quidem indulta extendi minime censuit ad onera per contractum suscepta, ut in *Faventina*, 27 februarii 1734, [2] in *Nolana*, 14 martii 1739. [3] Quid autem in casu statuendum sit, decernent EE. PP., a quibus quaeritur:

An sustineatur reductio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 123-126].

3838.

S. C. C., *Fulginaten.*, 3 iun. 1784.

Inter alia, quae de statu suae ecclesiae retulit Episcopus Fulginatensis, quoad canonicum Theologum Ecclesiae Cathedralis narravit: *Canonicus Theologus lectioni scripturali subrogat catecheticam orationem doctrinae christianae omnibus diebus Dominicis, aliis ecclesiasticis functionibus non impeditis; nec vacat, nisi a Dominica quarta septembris usque ad primam novembris. Morem hunc plurimis retro annis ab Antecessore meo inductum innovandum non censui, tum quia Sacrae Scripturae locis idoneis et facili methodo explanatis res ipsae identidem confirmantur, tum ex eo praecipue, quod uberrimus inde fructus colligitur, et experientia docemur avidi plausus, quo ab omnibus excipitur.*

Huiusmodi consuetudo a Sacris Canonibus et Concilii Tridentini mente [4] prorsus aliena visa est, hinc die 12 novembris elapsi anni eidem Episcopo responsum fuit: *Canonicum Theologum pro Sacrarum Scripturarum interpretatione catechesim habere ad populum, minus probant Emi PP., quippe quod munus Parochi est et esse debet, cum Theologus non tam ad populi, quam ad Cleri institutionem destinatus sit. Quare illud unum Theologo permitti solet, ut pro Sacrarum Litterarum interpretatione morales disputationes habeat et controversias huiusmodi in conventu Cleri dissolvat.*

[1] Cf. N. 3001.
[2] Cf. N. 3416.
[3] Cf. N. 3499.
[4] Sess. V, *de ref.*, c. 1.

Mentem Sacrae Congregationis Episcopus Capitulo patefecit. Canonici in comitiis die 5 ianuarii currentis anni unanimi consensu statuerunt, preces EE. VV. dandas esse pro obtinenda facultate, ut Canonicus Theologus loco explicationis Sacrae Scripturae, catechismum ad populum habere posset, et insimul in aedibus capitularibus Theologiae moralis disputationes tractaret pro iis Clericis, qui vel ratione officii vel alio impedimento detenti scholis Seminarii interesse minime possent. De hac igitur instantia agendum hodie est.

Ut autem de Ecclesiae Cathedralis statu notitia habeatur, exponunt Canonici, ipsam Parochialem esse et prae aliis Paroeciis populo frequentatam, eamque Civitatis partem continere, quam magis rudes incolunt. Curam habitualem penes Capitulum residere, actualem vero a pluribus iuxta munus, quod habent, exerceri.

Quaestionem hanc post Concilium Tridentinum, Sess. V, *de ref.*, cap. 1, illustrat Benedictus XIV in opere *De Synodo Dioecesana*, lib. 13, cap. 9, num. 17. Hisce omnibus perpensis, ea qua pollent iuris peritia, Emi PP. definire dignabuntur:

An Canonicus Theologus loco explicationis Sac. Scripturae possit explicare catechesim, et docere lectiones Theologiae Moralis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Scribatur Episcopo iuxta mentem: et mens *est, ut omnino servetur cap. 7, Sess. 24 per eos, qui curam animarum gerunt; quo vero ad Canonicum Theologum, suas lectiones peragere debere iuxta tradita a Benedicto XIV*, De Synodo, *lib. 13, cap. 9, § 17*.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 143-152].

3839.

S. C. C., *Romana*, 24 iul. 1784.

Inter alia beneficia, quae taxam Seminario Romano rependere debent, reperitur Capellania sub invocatione S. Nicolai erecta in Collegiata Ecclesia S. Marci, quae taxata est pro annuis scutis quatuor. Hanc Capellaniam possidet Aloysius Franchi Clementini, qui contributionem Seminario Romano solvere detrectat eo, quod fuerit Cubicularius intimus s. m. Clementis XIV. Res iuxta eius vota cessit per sententiam Praefecti Sac. Palatii Apostolici. Verum ex decreto cl. mem. Card. Giraud, Pro-Auditoris SSmi causae decisio ad Sacram Congregationem delegata fuit, et ea hodie sub infrascripto dubio definienda proponitur.

Seminarii Oeconomus inquit, neminem esse exemptum a solutione taxae Seminarii, etiamsi Familiaris Pontificis fuerit, nisi in privilegio fiat expressa derogatio dispositioni Concilii Tridentini,[1] idque fortius observari post editam constitutionem s. m. Benedicti XIII, quae incipit: *Creditae Nobis*,[2] in qua ad solutionem huiusmodi taxae adiguntur etiam omnes

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.
[2] Cf. N. 288.

Familiares Pontificis. Quare concludit, Aloysium Franchi Clementini eximi a solutione non posse, nisi privilegium exhibeat dispositionis Conciliaris derogatorium. Hanc autem derogationem ab ipso Franchi nunquam exhibitam fuisse; neque exhiberi posse. Nam alii sunt, et quidem S. R. E. Cardinales, qui licet sint Pontificis Familiares, nihilominus taxam Seminario quotannis persolvunt.

Ex alia vero parte Aloysius Franchi Clementini contendit, nunc a Seminario excitari eandem quaestionem, quae anno 1724 mota fuit contra Alexandrum Bonaventura pariter s. m. Clementis XI Familiarem: et sicuti nondum executioni demandatum est, quid eo in casu Sac. Congregatio decreverit, hinc infert, in praesenti causa nihil decernendum, quousque mens Sac. Congregationis executa non fuerit; mentem Sac. Congregationis eam fuisse, ut consuleretur SSmo pro declaratione, ut ad solutionem taxae tenerentur etiam Pontificis Familiares.

Ignoratur, an in sequelam memoratae resolutionis anni 1724 aliqua Summi Pontificis declaratio prodierit. Verum s. m. Benedictus XIII in cit. constitutione, *Creditae Nobis*, declaravit: *taxae* (scilicet Seminarii) *omnia et singula beneficia saecularia et regularia per quoscumque, etiam Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, necnon nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis Familiares... obtenta et imposterum obtinenda... subiici et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus*. Ponderandum, an per constitutionem s. m. Benedicti XIII suppletum fuerit declarationi, quam requisivit Sac. Congregatio. Porro prae oculis habenda est series privilegiorum, quae suis familiaribus indulsit s. m. Clemens XIV, qui eorumdem beneficia exempta esse voluit... *ab omnibus quibuscumque decimis... institutionis Seminarii ecclesiastici, quamdiu servitiis nostris institerint dumtaxat*. Hisce omnibus perpensis definient Eminentiae Vestrae:

An sit locus solutioni taxae Seminarii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, et amplius. Et facta relatione SSmo Domino Nostro, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et imposterum observari mandavit.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 172-176].

3840.

S. C. C., *Beneventana*, 21 aug. 1784.

Resoluta fuit haec causa die 22 maii proxime praeteriti.[1] Reproponitur hodie causa sub consueta formula:

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum et secundum dubium in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. In decisis.

Ad II. Praevio recessu a decisis, negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 189].

[1] Cf. N. 3836.

3841.

S. C. C., *Montis Falisci*, 21 aug. 1784.

Testamentum condidit anno 1739 Liberatus Emili, et heredem universalem instituit Mariam Diamante ex fratre neptem. Praevidens casum, quod heres instituta sine filiis decederet, tunc voluit, ut ex bonis suis erigerentur duo Beneficia ad altare Animarum Purgantium ecclesiae Parochialis oppidi Tessennani. Disponens de patronatu activo et passivo ac de oneribus a Beneficiatis adimplendis, iussit quod pro prima vice Beneficia praedicta consequi deberent Clerici Innocentius Paladini et Petrus Calisti; deinde vero hanc methodum servari voluit: *La nomina poi di detti Benefizi... lascio alli Signori Francesco Antonio Bizzi e Gio. Battista Silvestrelli, e seguita la morte delli Signori Bizzi e Silvestrelli, lascio la nomina delli sud. Benefizi alla Mensa Vescovile di Monte Fiascone.* Paucos post dies codicillum exaravit, et de patronatu activo alterius ex dictis Beneficiis sic disposuit: *Lascio la nomina delli due Benefizi da me lasciati nel mio testamento al Signor Francesco Antonio Bizzi da Sorano da me nominato, che presentemente confermo, e lascio la facoltà al medesimo e suoi in perpetuo di poter nominare in uno de Benefizi da me lasciati.* Obiit absque filiis Maria Diamante, heres instituta, die 30 decembris anni 1744; instantibus Innocentio Paladini et Petro Calisti a testatore nominatis, ad Beneficiorum erectionem deventum est. Haec autem erectio facta fuit ad formam testamenti, nulla habita ratione eorum, quae in codicillo testator disposuerat. Existimans autem dictus Bizzi, minus recte factam erectionem contra formam codicilli, postulat, ut ad illius normam reformetur, et de hoc iudicium EE. VV. exquiritur.

Indubiam esse, inquit, testatoris voluntatem in codicillo panditam, ubi disposita in testamento immutavit quoad patronatum tam activum quam passivum. Cum autem hanc voluntatem in erectione non servaverit Curia Episcopalis, solumque rationem habuerit testamenti, hinc contendit, erectionem praedictam non sustineri, et esse reformandam, servata forma in codicillo praescripta, ne sequatur absurdum, quod erectio contra expressam testatoris voluntatem fiat.

Vicarius Generalis tuetur, servandam esse fundationem ad formam testamenti, et ait: *Cum enim in actu erectionis Beneficiorum non fuerit memoratum codicillum productum, nec de illo, sed tantum de testamento ab Ordinario ratio habita fuerit, sequitur, idem codicillum, tanquam in limine fundationis et erectionis non comprehensum, minime esse attendendum.* Decernant Eminentissimi Patres:

An servanda sit erectio duplicis Beneficii facta ad formam testamenti quondam Liberati Emilii, seu potius reformanda et exequenda ad formam codicilli in casu?

Die 21 augusti 1784: Non proposita. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 201-203].

[1] Cf. N. 3843.

3842.

S. C. C., *Forolivien.*, 21 aug., 11 sept. 1784.

Anno 1774 Congregatio sub nomine Divi Peregrini Forolivii erecta, necnon Communitas eiusdem Civitatis in iudicium coram Auditorem Camerae vocarunt PP. Servitas, et manuteneri petierunt in possessione manutenendi et ornandi Capellam et altare Divi Peregrini in ecclesia eorumdem Patrum erectam, ac custodiendi claves urnae, in qua eiusdem Sancti corpus asservatur; praeterea conquirendi tam intra, quam extra Civitatem eleemosynas et oblationes, quae a fidelibus in honorem eiusdem Sancti exhiberentur, ac demum administrandi quoscumque reditus, bona et capitalia ad eamdem Capellam spectantia. Petitiones huiusmodi a SSmo Domino Nostro ad Sac. Congregationem ablegatae sunt, omnesque viginti dubiis dispartitae, sapienti iudicio EE. VV. exhibentur.

Ad XII. animadvertere praestat, quod altare et capella Divo Peregrino sacra manuteneri debent a Foroliviensibus iuxta onus assumptum anno 1727. Hinc videndum, an ipsis competat ius colligendi et administrandi eleemosynas independenter a Religiosis Servitis. Quod respicit dubium XIII, notanda sunt, quae praecipit Concilium Tridentinum, Sess. 22, cap. 9, *de ref.* Pro examine dubii XIX, redeunt, quae animadversa sunt in dubio XIII. Emi Patres, qua ornantur iuris prudentia, dignabuntur respondere dubiis:

XII. *An, et cui PP. Ordinis Servorum B. M. Virginis Conventus Forolivien. teneantur reddere rationem de quaestuis et eleemosynis oblatis in honorem et cultum Divi Peregrini eiusque altaris per eos collectis in casu?*

XIII. *An, et cui, a quo tempore, et coram quibus ab Administratoribus Communitatis reddenda sit ratio bonorum, capitalium et redituum quomodolibet spectantium ad altare et capellam Divi Peregrini in supradicta Ecclesia Patrum Servorum erecta in casu?*

XIX. *An Administratores pro tempore, si praesertim ab Ordinario fuerint requisiti, teneantur singulis etiam annis rationem reddere de supradictis bonis atque reditibus in casu?*

Die 21 augusti 1784: Non proposita.

Die 11 septembris 1784 Sacra, etc. respondit ad XII. Teneri reddere rationem Episcopo, et amplius.

Ad XIII. Rationem reddendam esse Episcopo ab anno 1781 tantum, et amplius.

Ad XIX. Affirmative, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 205-213, 217-219].

3843.

S. C. C., *Montis Falisci*, 27 nov. 1784.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis diei 21 augusti praeteriti,[1] verum tunc proponi non potuit. Nunc ergo sub eadem dubii forma proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 53, p. 233].

3844.

S. C. C., *Camenecen.*, 30 iul. 1785.

Honuphrius Piasechi Sacerdos Camenecensis Dioecesis ritus Graeci uniti, dum Parochi Kuniszezovacensis munus agebat, uxoricidium intra Paroeciae septa a quodam Matthia Zingari perpetratum audivit. Ignorantia, an zelo, vel alia de causa motus in exemplarem de reo vindictam, modo penitus insueto et barbaro sumendam consensit. Cogitanti enim Dispositori (hoc nomen dignitatis criminum ultioni praepositae) sepelire superstitem virum cum cadavere uxoris in pluribus favit et adhaesit. Ipse etenim reum quaerentes associavit; ipse illius adsportationi adstitit; ipse passus est, ut dum lugubri comitatu cadaver defunctae uxoris trahebatur, etiam uxoricida fune in collum iniecta ligatus traheretur; ipse, postquam uxori parentatum est, confessionem uxoricidae excepit et ad mortem disposuit, a parochianis de re huiusmodi rogatus non improbavit, uxoricidam in tumulum descendere et decumbere iussit super defunctae uxoris cadaver, terramque super corpus decumbentis proiecit. Huiusce criminis pervulgata fama, Parochus in iudicium vocatus tamquam atrocissimi et voluntarii homicidii particeps habitus est, ac proinde irregularis declaratus beneficio privatus et ad carceres formales per 18 menses subeundas, demum ad spirituales expiationes condemnatus fuit. Sacerdos nunc temporis impositam iam eluisse poenam exponit, humiliterque dispensationem ab irregularitate a Sacra Congregatione postulat.

Episcopus exposita ab Oratore confirmat, votumque suum pro dispensatione aperit.

Notissimae sunt canonicae sanctiones a Sacrosancta Tridentina Synodo renovatae, ut ii, qui per insidias aut per industriam aut voluntate alterum occiderunt, ab altari Domini arceantur, et omni beneficio, officio, ordine perpetuo carere iubeantur: Sess. 14, cap. 7, *de ref.* Dubitatum quidem olim fuit, an Tridentinum decretum etiam promotos ad Sacros Ordines compleсteretur. Sacra haec Congregatio mitius semper cum promotis egit, sed

[1] Cf. N. 3841.

nihilominus plura desideravit, ut dispensationi locum esse censeret. Totius rei gestae serie perpensa dignabuntur EE. VV. definire:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative, absque spe gratiae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 54, p. 121-124].

3845.

S. C. C., *Alatrina*, 20 aug. 1785.

Alatrinus Episcopus quaestionem proponit ab hac Sac. Congregatione decidendam, quae in infrascriptis dubiis continetur. Primum quod attinet: an scilicet Episcopo generalem ordinationem in Ecclesia Cathedrali habenti ius sit omnes Canonicos, non obstante alternativae privilegio, cuius vi septem tantummodo per hebdomadam inserviunt, compellere, ut adsint eidem s. Ordinationi, praemittenda sunt S. Concilii verba tum Sess. 24, cap. 12, tum Sess. 23, cap. 8, *de ref.* et S. huius Congregationis resolutio in *Giennen.*, 19 iunii 1728.[1] Secundum dubium quod attinet: an scilicet liceat Episcopo reluctantes Canonicos pecuniaria poena atque etiam spirituali plectere, non videtur de spirituali, moderata tamen et legitimum modum non excedente, dubitari ullatenus posse, cum imo ea animadvertendi ratio congruentior, ut plurimum sit iudici, ecclesiasticas culpas punienti, et reis sacras canonum sanctiones violantibus. Dubia sunt:

1. *An Episcopo Alatrino generalem ordinationem statutis a iure temporibus in Cathedrali Ecclesia habenti Canonici omnes adesse teneantur, non obstante privilegio alternativae?* Et quatenus affirmative:
2. *An renuentes coerceri possint poena pecuniaria et spirituali?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, et detur decretum in Giennen. Celebrationis Ordinum, *et amplius.*

Ad 2. Affirmative pro poena pecuniaria tantum arbitrio Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 54, p. 146-149].

3846.

S. C. C., *Assisien.*, 10 sept. 1785.

Noverat in sacra visitatione Assisii Episcopus abusus nonnullos in rebus piorum Sodalitiorum ministrandis, aliisque actibus tum in Civitate, tum in Dioecesi adversus rectam agendi rationem inductos fuisse. Ut illos comprimeret, ordinemque restitueret, edictum publicum typis impressum proposuit die 24 aprilis anni superioris 1784, in quo sex comprehenso capitulis plurima ex ordine servanda decrevit. Querelas detulerunt suas ad hanc Sacram Congregationem Sodalitia. Interrogatus Episcopus diffuse

[1] Cf. N. 3341.

rescripsit rationes, causas et circumstantias exponens singularum legum, quas in edicto praescripserat.

Ad 1. Cum in edicto praescribatur, Vicarios Foraneos in Dioecesi esse monendos, et in Civitate Ordinarium, de habendis congregationibus, ne sine Praeside illae fiant, de his quaestio proponitur. Episcopus, cur ita mandaverit, exponens sic habet: *Confraternitates omnes congregantur in hac Civitate ad differentiam Foranearum, absque eo quod sit, qui eisdem praesideat; quare liberum est congregatis pro ingenio, quod magis lubet, decernere etiam adversus Principem, Sacras Congregationes, Religionem, et in spretum eiusdem Episcopi, ut in Praedecessorem meum et in me pariter, non obstante dignitatis et characteris obiectione patrarunt.* Ad haec Sodales inficiantur in primis, eorumdem in congregationibus quidquam ullo unquam tempore dictum, actum gestumque fuisse, in quo peccaverint et redarguendi sint. Nec in re tam gravi, turpique flagitio satis Episcopo dixisse est, nisi, veluti decet, probarit. Neque ex facto manere, sine Praeside congregari. Profecto quinam eorumdem Priores et Rectores sunt, nisi totidem Praesides, quos Episcopus ipse ad Sodalitii et Sodalium adprobat moderamen? Verum inciviliter, inquiunt, eo pergit Episcopus, ut sub certiorationis specie nativam sese congregandi libertatem Sodalibus imminuat. Siquidem eo ipso, quod Confratrum collegium legitime erectum fuit, consequens statim fit ex ipsa collegii natura, congregari libere posse, nec Ordinarii facultate indigere.

Dignum observatione est, quod Ferraris in *Biblioth.*, verbo *Confraternitas*, art. 3, n. 16, 17 admittit, in Episcopi arbitrio reponi, si velit, congregationibus per se ipsum, sive delegatum suum interveniendi. Quocirca consequens esse videtur, iubere posse, quod de habendis congregationibus certior ipse fiat. Saepe namque frustranea evaderet accedendi voluntas, nisi opportune moneretur. Hinc distinctione conciliari sententiae forte possent, ut scilicet Sodales petere veniam compellendi non sint, compelli tamen posse ad Episcopum certiorandum. Dubia, quae proponuntur, sunt:

1. *An sustineatur Episcopi edictum in ea parte, in qua Confraternitatum Officiales iubentur certiorem facere Episcopum in Civitate, et Vicarios foraneos in Dioecesi de congregationibus habendis, ne conveniant sine ipsius, seu Vicariorum interessentia?*

Die 10 septembris 1785: Non proposita. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 54, p. 163-170].

3847.

S. C. C., *Brictinorien.*, 26 nov., 10 dec. 1785.

Dilata fuit resolutio huius causae die 14 decembris 1782, [2] instructioque iuxta votum Secretarii data ad Ariminensem Episcopum, qui superiore anno 1784 singulis multa diligentia fecit satis postulationibus. Et in primis, cum Brictinorium petivisset, frustra adlaboravit, ut decennalem

[1] Cf. N. 3848.
[2] Cf. N. 3827.

statum conficeret bonorum Parochiae, quae ex antiqua unione mensae episcopalis obtinebat, tacentibus mensae codicibus per se ipsum evolutis, nullo exstante inventario. Provocavit idcirco ad traditionem, auditis senioribus. Iuxta relationem reditus ex bonis Parochiae assignatis statui possunt in annuis scut. 43; onera vero comprehensis reparationibus annuis recensentur in scut. 12.70, sed Parochus in suis praeteritis scriptis addebat onus Missae pro populo in scutis 8. Si haec demantur onera a dicta fructuum summa, vix scuta 22.30 supersunt. Rogantur EE. VV. sententiam dicere.

Die 26 novembris 1785: Non proposita.

Die 10 decembris 1785 Sacra, etc. respondit ad III. Quoad restaurationem ecclesiae pro tempore praeterito spectare ad Episcopum; quo vero ad futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Episcopum; et quoad sacras supellectiles tam pro tempore praeterito, quam pro futuro spectare ad Parochum. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 54, p. 187-191, 201].

3848.

S. C. C., *Assisien.*, 10 dec. 1785, 21 ian. 1786.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis diei 10 septembris praeteriti, [2] verum tunc proponi non potuit. Nunc ergo eadem resolvenda est.

Die 10 decembris 1785: Non proposita.

Die 21 ianuarii 1786 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative quoad certiorationem pro extraordinariis tantum; in reliquis negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 54, p. 203, tom. 55, p. 1].

3849.

S. C. C., *Setina*, 10 dec. 1785, 21 ian. 1786.

Neque Horas Canonicas in choro quotidie persolvunt, neque Missam Conventualem pro benefactoribus in genere applicandam celebrant Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Erasmi oppidi Bassiani. Episcopus his compertis illos monuit, ut de utraque hanc Sacram Congregationem precarentur dicere sententiam, eisdemque bimestris terminum idcirco praefixit. Paruerunt ii, et exposuerunt in precibus, nunquam consuevisse qualibet die choro interesse, neque hoc ipsis onus in erectione fuisse impositum; adeoque nec Missam Conventualem celebrare. Obtulerunt autem Canonicatuum fundationem proferre, quatenus iuberentur, simulque tenues reditus et gravia, quibus praemuntur, onera.

Precibus rescriptum fuit: *Episcopo pro informatione et voto, transmissis*

[1] Cf. N. 3857.
[2] Cf. N. 3846.

fundationibus, ac referat, an constet vel ex erectione, vel ex signis Collegialitatis de legitima erectione im Collegiatam, necnon de observantia tam quoad servitium chori, quam quoad celebrationem et applicationem pro benefactoribus in genere, et tandem de redditibus uniuscuiusque Canonicatus, computatis fructibus praebendarum, et distributionibus quotidianis. Ab redditis Setini Episcopi litteris scimus, Capitulum S. Erasmi ex Archipresbytero curam animarum habente et sex Canonicis constitui; commune sigillum, communemque massam habere, et capitulariter congregari; in capiendis Canonicatuum possessionibus assignari in choro stallum, et in Capitulo locum, eaque fieri Canonicis capitulariter coactis, praestitoque a provisis iuramento de constitutionibus statutisque Ecclesiae servandis. Et quamvis in supplici libello supposuissent fundationem producere se posse, errorem corrigit Episcopus inquiens, de illa nullatenus constare, *sed tantum de denominatione Archipresbyteri et Canonicorum a priscis temporibus.* Refert quoque, Archipresbyterum in festis diebus canere Missam et pro populo applicare; nullumque extare ab antiquiori aetate monumentum de Missae Conventualis celebratione. Denique concludit: *arbitrarer, eosdem attenta tenuitate redituum ad servitium chori cum persolutione tamen integri divini Officii et cum applicatione Missae cantatae pro benefactoribus in genere per turnum, diebus tantum Dominicis et Festivis de praecepto ultra consuetos constringendos fore.*

Ad 1. Resolutio ab alio examine dependet. Sciendum in primis videlicet est, num ecclesia S. Erasmi sit, nec ne Collegiata. Nam si Collegiatae honorem qualitatemque obtinet, nullus dubitationis locus erit, ad diurnum chori servitium et ad Missae Conventualis quotidianam celebrationem ac applicationem obstringi; secus, si Collegiata non sit: Benedictus XIV, in encycl. *Cum semper oblatas.*[1] At in re praesenti deficere erectionem ecclesiae S. Erasmi in Collegiatam Episcopus testatur. Verum plurima recenset Episcopus signa ex quibus Collegialitatem Ecclesiae proficisci tenent Doctores. Cum haec tamen sint signa ecclesiis receptitiis communia, non autem specifica Collegialitatis, hinc concludi satis non videtur, quod Ecclesia sit Collegiata. His itaque perpensis itemque Episcopi voto, partes erunt EE. VV. sapientissimum de more reddere infrascriptis dubiis responsum:

1. *An Canonici et Archipresbyter Ecclesiae Sancti Erasmi in oppido Bassiani teneantur quotidie Officium in choro recitare, et Missam Conventualem pro benefactoribus celebrare?* Et quatenus affirmative:

2. *An, et quomodo sit locus reductioni dicti oneris in casu?*

Die 10 decembris 1785: Non proposita.

Die 21 ianuarii 1786 Sacra, etc. respondit ad 1. Compellendos esse Archipresbyterum et Canonicos ad servitium chori et applicationem Missae Conventualis iuxta votum Episcopi.

Ad 2. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 54, p. 205-209, tom. 55, p. 3].

[1] Cf. N. 345.

3850.

S. C. C., *Imolen.*, 11 mart. 1786.

Brevis fuit inter coniuges Ioannem Baptistam Pagani et Mariannam Baruzzi concordia. Sese invicem copularunt die 11 iulii anni 1784; sed cum vir paulo post vix aegrotare coepisset, die 20 dicti mensis accersitus fuit Chirurgus, qui lue celtica infectum eum esse putans, remedia ad eam depellendam opportuna paravit. Convaluit vir post quadraginta et ultra dies; sed nihilominus uxor ad maritalia redire obsequia detrectavit cum viro, quem violati coniugalis foederis reum postulabat. Orta igitur quaestio est super separatione thori, quae a SSmo D. N. attento partium consensu ad hanc S. Congregationem ablegata fuit.

Notissimum est, adulterium alterutrius coniugis legitimam praebere causam parti innocenti petendi separationem a connubiali thoro. Praeivit Christus Dominus, Matthaei, 5, et consonant canonicae leges: cap. *Ex litteris*, 5, et cap. *Porro, 3 de divort.*, cap. *Si quis uxorem*, 32, quaest. 1. Difficultas esse solet in adulterii probatione. Haec utique bene desumitur ab ea celtica lue, quae matrimonium subsequatur, quaeve vere talis et venerea sit, non ad illius similitudinem, et ab innocuis progenita causis, puta nimia sanguinis acrimonia incauto vel nimio coniugii usu sub ipsa praesertim matrimonii exordia.

Ait porro Io. Baptista Pagani, totam sui criminis probationem in ore residere Chirurgi Paganini, cui tamquam unico et extraiudiciali in re gravissima fidendum non sit; eo autem securius, quia inverosimilia deponit. Vix enim post paucas a contracto matrimonio horas ad impermissos amplexus Orator convolasset. Immo neque tempus praetensi venerei morbi definire potuit, quae tamen circumstantia momentosissima est in praesenti definienda quaestione. Scitum namque esse ait, non statim a contracto miasmate in huius generis morbis pravi humoris signa apparere et erumpere, sed ad plures quandoque dies rem protrahi; hinc nil vetare, quod si noxia esset morbi qualitas, matrimonium morbi causa antecessisset, cum post 9 a matrimonio dies accersitus fuerit Chirurgus Paganini; quod ideo dictum profitetur Io. Baptista Pagani, non quod sibi etiam ante matrimonium conscius huius criminis sit, sed ut ostendat, quam longe a necessariis probationibus distet Marianna Baruzzi, cum ad separandum coniugale foedus demonstrare oporteat violatum illud pendente matrimonio. Quo autem uberius contrarias exsibilet probationes, affert Io. Baptista Pagani locupletes testes de sua honestate ingenuisque moribus; addit alios de machinationibus materterae uxoris suae, ut illam a suo complexu divelleret; et demum iudicium plurium illustriumque tum in chirurgia tum in medicina Professorum exhibet, qui hallucinari potuisse vel hallucinatum revera fuisse Chirurgum Paganini testantur. Ex quibus omnibus concludit Io. Baptista Pagani, quod si reiicienda esset Mariannae Baruzzi pro separatione instantia, quandocumque ipsa evidentissimas non affert violatae

fidei probationes, multo magis repellenda sit, cum eae, quas in medium profert, ineptae omnino, inverisimiles aut falsae deprehenduntur. Quaeritur:

I. *An sit locus separationi thori in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 55, p. 41-43].

3851.

S. C. C., *Hispaniarum*, 1 apr. 1786.

Orta est in Hispaniarum Regnis inter ecclesiasticos viros modesta, nec illaudanda contentio quoad nonnulla disciplinae capita, quae sub infrascriptis dubiis comprehenduntur. Oblatis ergo precibus Sanctitati Suae, iisque ab eodem SSmo D. N. ad hanc S. Congregationem ablegatis, ea quae sequuntur, capita ab EE. VV. definienda proponuntur.

Primum quod attinet, praemittendum: fidei professionem renovandam esse, quoties novam Parochi, Canonici, Dignitates etc. assequuntur Paroeciam, Dignitatem, Canonicatum etc. a Sac. Congregatione dudum fuisse decisum. Quoad secundam quaestionem: licet Sac. Conc. Tridentinum, quod legem, modum et tempus emittendae fidei professionis invexit,[2] contrarias non obliteraverit consuetudines, tamen Pius IV in sua const. *Benedictus Deus*,[3] qua Concilii decreta approbavit, eas apposuit salutares clausulas, per quas contrariae consuetudini patere amplius non posset accessus. Quodsi ille alter Vicarius de gremio Capituli, de quo in formula dubii, vere et proprie est Vicarius generalis, iam sine ullius praesidio consuetudinis emitti coram eo et Capitulo professio potest, cum vetitum non sit Episcopo, praesertim ampliori Dioecesi praeposito, duos habere Vicarios generales: cap. *Quoniam, de off. ordin.*, cap. *Ad haec, de off. Archidiac.* Sin autem dictus ille alter Vicarius vere et proprie Generalis non est, iam eius praesentiam nullum adiicere robur consuetudini potest contra formam a Tridentino invectam et praecise servandam. Dubia sunt:

I. *An in qualibet nova provisione Canonicatuum, Dignitatum, etc. in Ecclesiis Cathedralibus (etiam in eadem Ecclesia) iteranda sit professio fidei ad formam decreti Concilii Tridentini*, Sess. 24, cap. 12, *de ref.?*

II. *An ea emitti debeat coram Ordinario, vel eius Vicario generali, et tempore Sedis Vacantis coram Vicario Capitulari, et Capitulo, vel potius stante consuetudine liceat eam emittere coram solo Capitulo, praesertim in Dioecesibus, in quibus Ordinarii praeter Vicarium generalem habent alterum Vicarium de gremio Capituli ad effectum convocandi Capitulum et eidem interessendi in rebus respicientibus Ordinarium et Capitulum?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 55, p. 52-56].

[1] Cf. N. 3852, 3854.
[2] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.
[3] Die 26 ianuarii 1564. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 168, 169.

3852.

S. C. C., *Imolen.*, 6 maii 1786.

Resoluta fuit haec causa die 11 martii praeteriti.[1] Hodie vero Marianna Baruzzi contradicente causa denuo proponitur sub hac forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 6 maii 1786: Non proposita. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 55, p. 94].

3853.

S. C. C., *Sabinen.*, 20 maii, 17 iun. 1786.

Vix Federicus Petrocchi Sabinen. vidit quemdam Stephanum de Silvestro adeuntem domum Archipresbyteri Francisci Seraphini die 6 ianuarii 1780, continuo dixit elata voce: *Mo si va in gabinetto.* Qua de re leniter ab dicto Archipresbytero obiurgatus fuit. At eodem die ad vesperam declinante idem Petrocchi dicto suo Archipresbytero obviam occurrens alia in eum contumeliosa verba protulit: *Se fossi buon Arciprete, staresti in casa tua.* Ad haec excanduit Archipresbyter, dixitque: *Se vuoi niente, vieni su;* atque alter reposuit: *Se vuoi niente, vieni giù.* Nec multa: descendit Archipresbyter, Petrocchius eum cultro semel et iterum sauciat, magnaque ira tunc percitus Archipresbyter Petrocchium ictu sclopeti ad mortem percussit. Confestim Archipresbyter aufugit, Archipresbyteratum renunciavit, et post emensos quinque annos Emum Episcopum exoravit pro venia, quae illi concessa fuit, obtento prius consensu partis offensae et completis triginta diebus spiritualium exercitationum in religiosa domo: iussum tamen est, ut quoad irregularitatem uteretur iure suo. Stat ergo nunc coram Sac. Congregatione idem Archipresbyter pro dispensatione irregularitatis. Rogatus, ut moris est, Emus Episcopus narrata confirmat. Quoad Oratoris mores eos, dum suum Archipresbyteratum retinebat, ait, *non ita bonos fuisse, ut populus imitari posset;* postquam vero in patriam rediit, *bonitatis specimen praebere*, ut Parochus et Communitas eius loci testantur; et concludit, dignum sibi Oratorem videri, cuius instantiae auscultetur.

Revera homicidium, cui Sac. Tridentinum Concilium ita adversatur, ut omnem pene spem obtinendae dispensationis a contracta ob id irregularitate adimere videatur illud est, quod *per industriam, per insidias et ex proposito commissum fuerit*, quemadmodum ipsa Tridentini verba praeseferunt.[3] Ex his autem, quae in facti narratione exposita sunt, patet, non agi hic de homicidio *per industriam, per insidias et ex proposito.* Atque

[1] Cf. N. 3850.
[2] Cf. N. 3854.
[3] Sess. XIV, *de ref.*, c. 7.

ulterius conciliaris sanctio promovendos spectat, non autem promotos. Neque momentosa videri potest exceptio infamiae ex patrato delicto ortae; haec enim si separatim ab homicidio consideretur, infamia facti est, non iuris, quae proinde ex facto ipso tollitur, constanti nimirum emendatione, quam plurimi Doctores satis esse iudicant, si fuerit ad triennium ampliata. Dubium est:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

Die 20 maii 1786: Non proposita.

Die 17 iunii 1786 Sacra, etc. respondit: Negative, et expectet.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 55, p. 106-109].

3854.

S. C. C., *Imolen.*, 17 iun., 19 aug., 9 sept. 1786.

Post resolutionem die 11 martii praeteriti captam [1] iterum rediit haec causa die 6 maii proximi, [2] verum tunc proponi non potuit. Quare hodie tandem resolvenda erit.

Die 17 iunii 1786 Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur.

Die 19 augusti 1786: Non proposita.

Die 9 septembris 1786 Sacra, etc. respondit ad I. In decisis, et amplius, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 55, p. 109, 187, 192].

3855.

S. C. C., *Urbevetana*, 9 sept. 1786.

Duo sunt, quae gravissimo EE. VV. iudicio unanimi consensione subiiciunt Emus Urbevetanus Episcopus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae dictae Civitatis. Putat primo loco Emus Episcopus, non liquere de habituali cura Cathedralis Ecclesiae penes Capitulum. Non enim nominat Vicarium perpetuum, seu Archipresbyterum, qui curam animarum exerceat, sed Archipresbyteratus ad unius Episcopi arbitrium confertur. Primitias, decimas aliaque parochialia emolumenta Capitulum non percipit, sed ea integre deferuntur Archipresbytero. Sacra suppellectilia, vasa sacra, ceras et similia non suppeditat Archipresbytero Capitulum, quae nihilominus ab habituali Parocho dari receptum generaliter est; quodsi de emolumentis funerum participes se esse Canonici doceant, trahendum non esse in habitualis curae argumentum, sed tribuendum potius cuidam quasi contractui inter Capitulum et Archipresbyterum, quia vicissim Capitulum cereas candelas in die Purificationis populo distribuendas suppeditat. Sed quatenus etiam de hac habituali cura penes Capitulum constaret,

[1] Cf. N. 3850.
[2] Cf. N. 3852.

ad quaestionem progrediens in secundo dubio contentam, existimat, ad se unum pertinere vacante Archipresbyteratu Oeconomos seu Presbyteros substitutos nominare, ita expresse sancivisse Conc. Trid., Sess. 24, cap. 18, *de ref.*

Contra autem Capitulum, ut habitualem penes se extare curam evincat, unionem profert usque ab anno 1284 Cathedrali Ecclesiae sub invocatione S. Mariae factam alterius Paroeciae S. Constantii. Affert et recentiorem unionem eidem Cathedrali Ecclesiae factam Parochiae S. Salvatoris anno 1743 a tunc temporis Episcopo, tamquam Apostolicae Sedis delegato. Et demum actum capitularem anni 1687 adducit, per quem duobus Vice-Parochis integram decimam sacramentalem cesserunt, cuius antea duae tertiae ab iisdem dabantur Capitulo, a quo vicissim decem libras cerae singulis annis recipiebant.

Quid de contenta in primo dubio quaestione sentiendum sit, perfacile EE. PP. cognoscent ex iis, quae in facto relata sunt. Pro definitione vero alterius quaestionis sub secundo dubio cadentis prae oculis habenda sunt verba cap. 18, Sess. 24, Conc. Trid., *de ref.* Dubia sunt:

I. *An cura habitualis Ecclesiae Cathedralis et Parochialis Urbevetanae spectet ad Capitulum eiusdem Cathedralis in casu?*

II. *An sequuto obitu Archipresbyteri, cui inest cura animarum, liceat Capitulo substituere Presbyteros, qui interim curam animarum exerceant, seu potius spectet ad Episcopum deputatio Oeconomi in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 55, p. 193-200].

3856.

S. C. C., *Ampurien.*, 20 ian., 21 apr. 1787.

Irritam dicit, quam apud Carmelitas emisit professionem P. Angelus Maria, in saeculo Iosephus Salinas, ortus in oppido Hulvi, Dioecesis Ampuriensis die 30 martii 1741. Tres nullitatis causae: quod scilicet cum professus est, nondum exegisset, immo vix attigisset annum decimum sextum; quod extra domum probationis Conventumque ad id designatum regularem professionem nuncupaverit; quod anno novitiatus durante plures ad alia loca diverterit. Ante quinquennii lapsum animum reclamandi pluribus ostendit P. Salinas; donec anno 1774 s. m. Clementem XIV supplex exoravit, licentiamque egrediendi e claustris Religionis postulavit. Citato igitur religiosae professionis Defensore, causa sub infrascripto dubio definienda proponitur.

Tridentini Patres, Sess. 25, cap. 15, *de Regularib.* annum decimum sextum completum esse voluerunt, antequam regularis professio emitteretur; idque adeo enixe, ut professio antea facta sit nulla, nullumque inducat obligationem. Itaque si ex monumentis per P. Salinas adductis satis probata EE. VV. videbitur veritas professionis ante completum annum

decimum sextum emissae, et conquestionum intra quinquennium contra eamdem professionem factarum, nihil superesse existimari poterit, cur pro illius nullitate pronunciandum non sit. Nullitas altera ab emissa extra Conventum ad hosce actus designatum auctorem habet s. m. Clementem VIII, ut ex decreto diei 12 martii 1596 [1] et 20 iunii 1599. [2] Facilior est de tertia nullitate indago, ob interruptionem scilicet novitiatus. Ut enim egressus e Conventu novitiatum interrumpat, tria requiri docent Doctores: nempe dimissionem habitus, egressum e Monasterio, et deliberatum animum Religionem deserendi, unaque ex his deficiente, probationis annum non intercipi tradunt. Dubium est:

An constet de nullitate professionis in casu?

Die 20 ianuarii 1787 Sacra, etc. respondit: Affirmative.

Huiusce rescripti confirmationem urget P. Angelus Maria Salinas, eique de more professionis Defensor contradicit. Quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 21 aprilis 1787 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 56, p. 3-9, 61].

3857.

S. C. C., *Brictinorien.*, 15 sept. 1787.

Dilata resolutione huius causae die 14 decembris 1782, [3] ea tandem capta fuit die 10 decembris 1785. [4] Nunc autem eadem causa reproponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 10 decembris 1785 quoad tertium dubium in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad III. In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 56, p. 155].

3858.

S. C. C., *Nullius Montis Virginis*, 16 febr., 5 apr. 1788.

Incusatus prae ceteris fuit labente anno 1749 apud Abbatialem Montis Virginis Curiam homicidii Sacerdos Florentinus Silvestri, et sequenti anno in contumaciam excommunicatus. Sponte anno 1766 se constituit, conditoque defensivo processu, liberationem obtinuit cum clausula *novis supervenientibus indiciis*, et suspensione a divinis, usquedum apostolicam absolutionem consequeretur. Semel in id ab hac Sacra Congregatione reiectas asserit eius preces. Iterumque modo in gravi 65 annorum aetate constitutus absolutionem postulat ab irregularitate. Quae exposita sunt, con-

[1] Cf. N. 183.
[2] Cf. N. 186.
[3] Cf. N. 3827.
[4] Cf. N. 3847.

firmat Ordinarius, et ita concludit: *Da quel tempo fino al presente giorno attestano tutti di aver menata* (Oratorem nempe) *una vita esemplarissima e costumata, e che l'infamia facti, che aveva contratta per tale informazione, svanì, ed al presente è in tutto svanita, stante la morigeratezza de' costumi, frequenza de Sacramenti, e vita esemplare, che il D. Fiorentino tuttavia mena in edificazione del Clero, di tutto il pubblico e de' paesi circonvicini. Quindi accordandosegli dalla Sac. Congregazione l'assoluzione, ed abilitandosi all'esercizio dell'Ordine del Sacerdozio, sarebbe non solamente a questo insignito Clero, ma ben anche all'intiera popolazione di consolazione e piacere, cessando a medesimi ogni ombra di scandalo.*

Licet absque condemnatoria sententia irregularis non sit inquisitus de homicidio ex infamia *iuris*, talis tamen censetur ex infamia *facti*. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num per diuturnum viginti et ultra annorum spatium ab edita sententia et 39 a perpetrato homicidio, piamque Oratoris vitam, de qua testatur Ordinarius, deleta sit huiusmodi infamia. Ex his ergo deliberare dignentur Emi Patres:

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu?

Die 16 februarii 1788: Non proposita.

Die 5 aprilis 1788 Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 57, p. 17-19, 30].

3859.

S. C. C., *Asculana*, 7 et 21 iun. 1788.

Capellaniam moriens instituit Caesar Tibaldeschi annui reditus scutorum circiter quinquaginta cum hebdomadali onere Missarum sex. Quamlibet fieri vetuit Missarum reductionem, et in casu alienationis bonorum, nova in fructiferis praediis mandavit investimenta. Hereditaria Asculi est domus, in qua Maria Rosa Raimondi, usufructuaria Tibaldeschii heres, phtysi decessit. Eam hac de causa nemo conducit, gravique opus esset sumptu, ut sine periculo habitari possit. EE. igitur Vestras rogavit Vincentius Ventura Capellaniae possessor, ut illam vendere, pretiumque in aliis bonis stabilibus, vel consignativum censum investire liceret, prodiitque die 16 iunii 1787 rescriptum: *Episcopo pro informatione et voto, praevia edictorum affixione favore maioris oblatoris, cum onere solvendi fructus compensativos, donec promptum inveniatur investimentum.*

Exposita comprobavit Asculanus Antistes, retulitque, quod demandata edictorum affixione, unicus oblator comparuit, qui scuta 650 obtulit. Addit, quod iuxta peritorum iudicium domus valor est scutorum 648 et ob. 7, et pro eadem in partibus necessariis reparanda, ut deinde locari possit, summa scutor. 48 et ob. 90 requiritur, qua facta restauratione, retulerunt iidem periti, pensionem annuam domus ascendere posse ad scuta 18. Hisce in circumstantiis, cum ex venditione domus cum onere solvendi fructus compensativos, isti in summa oblata scutorum 650 annuatim summam constituant scutor. 26: dubitari nequit de utilitate alienationis.

Instantiam deinde variavit Orator, petiitque facultatem investiendi pretium domus in consignativo censu, tum quia peritorum testimonio aucta nimis sunt in viciniis Asculanae Civitatis rusticorum praediorum pretia, tum quia uberiores ex censu haberentur fructus. Oratori per supplicem libellum restiterunt Capellaniae patroni, ac infrascripta modo proponuntur dubia. Perniciosam Capellaniae asserunt venditionem domus oblato pretio, eo quia illius valor ad maiorem ascendit summam scutorum 885, nec permitti debere contendunt censuale investimentum pretii, spernique praeceptum testatoris de investienda pecunia in stabilibus, contra monitum Sac. Concil. Tridentini, Sess. 25, cap. 4, *de ref.* Dubia sunt:

I. *An sit locus venditioni domus in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An investiendum sit eius pretium in stabilibus, seu potius in censibus, ita ut sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu?*

Die 7 iunii 1788: Non proposita.

Die 21 iunii 1788 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative iuxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 57, p. 98-100, 102].

3860.

S. C. C., *Asculana,* 21 iun., 12 iul. 1788.

Duplex Cathedrali Ecclesiae Asculi est patrimonium: Capituli unum, fabricae alterum. Utrumque in inventario Ecclesiae refertur et a Canonicis administratur. Episcopo urgente, eiusque Promotore fiscali dumtaxat informante, inveteratae hac de re inter Episcopum et Capitulum controversiae huic S. Congregationi solvendae proponuntur.

Oeconomo fabricae praecepit hodiernus Episcopus, ne quidquam pro sumptibus extraordinariis solveret absque eius licentia. Sua eum potestate usum fuisse ait Promotor fiscalis, quum primus redituum fabricae moderator sit Episcopus. Quod hodierno Oeconomo Episcopus mandavit, servandum esse contendit Promotor fiscalis ab illius successoribus, quum datum non fuerit praeceptum personae Oeconomi, sed officio. Circa redditionem rationis interprete non indiget Sac. Concil. Trident., Sess. 22, cap. 9, *de ref.* Expresse enim cogit locorum piorum administratores, et praesertim fabricae cuiuscumque ecclesiae, etiam Cathedralis, ad reddendam singulis annis Ordinario rationem. EE. VV. decernent:

VI. *An sustineatur Episcopi praeceptum praesenti Oeconomo factum, ne absque illius assensu quidquam solvat in causam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis et consuetis sumptibus in Ecclesiae servitium in casu?*

VII. *An hoc idem praeceptum ab omnibus futuris Oeconomis servandum sit in casu?*

X. *An Depositarius et Oeconomus teneantur reddere rationem Episcopo singulis annis, ac etiam intra et extra annum, concurrente tamen in hoc posteriori casu legitima causa in casu?*

Die 21 iunii 1788: Non proposita.

Die 12 iulii 1788 Sacra, etc. respondit ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative.

Ad X. Quoad reditus fabricae affirmative; quo vero ad reditus Capituli Episcopus utatur iure suo ad formam Concilii Tridentini. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 57, p. 103-109, 115].

3861.

S. C. C., *Congregationis Olivetanae,* 29 nov. 1788.

Abbas Congregationis Olivetanae post dimissam Abbatiam Monacho Olivetano minores Ordines contulit. Hinc die 20 septembris 1788 per folium manuscriptum quaesitum fuit:

I. *An constet de nullitate Ordinationis ita ut sit iteranda?*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit?*

Die, quo supra, Sacra, etc. rescripsit: Constare de nullitate, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.

Reproposita vero causa die 29 novembris 1788 rescriptum ampliavit in haec verba: In decisis, et Monacho esse secreto reiterandos Ordines minores; et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione a suspensione eiusdem Monachi propter susceptum Subdiaconatum per saltum, eiusque rehabilitatione, necnon pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis Ordinibus ministraverit.

Illudque Sanctissimus die 10 decembris in omnibus benigne approbavit, et annuit pro gratia absolutionis, rehabilitationis et dispensationis arbitrio et conscientiae Abbatis Generalis eiusdem Congregationis cum facultate etiam subdelegandi.

[Liber 138 Decretorum, p. 453-458].

3862.

S. C. C., *Asculana,* 17 ian., 7 febr. 1789.

Resoluta fuit haec causa die 12 iulii 1788. [2] Contradicentibus vero partibus, respondere dignentur Emi Patres:

An sit standum, vel recedendum a decisis a primo ad decimum quartum dubium in casu?

Die 17 ianuarii 1789: Non proposita.

Die 7 februarii 1789 Sacra, etc. respondit ad VI., VII. et X. in decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 13, 21].

[1] Cf. N. 3862.
[2] Cf. N. 3860.

3863.

S. C. C., *Milevitana*, 7 febr. 1789.

De nuptiis egit Marchionissa Elisabeth Dorell inter Com. Franciscum Bianchi et suam filiam Angelam inscio vel invito suo viro Marchione Didaco Muscat. Melitam venit sponsus; signantur sponsalia, dosque ex materno constituitur peculio; ac una tandem ex indulgentia Ordinarii praemissa denunciatione, celebratur maternae domi prima hora noctis 28 septembris 1788 matrimonium, dum parumper Angela a nervorum convulsionibus quiescebat. Ea in lecto iacente, cum reliquis propinquis coenavit Com. Franciscus, dormitumque ivit ad domum patrui. Rediit sequenti mane ad prandium, et vigesima quarta hora ab inito matrimonio Anconam versus profectus est, opportuniori rediturus tempore, ut ad patrios lares uxorem traduceret. Anconae manens quatuor Com. Franciscus in singulos annos, aut quinque per biennium ad Comitissam Angelam dedit epistolas, sed mediatis pertaesus Marchionissae Elisabeth eius matris responsis, illarum commercium ad annum 1786 omnino intermisit. Eo autem resumpto, in oblectamento Angelae fuerunt priores illius literae, sed parentum et patriae amore Anconam abhorrens, speque deiecta, quod Melitam vir domicilium transferret: solutionem deinde proposuit matrimonii. Parem in Comite Francisco invenit voluntatem, acceptoque eius mandato procurae, Sanctissimo supplicavit pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato. Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, duplex ea imperante a Melitensi et Anconitana Curia confectus est processus. In transmittendis Curiae suae actis constare ait Melitensis Episcopus de non consummatione matrimonii. Duplicem hinc memorat dissolvendi matrimonii causam: desperatam nempe cohabitationem coniugum, cum Oratrix ad communem vitae consuetudinem nulla ratione possit adduci; et involuntariam celebrationem matrimonii. Consummationem matrimonii pariter excludit Anconitanus processus. De causis deinde agens dispensationis Emus Episcopus animadvertit, Com. Franciscum contraxisse matrimonium, non ut proprio arbitrio indulgeret, sed ut patri suo obediret, atque ita Com. Franciscum exasperatum esse, ut si nunc res foret integra, nolit eam, quemadmodum aperte fatetur, uxorem ducere. Res igitur EE. Patrum iudicio sub infrascripto proponitur dubio:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 22-29].

[1] Cf. N. 3865.

3864.

S. C. C., *Maceraten.*, 14 mart., 4 apr. 1789.

Duplicem in Ecclesia PP. Praedicatorum Maceratae laicalem instituit Capellaniam Sebastianus Mancini e Saxoferrato, nonnullosque assignavit census priori, alios posteriori, suamque domum cum adnexis domunculis et viridario destinavit in Maceratensi Civitate pro habitatione unius et alterius Capellani. Ex asserta nominatione Antonii Mancini utramque Capellaniam possidet Dominicus eius filius. Apud patrem tamen in oppido Saxoferrato, quadragesimo a Macerata lapide degens viridarium et domum locavit; pensio est scutorum 30, sed ordinariis detractis collectis, annua supersunt scuta 25.50. Sacram idcirco adiit Congregationem pro facultate vendendi domum et viridarium et investiendi pretium in consignativis censibus; confectaque peritia, et affixis ex praescripto edictis, aestimatus fuit fundus in scutis 1313.71, ac unus pro eo Franciscus Brunelli scuta obtulit 1350, cum promissione solvendi compensativos fructus scutorum 4 in singula centum, quousque novum fieret investimentum. Venditioni assentiuntur Capellaniarum Oeconomus a Rev. S. Petri Fabrica deputatus, et Executor testamentarius, dummodo pretium in stabilibus investiatur. Eam tamen per assuetum *nihil transeat* visa est impugnare velle Olimpia Mancini Galeotti. Episcopus autem, collata aestimatione fundi eiusque fructu cum maiori oblato pretio ampliorique reditu, venditionem expedire censet. Res igitur sub duplici proponitur dubio.

Agitur *primo* de venditione domus et viridarii, eique obesse videtur testatoris voluntas. Dum unam enim permittit illorum locationem, prohibere censetur venditionem: cap. 10, *de decim*. Incommoda insuper esse posset venditio futuris Capellanis, qui domicilium constituere vellent Maceratae, ubi celebrandae sunt Missae. Potissimum contra spectanda est Capellaniarum utilitas. Res namque est de fragili commutanda domo in tutiora capitalia; intrinsecum eius valorem superat oblatio, longeque maior esset novi investimenti fructus. Quatenus autem EE. VV. in alienationem domus et viridarii conveniant, deliberandum erit *secundo* de investimento pretii. Si originarii spectentur Capellaniarum fundi, incongruum non esset censibus addere census, qui stabilibus aequiparantur. Dubia sunt:

1. *An sit locus venditioni domorum cum hortulo in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An, et quomodo fieri debeat investimentum in casu?*

Die 14 martii 1789: Non proposita.

Die 4 aprilis 1789 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative in bonis stabilibus; sin minus in censibus cum locis piis et Communitatibus Status Ecclesiastici arbitrio Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 44-46, 49].

3865.

S. C. C., *Milevitana*, 4 apr. 1789.

Data fuit resolutio huius causae die 7 februarii proximi.[1] Ad novum modo examen ex *Benedictina*[2] redit eadem sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 50].

3866.

S. C. C., *Firmana*, 16 maii, 13 iun. 1789.

Post triennem vitae consuetudinem binosque enixos filios in Iosephum Foglietti eius virum exasperata est nobilis mulier Francisca Moscheni, a qua infrascriptum modo EE. VV. proponitur dubium. Res porro est de separatione thori. Tres per Franciscam Moscheni ad separandum thorum afferuntur causae: eius scilicet diffamatio ob imputatum a viro adulterium, verbales saevitiae, et adversa valetudo. Diffamationem probat ex testibus; de inofficiosis in eam Foglietti verbis testantur domestici. De gravioribus hinc Moscheni timet saevitiis in odium litis. Infirmam postremo ex medicis relationibus ostentat valetudinem, adeoque eam medici quidam opinantur gravem, ut de periculo non dubitent vitae, si ad usum matrimonii Moscheni restituatur.

Uxorem diffamasse negat Fogliettus, idque ex sollicitudine probat, qua illam ad nuptialem thalamum revocare contendit. Ad secundam excludendam verbalium saevitiarum causam, de universis fere actum inquit matrimoniis, si ex inofficiosis parumque urbanis verbis coniuges separari deberent. Ex plurimis vero testibus nil minus timere valet uxor, quam reales saevitias a viro mitissimo, omnibusque prae modestia morumque suavitate accepto. Ad opportunitatem postremo confictam dicit Fogliettus adversam uxoris valetudinem, aliudque ei non esse affirmat malum, quam plerisque feminis communes uteri convulsiones; binos tamen sine periculo vitae concepit et peperit filios, qua de causa primarius Medicus coram aliis Professoribus declaravit, neque in futurum huiusmodi periculum adesse posse. Dubium est:

An sit locus separationi thori in casu?

Die 16 maii 1789: Non proposita.

Die 13 iunii 1789 Sacra, etc. respondit: Negative.[3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 98-101, 105].

[1] Cf. N. 3863.
[2] Cf. N. 318.
[3] Cf. N. 3869.

3867.

S. C. C., *Egitanien.*, 27 iun., 18 iul. 1789.

Anno 1779 ad EE. VV. retulit Egitaniensis Episcopus, plures in sua Dioecesi *Curionatus* nomine Parochiales esse ecclesias matricibus adnexas, earumque amovibiles Vicarios seu *Curiones* vel Missam pro populo celebrare sub conditione, vel penitus negligere, eo quod ex synodali decreto anni 1747 ab hoc onere immunes essent: ac Vestrum oraculum postulavit.

Quilibet sane, cui animarum cura commissa est, oves suas pascere et Sacrificium pro eis offerre tenetur, ut statuit Tridentina Synodus in Sess. 23, cap. 1, *de ref.* et Benedictus XIV in const. *Cum semper oblatas*, 19 augusti 1744.[1] Haec vero requiruntur, ut verus quis dicatur Parochus, quod potestatem nempe habeat fori poenitentialis, quod certam suo nomine administret Parochiam, quodque de necessitate ministret, ab eoque parochiani necessario recipiant Sacramenta. Dubium esse posset, num suo potius, quam principalium Rectorum nomine haec omnia exerceant Curiones. Quaeritur ergo:

An, et a quibus Vicariis seu Curionibus sit applicanda Missa pro populo in casu?

Die 27 iunii 1789: Non proposita.

Die 18 iulii 1789 Sacra, etc. respondit: Affirmative ab omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 135-140, 147].

3868.

S. C. C., *Ariminen.*, 19 sept. 1789.

Ita Cathedralis Ecclesia Arimini ex terraemotu anni 1786 conscissa est, ut fulcimentis consistat. Sanctissimo igitur ad eam reparandam aliaque sarcienda Capituli aedificia supplicarunt Canonici pro facultate creandi censum scutorum 5270. Censum Sanctissimus neque probavit, neque improbavit. Tunc inter se ex suprema delegatione contendere coeperunt coram Emis Patribus de obligatione reparandi Ecclesiam. Sua Episcopus in prolixa informatione tuetur iura. Tria igitur disputantur dubia.

Episcopone, an Capitulo incumbat Ecclesiae reparatio, quaeritur sub primo. Onus de iure est Episcopi, qui Ecclesiae suae, ut sponsus, consulere debet: can. 10, caus. 10, quaest. 1. Ex pluribus tamen spectare potest ad Capitulum, ac praesertim si distinctos pro fabrica Ecclesiae habeat reditus, si ad eam reparandam teneatur ex Statuto, et si reparare consueverit. Ita Bened. XIV, *Inst. 100*, num. 19 et seq. Hanc Episcopus urget limitationem, ac singula concurrere ait eius requisita. Re ipsa distinctos esse contendit fabricae reditus, eorumque originem a remotis desumit saeculis. Ad confir-

[1] Cf. N. 345.

mandam huiusce reditus destinationem in fabricam Ecclesiae nonnullas Episcopus profert ipsius Capituli confessiones. Praeter distinctos fabricae reditus adesse ait Episcopus Statuta, quae eius manutentionis onus in Capitulum reiiciunt. In antiquis Ariminensis Ecclesiae Constitutionibus anni 1520 quotidianas ex additis reditibus auxerunt Canonici distributiones, *supportatis prius et deductis oneribus, et factis aliis expensis congruis, opportunis et necessariis pro conservatione et manutentione Ecclesiae nostrae et aliorum nostrorum beneficiorum.* In posterioribus quoque Constitutionibus anni 1651 sancitum est, pecuniam solvi solitam in ingressu a Praeposito erogari debere *per ornatum sacristiae et altarium, necnon pro reparatione Ecclesiae et organorum.* Visitationum accedunt decreta, quin unquam Canonici reclamaverint. Postremo quoad observantiam: Ecclesiae sacrarium perficere velle declaravit Capitulum anno 1282; tintinnabulum construi fecit anno 1494; censum imposuit anno 1639 *per i pesi di detto Capitolo e della Chiesa Cattedrale;* iterum et tertio annis 1639, 1640, 1641 in passivo statu retulit expensas *per riparazione di detta Chiesa Cattedrale;* contractum iniit anno 1695 super huiusmodi reparatione cum fabro murario.

Insistunt alia ex parte Canonici regulae, quae Episcopo adversatur, acriterque limitationem impugnant. Quaeritur:

I. *An, a quo, et ex quibus bonis, sit facienda reparatio Ecclesiae Cathedralis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Reparationem Ecclesiae Cathedralis esse faciendam a Capitulo ex reditibus Mensae Capitularis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 199-205].

3869.

S. C. C., *Firmana*, 19 sept. 1789.

Resoluta fuit haec causa die 13 iunii praeteriti; [1] modo vero reproponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 58, p. 197].

3870.

S. C. C., *Veliterna*, 5 iun., 18 sept. 1790.

Adeo Parochialis SS. Salvatoris Velitrarum ecclesia fatiscit, ut alibi parochiales agantur functiones. Peritorum iudicio ad eam reparandam requiritur summa scutorum 2420, nec pares sunt illius reditus sumptui. EE. igitur Vestris supplicarunt ipsius Officiales pro suspensione onerum, quae sacrario, Archipresbytero, Beneficiatis et Capellanis incumbunt. Ad EE.

[1] Cf. N. 3866.

VV. retulit Emus Veliternus Episcopus ei consuli posse, si onera Missarum, quae tam Praebendatis, quam ipsi ecclesiae incumbunt, pro medietate suspenderentur. Ita enim haberetur summa scutorum 89.20, ac si expositiones suspenderentur SS. Sacramenti, quae aliorum scutorum 13 emolumentum afferret, ad quae adiunctis scutis 44.65 solvendis a Beneficiatis, conflaretur annua summa scutorum 146.85, ex qua fructuum pensio (creandi census scutorum 2400) exsolvi posset, et aliquid etiam deponi ad extinguendam sortem. Dimisso autem censu scutorum 800 creato ad extruendam sacram turrim, accederent alia scuta 53.60 ex reditibus ipsius ecclesiae: quibus omnibus simul collectis conficeretur summa scut. 200.45, et tunc largior summa deponi quotannis posset ad sortis extinctionem. Neque spem ullam reponendam dixit in contributionibus parochianorum ad formam Sac. Conc. Trident., Sess. 21, cap. 7, *de ref.*, nam animadvertendum est, maximam familiarum partem, quae eiusmodi Parochia continentur, infimi ordinis esse et paupertate pressas. Ubi non suppetunt ecclesiarum vires, ad illius reparationem prae omnibus tenentur, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, ut Tridentina statuit Synodus in cit. Sess. 21, cap. 7, *de ref.* Ad opus ergo concurrere debere videntur Beneficiati, et Cappellani, qui fructus ex dicta ecclesia percipiunt. Deliberandum tamen esset, num taxari etiam deberent Parochus eiusque Coadiutores et Clericus beneficiatus. Hi autem vix habent congruam. Quaeritur ergo:

An, et quomodo sit providendum in casu?

Die 5 iunii 1790 Sacra, etc. respondit: Dilata, et expectetur relatio Emi Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventurae.

Insignem namque in ea ecclesia possidens Capellaniam annui reditus scutorum 800, concordiam inierat Collegium cum Deputatis fabricae super contributione, eiusque approbationem postulaverat. Quasi profecto contribuere non teneretur in illius reparationem, gratuitum in eam obtulit donum scutorum 550, aliaque despondit scuta 50, quatenus suspensionem Missarum Deputati non obtinerent, idque, etiamsi ad maiorem peritiae summam ascenderet reparatio. Nuper autem Emus retulit Episcopus: *Praeterquam quod eiusmodi transactio, me penitus inscio et inconsulto, inita est, accedit, quod super re incerta celebrata est. Licet enim peritorum iudicio impensae restaurationis summa scutorum 2400 circumscriptae fuerint, satis tamen experientia docet, haud maximopere huiusmodi peritorum iudiciis fidendum esse. Ideoque minime probanda videtur transactio, cuius vi altera ex partibus certam contributionem constituit, quae minor esse possit, quam quae pro ratione operis perficiendi requiratur. Hinc enim in alteram partem detrimentum redundaret. Quum itaque minime dubitari possit, quominus quicumque beneficium possident, ad tecta ecclesiae restauranda vel ipsas ecclesias emendandas teneantur, ideo omissa praedicta transactione ad huius Sacrae Congregationis sapientiam et auctoritatem pertinebit vel eam contributionem, quae meo decreto Ven. Collegio indicta est, confirmare, vel aliam imponere.*

Deliberandum igitur:

I. *An, et quomodo sit providendum in casu?*

II. *An sit approbanda transactio in casu?*

Die 18 septembris 1790 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative iuxta votum Emi Episcopi.

Ad II. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 59, p. 87-90, 192].

3871.

S. C. C., *Brixinen.*, 18 sept. 1790.

Dum Clericus Ioannes Nepomucenus de Spaur, Salisburgensis et Brixinensis Capituli Canonicus apud Comitem Franciscum eius patrem Wetzlariae morabatur, Blasbachum petiit cum Leopoldina de Sayn et Wittgenstein calvinista, ibique ei die 28 maii 1781 coram Lutherano Parocho nupsit. Re cognita, omnia ad impediendam illius executionem tentavit Comes Franciscus, statimque filium in Brixinensem relegavit Civitatem. Hic vero per iteratas epistolas ad Leopoldinam eiusque amitam, nulla vi separari posse profitebatur a coniuge, quam deliberato duxerat animo, perpetuamque pollicitus fidem, neque, aiebat, *dilectam uxorem cum mille praebendis commuto*.

Ex pervulgata matrimonii fama, Ecclesiae suae Canonicatum contulit Salisburgensis Archiepiscopus Comiti Friderico Waldstein die 23 decembris eiusdem anni, contulitque Sanctissimus mense aprili seq. anni 1782 Brixinensem Canonicatum ad impetrationem Francisci Xaverii Baronis de Welden, uti vacantem *ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus*. At mutato tandem consilio, impetratori se opposuit Clericus Ioannes, obtinuitque subsequenti mense augusti remissionem causae ad Congregationem Particularem. Post *formalem* interim *inquisitionem* promulgavit Salisburgense Consistorium mense septembri declaratoriam sententiam super vacatione prioris Canonicatus, *ob contractum matrimonium*, eamque per apostolicum breve confirmavit anno 1784 Sanctissimus Pius, et per solemnem renunciationem accepit Nepomucenus. Repente deinde Leopoldina mutata, a matrimonii vinculo dissolvi curavit per heterodoxum Consistorium Wetzlariae. Libere igitur Comes Ioannes prosequutus fuit causam adversus R. P. D. Georgium Sigismundum Porzia, qui ob dimissionem Baronis de Welden, Brixinensem Canonicatum et ipse impetraverat *ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus*.

Sed proposito sub die 27 martii 1787 dubio: *An sit inducta vacatio Canonicatus, ita ut literae apostolicae sint exequendae*, respondit Particularis Congregatio: *Affirmative*. Contrarium die 14 ianuarii seq. anni 1788 prodiit rescriptum: *Praevio recessu a decisis, literas apostolicas non esse exequendas*. At in tertia propositione diei 27 aprilis elapsi anni 1789, in qua secundum additum fuit dubium: *An novae literae apostolicae sint exequendae*, impetratoriae scilicet literae ob assumptum a Comite Spaur militare cingulum cum stipendio, stetit Sacer ille Consessus quoad primum dubium

in primo loco decisis, rescripsitque ad secundum: *provisum in primo*. Provocavit ab edita sententia Comes Spaur, causaque ad Sacram hanc Congregationem delegata, infrascriptum modo proponitur dubium.

Quadruplici ex capite subreptitias et obreptitias dicit Comes priores impetratorias literas: ob falsam scilicet narrationem, quod Brixinensis Ecclesiae Canonicatum et Praebendam obtineret; quod matrimonium ab ipso contractum praetenderetur nullum, non tamen ex defectu consensus; quodque per consequens ex hoc defectu non esset nullum; ac ipso tandem iure Canonicatus vacasset. Absolutum negat consensum in matrimonium, suamque in id et Leopoldinae deducit declarationem, quod illud contraxerint sub conditione futuri consensus parentum. Nullum autem est matrimonium ex defectu consensus, non purificata conditione, sub qua contractum fuit: quum perinde ab initio defecisse censeatur consensus, ac si nunquam praestitus fuisset. Quo deficiente consensu, ad valorem matrimonii requisito, neque beneficium vacasse censent Doctores. Omnium postremo falsissimam asserit narrationem, quod ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus, ipso iure vacasset Canonicatus. Haud enim inducta censetur huiusmodi vacatio, nisi in casibus a iure expressis. Expressa autem non autumat Comes Spaur, quae in id afferri solent canonici iuris Doctores.

Verum R. P. D. Porzia de absoluto in matrimonium consensu codicem exhibet Blasbacensis Parochi, gravesque Comitis Spaur et Leopoldinae epistolas non suspecto tempore conscriptas, ex quibus non obscura desumuntur illius argumenta. Transit post haec ad articulum utrum ipso iure vacet necne beneficium per contractum matrimonium nullum, praeterquam ex defectu consensus. Et affirmativam tuetur sententiam ex cap. 1, *de cleric. coniug.* Ratio siquidem, cur ibi Alexander III compellendos edixerit nubentes Clericos ad dimittenda beneficia, ea fuit, quod is, qui uxorem ducere statuit, *cogitat, quomodo placere possit uxori, et ideo minus, quae Dei sunt, valeat cogitare*. Haud ergo ad validum dumtaxat respexisse censetur matrimonium, sed ad simplicem etiam animi destinationem, de qua expresse loquitur Innocentius III in cap. 4, *de bigamis*. Quae autem in Comite Spaur fuerit animi destinatio, iam supra notatum est.

Deliberare itaque dignentur Emi Patres:

An sententia Congregationis Particularis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Esse confirmandam, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 59, p. 184-191].

3872.

S. C. C., *Camerinen.*, 18 dec. 1790.

Rector ecclesiae beneficii S. Laurentii in Camerinensi Dioecesi EE. Vestris supplicavit pro facultate demoliendi fatiscentem ecclesiam. Preces remissae fuerunt ad Camerinensem Archiepiscopum pro informatione et

voto. Haec autem Archiepiscopo absente Generalis refert eius Pro-Vicarius: *Ecclesia, de cuius demolitione agitur, quaeque sita est in confinio duarum Paroeciarum S. Urbani et S. Agneli terrae Apiri, huius Dioecesis, nullo modo inservit commoditati populi prope eam commorantis, quum alia existat vicina et magis accommodata ecclesia sub titulo SS. Annunciationis, nec in illa ulla fuit impositio Missarum, neque Sacramentorum administrationis.* Affigi ulterius fecisse testatur ad fores ecclesiae notificationem; nullumque comparuisse ad contradicendum Oratoris petitioni. Infelicissimum ipsius ecclesiae statum ex transmissa ostendit peritia. Bini enim referunt murarii fabri, *come l'abbiamo ritrovata in pessimo stato, diruta in parte e vecchissima, per cui non può essere in stato di risarcimento, tanto più, che evvi vicinissima una ripa, o sia fosso... e secondo la nostra arte vi vorrebbe la spesa di scudi 220.*

Ubi fieri valet, reparandae, non destruendae sunt ecclesiae, ex aperta dispositione Sacri Concilii Tridentini, Sess. 21, cap. 7, *de ref.*, eae praesertim, quae titulum praebent Beneficiis, ut illa est S. Laurentii. In casu autem nostro locus fortasse esse posset reparationi.

Haec contra EE. Patrum iudicio subiicit Orator, ne ad gravem hunc sumptum cogatur: tenuitatem nempe Beneficii, incommodam habitantibus ecclesiae positionem in praerupto difficilique loco. Homines praeterea Villae Casalinorum erigere pollicentur altare in honorem S. Laurentii in proxima eorum ecclesia SSm̃ae Annunciatae, dummodo ad eam ampliandam demoliendae ecclesiae caementa concedantur. Deliberare igitur dignentur Em̃i Patres:

An, et quomodo sit locus demolitioni ecclesiae in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, extructo in ecclesia SSm̃ae Annuntiatae altari in honorem Sancti Laurentii per concessionem caementorum demoliendae ecclesiae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 59, p. 235-237].

3873.

S. C. C., *Milevitana*, 26 nov. 1791.

A matre coactus, metuque amittendae eius hereditatis suscepit Andreas Borg Subdiaconatum. In ipso tamen ordinationis actu alieno ab ea fuit animo, suamque contrariam voluntatem alteri pandidit Ordinando. De sua postridie sententia Confessarium interpellavit, eaque pro validitate Ordinis accepta, ultro deinde ad Diaconatum et Presbyteratum ascendit, ac per decennium in utroque Ordine ministravit. Re tandem vulgata, eum Melitensis Episcopus a divinis suspendit, donec Sacrae huius Congregationis oraculum acciperet. Hoc igitur flagitavit Borg; atque exposita confirmans, EE. PP. iudicio adhaerere profitetur Episcopus.

Si Oratoris ordinatio in Subdiaconum quoad coactionem spectetur et metum, censeri posset valida. At si ipsum respiciamus ordinationis actum, eius nullitatis argumentum praebere videtur confessio Oratoris, qui peierare non censetur in praeiudicium animae. Quatenus vero nullam censeant

Em̃i Patres collationem Subdiaconatus, deliberare etiam dignentur, num iterari debeat. Iuris dispositio est pro affirmativa, ut colligitur ex cap. unic., *de cleric. per salt. prom.*, quia *non intelligitur iteratum, quod factum esse non noscitur.*

Quaeritur ergo:

1. *An constet de nullitate Ordinis Subdiaconatus ita ut sit reiterandus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 60, p. 234-236].

3874.

S. C. C., *Mutinen.*, 26 nov. 1791.

Duo ab immemorabili tempore, ignotisque fundatoribus in Cathedrali ecclesia Mutinensi sunt Beneficia: unum annui reditus scutorum 2.10 sub titulo S. Geminiani; alterum scutorum 2 sub titulo S. Domnini: utrumque cum respectivo onere Missarum 36. Tertium scuti unius et ob. 34 cum onere Missarum trium in Parochiali est ecclesia Casinalbi sub titulo S. Sebastiani. Tria haec Beneficia alterne a S. Sede et Ordinario duobus abhinc saeculis collata fuerunt, sed a nonnullis annis vacant, ac nemo est, qui ea prae tenuitate accipiat. Sanctissimo igitur Mutinensis Episcopus supplicavit pro facultate applicandi illa SS. Geminiani et Domnini Parochiali ecclesiae S. Pancratii tenuis reditus scutorum 20, nullis deductis oneribus; aliudque S. Sebastiani Parochiae Casinalbi, cui annua tantum sunt scuta decem: reductis tamen ad aequum numerum Missis.

Re ad Sacram hanc Congregationem delegata, ea omnia in sua informatione confirmavit Episcopus; retulitque de consensu Capituli Cathedralis et Parochi Casinalbi, ac de qualitate reditus cuiusque Beneficii. Hisce perpensis nil unioni, de sua sententia requisiti, obesse aiunt Ministri Datariae.

Ad inopes succurrendas Parochiales ecclesias perpetuam Beneficiorum unionem permittit Honorius III in cap. *Exposuisti, de praebend.*, et Sacr. Conc. Tridentinum, Sess. 21, cap. 5, *de ref.* Si in praesenti casu annuere placeat pro unione Beneficiorum, deliberandum erit quoad Missas de modo. Cum iisdem profecto fieri deberet oneribus, sed ponderandum, num iis pares sint reditus. Ubi autem impares sunt reditus, concedi solet Missarum reductio. Post immemorabilem sane Beneficiorum erectionem fieri deberet huiusmodi reductio ad manualem. Dubium est:

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro unione Beneficiorum, et reductione Missarum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta votum Episcopi, reductis Missis ad taxam perpetuae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 60, p. 236-238].

[1] Cf. N. 3880.

3875.

S. C. C., *Civitatis Castellanae*, 3 mart. 1792.

Laetitia et Francisca sorores de Angelinis anno 1783 gratiam pontificiam petierunt, ut e Tertiariorum Conservatorio oppidi Fabricae, in quo professae erant, ad saecularem vitam redire possent. Reque cum omnibus facultatibus ad Ordinarium delegata, sua is sententia declaravit: *constitisse et constare de legitimis causis deveniendi ad saecularizationem supradictarum sororum de Angelinis*, deindeque Monasterium damnavit ad restituendas in summa scutorum 550 illarum dotes, ut decrevit etiam Auditor Camerae. Ulteriorem admisit appellationem R. P. D. Auditor SSmi, et quoad medietatem dotium in suspensivo, quoad aliam medietatem in devolutivo deputavit R. P. D. Alliata de consensu. Sed ad preces hodierni Episcopi causam tandem quoad omnes et omnia ad Sacram hanc Congregationem remisit.

Supposita simplicium votorum qualitate, sorores de Angelinis omne id reddendum contendunt egredientibus a Religione, quod in eam intulerunt. Moniales contra, quae solemnia tuentur vota, redditam vindicant dotium medietatem tum ex iure, cum ex Regula Monasterii. Ex iure siquidem irrevocabiliter transfertur per solemnem professionem dominium dotis in Monasterium, ideoque egrediens a Religione, vel ad aliam transiens neque illam repetere, neque alimenta consequi valet. Ex Regula vero, quia cautum in ea legitur, quod dos per professionem *s'intenda subito incorporata al Monastero da impiegarsi a beneficio di tutte*, et in uno reddenda sit casu, *che non farà la professione*, quae quidem exceptio adversus sorores de Angelinis professas firmare videtur regulam in contrarium. Dubia sunt:

1. *An vota, quae profitentur a religiosis mulieribus Iesu et Mariae terrae Fabricae, sint solemnia, vel potius simplicia in casu?*

2 *An sit locus repetitioni dotium, vel potius restitutioni medietatis iam solutae per dictas Religiosas sororibus de Angelinis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et amplius.

Ad 2. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 27-32].

3876.

S. C. C., *Anconitana*, 21 apr. 1792.

Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Platea Anconae, in qua sex ultra Praepositum erant Canonici, totidem additi sunt ex testamento Comitissae Camillae Ferretti. Duas prae ceteris ex hereditate Ferretti possident Canonici domos, angustiorem unam prope ecclesiam S. Iacobi, ampliorem trium contignationum alteram in promercali Foro; easque indigentes reparationibus expositasque periculo incendii ob ligneas scalas ligneasque

mansionum divisiones. Illas igitur venum tradere decreverunt, acceptaque Communitatis patronae repulsa, Sanctissimo supplicarunt pro facultate conficiendi distinctas cuiusque contignationis venditiones. Precibus vero ad Sac. hanc Congregationem remissis, partium dumtaxat exposuit iura Emus Episcopus.

Neque ex dispositione Comitissae Ferretti, neque ex iure, inquiunt Canonici, interdicta est controversa venditio; eaque ex iure permittitur concurrente necessitate vel utilitate. Necessariam autem peritorum iudicio huiusmodi venditionem dicunt ob malum aedium statum ac verisimile incendii periculum; utilem ex probabili spe augendi reditum.

Nullum altera ex parte Communitas ius esse contendit Canonicis vendendi domos, quae ad ipsam hereditario pertinent titulo. Illudque etiam notandum, quod implicite saltem prohibuit testatrix alienationem, dum administratorem voluit diligentem, *perchè li miei beni venghino non solo mantenuti nel loro essere, ma ancora migliorati*. Probabili de cetero Canonicorum utilitati praeferendum aiunt Moderatores Communitatis detrimentum inquilinorum, qui evacuare deberent domos et promptuaria, in quibus mercaturam exercere consueverunt. Maxime quia adeo utilis fortasse non esset venditio, ut sperant Canonici; quum difficile novi investimenti fructus superare possent illarum pensiones. Respondere igitur placeat:

An, et quomodo sit locus venditioni domorum hereditatis Comitissae Ferretti in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis verificandae coram Sac. Congregatione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 63-66].

3877.

S. C. C., *Asculana*, 21 apr. 1792.

A Diaconatu per Asculanum Episcopum repulsus Tertiarii habitum induit Subdiaconus Aloysius Ciannavei in Conventu PP. Minorum de Observantia Recineti, ut facilius ad Ordinem illum promoveretur; et post constantem biennii repulsam Sanctissimo tandem supplicavit, ut Recinetensi vel alteri viciniori Episcopo suam ordinationem ad Presbyteratum committeret. Precibus ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, Oratorem ad maiores Ordines promovere noluisse retulit Asculanus Episcopus, utpote destitutum qualitatibus praecipue a Tridentino requisitis, et ludis etiam publicis, aliisque vitae illecebris deditum, valdeque de fraude assumpti habitus religiosi timere aliorum exemplo, qui vix ad Presbyteratus Ordinem promoti, ad saeculum (religioso dimisso habitu) habuere regressum, et ad pristinam vitam redierunt. Atque ita conclusit: *Testimonium bonorum morum, habitum a Religiosis Conventus, in quo* (Orator) *degit, haud me moraliter certum reddit mutationis vitae, multoque minus de aliis qualitatibus a dicto S. Concilio et synodalibus constitutionibus praescriptis, ut dignum in Domino Oratorem credam Ordine Diaconatus*. Apostolicus vero Vicarius

Recineti, in cuius Dioecesi a biennio est Orator, quoad hoc tempus testatur: *Nil unquam ad me meamque Curiam delatum, quod eius mores et vitam reprehendat. Intra septa Monasterii ita se gessit, ut nunquam a suo Superiore increpari et corrigi meruerit.*

Vitam in saeculo animadversione dignam egit Orator, eique propterea denegavit Asculanus Episcopus Diaconatum. At post seraphicum assumptum habitum ita mores per biennium composuit, ut dignus videri posset ordinatione. Ac plura eius favore sunt testimonia. At nedum eum Asculanus Antistes ex acta vita indignum, sed destitutum etiam censet qualitatibus a Tridentino requisitis; remque in id Tridentina Synodus iudicio Episcopi relinquit: Sess. 21, cap. 2, *de ref.*, Sess. 23, cap. 12, 16, *de ref.* Ex hisce sane conciliaribus sanctionibus infert Barbosa, *De Episc.*, part. 2, allegat. 4, num. 66, quod Deum solummodo Iudicem habebit Episcopus, nec facile permittendum, ut quis ad Sacros Ordines contra eius voluntatem promoveatur. Licet autem ab eius iudicio non detur appellatio, admittitur tamen recursus ad S. Sedem, quae ordinationem Metropolitano, aut viciniori committere solet Episcopo, quatenus legitimam Ordinarius non adducat recusationis causam. Quaeritur itaque:

An Subdiaconus Aloysius Ciannavei sit promovendus ad sacros Diaconatus et Presbyteratus Ordines in casu?

Die 24 martii 1792: Non proposita.

Die 21 aprilis 1792 Sacra, etc. respondit: Recurrat humiliter ad suum Ordinarium.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 55-57, 59].

3878.

S. C. C., *Nullius S. Iacobi de Spatha*, 21 apr. 1792.

Ecclesiasticum beneficium cum officio aeditui ab anno 1732 possidebat Antonius Amaya in Parochiali ecclesia villae *Fuentes de Leon*, eiusque titulo sacros eodem anno acceperat Ordines. Illud igitur libere resignavit coram Vicario Generali Prioratus S. Iacobi de Spatha favore Iosephi Sanchez Brioso. Sed privatim cum eodem et Eusebio illius patre convenit, ut officii exercitium incumberet resignatario, perciperet ipse fructus beneficii; idque per aliquod tempus exequutum fuit. Monitus tandem de Simonia, Sanctissimo supplicavit suo et illorum de Sanchez nomine pro absolutione a censuris et iuxta relationem Prioris de Spatha pro approbatione etiam supplicant contractus. Additque Prior, Oratorem et Eusebium Sanchez per iuramentum coram suo Commissario contestatos fuisse ea se opinione contraxisse, *che non v'interveniva simonia, dacchè intervenendovi non vi di persone intelligenti, dalle quali vennero assicurati, che essi non commettevano in ciò cosa illecita.*

Simoniacus porro est in beneficialibus contractus *do, ut des*, qualis videtur ille, de quo agitur, nam dedit Amaya beneficium, ut sibi daret

Sanchez fructus, qui ad ipsum per resignationem pertinuissent. Qui ita enim absque licentia Sedis Apostolicae contrahit, veram committit confidentiam, a qua tantopere abhorruit S. Pius V in const. *Intolerabilis.*[1] Mereri quidem possent Oratores absolutionem a censuris et condonationem fructuum ob bonam fidem, cum qua contraxisse affirmant. Per approbationem vero confidentialis resignationis praemium quodammodo Oratores consequerentur confidentiae. Dubia sunt:

1. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione, et condonatione fructuum in casu?*

2. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro approbatione resignationis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, distributa aliqua summa in pauperum subsidium.

Ad 2. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 73-75].

3879.

S. C. C., *Sarsinaten*, 21 apr. 1792.

Adeo Sacerdos Bernardinus Giorgini Sarsinatensis Cathedralis Canonicus annorum circiter 65, podagrico captus est et chiragrico morbo, ut neque in debiles consistere valeat pedes, neque omnino manibus uti. Vel asino propterea vel sessibulo gestatur. Ita pluribus annis adire consuevit ecclesiam, Sacrumque faciebat incumbens in altare, quin genua flecteret aliasque caeremonias concinne expleret. Quantum vero tardus erat motu, tantum in celebratione velox: nam cum gravi adstantium scandalo septimum in ea vel octavum non excedebat horae momentum; aliasque in ecclesia, immediate post Sacrificium per turpes in feminam actus dedit scandali causam. Dubitare hinc coepit de suspensione a divinis, supplicavitque an. 1786 Sacrae huic Congregationi pro facultate continuandi celebrationem Missae meliori quo posset modo, facto tamen caeremoniarum experimento. Commisit hodiernus Antistes experimentum Presbyteris Congregationis Sacrarum Missionum, qui Canonicum Oratorem dixerunt omnino impa em ad ea, quae in tanto Sacrificio praescribuntur, absolvenda. Qua de re Antistes ei paterna charitate celebrationem interdixit Missae, EE. tamen Vestris iudicandum reliquit, iurene an iniuria id fecerit.

Preces idcirco ad Sanctissimum iteravit Giorginius, quae ad Sacram remissae fuerunt Congregationem, ac pendente super his informatione Episcopi, supplicem ad EE. Vestras dederunt libellum zelatores Sarsinae et Sarsinatensis Dioecesis Sacerdotes, maximumque scandalum ex indecenti Oratoris celebratione contestati, monuerunt, ne fides praestaretur vilioribus testibus per eum expiscatis, quos ipse ad suos probandos bonos mores minuendamque celebrationis indecentiam reipsa produxit. Super-

[1] Cf. N. 130.

venit tandem novissima informatio. Ac praeter inhabilitatem, ob quam impeditur *fare alcuna elevazione di mani, Ostia e Calice, dovendo per stare in piedi e reggersi, tenere uno de gomiti sempre appoggiato*, alias exponit suspensionis causas. *Per primo il disprezzo, che ha fatto mai sempre della S. Messa da lui vilipesa, e non ecceduta mai nella sua durata li nove minuti ad onta delle ammonizioni; secondariamente l'animosità più volte commessa pel fine appunto di sempre maggiormente rendersi breve, di pervertire l'ordine dei sagri riti e funzioni. Il reato enorme per terzo, commesso nella chiesa stessa del Seminario, ove aveva celebrato, e la celebrazione appena ultimata e spogliato de sagri arredi, col Sagramento in petto, colla Rosa Gervasi.*

Absurda quidem non esset dispensatio ad effectum celebrandi in oratorio privato cum assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi, ac etiam sedendo, excepto Canone, ut probat Bened. XIV in ep. ad Apostolicum Caeremoniarum Magistrum Reali.[1] Notandum tamen, quod concedi consuevit huiusmodi indultum spectabilioribus dumtaxat Ecclesiasticis et Episcopis sanctitate praeclaris. Quaeritur ergo:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro indulto celebrandi Missam in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 66-70].

3880.

S. C. C., *Milevitana*, 18 iun. 1792.

Dilata fuit resolutio huius causae die 26 novembris 1791,[2] scriptumque Episcopo iuxta instructionem pro formali examine Sacerdotis Borg et Ordinandi, cui suam ille ante ordinationem pandidit contrariam voluntatem.

Sacerdos Borg interrogatus dixit: Compiti da me li ventun'anni e persistendo mia madre nelle minacce di privarmi della sua eredità, deliberai, come feci, di presentarmi per essere ammesso all'ordine del Subdiaconato. Nel ritiro delli santi esercizi avendo conferito il tutto con un Confessore, mi consigliò di non presentarmi per gli ordini sacri per mancanza di vocazione. Terminati però gli esercizi, nulla curando il consiglio del Confessore, mi portai in questa Città Valletta per ricevere l'Ordine del Suddiaconato, e ciò unicamente per contentare mia madre, la quale continuava sempre a minacciarmi. Poco prima di essere chiamato per approssimarmi a Monsignor Vescovo, assalito da gravi rimorsi di coscienza, deliberai di non accostarmi a ricevere l'ordine sacro, e comunicai questa mia volontà ad un altr'ordinando di nome Don Giovanni Bezina del Pargur. Dopo pochi momenti però, essendo stato chiamato per nome, per accostarmi a ricevere il Suddiaconato, in presenza di molte persone ed anche di mia madre,

[1] Cf. N. 445.
[2] Cf. N. 3873.

vinto dall'erubescenza e da rispetti umani, mi presentai a Monsignor Vescovo coll'intenzione di non ricevere assolutamente l'ordine del Suddiaconato. Nell'atto dell'imposizione delle mani e della consegna de vasi sacri io perseverai nell'intenzione contraria. Infatti mi ricordo d'aver ritirate le mani per non ricevere li sacri istromenti, benchè poi gli avessi toccati, con intenzione però contraria. Comunicai la mia contraria volontà al sudetto Don Giovanni Bezina per indurlo a non ordinarsi, e così non esser solo nel ritirarmi dalla prossima ordinazione. Pochi giorni dopo la mia predetta ordinazione mi nacque il dubbio sopra la validità dell'ordine, ed avendo comunicato il tutto al mio Confessore, mi rispose questo, essere stata valida l'ordinazione, e che potevo ascendere liberamente ad ulteriori ordini sacri, perchè era sufficiente l'atto esterno per essermi io avvicinato da per me stesso al Vescovo senz'alcuna violenza per ricevere l'ordine.

Sacerdos vero Ioannes Bezina interrogatus respondit: Il Signor Canonico Borg ricevette con me l'ordine del Suddiaconato, nè mi nacque alcun dubbio sopra la validità del predetto ordine. Non mi ricordo, che il Signor Canonico Borg mi avesse detta cos'alcuna prima di ricevere l'ordine del Suddiaconato. Alcuni mesi sono, il riferito Sacerdote mi aveva detto, che poco prima di ricevere l'ordine del Suaddiaconato, mi aveva comunicata la sua intenzione contraria di ricevere il detto sacro ordine per gravi minacce fattegli dalla madre, e mi aveva pregato a prestargli su di ciò la mia deposizione. Io però, che non ero di ciò inteso, o almeno non mi ricordavo di tali cose, ricusai di fargli un tale attestato, e d'altro non mi trovo informato.

Deliberare itaque dignentur EE. Vestrae.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Esse locum ordinationi Subdiaconatus sub conditione et secreto faciendae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 96-99].

3881.

S. C. C., *Placentina*, 21 iul. 1792.

Fideicommissum instituit anno 1528 Alexius Pusterla, vocatosque gravavit onere hebdomadalis Sacri. Altero condito fideicommisso, quotidianam anno 1616 praescripsit Missam Plinius Bonini. Et Petrus Franciscus Pusterla, qui praeter bona alterius fideicommissi Equitis Io. Andreae Pusterla habebat etiam propria, haec et ipse anno 1696 cum onere alterius Missae quotidianae fideicommisso subiecit. Omnia haec fideicommissa in unam coaluerunt familiam Bonini; denique ad familiam transierunt Boselli-Bonini per concordiam initam anno 1737 inter Boninos et Hyppolitum Boselli, filium Theresiae Bonini. Qua in concordia cautum praecipue fuit de perpetua hebdomadalis et utriusque quotidianae Missae celebratione. Ob imminuta vero fideicommissaria bona Plinii Bonini et Petri Francisci Pusterla abolitionem postulat Hyppolitus Boselli-Bonini, vel reductionem duplicis quotidianae Missae, quae illis inhaeret. Quoad hebdo-

madalem enim Missam relictam ab Alexio Pusterla *non intende muover parola*.

Quatenus iuxta votum Episcopi admittendae essent detractiones a bonis Petri Francisci Pusterla et Plinii Bonini, expensae nempe litis actae pro recuperandis dictis bonis a Comitibus Baldini: locus esse posset reductioni utriusque quotidianae Missae. Notandum vero contra, quod Oratoris auctores utriusque Missae onus assumpserunt, certumque pro earum celebratione assignari convenerunt capitale per concordiam anni 1737. Secum igitur reputent Emi Patres, num reduci debeant Missarum onera per huiusmodi contractum assumpta, ac deliberare dignentur:

An, et quomodo sit locus abolitioni vel reductioni oneris Missarum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 117-121].

3882.

S. C. C., *Tudertina*, 15 sept. 1792.

Viva voce Tudertinus Clerus elegit anno 1788 coram Vicario Generali Innocentium Mariani, Parochum Cathedralis, in Deputatum episcopalis Seminarii. At mutata voluntate munere ipsum privavit in comitiis 17 februarii elapsi anni 1791, elegitque in Deputatum Seminarii Parochum Cyprianum Petrucci. Ad suum igitur tuendum honorem Sacram hanc Marianus adiit Congregationem pro redintegratione ad officium; suoque Tudertinus Episcopus abstinens voto, retulit potissimum, quod congregatio anni 1788, in qua electus est Marianus in Deputatum, celebrata fuit cum interventu *viginti septem ex tercentis viris, ex quibus componitur Clerus urbanus et forensis*, ob seram eius significationem forensibus Parochis, quodque in altera congregatione anni 1791, in qua Orator omnem suum praebuit assensum, ut ad tramites petitionis electio fieret, recollectis suffragiis a munere fuit exclusus. Prima igitur disputatio est de remotione Mariani a munere Deputati; eamque validam tuetur Clerus ob illegitimam illius electionem. Irrita quidem fit electio, ad quam omnes vocati non sint electores: cap. *Quod sicut*, *28*, et cap. *Bonae*, *36*, *de elect.*, idque evenisse ait Clerus in electione Mariani. Altero etiam ex capite nullam dicit Clerus electionem Mariani, ex eo nempe, quod expleta fuit viva voce, seu potius, ut ipse asserit, *con una stretta di spalle*.

Regulam contra urget Marianus per Clerum admissam, de perpetuo eorum munere, quibus semel commissa est Seminarii administratio. Eoque magis, quia suo privari non poterat munere absque cognitione causae et non declarata iuris ordine servato prioris electionis nullitate. Quanti autem faciendae sint personales exceptiones, ex hoc decerni potest, quod adversus singulares testes de illis deponentes amplissima sunt testimonia decessoris et hodierni Episcopi, Capituli Cathedralis, Magistratus, Sacerdotum, et Praefecti Seminarii. Deliberandum igitur:

I. *An constet de legitima remotione Curati Mariani a munere Deputati Seminarii Tuderti, ac respective de legitima electione Sacerdotis Petrucci in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative in omnibus, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 160-163].

3883.

S. C. C., *Vilnen.*, 15 dec. 1792.

Post biduum a defuncto Alexandro Horaim obiit die 18 octobris 1788 Constantia Volodkovicz eius uxor, elegitque sibi sepulturam in ecclesia PP. Carmelitarum discalceatorum Conventus Olkoviensis, quorum Tertiariae habitum gestaverat. Statim Theresia ipsius mater eiusque vir Franciscus Uniechovszki contendere coeperunt, tamquam executores testamentarii, de sepeliendo cadavere Alexandri Horaim cum altero uxoris in ecclesia PP. Carmelitarum; sed eis restitit Parochus Olkoviensis, ac spreto episcopali praecepto, de non sepeliendis sub poena excommunicationis cadaveribus in sua ecclesia absque interpellatione Theresiae, ea de facto sepelivit. In contradictorio tamen iudicio cadaverum exhumationem prohibuit Episcopus Vilnensis, declaravitque Parochum ab incursis poenis immunem, praestito tamen per eum iuramento, quod violentiam ad sepelienda cadavera passus fuerit a fratribus Alexandri Horaim. Ab hoc autem decreto reclamarunt coniuges Uniechovszki, petieruntque ab EE. Vestris exhumationem cadaverum, ut sepulturae traderentur PP. Carmelitarum.

De exhumatione cadaveris Constantiae haec Apostolicus Poloniae Nuntius habet: *Res est luce meridiana clarior, Constantiam Horaim et potuisse de iure sibi eligere sepulturam, et revera elegisse, et rite elegisse. Potuit quidem inconsulto viro sibi eligere sepulturam: cap.* De uxore 7, de sepult. *Hanc vero potestatem ad actum redegisse Constantiam, legale eius probat testamentum nullis quaestionibus obnoxium.* Atque concludit: *manente electione legitime riteque peracta, et manente humatione cadaveris Constantiae alibi facta, quam ubi ipsa praeceperat, clara est iuris dispositio in cap.* 5, 6, de sepult. *et cap. 1,* eod. tit., in sexto, *exhumandum esse cadaver, et restituendum una cum oblationibus (salvis tamen iuribus parochialibus) ecclesiae, in qua electa fuit sepultura.*

De exhumatione deinde cadaveris Alexandri eiusque tumulatione in sepulcro uxoris rationes dumtaxat exponit Oratorum, remque Vestrae relinquit deliberationi. Quaeritur itaque:

1. *An, quae cadavera, et quomodo sint exhumanda, et respective tumulanda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative quoad Constantiam tantum iuxta votum Nuntii Apostolici.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 61, p. 202-205].

3884.

S. C. C., *Anconitana*, 19 ian., 16 mart. 1793.

Nupsit die 11 februarii 1782 Com. Ioseph Nappi nobili puellae Theresiae Ercolani, sed eam in quadrienni concubitu deflorare non potuit. Consulentibus igitur utriusque Confessariis, a thoro se separarunt coniuges; et tamen per intermissos congressus inutile veneris periculum ad aliud sexennium fecerunt. Concordi tandem animo insteterunt die 8 martii lapsi anni 1792 coram Eñ̃o Episcopo Anconae pro dissolutione matrimonii ob impotentiam viri; omnibusque adimpletis praeceptis Benedictinae constitutionis, *Dei miseratione*, [1] per constitutum scilicet coniugum recognitionem corporum, testiumque examen, definitive Eñ̃us Episcopus pronunciavit die 18 subsequentis iunii: *constitisse et constare de antecedenti, absoluta et insanabili coeundi impotentia Comitis Iosephi Nappi, et consequenter de nullitate matrimonii, locumque proinde fuisse et esse dicti matrimonii dissolutioni;* atque hinc delata ad EE. Vestras causa, rationes exposuit decidendi.

Regulam praemittunt Defensores coniugum, quod constito de absoluta coeundi impotentia dissolvendum est ob defectum substantiae matrimonium. Atque his praemissis visibilem affirmant impotentiam Comitis Nappi, ob organicum vitium penis. Quatuor enim periti, qui illius virilia recognoverunt, duo scilicet Medici totidemque Chirurgi, uno ore referunt, venas penis esse varicosas, seu dilatatas; ita ut erectionem impediant; *ed un tal difetto per essere organico, non è superabile colli rimedi*. Comitis impotentiam incorrupta comprobat Comitissae Theresiae virginitas, quam servatis servandis, adhibitisque balneis tres noverunt Obstetrices, quae pro inspectione mulieris adhiberi solent. Rectum namque Obstetrices proferunt virginitatis iudicium, licet causam non reddant scientiae. Iuramentum accedit utriusque coniugis septimaeque manus tum coniunctorum Comitis, cum instructorum testium pro Senogalliensibus consanguineis Comitissae de non consummato scilicet matrimonio, ut requirit text. in cap. *Proposuisti, de probat*.

Strenue altera ex parte Defensor contradicit matrimonii. Praesumptionem urget virilis potentiae, et inverisimilem uxoris patientiam cum impotente per decennium, ex cap. 1, *de frigid. et malafic.*, ac rigidiores propterea post diuturnum hoc silentium exigit probationes. Incertam de cetero dicit inspectionem muliebrium Comitissae per Obstetrices, nam saepe manus fallitur et oculus Obstetricum, ut in cap. 14, *de probat*. Quae eis insuper visa sunt virginitatis signa, ex constringenti induci potuerunt medicamento. Vera immo supponens virginitatis signa per Obstetrices notata, fieri adhuc potuisse contendit, ut iis manentibus consummatum fuerit matrimonium. Iuxta iudiciales siquidem peritos brevisimum Comes Nappi, valdeque subtilem habet penem, eoque idcirco pervadere potuit vas muliebre, quin

[1] Cf. N. 318.

membranam illam, quam vocant hymen, altius fortasse interiusque positam disrumperet. Impotentiam viri visibilem excludit ex perfecta penis structura, de qua fidem perhibent iudiciales periti. Confessionem deinde urget Comitissae Theresiae de aliquali experta penis soliditate (de qua conveniunt periti) cum larga seminis effusione, quae absolutam excludit impotentiam.

His ergo perpensis deliberare dignentur Eñ̃i Patres:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die 19 ianuarii 1793 Sacra, etc. respondit: Affirmative. Quo vero ad dilationem, et novam recognitionem viri, nihil.

Iterum autem proposita causa sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 16 martii 1793 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 62, p. 1-6, 47].

3885.

S. C. C., *Amerina*, 15 iun., 20 iul. 1793.

Impenso animo nupsit die 21 iunii 1788 Comes Aloysius Pontici nobili puellae Gertrudi Melchiorri. Prae sua vero frigiditate inutiles fuerunt per triennium et ultra maritales congressus, licet venerem excitare studuisset medica arte. Querebatur hac de re uxor, sed viri et soceri amore Iudicem adire distulit. Mense tandem aprili elapsi anni 1792 Sanctissimo supplicavit pro dissolutione matrimonii, eiusque instantia delegata fuit Sacrae huic Congregationi. Vix inchoato coram Amerino Episcopo processu, contradixit Comes, seque idoneum declaravit virum, etsi matrimonium consummare non potuisset cum renuente et inofficiosa uxore. Contrarium deinde sub formali deposuit examine, favitque instantiae uxoris. Ad rem autem Antistes ipse ex iudicialibus peritiis de impotentia testatur viri vera, reali, perpetua et insanabili, ac de intacta virginitate uxoris; sacrisque pro nullitate matrimonii allegatis legibus, negotium remittit EE. Patrum iudicio.

Regulam praemittunt defensores mulieris de dissolvendo statim matrimonio, ubi rectum ex perspicuis probationibus proferri valeat iudicium de impotentia viri iuxta can. *Quod autem*. 29, Caus. 27, quaest. 2, cap. 1 et 6, *de frigid. et malefic*. Satis autem est impotentia, quae ex interiori atque invisibili procedit causa, eiusque sufficiunt signa moraliter certa: quod concors nempe sit peritorum iudicium de perpetua et insanabili frigiditate, eamque iuramento confirment coniuges et ipsorum propinqui, qui septima ex numero nuncupantur manus. Duo siquidem Chirurgi totidemque Medici, qui virilia Comitis Aloysii imperio Iudicis recognoverunt, uno ore de absoluta, perpetua et insanabili testantur illius impotentia. Licet ea namque ad excitandam venerem adhibuissent, quae *avrebbero fatto qualche sorta di sensazione in un vecchio decrepito*, Comitis tamen penis *non diede alcun motivo o segno di erezione, e nè meno di tumefazione, così che non si mosse per ombra*. Huiusmodi autem impotentiam tribuunt muscu-

lorum erectorum paralysi, quae nulla omnino sanari valet arte. Iudicialis accedit utriusque coniugis confessio de non consummato matrimonio, quidquid in prima extraiudiciali confessione de sua virili potentia dixisset Comes *per sfuggir le derisioni del volgo*. Et cum septima tandem propinquorum manu depositio concurrit Obstetricum aliorumque peritorum de virginitate mulieris, quae consummationem excludit matrimonii per text. in cap. *Proposuisti*, 4, *de probat.*

Certam contra non autumat Defensor matrimonii impotentiam viri, ut ad dissolvendum Sacramenti vinculum ex praemissa canonici iuris regula requiritur. Valde profecto de ea dubitandum sit ob non delatam illius querelam ad Iudicem post mensem aut duos, secundum cap. 1, *de frigid. et malefic.* Verisimile enim non est, quod cohabitare voluerit mulier cum impotente viro per quadriennium. Parumque deferendum censet iuramento coniugum, quum suspicione non careat ipsorum conventio pro dissolutione matrimonii, maxime quia de sua vir iuravit potentia in prima declaratione, quae praevalet secundae ex cap. *Cum in tua, de testib.* Exceptione pariter non vacat iuramentum propinquorum: septem tantum sunt propinqui mulieris et viri, cum tot esse deberent ex parte utriusque iuxta cap. 5, *de frigid. et malefic.*, et can. *Requisivisti*, 2, Caus. 33, quaest. 1. Neque evidens impotentiae viri signum arbitrantur virginitatem mulieris Doctores. Ac perfecta tandem ostentat virilia Comitis, licet per quadriennium inutilia. Deliberare igitur dignentur Emi Patres:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die 15 iunii 1793 Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.

Instructionem, quod pro parte viri nempe et mulieris compleretur numerus quatuordecim propinquorum a sacris canonibus praefinitus, iique omnes iuramento confirmarent, verisimile sibi esse, utrumque coniugem verum dixisse, adimplevit Amerinus Episcopus. Iterum propterea quaeritur: *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

Die 20 iulii 1793 Sacra, etc. respondit: Affirmative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 62, p. 159-162, 184].

3886.

S. C. C., *Civitatis Castelli*, 15 iun., 20 iul., 17 aug. 1793.

Ugolinus Gualterotti Canonicus passus est in iudicio liberationis a molestiis executionem super meliori fundo canonicalis praebendae pro summa scut. 240, pro quibus alia Antonio Casini evicta fuerant bona a fundatore Canonicatus provenientia. Ad perniciosam igitur vitandam illius fundi subhastationem EE. Vestris supplicavit Canonicus pro facultate vendendi domunculam terraemotu laesam cum adnexo hortulo, ad eamdem canonicalem praebendam spectantes et praediola duo Capellaniae Canonicatui unitae, quam Orator institutam asserebat ab ipso fundatore Canonicatus. Instantiae favit Civitatis Castelli Episcopus. Subhastatione enim, in qua minoris vendi solent bona, utiliorem pio operi propositam dixit venditionem. Domus quidem et praediola (sunt eius verba): *quia iuxta peritorum a me electorum iudicium valorem scutorum 240 circiter conscendunt, tenuemque vix annuum reddunt fructum scutorum sex, longe minus praebendae reditus minuunt, quam ex imminenti executatorum bonorum deliberatione vel etiam ex passivi census impositione decrescerent.*

[1] Cf. N. 3887.

His perpensis rescripserunt EE. Vestrae die 16 iunii elapsi anni 1792: *Praevia affixione edictorum favore maioris oblatoris pro facultate, arbitrio et conscientia Episcopi iuxta petita, cum onere deponendi scuta 12 quotannis pro reintegratione et ad effectum investiendi cum solitis clausulis.* In secunda informatione refert Episcopus, quod affixis edictis tanta inter plures finitimos possessores exarsit aemulatio, ut domus, quam cum parvo adnexo horto valoris scutorum 80 periti aestimarant, ad scuta 170 fuerit evecta; bona vero ad Capellaniam spectantia et in scutis 180 aestimata summae scutorum 203.11 acquisierint incrementum. Se a stipulandis tamen abstinuit venditionum instrumentis, ob diversum cognitum Capellaniae fundatorem, Sanctem nempe Lignani, cuius bona affecta non sunt debito fundatoris Canonicatus.

Utilius certe est dimittere creditorem fundatoris per venditionem bonorum Canonicatus, quam permittere subhastationem, cuius nemo ignorat mala. Maxime quia longe illorum aestimationem excedunt oblationes, ut ex verbis Episcopi notatum est. Concurrente enim utilitate, alienationem bonorum Ecclesiae vel pii operis permittit Clementina 1, *de rebus Eccles. non alien.* Difficultas est quoad bona Capellaniae, quandoquidem veluti provenientia a diverso fundatore, affecta non sunt debito Canonicatus. Ad ea vero Emi Patres advertant, quae in id observat Episcopus. Etsi enim de simplici ageretur permutatione bonorum inter unum et alterum Beneficium, nec maius illud adesset valoris bonorum incrementum, ex quo alia sibi capitalia constitueret Capellania, permittenda tamen esset huiusmodi permutatio. A vestra igitur pendet deliberatione:

I. *An, et quomodo sit concedenda facultas alienandi bona, de quibus agitur in casu?*

Die 15 iunii 1793: Non proposita.

Die 20 iulii 1793: Non proposita.

Die 17 augusti 1793 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative iuxta votum Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 62, p. 178-182, 198, 200].

3887.

S. C. C., *Amerina*, 7 sept. 1793.

Resoluta fuit haec causa die 20 iulii proxime praeteriti.[1] Agente nunc Defensore matrimonii reproponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die etc. Sacra etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 62, p. 222].

3888.

S. C. C., *Leodien.*, 14 dec. 1793.

Ioannes Ioseph Tasset, qui secundum baptismalem codicem naturalis est filius Mariae Tasset et Petri Brune, dispensationem postulat nubendi Deodatae Brune legitimae eiusdem Petri filiae, cum qua binos genuit filios. Ex accurata Leodiensis Synodi inquisitione nec leviter dubitandum videtur de consanguinitate Ioannis Iosephi Tasset et Deodatae Brune in primo laterali gradu.

Quaerendum itaque de dispensatione. Controversia est, num obstet naturalis lex quoad coniunctos in primo laterali, fratres nempe et sorores. Affirmativam vero sententiam tenuisse videntur Summi Pontifices, dum nunquam hactenus dispensarunt super primo consanguinitatis gradu in linea laterali. Huiusmodi immo dispensationem denegavit Clemens VII inter Ducem de Richemont, naturalem filium et Mariam legitimam filiam Henrici VIII Anglorum Regis, teste Varillas, *Istor. dell'Eresia*, tom. 4, lib. 9. Culpatur quidem ab haereticis Martinus V permissi inter fratrem germanamque sororem matrimonii, sed eum ab hac vindicat impostura Natal. Alex., *Histor. Eccles.*, saec. 15 et 16, part. 1, cap. 1, art. 3, num. 6, pag. 34 et seq., qui ibid., art. 7, pag. 68 falsam etiam demonstrat dispensationem Calisti III, ex qua Comes Armaniacus post expressam illius Pontificis repulsam germanae nupsit sorori.

Gravis contra notanda est in nostro themate circumstantia duplicis filii per Iosephum Tasset ex Deodata Brune suscepti. Valde siquidem dubitandum, quin incestuosam continuet nefariamque consuetudinem cum aeterna animae suae et sororis perditione. Adeoque enim fervet utriusque concupiscentia, ut ad palliandum saltem incestum turpissima etiam tentaverint sponsandi media. Ponderandum tamen, num iusta haec sit causa inducendi novum dispensationis exemplum, sequendo scilicet sententiam Divi Thomae de non resistente iure naturae. Quaeritur itaque:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super primo consanguinitatis gradu in linea laterali in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 62, p. 253-255].

[1] Cf. N. 3885.

3889.

S. C. C., *Ferentina*, 15 mart., 5 apr. 1794.

Peramplum in Civitate Ferentini Patres Conventuales possident Coenobium adnexasque officinas et atria cum rusticis aedibus, quae muris undique septisque Monasterii clauduntur. Intra septa locus quidam existit culturae ineptus, quem vocant *hortum frigidum*, ubi nulla unquam clausurae lex indicta fuit, et idcirco tam viris, quam feminis patuit hactenus promiscuus accessus. Exterior *horti frigidi* ianua ad introducenda animalia, onera, proventus aliaque similia in commodum memorati Conventus inservit. Dubitare coepit Ferentinus Antistes in pastorali visitatione anni 1789 et in novissima anni 1792, num *hortus frigidus* subiiciendus esset clausurae, ideoque Vestrum hac de re postulavit oraculum, atque affirmativam ipse defendens sententiam, ita rescripsit: *Mihi videtur praedictum horti frigidi locum comprehendi intra septa Monasterii clausurae subiecta, cum clausurae nomine communiter intelligatur totum illud spatium, quod intra septa Monasterii seu Conventus continetur.* Aliter vero sentit Procurator Generalis· *Locus* (inquit), *quem hortum frigidum vocant, non est cubiculis et officinis Conventus ita unitus, ut huius pars dici possit, sitque clausurae subiectus.* Praedictus enim locus a Coenobio procul dividitur per duo interposita cavedia seu atria, et separatam ianuam habet, ita ut hortum illum petentibus necessarius non sit transitus per Monasterium aut interiores officinas vel cavedium, quod clausurae subiicitur. Accedit observantia, quod nec hodiernus Episcopus per 40 circiter sui Episcopatus retroactos annos, nec ullus unquam Praedecessorum suorum, neque Superiorum Ordinis quisquam in horto frigido clausuram esse, aut esse debere suspicatus est. Clausurae limites statuere, aut moderari praecepta in Coenobiis Regularium ad Praelatos seu Ordinis Superiores pertinet, proindeque longaeva consuetudo, quam constans excepit Superiorum acquiescentia, propitium Patribus quaestionis exitum expromittit.

Verum opinio Canonistarum, qui hortos aut domos rusticas a clausurae lege exemptas statuerunt, ita intelligenda est, ut procedat in locis extra septa Monasterii existentibus. De locis enim, quae septis aut Monasterii parietibus cinguntur, nemo dubitat, quin clausurae subiiciantur. Literalis in id est textus in cap. *Exiit*, *de verbor. signif.*, et communis Doctorum opinio. Si vero clauditur hortus frigidus muris septisque Monasterii, si ad illum aditum habent Religiosi per interiorem Conventus ianuam, prout saecularibus ab eodem horto ad clausuram dari potest accessus, si denique hac praesertim de causa introducta est clausura, ne Religiosis detur occasio conversandi cum feminis, quam in *horto frigido* a clausura exempto facile haberent: non incongruum videtur consilium Episcopi protrahendi scilicet clausuram ad hortum illum, quem de cetero sub clausura comprehendit iuris dispositio. Quam sane vigilantiam adhibere tenentur Episcopi, contraria qualibet non obstante consuetudine, sive ex Sacri Concilii Triden-

tini monitis in Sess. 25, cap. 5, *de regularib.*, sive ex litera recentioris constitutionis *Regularis disciplinae*,[1] qua s. m. Benedictus XIV veteres instaurando constitutiones, sub § 7 clausula *sublata* et decreto irritanti consuetudines omnes sustulit permittentes feminis ingressum intra septa Monasterii. Ex his igitur deliberare dignentur:

An hortus frigidus comprehendatur sub clausura, seu potius servanda sit consuetudo super illius libertate in casu?

Die 15 martii 1794: Non proposita.

Die 5 aprilis 1794 Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 63, p. 50-55, 67].

3890.

S. C. C., *Sutrina*, 12 iul. 1794.

Desperato iam naturali partu Fortunatae Gioacchini, advocatus est Chirurgus, ut puerperae periclitanti adiutricem praeberet manum. Foeti caput infixum ille deprehendit *tra l'osso pube ed il sagro*. Tum ex aperto iam uteri ostio capitis verticem inspexit, *che per quattro buone dita traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana nel tratto della vagina.* Incertus autem, vitalis ne esset foetus, priusquam illi educendo manus admoveret, sub conditione baptizandum censuit, licet nullam sui partem ab utero emisisset. Aquam igitur sumpsit *con un bicchiere buttandola sul vertice della creatura*, eamque sub conditione baptizavit, assuetam proferens formulam: *Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Et requisitus, num tetigisset aqua verticemque abluisset capitis, sub iuramento declaravit, *che fisicamente doveva toccare il vertice, giacchè li capelli non erano bastanti a ripararla, avendone buttata sufficiente quantità.* Hac expleta Baptismi collatione, ventum ad artis remedia, quorum ope puerpera viventem in lucem edidit. Orta hinc quaestione de collati Baptismi validitate, institerunt parentes apud Parochum, ut iterum sub conditione puerum baptizaret. Votis tamen non cessit, Parochus, quum iam collatum Baptismum validum reputaret. Instante igitur Bonifacio Gioacchini infantis patre, delata res est ad EE. Patrum iudicium, eamque Sutrinus Episcopus ob Doctorum pugnam autumans dubiam, iterationi Baptismi sub conditione locum esse concludit.

Tunc sane Baptismum sub conditione reiterari licet, cum post accuratum examen prudens ratio dubitandi occurrat de iam collati validitate. Hoc enim Sacramentum, quum imprimat characterem, ut Confirmatio et Ordo, S. Concilium Tridentinum, Sess. 7, can. 9, *de sacram.*, si cessante dubio imprudenter fuerit renovatum, dans et accipiens irregulares evadunt: cap. *Ex literarum, de apost. et reiterant. Baptism.* His praemissis quaerendum prae ceteris de requisitis ad validitatem Baptismi: materia scilicet, forma et intentione ministri. Praescriptam Chirurgus adhibuit formam, neque defuit intentio conferendi Sacramentum. Quoad materiam tamen res adhuc in ancipiti versari posset, num scilicet tetigerit aqua verticem capitis. Non obstante enim abundanti effusione fieri potuit, ut aqua ex vitreo calice deiecta nullam foetus in utero adhuc latitantis partem, sed unum matris corpus abluerit. At quatenus etiam aqua verticem tetigerit capitis, ut verisimile est, subalterna adhuc quaestio praesentem casum afficere posset, quam Benedictus XIV, *De Synod. Dioeces.*, lib. 7, cap. 5 sub num. 2, proponit: an scilicet reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contigit, valide baptizetur infans, cuius corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi potest. De hoc quidem dubio in utramque partem disputant Theologi et Canonistae. Si EE. PP. opiniones utrinque probabiles diiudicent, id unum sane conditionalem Baptismi collationem suaderet. Ad dubium vero confirmandum in praesenti casu valde conferunt, quae in Rituali Romano, *De Baptismo*, sub § 17, disposita sunt. Ex his igitur decernere dignentur Emi Patres:

An Baptismus sit iterandus sub conditione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 63, p. 165-171].

[1] Cf. N. 322.
[2] Cf. N. 3897.

3891.

S. C. C., *Parmen.*, 12 iul., 16 aug. 1794.

Michael Raffanelli heredem instituit an. 1716 germanam suam sororem Lauram nuptam Bartholomaeo Bruni, substituitque per fideicommissum descendentes eius masculos ex masculis. Prae ceteris legavit Sodalitio Sanctissimi Nominis Iesu erecto in ecclesia S. Ioannis Decollati Parmae argentum omne, quod obitus tempore extiturum esset, et imperiales libellas mille pro argenteis conficiendis Sacrarum Reliquiarum thecis, aliasque annuas libellas centum pro functionibus Maioris Hebdomadae per tot annos, quot ipse vixisset. Deficientibus vero descendentibus masculis Laurae, ipsum substituit Sodalitium cum onere triplicis Missae quotidianae, solemnis Officii pro Defunctis cum Sacerdotibus triginta, et Missis centum de trimestri in trimestre, omniumque functionum Maioris Hebdomadae in prepetuum.

Anno 1790 ex iure egit Sodalitium adversus heredes Bruni, ac post obtentam Iudicis sententiam, consequutum fuit mense iunio 1792 per transactionem scuta 4618.50 monetae romanae in tot fructiferis capitalibus. Oneribus imparem autumantes huiusmodi hereditatem, ab EE. Vestris postularunt ineunte anno 1793 Sodalitii Rector et Sodales reductionem Missarum quo ad futurum, firmis remanentibus functionibus Maioris Hebdomadae.

Episcopus annuum praedictae capitalis reditum in scutis constituit 236, quae sufficerent ad implenda onera, si dimetiatur Missarum eleemosyna ad manualem Parmensis Dioecesis. Id censet ipse: ex perpetuitate onerum, quae eleemosynam exigit ad taxam perpetuae; ex probabili imminutione reditus, quia investiendo dicta scuta in bonis immobilibus, reddere tantum possent quatuor scuta circiter singulo anno pro quolibet centenario, et sic in totum circiter annua scuta 172; demum quia difficile et moraliter fere impossibile esset saltem pro maiori parte cuiuslibet anni invenire Sacerdotes, qui in se suscipere velint onus celebrandi nedum tres Missas quotidianas, verum etiam alias centum Missas statuta die pro quolibet ex dictis quatuor Anniversariis cum sola eleemosyna manuali. Atque concludit fortassis etiam praesumptae testatoris voluntati consentaneum fore devenire ad praedictorum onerum moderationem, inter quae potius minuendum esse numerum Missarum, quam delendas solemnes functiones Hebdomadae Maioris.

Quaeritur:

IV. *An, et quomodo sit locus reductioni onerum quoad futurum in casu?*

Die 12 iulii 1794: Non proposita.

Die 16 augusti 1794 Sacra, etc. respondit ad IV. Affirmative quoad functiones Maioris Hebdomadae tantum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 63, p. 175-182, 187].

3892.

S. C. C., *Collen.*, 24 ian. 1795.

Sub assertione, quod Abbas Vallis Umbrosae haberet *un particular privilegio di ordinare chi si fosse*, Philippus Bianciardi dirigi ad eum obtinuit ab Episcopo Collensi dimissorias ad conferendam Tonsuram Alberto ipsius filio, qui in eo Monasterio educationis causa vivebat. Collata Tonsura, Abbas potestatem sibi non esse animadvertit. Re ad Sacram Congregationem delata:

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Constare de nullitate collationis Sacrae Tonsurae, et esse secreto reiterandam.

[Liber 145 Decretorum, p. 118 a tergo].

3893.

S. C. C., *Anconitana et Camerinen.*, 14 mart. 1795.

Perfuga homicidii causa a Camerino eius patria, Camertem uxorem duxit in Urbe Alexander Tofi, genuitque ex ea Venantium. Se deinde cum familia contulit Anconam, ibique eius filius inter praesidiarios milites adscriptus, et ipse nupsit anno 1765, ac sutoriam artem in conducta exercebat domo. Rediit tandem Alexander Camerinum, et Venantius post genitum Anconae Sanctem, damnatus fuit ob commissum crimen ad triremes. Qua de re, ut sibi et filio consuleret, se in famulatum recepit misera illius uxor; sed ob bonam indolem admissus fuit Sanctes inter alumnos Seminarii Anconitani, ibique Primam Tonsuram et Minores Ordines ab Ordinario accepit. A triremibus hinc ex gratia liberatus Venantius cum exilio ab Ancona aliisque maritimis portibus, necessario adiit locum suae originis Camerinum, eumque, relicto domicilio Anconae, sequuti fuerunt anno 1789 uxor et filius. Atque ex hoc orta est quaestio inter Camerinensem Archiepiscopum et Eñum Episcopum Anconitanum de promotione Sanctis ad Sacros Ordines.

Advertebatur tamen, quod nedum Oratoris pater moram continuavit Anconae post discessum Alexandri, sed uxorem etiam in ea duxit, et quantum tenuitas ferebat proprii status, instruxit domum, in qua sutoriam artem exercebat. Post passam immo triremium poenam Anconam fortasse rediisset, nisi pulsus ab illa in exilium fuisset. Orator Anconitano se adscripsit Clero, in Anconitano institui voluit Seminario, quatuor Anconae permansit lustris, et ab ea tandem, ut exulem sequeretur patrem, discessit. Haec forsan accidentalem excludebant Oratoris nativitatem Anconae, animumque in patre et filio monstrabant permanendi in ea Civitate, a qua eos abduxit necessitas. Proposito itaque dubio:

An, a quo, et quomodo promoveri debeat Orator ad Sacros Ordines in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, ab Eño Episcopo Anconitano, cum testimonialibus Archiepiscopi Camerinensis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 64, p. 59-62].

3894.

S. C. C., *Sutrina*, 18 apr. 1795.

Clericus Paulus Biondi Capellaniam ab Alexandro Ziani in Oppido Treboniani fundatam adeptus est, mediante obligatione per contractum transactionis assumpta adimplendi per alium onera; et Summus Pontifex transactionem ac nominationem approbavit, adimpletis interim per Sacerdotem omnibus oneribus. Postulavit nihilominus reductionem oneris Missae quotidianae ad tres hebdomadales.

At de Capellania agebatur satis pingui, scutorum circiter 135, et factis etiam detractionibus pensionis taxae et manutentionis, congrua supererat summa pro celebratione Missarum et aliis oneribus Capellaniae scutorum 65. Insuper onera Capellaniae per contractum assumpsit. Qua de re proposito dubio:

5. *An, et quomodo sit locus illarum reductioni et translationi quoad futurum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 5. Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 64, p. 76-82].

3895.

S. C. C., *Imolen.*, 16 maii 1795.

In executionem resolutionis huius causae captae diebus 6 septembris an. 1783 et 10 ianuarii 1784 [1] distributa fuit inter possidentes collecta pro sorte census eiusque fructibus decursis ad mensem augusti 1785 in summa scutorum 33. Aegre distributionem hanc tulerunt possidentes exteri, ideoque supplicarunt anno 1786 Sacrae Congregationi pro aequiori distributione inter omnes, sive forenses, sive incolas pro portione colonica et dominicali, pro taxatione ceterorum omnium parochianorum et pro recognitione operis, quod inconcinne expletum asserebant. Diu post haec siluerunt. Sed inde adversus eos relaxavit Imolensis Curia anno 1790 mandatum executivum. Hoc tandem excitati, primaevas Sacrae Congregationi renovarunt preces.

Emus favit Episcopus quoad distributionem collectae inter forenses et incolas possidentes eorumque colonos, non item pro illius impositione in capita, neque pro recognitione operis. Agitur enim de oneribus realibus, quibus subesse debent omnes, qui subsunt collectis in causam publicam, ergo etiam coloni. Porro reprehendi nequeunt expleta reaptamenta, veluti insufficientia, aut arti adversantia, quoniam sexdecim abhinc annis et ultra firmitatem propriam patefaciunt. Propositis itaque dubiis:

I. *An, et quibus sit imponenda collecta in casu?*

II. *An sit locus deputationi periti pro recognitione operis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 64, p. 110-114].

3896.

S. C. C., *Apuana*, 20 febr. 1796.

Franciscus Vasoli, Sacerdos Apuanae Dioecesis ex superextantibus utriusque, quam rexerat, Parochiae reditibus, ex Missarum eleemosynis, ex ludimagistri stipendio et fructibus patrimonialibus boum aliorumque animalium societatem iniit, et tum hoc modo, tum per cambia activa scutorum mille lucrum reportavit. Licet in eleemosynis distribuendis tenax non fuerit, ob illicitam negotiationem re ad Sacram Congregationem delata quaerebatur:

I. *An constet de illicita negotiatione in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et in qua summa, et cui fieri debeat restitutio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative in scut. 300 erogandis in Christi pauperes utriusque Paroeciae administratae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 24-27].

[1] Cf. N. 3833.

3897.

S. C. C., *Ferentina*, 20 febr. 1796.

Resoluta fuit haec causa die 5 aprilis 1794.[1] Verum iterum PP. Conventuales sub patrocinio Advocati urserunt *horti frigidi* qualitatem, eumque similem dixerunt rusticae Regularium domui, quae non est sub clausura, et feminis etiam patet. Maximam postremo vim fecerunt in antiqua observantia, quin unquam ullum ex ingressu mulierum in hortum fuerit scandalum, nec esse potuerit ob supereminentium laicorum aedium prospectum. Reproposito hinc dubio:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 22-24].

3898.

S. C. C., *Civitatis Plebis*, 20 febr., 12 mart. 1796.

Uno coniunctim testamento praescripserunt anno 1779 Marcus Antonius et Ioseph Maria fratres Mazzocchini, ut omnibus post ipsorum obitum venditis bonis, occuparetur pretium in Locis Montium Urbis, et cum hoc fundo simplex erigeretur Beneficium laicale sub titulo Beatae Mariae Virginis Gratiarum ad altare maius ecclesiae eidem Deiparae dicatae in Villa S. Fatuchii. Obiit primum Ioseph Maria, aliudque Marcus Antonius anno 1787 condidit testamentum, in quo idem institui mandavit Beneficium, nulla facta mentione investimenti. His stantibus EE. PP. supplicarunt Sacerdotes Franciscus Brancaleoni et Stephanus Paolozzi exequutores testamentarii ac Sacerdos Angelus Santucci nominatus ad Beneficium, pro facultate occupandi bonorum pretium in stabilibus et censibus, dum iam exequutores ipsi testamentarii ex pretio mobilium et argenti crearunt censum in sorte scutorum biscentum sexaginta, cuius irrepetibilis sors occupari amplius nequibat.

Haec autem habuit Episcopus Civitatis Plebis: Lex equidem, quae respicit universalem rerum omnium hereditariarum venditionem ad Loca Montium comparanda, et praesertim in patrimoniis pinguibus, videtur summopere commendanda, et hoc pacto Beneficii reditus essent maxime tuti. Sed in praesenti agitur de paupere regno, quum universa haec hereditas Mazzocchini non excedat scuta octoginta quinque. Deinde pecuniae discreto interusurio datae quomodo sic facile repeti poterunt? Et facta etiam hypothesi, quod repetantur, eruntne praesto, qui Loca Montium distrahent? Et fructus Locorum Montium eruntne uberes, et pares imposito oneri sustinendo? Quapropter pro tuto fundamento dicti Beneficii satius ducerem, ut praedia et domus eiusdem hereditatis Mazzocchini

[1] Cf. N. 3889.

remanerent penes Beneficiatum; pecuniae vero interusurio datae, si restituantur, erogari debeant in emptionem tot agrorum favore dicti Beneficii, quorum fructus et annui reditus augeantur Rectori. Quapropter quaeritur:

1. *An, et quomodo hereditas Mazzocchini sit investienda in casu?*

Die 20 februarii 1796: Non proposita.

Die 12 martii 1796 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, iuxta votum Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 32-35, 41].

3899.

S. C. C., *Camerinen.*, 23 apr. 1796.

Cum possessio Beneficii S. Mariae de Caspriano decreta fuerit favore Clerici Nicolai Carucci nominati a Communitate Capriliae et praesentati a Capitulo Lateranensi, contradictorem habuit Clericum Simonem Marchetti, qui litem egit, sed victus recessit. Deinde collitigantes Iudicem compromissarium elegerunt, qui decretum possessionis favore Carucci confirmavit, eum vero damnavit ad numeranda contradictori Marchetti scuta 105 nomine expensarum litis. Huic laudo inhaerentes, anno 1794 stipulati fuerunt instrumentum concordiae.

Emus Archipresbyter Capituli Lateranensis, quamvis admitteret in conventa solutione scutorum 105 aliqualem speciem malam, animadvertit tamen, quia Iudex compromissarius decrevit solutionem scutorum 105 non per partem victam victrici, sed per victricem victae faciendam: animadvertit tamen, quod, quum de pertinentia Beneficii iam antea favore Carucci iudicatum esset, solutio haec ad redimendam ulterioris litis vexationem et ad parcendum magnis expensis erogata videtur, non ad acquirendum ius Beneficii. Rogatus vero Emus Livizzani, pandidit votum pro simonia. Ex eo tamen, quod Caruccius plenum ius ad rem habebat, ex nominatione, praesentatione, bullarum expeditione et sententia Iudicis executoris, illud maius non obtinuit robur ex concordia et cessione Marchetti. Proposito igitur dubio:

An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione, vel convalidatione concordiae in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 71-75].

3900.

S. C. C., *Senogallien.*, 23 apr. 1796.

Cyprianus Ioannes Antonius et Sebastianus de Ciprianis eorumque nepotes Dominicus et Ioseph anno 1612 donarunt inter vivos Societati S. Mariae de Misericordia Castri Belviderii patronae Collegiatae in eius ecclesia et solo Lateranensi erectae, salmas quinque terrae arativae olivatae

pro erectione unius Canonicatus; et Sodales omnesque Canonici solemni stipulatione acceperunt onus duarum Missarum qualibet hebdomada, necnon Officium Defunctorum in festivitate S. Ioannis Baptistae, illudque semper adimpleverunt, ac rite etiam implevit modernus Canonicus Sanctes Benvenuti per annos vigintiquinque, qui tamen ob redituum tenuitatem, annuente Sodalitio patrono, supplicavit pro reductione, habita potissimum ratione servitii choralis per hebdomadam.

At Canonicus percipiebat annua scuta 21.37; detractis scutis 10 pro Missis ad manualem, remanebant Oratori scuta 10.62, quae cum distributionibus quotidianis et extraordinariis satis videbantur in Castro Belviderii, et satis eousque fuerant Oratori per annos vigintiquinque, quin propterea obesset, quod rerum pretia evasissent cariora. Insuper onus duplicis Missae hebdomadalis ex contractu acceptatum impedimento erat reductioni, cum praefatus contractus haud manifestam praeseferret iniquitatem. Proposito igitur dubio:

An, et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 79-82].

3901.

S. C. C., *Leodien.*, 28 maii 1796.

Defuncta Maria Theresia Lixson-Noppius, fidem nubendi dedit superstes eius vir Dionysius Collard privignae Agneti Noppius, quam in primis nuptiis ex Ioanne Baptista Noppius obita uxor susceperat, eamque carnaliter etiam novit. Orta hinc suspicione probabilis illius graviditatis, publicisque inter vicinos obmurmurationibus, Vicario Generali Leodiensi, absente Episcopo, supplicavit Parochus Dionysii pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae, ut cum privigna matrimonium iungeret, salva auctoritate Sedis Apostolicae, ad quam (ob Gallorum incursionem in Leodiensem Civitatem) omnis praecludebatur accessus, nec praevidebatur illum citius patere. Precibusque Vicarius Generalis annuit, attentis circumstantiis valde urgentibus et rationibus in libello deductis, imposita Oratoribus salutari poenitentia.

Inito igitur vigore huiusce dispensationis inter Dionysium et Agnetem in faciem Ecclesiae matrimonio, proleque suscepta, moniti tandem fuerunt coniuges de illius nullitate; ac supplices propterea Summum Pontificem adierunt pro eiusdem matrimonii convalidatione, et quatenus opus, pro apostolica dispensatione. Retulit Vicarius Generalis ad Summum Pontificem, se dispensationem concessisse ad evitandam praesertim praevaricationem et ad consulendum eorum saluti, et ne alii pravum haberent exemplum matrimonii nulliter contrahendi, sed firmo animo implorandi a Sanctitate Vestra relatae dispensationis confirmationem absolutionemque. Atque insuper monuit, quod nisi dispensationis gratia eis concederetur, damnabilem incestuosamque vitam agere continuarent non sine summa

infamia, gravissimis scandalis, evidentique salutis periculo: quocirca observandum esset, quod in casu denegationis valde periculosum foret, ne desperatione abrepti coram municipalibus Officialibus matrimonium contraherent.

Precibus ad Sacram Congregationem remissis, eas EE. PP. ablegarunt Episcopo pro informatione et voto, auditis, etc., et interim referat de tempore contracti matrimonii, de impotentia recurrendi ad S. Sedem, de bona fide Oratoris, et interim mandet separari assertos coniuges usque ad exitum causae, transmissa copia dispensationis. Vicarius Generalis, absente adhuc Episcopo, rescripsit: Preces pro parte Dionysii Collard et Agnetis Lambertinae Noppius sibi porrectas in supplici libello hic adnexo contentas una cum subinsertis dispensationum necnon matrimonialibus literis veritate omnino inniti; pro tunc realem et absolutam recurrendi ad S. Sedem existere impotentiam, praefatos Oratores Apostolico-Romanae religionis veros cultores in bona fide versatos esse, benevolentiaque S. Sedis revera dignos, propter eorum summam S. R. E. submissionem; ac interim illos separari non praetermisisse usque ad exitum causae, quem felicissimum avidissime appetens idem Vicarius Generalis ex eo potissimum, quod ex praedicto matrimonio iuxta Sanctae Romanae Ecclesiae ritus celebrato ac omnibus noto iam nata sit proles, cuius legitimationi, necnon Oratorum saluti prorsus consulendum videtur, Sacram Congregationem enixissime deprecatur, ut praemissa attendere, ac ideo dispensationem confirmare, seu quatenus opus, ex integro benigne concedere dignetur.

Advertebatur vero, quod nec Episcopus concedere poterat huiusmodi dispensationem; ac potissimae dispensandi causae per Vicarium adductae non subsistebant, et vera in eius informatione reticebatur. Haud porro subsistebat, quod privignae impraegnatio sequuta fuit; neque subsistere videbatur, quod dispensationis tempore difficilis erat accessus ad S. Sedem, dum liberum erat commercium epistolarum, per quas peti potuisset dispensatio. Vera autem et principalis causa per Vicarium reticita temporalis omnino fuit: ut vitricus nempe et privigna indivisum servarent commune negotium, quo dissoluto, uni alterum deserenti, pars mercium, aedium totiusque commercii competebat, gravissimumque utrique opera manuum suarum et industria tantum viventi, inferebatur damnum, ut dixit Parochus in libello. Nec itaque ex praesumpta in eodem dispensante facultate, bona contrahentium fide, ac servata in omnibus Sacri Concilii Tridentini forma,[1] matrimonium consistere valebat. Nam error, ignorantia, bona fides, iurisdictionem ac potestatem non conferunt non habenti, nisi in eo saltem titulus concurrat coloratus et error communis in populo. Nullum autem Episcopus, multo minus eius Vicarius, coloratum habebat titulum ad concedendas matrimoniales dispensationes. His itaque perpensis dubia proponuntur:

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro convalidatione matrimonii contracti inter Dionysium Collard et Agnetem Noppius in casu?* Et quatenus negative:

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

II. *An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, et ad mentem.

Ad II. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 111-119].

3902.

S. C. C., *Brixien.*, 27 aug., 17 dec. 1796.

Ioannes Franciscus Pegorino annorum quinquaginta, exposuit Curiae Brixiensi, se dubio haerere, num sua filia Elisabeth, pluribus ab illinc annis iam vinculis matrimonii devincta, fuerit Baptismatis lavacro regenerata. Nam ipse moraliter tutus erat, quod Obstetrix ad difficile puerperium Catharinae uxoris accita, festinavit quidem periclitanti foetui Baptismum legitima in eo administrando adhibita forma, sed aqua per illam effusa haud vere ac physice corpusculum tetigit puellae in utero matris; quin etiam Parochus aquam adhibuerit, cum caeremonias tantum supplevisse affirmaret Pegorinius. Quaerendum hinc erat, num posita collati Baptismi nullitate, nullum pariter necne fuerit Matrimonium ab Elisabetha contractum.

Licet enim Baptismus sit ianua, per quam aditus patet ad alia Sacramenta, non desunt tamen canonica iura, ex quibus excipi potest a regula matrimonium. Ponderandum itaque erat in casu, de quo agebatur, num contraxisse censeretur Elisabeth matrimonium in fide Ecclesiae, ita ut secundum Doctorem Angelicum actualiter etiam acceperit Sacramentum. Agebatur porro de muliere a christianis parentibus nata, et in christiana religione sub fide accepti Baptismi instituta: ideoque fidem habuisse videbatur Sacramenti Matrimonii, illudque contraxisse in fide Ecclesiae cum intentione faciendi, quod Christus instituit, et fideles faciunt in Ecclesia. Habuisse in terminis censebatur Baptismum flaminis, quod unum est ex Baptismis, de quibus loquitur Glossa ordinaria ad cap. 6, ep. 1 ad Hebraeos, fluminis nempe, flaminis et sanguinis; valideque propterea per illum et actualiter Matrimonium, ut Sacramentum, contraxisse. Aliter suadere potuisset canonicum illud impedimentum, quod vocatur cultus disparitas: nam absolute prohibetur coniugium baptizati cum non baptizato etiam catechumeno, irritumque declaratur. Neque ad validitatem huiusce Matrimonii prodesse forsitan in themate valebat Baptismus flaminis. Quamvis enim triplex sit Baptismus, ut notat tamen Glossa in cap. *Baptismi vicem*, de consecrat., dist. 4, tria non sunt Baptismi Sacramenta, quia Baptismi flaminis et sanguinis non fiunt accedente verbo ad elementum, sed per contritionem votumque Baptismi, vicem supplent Baptismi fluminis, quod unum est Sacramentum. Ceterum, si Matrimonium Elisabethae irritum videretur in ratione Sacramenti, validum tamen foret, uti contractus pure naturalis et civilis, sive ut legitimum coniugium. His interim perpensis, quaerebatur:

I. *An sit iterandus Baptismus sub conditione in casu?*

II. *An constet de validitate Matrimonii, seu potius sit renovandus consensus in casu?*

Die 27 augusti 1796 Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.

Cum autem ex noviter deductis satis superque constiterit de validitate Baptismi, reproposito dubio:

Die 17 decembris 1796 Sacra, etc. respondit ad I. Negative, et acquiescat. Ad II. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 65, p. 209-220, 296].

3903.

S. C. C.; *Albinganen.*, 21 ian., 11 febr. 1797.

Ex perniciosis pustulis, nuncupatis *vaiolo*, valde Clericus Ioannes Baptista Bertolozzi laesus ab puero remansit in brachio dextero. Facto coram caeremoniarum Magistro et Chirurgo experimento, eorumdem relatio ad Sacram Congregationem transmissa est, atque haec habet: « Il di lui braccio destro nell'articolazione dell'omero, ove s'articola il cubito e radio, i loro ligamenti sono ossi ficcati per deposizione rimasta dal vaiolo. Egli alza il braccio fino alla fronte in distanza di quattro dita. Egualmente non può avvicinare il braccio alla spalla sinistra, che nella distanza di un palmo e quattro dita, niente però lo può avvicinare alla dritta, restandogli solamente l'articolazione della mano per formare il segno della S. Croce. Al *Domine non sum dignus* non può avvicinare la mano al petto, ma piega soltanto l'articolazione della mano; per comunicarsi non può colla mano destra, ed appoggia soltanto la sinistra sul corporale, e prorogando il capo colle labbra, può prendere l'ostia; non può consumare il sangue nel calice, se non colla mano sinistra, senza però deformità; ben vero però, che non può porsi sotto il mento la patena. Egli è pure necessitato di passare dalla mano dritta alla sinistra il calice per le due purificazioni ».

Episcopus ob Clerici probos mores sedulamque, quam Ecclesiae praestabat, servitutem, necnon ecclesiae oppidi Burgetti necessitatem, utilitatemque votis Oratoris assequendi dispensationem, ut ad Sacerdotium ascendere posset, impense favit. Pluribus insuper familia gravata erat legatis Missarum, eaque prae angustia rei familiaris adimplere non poterat, nisi Sacerdos Orator fieret. Omne etiam periculum abesse videbatur et scandalum, si permitteretur eius ascensus ad Sacerdotium. Dubium est:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 21 ianuarii 1797: Non proposita.

Die 11 februarii 1797 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 66, p. 22-25].

3904.

S. C. C., *Brixien.*, 11 febr. 1797.

Quum nundinarum tempore se contulisset Caietanus Vernetti a Civitate Brixiae ad cauponam Pauli Claudini prope Gallorum castra, ibique vidisset infantulam ex catholicis parentibus, Daniele Cederi Genevenis et Aloisia Surde Galla, eam ob elegantem formam a parentibus petiit obtinuitque loco filiorum, quibus ipse carebat. In illa autem dixerunt parentes, quod *ebbe l'acqua battesimale nel campo di Perpignano da una donna; ma di quest'acqua non sembravano troppo quieti, e tanto l'uno, quanto l'altra mi pregarono di farla battezzare, e mi lasciarono la libertà di cangiarle il nome.*

Brixiam igitur reversus, atque exhibito testimonio cauponarii Antonii Fontana, quod eo praesente, *quando ha consegnato il Signor Daniele Fredissi* (verius Cederi) *Genevrino la sua figlia al Signor Gaetano Vernetti, e li ha detto, che li donava la figlia col patto di farla battezzare al Sagro Fonte*, rem Vernettus exposuit Episcopo, ut de Baptismo infantulae deliberaret, et Episcopus oraculum Sacrae Congregationis postulavit.

Mater autem puellae sub formali examine haec deposuit: « Alle dieci ore diedi alla luce la bambina, cui diede l'acqua battesimale la suddetta allevatrice, non ritrovandosi preti in qualla città; ho inteso ed ho veduto colli miei occhi proprii nella stanza giacendo in letto a dare l'acqua battesimale, ed ho inteso ancora la forma: *Enfante, te baptizo en nom de Per, de Fil, et de Saint Esprit*, dando l'acqua sulla testa della bambina in modo di croce. Vi era anche mio marito ed ancora un'altra donna. Mio marito al presente ha patito nella mente, ed ha perduto il cervello ». Unde praedicta mater sibi contradixisse videbatur, cum ipsa et vir antea Vernettum rogavissent, *di farla battezzare*, eisque filiam donaverint *col patto di farla battezzare al Sacro Fonte*. Verum quia in tradenda etiam infantula dixerat uterque parens, eam habuisse *l'acqua battesimale nel Campo di Perpignano*, ideoque ad eorum potius scrupulum tribuendum videbatur, quod *di questa acqua non sembravano troppo quieti;* nam dubitabant fortasse rudes homines de validitate Baptismi a sacro ministro non collati, et ideo filiam donarunt *col patto di farla battezzare al Sacro Fonte*. Proposito igitur dubio:

An constet de validitate Baptismi, seu potius sit locus illius iterationi sub conditione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 66, p. 26-28].

3905.

S. C. C., *Aesina*, 15 iul. 1797.

Ad saeculum XVI unus in Cathedrali ad Aesinorum omnium regenerationem erat Fons Baptismalis, sed paullo post Concilium Tridentinum quatuor aliae per Aesinum Episcopum Gabrielem a Monte institutae fuerunt suburbanae Parochiae, nimirum S. Mariae *del Piano*, S. Luciae, *di Mazzangrugno* et S. Mariae *de Tebano*, quarum una dumtaxat ob eius propinquitatem Civitati et Cathedrali donata non fuit Fonte. Adhuc sibi ab eo tempore asseruit Parochus Cathedralis cumulativam baptizandi aliarum Parochiarum infantes; et tale non esse ius baptizandi contendit, ut praescribi nequeat per observantiam ad acquirendam praesertim cumulativam Cathedrali, cui remanet quodammodo innata illa facultas conferendi Baptismum aliarum Parochiarum infantibus, veluti sub cura Vicariorum Episcopi existentibus. Immemorialem vel centenariam saltem in id allegavit observantiam ex suis parochialibus libris, ex quibus constare asseruit, semper eius decessores ab anno 1675 baptizasse aliarum Parochiarum infantes, absque Parochorum licentia. Atque ex huiusmodi observantia praescriptum esse huiusmodi ius cumulativum dixit, neque sublatam huiusmodi consuetudinem a S. Concilio, Sess. 24, cap. 13, *de ref.* Duos namque S. Synodus in praescribenda Parochiarum separatione distinguit casus: ubi nempe nullis Parochiae circumscriptae sint finibus, et cum nullae omnino existant. In primo casu mandavit, ut (Episcopi) distincto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum populum peculiaremque Parochum assignent; in altero mandavit, ut hoc ipsum, in iis Civitatibus, ubi nullae sunt Parochiae, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus. Hanc igitur clausulam irritantem restrictam sustinuit Parochus Cathedralis ad secundum casum. Cumulativum insuper ius baptizandi desumpsit ex asserta Dioecesana Synodo Cardinalis Cybo anni 1658, tit. 10, n. 9 et in altera Synodo 1741, cap. 2.

Ursit contra Parochus S. Mariae in Tebano dispositionem iuris, ex quo nemo alienos baptizare valet subditos, nisi de licentia Parochorum, sub cuius cura existunt. Idque, etiamsi de Parocho agatur Ecclesiae Matricis, Cathedralis, et Metropolitanae, qui Baptismum illis conferre praesumat. Spernendam dixit assertam consuetudinem Parochi Cathedralis Aesii, veluti contrariam dispositioni iuris, nec satis de cetero probatam ex propriis eiusdem adversarii libris, quibus suos opponit de concessa propriis parochianis licentia suscipiendi Baptismum in Cathedrali. Eademque ratione Synodales neglexit constitutiones Cybo et Fonseca. Animadvertit praeterea, rem esse de Parochia in Tebano, quae a sua institutione proprium habebat Fontem Baptismalem. Quandoque enim probatum fuit Cathedralis vel Matricis ius baptizandi alienos subditos, ubi nullus erat, aut recens constructus fuerat Fons Baptismalis. At diversa est iuris dispositio, ubi de filiali agitur Parochia, in qua iamdiu, servatis servandis, existit Fons Baptismalis: nam in hoc casu baptizare nequit Parochus Cathedralis subditos huiusmodi Parochiae, pro quibus lavacrum est proprii Parochi.

Cumulativum ius baptizandi cum reliquis Parochis Urbis habet Parochus Basilicae S. Petri, sed illud habet ex privilegio, [1] quod deerat Aesinae Cathedrali. Proposito igitur dubio:

An Parocho Cathedralis Aesii cumulativum competat ius baptizandi subditos Paroeciae in Tebano absque licentia proprii Parochi in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 66, 142-145].

3906.

S. C. C., *Albinganen.*, 20 ian. 1798.

Ita Clericus Franciscus Antonius Lamberti a sinistris claudicat, ut testimonio eius Parochi sine baculo deambulare valeat. Se tamen ex hoc vitio irregularem agnoscens, Sanctissimo supplicavit pro dispensatione, ut ad maiores ascenderet Ordines; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, Albinganensis Episcopus retulit, quod facto coram Magistro caeremoniarum experimento, comperiit, infirmitatem in Oratore claudicante esse huiusmodi, ut ipse ad altare accedens, admodum aegre possit genuflectere, ac non sine periculo proiiciendi patenam ac caetera, quae calici sunt superimposita. Siquidem non potest surgere, quin dexterum brachium ferat ad latus, tamquam pro fulcro; neque ullimode potest utrumque genu flectere, quin ambobus cubitis innitatur. Adesse insuper ait deformitatem, *quae scandalum aliquod, mea quidem sententia, generat in populo, ac divinis rite peragendis praestat impedimentum*. Atque in haec conclusit verba: *Caeterum Orator optimis est imbutus moribus, ac ecclesiasticum statum vehementer cupit, sed nulla adest Ecclesiae necessitas, neque, quod sciam, utilitas.*

Divini porro Sacrificii maiestas ministros exigit venerandos, adeoque in omni corporis parte compositos, ut neque scandalum praebeant, neque in periculum sacra mysteria adducant. Qua de re Zacharias Papa in can. *Nullus Episcopus*, dist. 1, *de consecrat.* statuit, permittendum non esse celebrationem Missae Sacerdoti pedibus impedito; et in similibus terminis impediti brachii denegandum censuit Sacra Congregatio dispensationem Sacerdoti in *Albinganen.*, 21 ianuarii 1797. [2] Si ita autem sancitum est, quoad Sacerdotes, qui laicale exercere nequeunt ministerium, multo magis quoad simplicem Clericum, qui ad saecularem valet redire statum. Potissimum, quia testimonio Episcopi nulla est Ecclesiae necessitas, utilitas nulla, ut permittatur Oratori ascensus ad Sacerdotium cum deformi eius ministerii exercitio, sacrorumque periculo. Ponderare tamen dignentur Emi Patres,

[1] Cf. N. 420.
[2] Cf. N. 3903.

quod Orator optimis est imbutus moribus, ac ecclesiasticum statum vehementer cupit. Dubium est:

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 24, 25].

3907.

S. C. C., *Sedunen.*, 24 ian. 1801.

In Sacrorum Liminum visitatione praeter cetera postulata scripsit Episcopus Sedunensis: *Supplico itidem pro facultate, qua multae fiscaliae a me receptae, quae de iure alias ad causas pias expendendae veniunt, vel pro redintegratione deponi, vel pro Castri reaedificatione applicari valeant.*

Veteri quidem Doctorum opinione multas sibi Iudices ecclesiastici applicare poterant in nonnullis casibus. At opinionem illam reprobavit Sac. Concil. Tridentinum, nam ad omnem tollendam avaritiae suspicionem multas in posterum applicandas decrevit locis piis, in Sess. 25, cap. 3, *de ref.*, vel fabricae ecclesiae, in Sess. 25, cap. 14, *de ref.* Ponderandum igitur, num reaedificatio Castri episcopalis (incendio deleti) aequiparari valeat fabricae ecclesiae, ut ei quoque conciliaris dispositio applicetur. Concurrere insuper deberet mensae episcopalis inopia (de qua tamen non constat), ut fieri posset locus applicationi multarum iuxta Benedict. XIV, *De Synod. Dioecesan.*, lib. 10, cap. 10, num 1. Et in casu, quod annuendum esset petitioni Episcopi, temporaria esse deberet gratia, usque ad reaedificationem nempe Castri, ut monet idem Bened. XIV, loc. cit., n. 2. Vestrae ergo deliberationi proponitur:

III. *An, et quomodo sint applicandae multae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad III. Servetur dispositio Sac. Concilii Tridentini.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 69-72].

3908.

S. C. C., *Tricaricen.*, 16 maii, 11 iul. 1801.

Praeter Canonicorum Capitulum Clero etiam constat Tricaricensis Cathedralis ex praefixo numero Sacerdotum, qui *participantes* vocantur. Inveterata in ea Ecclesia viget consuetudo recipiendi Sacerdotes in album *participantium* ea lege, ut primo anno gratis Ecclesiae nedum inservire, sed Missarum quoque ratam ad numerum septuaginta vel octuaginta circiter applicare debeant absque stipendio, quod cum aliis massae communis emolumentis caeteri *participantes* lucrantur. Distributiones de caetero choro interessentibus debitas ad instar aliorum percipit noviter receptus. Quo tempore haec invaluerit consuetudo, latet omnino. Caret Ecclesia peculiaribus constitutionibus, in quibus de ea mentio fieri potuerit; et Synodalia quoque decreta de gratuito *participantium* servitio in primo receptionis anno altum

servant silentium. Hoc tamen non ignotum, quod decessores Episcopi latis in sacra visitatione decretis consuetudinem huiusmodi reprobandam putarint, licet prohibitione posthabita Clerus *participantium* ad veterem morem redierit, quin resciri queat ob flammis consumptum Archivum Episcopale, utrum aut ipsi, aut successores novis decretis sententiam mutarint.

Qui Tricaricensem nunc regit Ecclesiam, autumans narratam consuetudinem deviam a Sac. Concilii Tridentini censura in Sess. 24, cap. 14, *de ref.*, Vestrum de ea sub infrascripto dubio requisivit oraculum; quatenus de caetero consuetudinem ipsam reprobandam visum fuerit EE. Patribus, declarandum saltem rogat Episcopus: *permitti posse, si fructus eiusdem primi anni ad heredes Sacerdotis defuncti, qui primo illo anno fructibus caruit, pertinere statuatur, cum id sit potius differre, quam auferre.* Capitulum vero censet Tridentini sanctionem inapplicabilem esse Tricaricensi Ecclesiae, sive quia gratuitum servitium praestandum primo anno per novos *participantes* nullatenus reale est, sed prorsus personale, sive quia consuetudo inducta sit in augmentum divini cultus. Hunc vero morem ultro, libenterque Sacerdotes ferre monet, cum quidquid lucri eis primo anno adimitur, satis sit compensatum subsequentibus annis in aliorum receptione, et compensatum quoque sit in casu gravioris infirmitatis: si enim ex ea inhabiles ad Sacrum faciendum reddantur, Capitulum exacto sex mensium spatio Missas ad infirmum spectantes celebrandas sibi adsumit, eique sine ulla diminutione fructus omnes ex Missarum legatis aliisque ecclesiae oneribus obvenientes rependit. Consuetudinem porro in augmentum divini cultus invectam defendit, cum per eam Sacerdos accrescat ecclesiae servitio. Distinctionem contra impugnat Episcopus inter servitium *reale* et *personale*. Caeteris enim missis redditibus, una celebratio Missarum sine stipendio, quam ferre debet Candidatus per annum iuxta ipsum considerari potest, tamquam traditio quaedam in beneficium Capituli eius pecuniae, quae Sacerdoti eleemosynae titulo debetur. Compensationem demum negat, quae aequa lance moderari nequit pluribus ex causis, ut si quis post peractum gratuitum servitium obierit; porro veretur, ne in perniciem et decrementum divini cultus cedat consuetudo, siquidem eo anno, quo *participantes* gratis serviunt, cum non lucrentur distributiones debitas iis, qui intersunt, possunt a sacris functionibus abesse; nec inter impossibilia adnumerari placet casum, quo quis gratuita pertesus Missae celebratione, ab iis applicandis pro ecclesiae oneribus se abstineat, unde fraudaretur fundatoris voluntas, simulque consuetudo peccandi occasionem foveret. Quaeritur ergo:

An, et quomodo sit probanda consuetudo vigens in Cathedrali Ecclesia Tricaricensi admittendi Sacerdotes in numerum participantium *sub lege praestandi primo anno gratuitum Ecclesiae servitium et satisfaciendi Missarum oneribus absque ullo stipendio in casu?*

Die 16 maii 1801: Non proposita.

Die 11 iulii 1801 Sacra, etc. respondit: Reproponatur cum voto D. Secretarii. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 118-125].

[1] Cf. N. 3912.

3909.

S. C. C., *Barcinonen.*, 11 iul. 1801.

Morbo, qui a Physicis *erysipelas* nuncupatur, Frater Emmanuel a Sanctissima Trinitate e Familia Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Civitatis Barchinonensis, qui in Ordine sistit Diaconatus, elapso tempore affectus adeo crus eius sinistrum divexavit, ut in praesentiarum illud nullo pacto flectere valeat. Pro spirituali solatio, necnon pro utilitate et commodo Religionis, cui adscribitur, Orator ad Presbyteratus Ordinem ascendere exoptat; verum eo quod dubitat, quin ob praedictum impedimentum in genu sinistro irregularitate notetur, ab hoc Sacro et Supremo Senatu dispensationem poposcit.

Barchinonensis Episcopus, etiamsi de morbi referat perpetuitate, inquit enim, humanis medicaminibus ad pristinam sanitatem sinistrum crus redigi non posse, proindeque eumdem morbum censeri insanabilem: subdit, Cathedralis suae caeremoniarum Magistrum repetitis deprehendisse experimentis, quod etiamsi infelix Coenobita sinistrum non valeat flectere genu, bene vero genuflexionem genu dextero adamussim absolvere, atque universas in Sacrosancto Missae Sacrificio adeo peragere caeremonias, ut si Sacerdotio initiabitur, nullum adstantibus gignet scandalum.

Verum ne dubitari quidem potest, quod Excalceatus Carmelita a qualibet immunis sit irregularitate: tam in supplici libello huic S. Congregationi porrecto, quam in relatione Episcopi habetur, ipsum tantummodo deflectere sinistrum genu non valere; at quanam canonica sanctione huic impedimento irregularitas statuitur? Nulla quidem, nam in Sacrosancto Missae sacrificio numquam genu sinistro requiritur genuflexio, sed semper genu dextero, quam Coenobita bene peragit. Et quamquam ex impotentia sinistrum flectendi genu aliquod visibile corporis impedimentum, seu claudicatio in Coenobita adesse debet: neque ex huiusmodi claudicatione notabilis habebitur deformitas, cum nec pede ligneo, nec baculo ad standum vel incedendum indigeat. Igitur etiamsi aliqua laboret claudicatione, Ordinem Sacerdotalem potest exercere, notabilis non habetur deformitas, scandalum non adest, quare nec irregularitas est adstruenda. Caeterum, si EE. Patribus Frater Emmanuel irregularitate innodatus videbitur, dispensationem ad cautelam eidem concedendam esse non dissentient. Igitur decernere dignabuntur:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu? Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad cautelam.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 145-150].

3910.

S. C. C., *Albinganen.*, 12 sept. 1801.

Affinium amicorumque ope et suasionibus Petrae Albinganen. Dioecesis, anno 1787 Matrimonium in faciem ecclesiae celebratum fuit inter Stephanum Christophorum Bosio atque Annam Mariam Boassa. Sponsus Ianuae morabatur, ubi chirurgiae operam navabat. Pro sponso itaque Matrimonio, tamquam Procurator, accessit Ioannes Pagallo. Matrimonium rite contractum, ut suum plene assequeretur effectum, vel debebat sponsus Ianua ad sponsam, vel sponsa Ianuam versus iter aggredi. Nihil horum evenit. Sed infausto sidere paucos post dies utrique sponso turbantes perveniunt delationes, quae in dies augentur: uterque enim incusabatur de minus plaudenda particulari quadam affectione; coniugalis itaque amor in odia se convertit, ita ut neque affines, neque amici valuerint coniugum animos conciliare. Stephanus vero certior factus, quod sponsa ex prava consuetudine partum edidisset, furore excandescens anno 1793 Anglam ascendit navim in longinque diversurus; traditis tamen duobus procurae mandatis, quae iam ab anno 1790 exaraverat, ut coram competentibus Tribunalibus promovenda instantia super dispensatione a Matrimonio rato et non consummato rite posset agitari. Sponsa interim iam capta amore divitis cuiusdam adolescentis de eodem loco Petrae, adeo familiariter atque impudenter cum illo conversatur, ut universo populo scandalum pariat. Tandem Stephani Christophori Procurator non minus, quam Sponsa, opportunum duxerunt preces porrigere s. m. Pio PP. VI, enixe postulantes, ut apostolica auctoritate dispensationem a Matrimonio rato et non consummato indulgere dignaretur. Remissae fuerunt preces ad Episcopum pro informatione et voto, auditis omnibus interesse habentibus, et confecto processu, servata saltem substantialiter forma constitutionis Benedictinae, *Dei miseratione*. [1]

Episcopus transmisso processu, in epistola EE. PP. rogat, ut a sua Dioecesi *huiuscemodi scandalum amoventes, atque iis, de quibus agitur, iamdiu miserrimam vitam degentibus, ac perpetuam in mortem ruentibus, hunc optatissimum tranquillitatis ac salutis portum aperiatis.*

Nullum adest dubium, quod Matrimonium, si fuerit dumtaxat ratum et non consummatum, possit Summi Pontificis auctoritate dissolvi. Satis porro constat, ante Matrimonium se numquam vidisse coniuges, et constat pariter, sequuto Matrimonio nunquam simul et in eodem loco deguisse: haec omnia eruuntur ex processu et Episcopi relatione. Quia vero dubium oriri poterat circa tempus, quo sponsa, oppido Petrae relicto, Ianuam per dies 15 circiter profecta fuit, quo tempore suspicari licuisset, quod sponsi simul convenerint: ad hanc eliminandam dubietatem satis consultum videtur per testium depositiones in processu relatas, atque Episcopi relatio-

[1] Cf. N. 318.

nem, ex quibus evincitur, quod tunc sponsus iam a multo tempore Anglam navim conscenderat; sponsa insuper comitabatur ab amasio et proprio fratre, qui nunquam illam reliquerunt. Hinc etiam in non admittenda hypothesi, quod sponsus Ianuae adesset, impossibile ferme erat, quod sponsa potuisset cum sponso convenire. Praeter testium in processu examinatorum depositiones excludentes Matrimonii consummationem, accedit etiam Mulieris iuramentum.

Causae porro ad dispensationem obtinendam debent esse iustae, rationabiles atque ad sensum Canonistarum urgentissimae. Putat vero coniugum Defensor, eiusmodi causas esse recensendas: implacabiles inimicitias atque odia, minas atque interneciones, quae evenire possent. De consensu in dispensationem utriusque coniugis satis constat.

Defensor vero Matrimonii mordicus impugnat locum esse posse petitae dispensationi. Atque duo proponit, ex quibus nullitatem processus deducit: defectum iurisdictionis in Iudice, qui ab Episcopo delegatus processum confecit, atque deficientiam Defensoris Matrimonii, de quo nulla invenitur mentio in efformato processu, cum satis clare iniunctum fuerit Episcopo, ut saltem in substantialibus forma Benedictinae servaretur. Quoad causas vero pro dispensatione adductas observat, quod si petita esset concedenda dispensatio, coniuges, qui probabiliter utrique contra sanctas Matrimonii leges peccarunt, potius quam canonicam punitionem, compendium pro patratis criminibus reportarent. Decernant igitur EE. PP., quomodo sit respondendum dubio:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, attentis circumstantiis in casu, de quo agitur.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 205-211].

3911.

S. C. C., *Nullius S. Martini*, 12 sept. 1801.

Ab Innocentio X erecta est in oppido S. Martini Nullius prope Viterbium Collegiata Ecclesia, cuius Patronatus Principissae Olimpiae Pamphiliae suisque heredibus et successoribus primogenitis masculis fuit in perpetuum adtributus. Redditus omnes Capitulo et Sacrario assignati consistunt in fructibus Locorum Montium. Hinc factum est, quod cessata horum perceptione Capitularium et Sacrarii emolumenta cessaverint. Attamen Capitulares per annum omnibus oneribus satisfecerunt, licet omnibus redditibus expoliati; pressi tandem inopia, valedixerunt choro atque Missarum celebrationi. Ne vero absoluta Ecclesiae derelictio scandalum in populo gigneret, singulis Dominicis caeterisque diebus festis Missas atque Vesperas decantarunt, de proprio suppeditantes pro cera, hostiis, oleo, etc. Res ita se habuit per spatium circiter duorum annorum. Tandem supplicem huic S. Congregationi libellum praesentarunt, in quo petunt absolutionem quoad

praeteritas omissiones, atque dispensationem ab omnibus oneribus, donec fructus Locorum Montium restituantur.

Preces de more remissae fuere ad Vicarium Capitularem, ut super illis referret, atque interim demandaret Canonicis chori et sacrarum functionum reassumptionem. Canonici monito obtemperarunt usque ad praeteritum mensem iunii. Requisitus etiam fuit Emus Protector, ut super iisdem precibus animum suum aperiret. Quae Capitulares exposuerant, veritati consona affirmat Vicarius Capitularis; quo vero ad Missas non celebratas inquit: « si è trovato, che il totale delle Messe lette e non sodisfatte ascende al numero di 1313, non comprese le Conventuali, quali ascendono al numero di 762 ». Emus Protector in omnibus assentitur relationi Vicarii Capitularis.

Neque lege Ecclesiae, neque voluntate fundatoris saltem praesumpta, neque demum aequitate Patrono incumbere videtur onus providendi deficientiae redditutum Capituli et Canonicorum Ecclesiae S. Martini usque ad fructuum Locorum Montium restitutionem, quia a die erectionis usque ad praesens, dominium atque bonorum administratio penes Capitulum resederat indepedenter a Patrono. Stante vero hac libera consignatione, si bona pereant, vel minuantur, Patronus ad supplementum non videtur adigendus iuxta theoriam Benedicti XIV, *De Synodo Dioecesana*, lib. 3, cap. ult., num. 33. Porro praetereundum non est, quod si Patroni honoribus privilegiisque perfruuntur, premuntur etiam gravissimis oneribus: tenentur siquidem ecclesias reparare atque etiam ex integro reficere, si corruant. Si hisce omnibus adiiciatur onus supplendi diminutioni fructuum ac deficientiae: honores et privilegia longe superabuntur ab oneribus.

Ex altera tamen parte, si Praebendati onere adstringuntur subveniendi redditibus Beneficii Patrono, si ad inopiam vergat: can. *Decernimus*, 16, quaest. 7, et cap. *Nobis, de iure patron.*, paritate rationis, si praebenda evanescat vel adeo imminuatur, ut congruos non valeat redditus suppeditare, Patronus ad succurrendum adigi debere videretur; rationi quoque congruum esse dici posset, ut qui iure gaudet honorifico, eiusdem sentiat et incommoda. Itaque quaeritur:

I. *An, et cui incumbat onus providendi deficientiae redditutum Canonicorum et Ecclesiae S. Martini usque ad reviviscentiam Locorum Montium in casu?*

Die 8 augusti 1801: Non proposita.

Die 12 septembris 1801 Sacra, etc. respondit ad I. Incumbere Patrono, et ad hunc effectum subministranda ab eo esse scuta 20 singulis Canonicis et annis, reducto servitio chori ad dies festos de praecepto et ad omnia Officia primae classis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 182-192, 222].

3912.

S. C. C., *Tricaricen.*, 12 sept. 1801.

Ad normam decisionis captae die 11 iulii proxime praeteriti [1] reproponitur haec causa cum voto R. P. D. Secretarii.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 221, 227-248].

3913.

S. C. C., *Fabrianen.*, 19 dec. 1801.

In Capitulo Fabrianensi praeter Canonicatus *primae erectionis* alii adsunt recentioris institutionis, inter quos Canonicatus ab Hortensia Piccinini Ambrosi institutus ea indicta lege, ut qui tempore vacationis decurrunt fructus, Sacrario applicandi sint. Hanc praebendam die 27 februarii 1797 obtinuit Clericus Antonius Seraphini, ad eiusque titulum Sacros Ordines suscepit. Post triennium vero ex gratia apostolica signata die 19 aprilis 1800 promotus fuit ad alium Canonicatum *primae erectionis* sive *di massa*. Quare die 18 maii 1800 huius Canonicatus possessionem nactus, eamdem sibi in patrimonium sacrum subrogavit, resignata priori praebenda, quam Summus Pontifex contulit Clerico Iosepho Righi die 22 iunii praedicti anni 1800. Protinus inter Canonicum Seraphini antecessorem et successorem Canonicum Righi controversia orta est super fructibus huius Canonicatus maturatis post dimissionem. Ille enim suos esse contendit, licet de tempore collectionis possessor Canonicatus esse desierit. Canonicus vero Righi e contrario sibi debitos putat ex eo, quod iam possidebat Canonicatum, quo tempore recollectio fructuum incidit.

Relata ad Sacram hanc Congregationem querela, Fabrianensis Antistes remittens iura a collitigantibus hinc inde deducta, suo abstinuit iudicio, vestramque expectat sententiam. Seraphinus nititur regula, quod fructus Canonicatus considerantur, tamquam merces oneris et laboris, adeoque dum servitium iugiter praestitit, fructus, quamvis pendentes, ei nihilominus ad ratam servitii debeantur iuxta nonnullorum Doctorum opinionem. Nititur etiam Constitutionibus Capituli Fabrianensis, cap. 3. Praeterea addit, fructus Canonicatus sibi adiudicandos etiam esse ex eo, quod ad illius titulum SS. Ordines susceperit. Vadimonio hactenus abstinuit Righius, quare pro munere nonnulla notanda.

Beneficiatus quidem super Beneficio gaudet tantum iure percipiendi fructus et ad instar usufructuarii haberi debet. Fructus vero licet maturati, non tamen percepti, finito usufructu ad proprietarium pertinent, non ad usufructuarium. Hanc regulam nonnulli Beneficiato applicant, qui aut

[1] Cf. N. 3908.

morte, aut cessione seu resignatione relinquit Beneficium. Hoc enim casu fructus attribuunt successori in Beneficio, qui tempore perceptionis fructuum ius habet in solo. Quae sane Doctorum opinio fulcitur ex const. Iulii III, edita anno 1550, cuius initium: *Cum sicut.* [1] Hisce autem nihil adversari videntur Constitutiones Capitulares, quae loquuntur de Canonicatibus *primae erectionis*, et de distributionibus quotidianis singulis horis canonicis adnexis, quae certe debentur cedenti vel resignanti ad ratam temporis praestiti servitii. Multoque minus negocium facessit Conc. Trident., cap. 3, Sess. 21. In hoc enim cavetur, ne quis ad Ordines promoveatur, nisi pacifice possederit Beneficium, quod iuxta taxam synodalem ad decentem sustentationem sufficiat; numquam vero statuit, ut qui cessit, vel resignavit Beneficium, ad cuius titulum promotus est, is percipiat fructus pendentes. Si haec posterior sententia EE. VV. arriserit, tum statuendum erit *pro qua rata*, et *a quo tempore* successori Righio fructus debeantur. Nam fundatricis dispositio interpretanda non videtur de fructibus pendentibus, qui post possessionem novi Beneficiati sunt recolligendi. Ex his oritur dubium:

An, et cui, et pro qua rata, et ad quod tempus competant fructus anni 1800 Canonicatus Piccinini Ambrosi adiuncti in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative favore Seraphini ad diem 18 maii.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 306-308].

3914.

S. C. C., *Forosempronien.*, 19 dec. 1801.

Episcopus postulat, ut Forosempronii Paroecia inops S. Rocchi transferatur ad Oratorium Divi Aldebrandi, quod parum ab ecclesia illa Parochiali abest, quodque legato Episcopi Palma ditatum quinque etiam comprehendit Capellanias a Presbytero Bianchi erectas. Ut vero provideatur congruae Parochi et stipendio Capellanorum (quos necessarios existimat), censet, legatum Palma et Capellanias Bianchi esse in hanc causam applicandas et respective reducendas, modumque exponit, ex quo consequitur, quod Parocho unienda sit secunda Cappellania Bianchi, annui reditus scut. 60 et legatum Palma scut. 43.31; primo vero Cappellano relinquitur Cappellania cum scut. 60 et praeterea eidem applicatur quarta et quinta Cappellania Bianchi annui reditus scut. 24; item Cappellano, qui iam possidet tertiam Cappellaniam Bianchi, quae dat annua scuta 60, assignantur ex legato Palma scuta 12.

Iniunctum fuit Episcopo, ut auditis iis, quorum intererat, multa patefaceret, quae necessaria erant ad huiusce rei cognitionem. Capitulum quidem Cathedralis sponte renunciavit Episcopo ius nominandi Rectorem in ecclesia Parochiali S. Rocchi; hic vero, cuius sustentationi satis consul-

[1] Cf. N. 84.

tum aliunde est, ultro curam dimittit; Cappellani Bianchi assentiuntur huic reductioni Cappellaniarum. Carmelitae tantum aperte repugnant, et recusant de suo iure decedere, si Paroecia S. Rocchi ad Oratorium Divi Aldebrandi transferatur, quo nempe eveniente casu ipsi in legato Palma substituuntur.

Episcopus reprehendit dissensum Carmelitarum; deinde affirmat, quod ad perficiendam exoptatam Paroeciae S. Rocchi translationem ad ecclesiam publicumque S. Aldebrandi oratorium alia non suppetant media. Prima dubii pars pertinet ad translationem Parochialis. Sane Tridentinum Sess. 21, cap. 7, *de ref.*, eo tantum casu probat translationes, quo Parochialis fatiscens aut omnino reparari non possit, aut non suppetant media ad reparationem necessaria. Modum vero occurrendi Parochialibus, quae oneribus impares sunt, praescribit idem Tridentinum in Sess. 24, cap. 13, *de ref.*, scilicet per beneficiorum unionem, primitiarum vel decimarum assignationem, aut per parochianorum symbola ac collectas. Videtur tamen, quod, dum Episcopus affirmat, non *alia suppetere media*, necessaria sit haec translatio. Quatenus vero probanda sit Parochialis translatio, deliberandum superest, quid de iure requiratur, ut Cappellaniarum Bianchi unio et legati Palma applicatio rite perficiatur, scilicet *necessitas* Parochialis: cap. 49, Caus. 26, quaest. 1; *utilitas* parochianorum: cap. *Exposuisti* 33, *de praebend.*; et *consensus* eorum, quorum interest: cap. *Tua nuper*, *de iis quae fiunt a Praelat.*, Clement. ultima, *de excessib. Praelat.* Quoad Parochi necessitatem affirmat Episcopus, eius reditus non excedit scuta 25.31; utilitas vero unionis in eo ponitur, quod ita saluti animarum parochianorum consulitur, qui aliter subsidiis spiritualibus omnino destituerentur; consensus tandem adest Capituli; itidem Parochus assentitur unioni et etiam Cappellani Bianchi, adversantur vero Carmelitani. Ex his dignentur EE. VV. dirimere dubium:

An, et quomodo sit locus translationi et unioni ita ut sit consulendum SSmo in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus, et ad mentem. [Thesaurus Resolutionum, tom. 67, p. 298-305].

3915.

S. C. C., *Fulginaten.*, 21 aug. 1802.

Geminas Cappellanias erectas in Collegiata Ecclesia S. Mariae Maioris Hispelli et de iurepatronatus eiusdem Capituli possidebat anno 1661 Presbyter Septimius Mancini, qui cum Capitulo egit, ut aucta Cappellaniarum dote ex tribus praediis, quae Mancinius donavit, et reservato iurepatronatu favore Capituli, Cappellaniae erigerentur in Praebendam Canonicalem. Cuius votis cum consensisset Capitulum, auctoritate Ordinarii erectio facta est, et probata praecipua lex, quam Mancinius indixit pro collationibus imposterum a Capitulo faciendis: *al qual Canonicato... possano il Capitolo, Canonici e Priore pro tempore nominare una persona virtuosa di Maestro*

di Cappella o di Cantore, quali successori in detto Canonicato siano tenuti ed obligati prestare il loro servizio o sia di Maestro di Cappella, o di Cantore, gratis, in tutti li luoghi, tempi, ed occasioni, che bisognerà alla Chiesa.

Vacato Canonicatu, die 27 maii 1801 Capitulum nominavit Sacerdotem Fridericum Trabalza. Duo tamen huic impedimento erant, ne Canonicatum obtineret: imperitia in cantu contra fundationis leges, et retentio alterius Beneficii *sub eodem tecto*. Quare dispensationem postulavit a Dataria, quae tamen concursum per edicta indicendum duxit. Tres tantum, ait Episcopus, produxere se postulantes: ille ipse *Trabalza*, quem Capitulum nominavit, Clericus Hilarius Ramagnini, qui aetatem agit annorum septemdecim et post vacatum Canonicatum initiatus est Clericali Tonsura, et tandem Franciscus Tomassini, decem annis natus, qui nondum adhuc inter Clericos Ecclesiae nomen dedit.

Dataria *votum* huius S. Congregationis, haec vero *informationem* Episcopi exquisivit. Arbitratur Antistes, neminem ex Oratoribus voti compotem fieri debere, eo quod nec in uno illae qualitates et requisita concurrant, quas nimis diserte donationis leges iubere videntur praecipue circa artem musicalem. Iam vero Trabalza artis musicae omnino ignarus est; Ramagnini vero et Tomassini primis musicis rudimentis salutatis vix manum ferulae subduxerunt, quippe qui ambo in puerili aetate constituti. His accedit, quod eo tempore, quo acciti concurrentes fuerunt ab edicto, uterque puer clericali qualitate carebat.

Presbyter Trabalza alterum Canonicatum consequutus ab hac lite recessit. Redit igitur controversia ad *Tomassinium* et *Ramagninium*. Cuius favore sit relaxanda supplicatio, quaeritur in primo dubio. Ex fundatione requiritur *una persona virtuosa o di Maestro di Cappella o di Cantore*, quae ad Canonicatum nominari debeat. Constans autem in iure est, quod nemo Beneficium consequi possit, nisi praestet ea, quae in fundatione praescripta fuere. Episcopus vero putat, prorsus hac qualitate destitutos esse Romagninium et Tomassinium, sed hoc opinione sua ductus affirmat. Nullum enim praemissum est experimentum in cantu. Nihilominus Tomassinius suam peritiam in cantu probare satagit testimonio eorum, qui musicam callent; et imperitiam evincere studet adversarii sui: quare contendit, sibi deberi praelationem tum, quia peritior in cantu, tum quia Ecclesiae hactenus inservivit. Contra Ramagninius plures testes adducit, qui deponunt eum *essere fornito di una dolce e grata voce e di buona maniera e disposizione al canto ed alla musica e che potrà vieppiù perfezzionarsi, tanto più, che esso è figlio di Domenico Ramagnini, attuale Maestro di Cappella della Collegiata di S. Maria Maggiore di Spello*. Praeterea Ramagninius aetatem habet annorum sexdecim, quae ad Beneficia consequenda idonea est ex Trident., Sess. 23, cap. 5, *de ref.*

In altero dubio quaeritur, num favore Tomassini concedenda sit dispensatio, qua indiget, ut Beneficium ecclesiasticum consequi possit, cum ei in aetate annorum decem impedimento sit allegatum decretum Tridentini. Haec autem subalterna quaestio pendere videtur a primo dubio. Nam si Tomassinius sit qualificatus ex fundatione, tum haec erit idonea causa,

cur concedi possit dispensatio; si contra Ramagninius sit qualificatus, cum hic aetatem habeat legitimam, eius iuribus praeiudicium inferri nequit per dispensationem, quam postulat Tomassinius. Proponuntur dubia:

I. *An, et cuius favore sit relaxanda supplicatio in casu?*

II. *An sit locus dispensationi favore Tomassini in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Ad I. et II. Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 68, p. 174-177].

3916.

S. C. C., *Anconitana*, 30 apr. 1803.

Indicto pro Parochia S. Ioannis Anconae concursu, die 3 februarii 1798 Presbyter Carolus Cioccoli fuit approbatus et verus Parochus institutus. Cum Parochus in possessione versabatur, in eum consilium venit Episcopus, ut Paroeciam S. Ioannis dismembraret, et Cappellanum amovibilem *Montagnoli* constitueret, tamquam perpetuum Parochum, novamque Paroeciam in ecclesia S. Mariae Liberatricis *di Posatore* erigeret, assignato huic novae Paroeciae suburbio et parte agri *di Montagnolo*. Ita factum est per decretum episcopale diei 7 aprilis 1798 latum minime citato Parocho S. Ioannis, Presbytero Cioccoli. Ex hac vero dismembratione, licet Parocho S. Ioannis reliqua esset pars urbana Paroeciae, attamen carebat congrua.

Tandem Parochus adhuc congrua se carere putans, deprecatus est a S. Congregatione reintegrationem ad primaeva iura parochialia ex eo, quod dismembratio aperte nulla sit. Modernus Episcopus Administrator Anconitanus in sua informatione narrata confirmans votis Parochi suffragatur, modumque proponit: ut scilicet Ecclesia divi Ioannis ad sua iura reddatur, cum novo tamen onere aliquid subministrandi Cappellano S. Mariae Posatoris, quia vix de necessariis ad vitam providetur, ut opem ferat Parocho quoad omnia, quae necessaria sunt ad spiritualem utilitatem partis rusticae Ecclesiae Posatoris.

Ordinario ex Tridentino, Sess. 21, cap. 4, *de ref.* datur facultas, ut procedat ad dictas dismembrationes etiam *invitis Rectoribus*. Idcirco, si concurrunt causae idoneae ad dismembrationem, ea quidem servanda est, licet inaudito Parocho facta. Causa vero concurrere videtur statim ac agebatur de Paroecia, quae late patebat per agrum, ita ut remotiores incolae ab Ecclesia duobus lapidibus distarent. Quare si iusta concurrente causa facta videtur dismembratio, locus esse non potest reintegrationi, maxime cum Parochus S. Ioannis non prorsus careat congrua. Nam ex incertis et ex bonis ei cessis a Canonicis Lateranensibus percipit annua scuta 235.43, quae longe excedunt congruam Conciliarem.

Contra haec Parochus Cioccoli hoc primum *in iure* statuit, quod si aliter dismembratio fiat ab Episcopo, quam a s. canonibus praescribitur, scilicet adhibitis solemnitatibus et ex iustis causis, dismembratio ipso iure irrita sit, ut S. Congregatio in *Cassanen.*, 3 et 17 decembris 1740.[1] Inter

[1] Cf. N. 3513.

solemnitates requiritur consensus Capituli Cathedralis ex cap. 1, *de his quae fiunt a Praelat.*, et citatio Parochi ex cap. 1, *de reb. Eccles. non alienand.* Quamquam vero a Tridentino permittatur dismembratio etiam *invitis Rectoribus*, attamen non ex hoc excluditur, quod citandus sit Parochus, ut illo prorsus inaudito dismembratio decernatur nulla, quemadmodum definivit S. Congregatio in *Marturanen.*, proposita die 24 ianuarii 1739,[1] et resoluta die 9 septembris 1741.[2] Praeterea contendit *in facto*, quod nulla fuit causa, quamobrem dismembratio fieret. Nam remotioribus incolis *di Montagnolo* consultum erat per Cappellanum Curatum iam ab anno 1579 constitutum; qui vero in suburbiis habitabant, non multum ab ecclesia Parochiali aberant, et via non erat aspera, sed plana. Remota vero magna difficultate itineris et incommodo parochianorum, deficit causa, cur iure dismembratio expleatur, maxime cum per duo fere saecula nulla fuerit parochianorum querela, nec constet, quod ullus Sacramentis destitutus occubuerit. Cum ergo dismembratio irrita sit, hinc danda est reintegratio, eo vel magis, quod licet ipse Parochus S. Ioannis percipiat annua scuta 235.43, nihilominus, ut omnibus oneribus faciat satis, in scutis annuis 532.40 in damno quotannis versatur in scutis 296.97. Haec vero suppleri poterunt, si recuperatis primaevis iuribus, decimas ex agro Parochus percipiat. Dubium hinc emergit:

An sit servanda dismembratio, seu potius sit concedenda reintegratio Parocho S. Ioannis, et quomodo in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam iuxta votum Episcopi Administratoris.[3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 69, p. 90-94].

3917.

S. C. C., *Montis Alti*, 21 maii, 25 iun. 1803.

In Ecclesia Collegiata oppidi Castineani anno 1772 introductum fuit servitium quotidianum cum alternativa ex novis Constitutionibus, quas defunctus Episcopus Marcucci scripsit et Capitulum acceptas tulit. Ante latas novas Constitutiones inoleverat consuetudo, ut Capitulares possent sibi invicem substituere in servitio chori obeundo. Quaestio nunc oritur inter Capitulares, num haec consuetudo indiscriminatim servanda sit, seu potius certi excipiendi sint casus inferius recensendi. Datae hinc preces fuere a Capitulo huic S. Congregationi, ut dignaretur hanc controversiam dirimere.

Episcopus in sua informatione exposita confirmans, refert, quod *consuetudo huiusmodi et ante, et post reformatas Constitutiones suo semper pleno robore stetit absque temporis aut loci aut circumstantiarum discrimine. Bini*

[1] Cf. N. 3498.
[2] Cf. N. 3525.
[3] Cf. N. 3925.

autem Capitulares cupiunt 1. declarari, eos substituendos esse, qui eadem die chorali servitio addicti sunt; 2. eos substituere non posse, qui a terra, ubi est Collegiata, vel ab eius suburbiis absunt; 3. huiusmodi substitutiones non debere esse nimium frequentes; 4. Coadiutores, sive Canonici sint, sive Mansionarii, privilegio alium substituendi uti non posse.

Tridentinum quidem in Sess. 24, cap. 12, *de ref.* praescribit, ut omnes divina per se, et non per substitutum compellantur obire officia, verum benignior opinio excepta est, ut possent Capitulares se invicem substituere, ut tradit Bened. XIV, *Instit.* 107, num. 17; et S. Congregatio probavit, certis tantummodo casibus exceptis, ut in *Eugubina*, 15 decembris 1605;[1] in *Fulginaten.*, 31 maii 1711, dubio: *An Canonici et Capitulares Cathedralis Fulginatensis absentes a Civitate, eiusque suburbiis possint se invicem substituere in servitio chori*, respondit, *Negative*; in *Spoletana*, 28 febr. 1795, dubio II: *An, et quomodo Canonicus Coadiutor alium substituere possit in chorale servitium*, respondit, *Negative*; et in *Alatrina*, 24 martii 1612.[2] Ex quibus videtur, quod merito nonnulli Capitulares has restrictiones postulent. Dubium hinc emergit:

An, et quomodo Capitulares Collegiatae S. Mariae Lauretanae in Oppido Castineani se invicem substituere possint in chori servitio in casu?

Die 21 maii 1803: Non proposita.

Die 25 iunii 1803 Sacra, etc. respondit: Affirmative, exclusis Coadiutoribus, dummodo Substitutus non sit eodem die servitio chori addictus, et Substituens non absit a Dioecesi, et substitutiones non sint nimium frequentes.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 69, p. 136-138, 141].

3918.

S. C. C., *Auximana et Nucerina*, 20 aug., 10 sept. 1803.

A Nucerina Civitate, in qua ortus erat Ritus Fancelli, lares transtulit ad Civitatem Cingulanam, ubi domicilium fixit, animumque permanendi satis declaravit ex eo, quod Cingulanam civem Mariam Quattrini duxit, ab eaque filium suscepit Aloysium. Qui licet Cinguli in domo paterna semper a nativitate manserit, attamen cum Ecclesiae nomen dare cuperet, ab Episcopo Cingulano litteras *testimoniales* de statu libero accepit, et initiatus est ad Primam Tonsuram, Minoresque Ordines ab Episcopo S. Severini cum litteris *dimissorialibus* Episcopi Nucerini. Pari modo ad Sacros Ordines promotus fuit a defuncto Episcopo Nucerino, quin ab Eñio Antistite Cingulano *dimissoriales* assequeretur.

Ineunte anno 1802 haec omnia explorata sunt, cum Sacerdos Aloysius Fancelli in patrium Cinguli domicilium remeavit. Quare Eñus Episcopus Cingulanus eumdem a divinis suspendit. Hinc Fancellius preces dedit huic S. Congregationi, ut absolutionem a suspensione et dispensationem

[1] Cf. N. 2360.
[2] Cf. N. 2390.

ab irregularitate obtineret, cum Ordines susceperit sine testimonialibus Ordinarii originis et domicilii, et huiusmodi suspensione irretitus in Ordine ministraverit.

Interrogatus est Episcopus Nucerinus, qui haec bona fide evenisse affirmat, et dignum esse Oratorem, cui absolutio et dispensatio concedatur. Secus tamen censuit Eñus Episcopus Cingulanus, qui reprehendit vitae rationem ipsius Fancelli. Dum enim anno 1800 in Dioecesi Camerinensi commorabat, virginem ludibrio habuit, et in eum quaestio stupri constituta est. Rursus anno 1801 idcirco ab Aesina Dioecesi expulsus est, quia suam navavit operam, ut coenobita personatus choreis theatralibus interesset. Quibus ab Eñio Episcopo Cingulano exceptis die 19 iunii 1802 rescriptum prodiit: *Doceat de impetrata absolutione pro patrato crimine, de peracta poenitentia, et constanti emendatione.* Ut hisce omnibus satisfaceret testimonialem Archiepiscopi Camerini attulit, ex qua constat Fancellium inquisitum quidem fuisse crimine stupri, sed postea compositis partibus a poena fuisse absolutum. Vitae autem emendationem privatis testibus comprobavit. Verum Eñio Episcopo Cingulano Oratoris emendatio valde suspecta fuit.

Certe quidem, dum Fancelli Cinguli ortum duxit, in quo pater lares fixerat et uxorem duxerat, dubitari non potest, quin Episcopo Cingulano subiiceretur ad normam const. Innocentii XII, cuius initium *Speculatores.*[1] Cum vero sine *dimissorialibus* proprii Episcopi Cingulani Ordines susceperit, sequitur, ut ex eadem constitutione in suspensionem inciderit, qua innodatus, cum in Ordine ministraverit et Sacra confecerit, omnino irregularis factus est ex cap. *Si quis Presbyter, 21, de cleric. excom.* Hinc iudicium EE. VV. redire debet ad inquirendum, num iusta subsit causa, cur nunc absolutionem et dispensationem obtineat. Dubium est:

An sit concedenda absolutio et dispensatio in casu?

Die 20 augusti 1803: Non proposita.

Die 10 septembris 1803 Sacra, etc. respondit: Expectet, et apud suum Eñum Episcopum Cingulanum det maiora signa constantis emendationis et poenitentiae.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 69, p. 199-201, 205].

3919.

S. C. C., *Brixinen.*, a. 1804.

S. Congregatio rescripsit Episcopo Brixinensi: Matrimoniis fidelium coram Ecclesia contractis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacunque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, Ecclesia minime consulta, nec probante, perperam ac nulliter lata.

[Liber Litterarum 1804, p. 128].

[1] Cf. N. 258.
[2] Cf. N. 3937.

3920.

S. C. C., *Nullius S. Martini*, 28 iul. 1804.

Non diu stetit iucunda vitae consuetudo inter coniuges Camillum Brochetti et Geltrudem Belpasso, quae mense octobris 1791 in manus viri convenit et ad oppidum S. Martini, quod incolit familia Brochetti, commigravit. Dissidia enim exorta mulier anno 1792 ad patrium oppidum Caprarolae patriosque lares sese receperat. A Curia Ecclesiastica monita Geltrudes promptam se declaravit ad obsequia praestanda, sed nonnullas proposuit conditiones a viro adimplendas, et praecipue, ut separatum a domesticis viri contubernium haberet. Cum tamen inter se non convenissent, Vicarius Generalis causa cognita definitive decrevit mulieri subministranda esse alimenta ad rationem scutorum quinque pro quolibet centenario suae dotis. Ab hoc decreto appellavit Camillus ad Auditorem Camerae, qui in sententia edita die 23 decembris 1775 revocavit decretum Vicarii Generalis, atque decrevit Geltrudem teneri et obligatam esse ad praestanda obsequia matrimonialia Camillo viro. Neglecta ab hac sententia appellatione, ortaque propterea re iudicata, Geltrudes anno 1796 a R. P. D. Auditore SSmi exoravit, ut causa delegaretur ad S. Rotam etiam in gradu restitutionis in integrum. Camillus vero supplicavit SSmo, ut causa huiusmodi ab hac S. Congregatione cognosceretur.

Ordinarius refert Geltrudem a se interrogatam respondisse, se ad separationem thori venisse, ut vitam lucraretur aeternam, quam viro coniuncta consequi non posse arbitratur. Ad duo autem capita revocari possunt causae a Geltrude propositae: ad saevitias et odium viri. Affirmat enim se pluries nedum inter parietes domesticos et in ipso thalamo, sed etiam palam et in publica ecclesia percussiones a viro tulisse; ad vilissima officia coactam, etc. ac tandem a viro metu mortis compulsam, ut subscriberet declarationem, in qua affirmaret, numquam viri saevitias aut percussiones expertam fuisse. Odium vero viri demonstrare studet tum ex saevitiis, tum ex eo, quod uxoris famam suorumque consanguineorum allatis documentis nunc deturpare conatur.

Utrumque vero, et saevitias et odium refutare contendit Camillus, inductis testibus, qui etiam affirmant Geltrudem ad hanc litem incitatam fuisse a consanguineis suis, et eamdem post factum divortium in familiaritatem venisse cum iis, quorum fama male audit. Tandem producit iuratam mulieris declarationem, qua se immunem fuisse a saevitiis viri profitetur, eamque declarationem sponte fecisse probat ex alio teste, qui a Geltrude id accepisse fatetur. Saevitiae ad summum stabant in unica percussione, adeoque non sunt frequentes et atroces, neque separationi thori causam praebent. Eo minus timeri posse contendit odium viri, cum hic promptum sese exhibuerit uxorem recipere, et quidem seorsim a paterna domo, ut omnis iurgii causa removeatur. Ex his dignentur EE. VV. deliberare:

An constet de re iudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 70, p. 137-140].

3921.

S. C. C., *Veronen.*, 19 ian., 16 febr. 1805.

Augustinus Refondini incertus est, num in aestu pugnae aliquem saucium occisumque dimiserit; fatetur tamen extra pugnam bis oblatum sibi singulare certamen acceptasse, et semel leve vulnus provocanti inflixisse, qui brevi convaluit, et pace facta numquam querelam ad Fiscum detulit. Nunc totus mutatus ab illo, qui antea fuerat, contendit ad S. Ordines, cum iam ad 25 aetatis annum pervenerit, sed contracta irregularitas ei impedimento est, quominus ad eosdem Ordines promoveatur.

Episcopus exposita confirmans addit, non dubia signa evidentis emendationis; peracta de erroribus salutari poenitentia, universali admirabili exemplo et populi aedificatione, ecclesiasticam disciplinam constanti animo cum Sacramentorum frequentia amplexus est, ita ut pluribus abhinc mensibus ad Theologiae Moralis et Dogmaticae studium sedulo incumbens ad Sacros suscipiendos Ordines plenissime habilis, et perdiligenti examine idoneus repertus, sine dubio admittendus, quatenus de huius S. Congregationis benignitate id concedendum visum fuerit.

Omni tempore s. canones reprobarunt monomachiam, ut ex can. *Monomachiam*, 22, Caus. 2, quaest. 5, cap. 1 et sequ., *de cler. pugnantib. in duello*, Tridentin., Sess. 25, cap. 19, *de ref.;* const. Pii IV, *Ea quae*,[1] const. Greg. XIII, *Ad tollendam.*[2] Praeter censuras pugnantibus interminatas inflictam quoque esse irregularitatem iis, qui in certamine singulari aliquem occiderunt vel mutilarunt, tenent cap. *Si quis viduam*, 8, Dist. 50; cap. final., *de cler. pugnantib. in duello*. Cum vero Orator in singulari certamine ex condicto acceptato sauciaverit aggressorem, sane irregularitatem contraxisse videtur. Quamquam vero incertum sit, num in bello aliquem occiderit aut mutilaverit: attamen etiam ex hoc capite in dubio saltem ad cautelam dispensatione indiget. Statuendum deinde erit, num Orator dispensatione dignus sit. Concurrunt certe non dubia signa constantis emendationis. Dubium est:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 19 ianuarii 1805: Non proposita.

Die 16 februarii 1805 Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 25, 29].

[1] Cf. N. 101.
[2] Cf. N. 149.

3922.

S. C. C., *Brigantien.*, 30 mart. 1805.

Ioachim Antonius de Costa, origine Dioecesis Caliobrigensis, cum iam esset minoribus Ordinibus initiatus, coacte inter militares copias descriptus est, et in acie per triennium mansit, quin aliquem occiderit aut mutilaverit, immo nec hostium vultum aspexerit. Militiae pertaesus falsas conscripsit dimissoriales datas Brigantiae, die 6 martii 1802, illiusque Episcopi signum ex alia pagella evulsum suis commentitiis dimissorialibus affinxit. Quo facto pergit ad Vicarium Generalem Bracharensem, et ab eo facile impetravit, ut pro authenticis easdem recognosceret et testatum faceret, signum appositum revera tale esse, quo Brigantiensis Episcopus utebatur. Hisce fretus ab Episcopo Tudensi, qui falsitatem dimissorialium nec suspicatus est, impetravit S. Subdiaconatus Ordinem. Occultum quidem fuit crimen, sed Ioachim sceleris conscius ad pedes provolutus Em̃i Patriarchae Ulyssiponensis (inter cuius subditos fuerat apostolica gratia adscriptus) suam culpam deprecatus est, et ab eo obtinuit, ut a S. Sede veniam exoraret.

Nulla adhuc facta poenitentia preces pro absolutione et rehabilitatione porrexit. Episcopus Brigantiensis de sua sententia rogatus, cum a Dioecesi abesset, respondere non potuit. Quare preces remissae fuere Nuncio Apostolico, qui superius exposita confirmans addit: ex documentis ab Oratore porrectis facile cognovi, ipsum bonis moribus imbutum esse, S. Theologiae Moralis aulam frequentasse, idoneum repertum approbatumque in hac Patriarchali Curia fuisse pro Sacris Diaconatus et Presbyteratus Ordinibus suscipiendis. Ipsum emendatum revera esse arbitror; optimisque eius dispositionibus confidens, illum dignum existimarem ad gratiam.

Primum quaerendum videtur, num irregularitatem contraxerit Orator, quia armatam militiam sequutus est. Falsis quoque usus est litteris dimissorialibus, ut Ordines ab alieno Episcopo consequeretur; adeoque suspensus ipso iure est ex Tridentino, Sess. 23, cap. 8, *de ref.* Immo vero, cum dolo malo mentitus sit dimissoriales, profecto Ordines furtive suscepit, et dubitari potest, quod sit irregularitate irretitus ex cap. *Veniens, de eo qui furtive ordin. suscep.* Sed cum in Ordine non ministraverit, probabilior sententia est, quod irregularitate non teneatur. Num vero dispensatione et rehabilitatione dignus sit, erit EE. VV. iudicium. Invitus ipse et reluctanti animo in militiam adscriptus est. Dolo quidem Subdiaconatus Ordinem suscepit, attamen occultum est crimen, et cautus fuit, ne in Ordine ministraret. Eumdem commendat Episcopus Caliobrigensis et Nuncius Apostolicus. Dubium proponitur:

An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione et rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 56-58].

3923.

S. C. C., *Caurien.*, 30 mart. 1805.

In Cathedrali Cauriensi obtinuit primum Dignitatem Archidiaconatus, tum Prioratus de Galisteo Sacerdos Ignatius Osorio y Mesia. Iuramentum ipse praestitit, prout Statuta Ecclesiae iubent, quo se abstinere promisit a petendis dispensationibus a suo munere. Huius servitium diligentissime praestitit per annos sex supra quinquaginta, et modo inclinata aetate ad annum octogesimum, postulat indultum iubilationis. Episcopus instantiae suffragatur.

Cum ex testimonio Episcopi constet Oratorem per annos 56 continuum et laudabile obiisse servitium, nihil certe reliquum esset, quin iubilationis indultum obtineret, nisi ei impedimento esse videretur praestitum iuramentum ad formam Statutorum Ecclesiae de non impetrandis indultis, quae absentiam a choro indulgerent. Contra vero observandum est, ea Statuta esse stricti iuris, et interpretationem recipere a iure et a consuetudine Sedis Apostolicae auctoritate firmata. Quare Statuta intelligi possunt de indultis absque iusta causa non obtinendis, non autem de iis, quae ob continuum et laudabile servitium concedi solent ex consuetudine Sedis Apostolicae auctoritate firmata. Quare, si a censura Statutorum huiusmodi indulta eximuntur, nec iuramentum obest, nec absolutio petenda est, ut indultum iubilationis consequatur. Dubia itaque proponuntur:

I. *An obstent Statuta Ecclesiae Cathedralis Cauriensis, et respective illorum iuramentum ad effectum obtinendi iubilationem, ita ut sit consulendum SSm̃o pro absolutione ad cautelam in casu?*

II. *An sit concedendum indultum iubilationis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, et non indigere.

Ad II. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 58-60].

3924.

S. C. C., *Fanen.*, 22 iun., 20 iul. 1805.

Sacerdos Vincentius Verzellini Fanen. Dioecesis pravam fovens cum muliere consuetudinem in Urbinatensi Archidioecesi, atque aegre ferens vigilantis Antistitis monita, ad Castrum Plobicum Dioecesis Calliensis se contulit, ubi eamdem tenenes inhonestae vitae rationem, monitus fuit a Vicario Apostolico, ut sub poena suspensionis a Calliensi abiret Dioecesi. Antequam vero his obtemperasset mandatis, ratus hanc suspensionem esse comminatoriam, nec ipso facto incurrendam, eodem in loco ante discessum celebravit. Haec Vicarius Apostolicus Calliensis per epistolam significavit Episcopo Fanensi, in cuius Dioecesi Sacerdos Verzellinius remeavit. Quamquam vero Antistes Fanensis eumdem adstantibus duobus testibus a divinis

suspenderit: attamen ipse semel iterumque post suspensionem celebravit. Ad exercitia spiritualia imperio Episcopi compulsus, diu in religiosa domo non stetit, cum alimenta solvere non posset. Nunc in eum constituta inquisitio est tum contra eius vivendi rationem, tum ob violatam suspensionem. Nihilominus postulat pro absolutione ab irregularitate. Et Episcopus Administrator eam concedi oportere putat, cum alimentis indigeat.

Certe quidem Verzellinius irregularitatem contraxit, cum celebraverit suspensione irretitus ex cap. 3, *de poenis*. Quamquam enim suspensio a Vicario Apostolico Calliensi interminata esset comminatoria, nisi ab illa iurisdictione discessisset, attamen, quamdiu in ea stabat Verzellinius omnino celebrare non poterat. Deinde iterum in irregularitatem incidit, postquam rite suspensus ab Episcopo Fanensi, nihilominus iterum iterumque celebrare ausit. Nulla vero est causa, cur absolutionem consequatur, nisi summa paupertas. Nam ipse sub processu manet; et dum Episcopus censet, procedendum esse ad eius emendationem, postquam absolutionem obtinuerit: hoc ipso patet, quod hactenus emendatus non sit. Dubium proponitur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 22 iunii 1805: Non proposita.

Die 20 iulii 1805 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 133, 137].

3925.

S. C. C., *Anconitana*, 17 aug. 1805.

Resoluta fuit haec causa die 30 aprilis 1803.[1] Instante vero Sacerdote Sancte Bucciarelli, qui post dismembrationem Parochus fuerat constitutus in regione *di Montagnolo* et *Posatore*, reproponitur sub hac forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius; et ad D. Secretarium, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 167].

3926.

S. C. C., *Aesina*, 23 nov. 1805.

Ne in ecclesia proclamaretur matrimonium inter Rinaldum Fiorani et Mariam Rosam Andreoni iam conciliatum, obstiterunt Parochus Cathedralis Aesinae Sanctes Chiodi et Plebanus Carolus Marcellini. Nam Maria Rosa orta erat in Castro Planii ex incertis parentibus, ut ex Codice parochiali constat, sub die 15 ianuarii 1785. Hinc rumor vulgi increbuerat, quod Maria Rosa filia esset naturalis Vincentii Fiorani, qui pater legitimus fuit Rinaldi,

[1] Cf. N. 3916.

qui Mariam Rosam sibi iungere cupiebat. Cum haec a Parochis accepisset Vicarius Generalis, vetuit, ne *publicationes* quas vocant, ullo modo fierent, nisi primum liqueret, num sponsi tenerentur necne impedimento in primo gradu consanguinitatis. Quare Rinaldus et Maria Rosa nonnullis allatis testibus, ut impedimentum excluderent, postularunt a S. Congregatione veniam contrahendi matrimonii. Quorum preces remissae fuere Episcopo pro informatione, auditis sub formali examine Parochis, aliisque testibus, et ut referat de puellae filiatione, perquisitis quoque libris Paroeciae et Hospitalis spuriorum.

Testes quidem omnes de auditu deponunt, sed pugnant inter se. Nam Theresia Rigucci, vidua Vincentii Fiorani, affirmat, virum suum fassum quidem fuisse, se filiam spuriam habuisse, sed non esse Mariam Rosam Andreoni. Contra vero Sacerdos Nicolaus et Gernardus Fiorani, fratres defuncti Vincentii affirmant, non semel, sed saepius a Vincentio audivisse, Mariam Rosam filiam suam esse ex quadam Anna Anconitani, tum cum hanc propria domo in famulatu haberet. Narrant quoque, Vincentium anxium sollicitumque fuisse, dum audivit Rinaldum huius spuriae amore captum fuisse. Horum dicta confirmantur ex eo, quod deponit Ioachim Anconitani, frater Annae. Nam ait, Vincentium domum suam frequentasse, cum ipse id aequo animo non ferret, et saepe matrem suam, ne id permitteret, monuisse. Paulo post Annam enixam fuisse, et quamquam non dicat, a quo, nec recordetur, num natus infans (quem ipse detulit ad Hospitale expositorum) mas fuerit vel femina attamen confirmat, quae testes a Vincentio audivisse aiunt. Accedunt duo alii testes, qui declarant, Vincentium nil intentatum reliquisse, ut nuptias inter Rinaldum et Mariam Rosam impediret. Adstipulatur tandem rumor vulgi. Quod vero attinet ad investigationem librorum Paroeciae et Hospitalis spuriorum, hoc unum confirmat Episcopus, Mariam Rosam natam esse in oppido Castri Planii, ibique esse baptizatam, nec ei in libro baptizatorum adnotatos esse certos eius parentes; item Maria Rosa descripta reperitur in libris spuriorum, qui apud Aesinum Magistratum asservantur. Ex his EE. PP. deliberare dignabuntur:

An constet de impedimento consanguinitatis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad effectum, de quo agitur.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 195-201].

3927.

S. C. C., *Feretrana*, 14 dec. 1805.

Intra limites Plebaniae S. Marini extat ab anno 1500 Cappuccinorum coenobium, qui licet antea in eorum ecclesia tumulaverint benefactores, qui sepulchrum ibidem elegerant, nullam tamen pro ipsis constructam habebant sepulturam. Anno 1794 sepulturam extruxerunt annuente praedecessore Archipresbytero Maccioni. Nunc igitur modernus Archipresbyter Marinus Mercuri postulat, ut PP. Cappuccinis prohibeatur ius sepeliendi, et sepultura obstruatur. Episcopus Feretranus rogatus, ut auditis partibus, senten-

tiam suam proferret, folia utrinque exhibita remittit. Addit praeterea: Est apud me copia resolutionis S. C. Episcoporum et Regularium editae die 18 augusti 1769, in qua de hac ipsa controversia legitur: *Licere PP. Cappuccinis habere facultatem sepeliendi cadavera saecularium de licentia tamen Patris Generalis vel Commissarii, non obstantibus Constitutionibus Ordinis.*

Nititur Parochus dispositione iuris, quo cavetur, ne sepulturae construi et eligi possint, nisi in ecclesiis parochialibus, earumque coemeteriis: cap. *Nos instituta*, *1*, cap. *Fraternitatem*, *3*, cap. *In nostra*, *10*, *de sepulturis*, cap. *Cum quis*, *2*, eod. tit., in 6. Cum porro ius sepeliendi a PP. Cappuccinis exercitum magnum afferat Paroeciae detrimentum, idcirco postulat Parochus, ut PP. Cappuccinis prohibeatur.

Contra vero PP. Cappuccini confidunt privilegio concesso PP. Minoribus in Clementina *Dudum*, *de sepulturis*, et Extravag. *Super cathedram*, eod. tit. Patribus vero Cappuccinis omnia privilegia PP. Minorum communicata sunt a Clemente VII, const. *Religionis zelus*, 7 iulii 1528 [1]. Nullum vero ex hoc iure sepeliendi praeiudicium inferri ecclesiae parochiali contendunt, nam plerumque a Cappuccinis pauperiores sepeliri solent, quo expensis funerum parcant. Dubium sequitur:

An PP. Cappuccinis Conventus S. Marini competat ius sepeliendi cadavera eorum, qui in eorum ecclesia sepulturam elegerunt in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, salvis iuribus parochialibus, et de licentia P. Vicarii Generalis Ordinis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 217-219].

3928.

S. C. C., *Senogallien.*, 14 dec. 1805, 25 ian. 1806.

Abbatissa et Moniales S. Agathae Arcis Contratae cum gravatae sint aere alieno in summa scutorum 265, postulant, ut in partialem huius aeris alieni dimissionem ex una dote monastica scutorum 250 erogare possint scuta tantum 215, et quod superest, dimissis creditoribus una cum annuo deposito scut. 30 usque ad reintegrationem capitalis erogare in acquisitionem animalium, quae necessaria sunt ad fundi cultum. Instantiae suffragatur Emus Episcopus.

Cum alio modo aes alienum dimittere non possint Moniales, permittendum eis videtur, ut in hanc causam erogare possint dotem spiritualem pro rata scut. 215, aliter enim bona Monasterii creditorum exequutionibus subiicerentur, id quod eis multo maius detrimentum inferret. Ad modum autem quod attinet, dubitari poterit, num permittendum sit Monialibus, ut annuum depositum scut. 30 sit investiendum in animalibus. Haec quidem fundos augent fructumque reddunt, sed casu fortuito perire possunt. Dubium proponitur:

[1] Bull. Rom., tom. 4, I, p. 73, 74.

An, et quomodo annuendum sit precibus in casu?

Die 14 decembris 1805: Non proposita.

Die 25 ianuarii 1806 Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta votum Emi Episcopi, docto, prorogato deposito pro reintegratione dotis investiendae cum solitis clausulis post completam emptionem animalium.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 71, p. 229, tom. 72, p. 1].

3929.

S. C. C., *Fulginaten.*, 25 ian., 8 mart. 1806.

Epileptico morbo correptus Diaconus Vincentius Adriani abhinc duos annos iam convaluit, et nunc, ut ad Sacerdotium promoveatur, postulat dispensationem ab irregularitate. Medici affirmant, eumdem *esser stato da due anni e più esente da insulto epilettico, ed aver goduta entro il sudetto notabile spazio di tempo perfetta salute. Siamo di sentimento, che l'enunciato Diacono siasi liberato dal sudetto morbo.* Testes quoque idipsum affirmant. Episcopus vero in sua informatione eadem referendo, a Vobis, EE. PP., expectat iudicium.

Epileptici, seu laborantes morbo caduco, fiunt irregulares ex can. *Maritum* et can. *Communiter*, dist. 33. Ex Doctoribus alii tenent eos tamdiu esse irregulares, nisi per plures annos bene convaluisse constiterit; alii vero, si per integrum anni spatium sani fuerint. Haec posterior opinio consona est dispositioni iuris in cap. *Communiter*, 3, dist. 33. Dubium proponitur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 25 ianuarii 1806: Non proposita.

Die 8 martii 1806 Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 72, p. 17-19].

3930.

S. C. C., *Patavina*, 8 mart. 1806.

In Castro *di Priore di Sacco* una est Parochialis et Collegiata Ecclesia S. Martini. In eo cura animarum ita ex vetusta bulla Eugenii IV, lata 2 octobris 1437 exercetur, ut totum Castrum cum suburbiis dispertitum sit in quinque regionibus, quibus singulatium praeest Archipresbyter et quatuor Canonici. Limitrophae huic Castro sunt et olim Collegiatae subiectae quinque rurales Paroeciae in villis *Bruggine*, *Arzavello*, *Campagnola*, *Priovega*, *Pontelongo*. Quinque Cappellani amovibiles, qui nominantur ab Archipresbytero et Canonicis Collegiatae S. Martini, et ab Episcopo approbantur, curam animarum exercent. Controversia modo orta est inter Canonicos et Cappellanos, qui in ruralibus Paroeciis resident, num illi aut isti celebrare et applicare teneantur Missas pro populo. Cum ab Ordinario mandatum fuerit, ut Cappellani ad applicationem tenerentur, postulatum proponunt

Cappellani, uter ad hanc applicationem teneatur. Vicarius Capitularis multa suppeditat ad hanc controversiam decidendam.

Ex Tridentino, Sess. 23, cap. 1, *de ref.* ii tenentur pro ovibus suis Sacrificium offerre, quibus animarum cura commissa est, adeoque qui habet actualem curam animarum, tenetur ad applicationem Missae pro populo, ut declaravit s. m. Benedictus XIV in const. *Cum semper oblatas*, [1] et cohaerenter pluries S. Congregatio. Hoc itaque unum inquirendum erit, num cura actualis quinque Paroeciarum ruralium resideat penes Archipresbyterum et Canonicos, sive potius apud Cappellanos.

Vicarius Capitularis censet, quod cura actualis resideat apud Cappellanos, nam in bulla Eugenii IV, quae portiones Castri Sacci dividit, et Archipresbytero et Canonicis assignat, nulla mentio fit de ruralibus Paroeciis. Quamquam vero istae essent olim unitae ecclesiae Parochiali Sacci, attamen nunc sunt prorsus separatae, cum singulae habeant propriam ecclesiam et distinctum gregem. Nec etiamsi Cappellani eligantur ab Archipresbytero et Canonicis, ab eisque stipendium accipiant et ad nutum removeri possunt, idcirco hoc ius parochialitatis tribuit Archipresbytero et Canonicis, sed tantum ius patronatus vel curae habitualis. Ceterum cura actualis data est Cappellanis. Nam post factam electionem ab Archipresbytero et Canonicis confirmantur ab Episcopo, qui eis facultatem concedit administrandi tam Sacramenta, quam Sacramentalia. Unde anno 1674, cum Archipresbyter Sacci celebrare vellet matrimonium in ecclesia *Brugginae*, veniam a Cappellano petivit. Et a. 1788 Archipresbyter licentiam impetravit ab Episcopo, ut celebrationi matrimonii in una rurali ecclesia adesset. Hinc concludit, quod cura actualis penes Cappellanos resideat. Ex his deliberandum venit:

An in quinque respectivis ruralibus Paroeciis di Bruggine, Arzavello, Campagnola, Priovega et Pontelongo *Missa pro populo applicanda sit ab Archipresbytero et Canonicis Collegiatae S. Martini, seu potius a Cappellanis Curatis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 72, p. 34-36].

3931.

S. C. C., *Nepesina*, 19 iul. 1806.

Protracta fuit executio legati quondam Stephani Tidi facti in favorem ecclesiae Parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Formelli usque ad annum 1724, quo tempore Coniuges Ciavarrini, heredes Tidi Stephani in causam legati tradiderunt nonnullos census in summa scutorum 250, et Parochis pro tempore S. Michaelis iniunctum fuit onus celebrandi quadraginta Missas. Sed anno 1748 conquerens se Parochus S. Michaelis, difficilem esse assignatorum censuum exactionem, idcirco inter hunc et Philippum Ciavarrini inita conventio fuit probante Praesule Silvestri tunc Episcopo Nepesino, in qua conventum fuit, ut Philippus incumberet exactioni censuum et alios census sive alia bona annui reditus scutorum 30 assignaret, ut Beneficium perpetuum erigeretur sub titulo S. Stephani, reservato eidem Philippo suisque patronatu tum activo tum passivo, ut tandem annuas Missas 40 pro prima fundatione Rector celebrare teneretur, et praeterea alias Missas 30 pro aucto Beneficii fundo.

Post non ita multo irruentes creditores super patrimonio Ciavarrini bonis a Philippo assignatis Beneficium privarunt, relictis tantum censibus, qui ex hereditate Tidi proveniebant, unde annua scuta 10 percipiuntur. Nihilominus heredes Philippi in contingentibus vacationibus nominarunt Rectorem. Vacato Beneficio anno 1797 nemo adfuit, qui attenta tenuitate redituum, illud consequi vellet. Verentes patroni moderni, Silvester et Ioannes Baptista Ciavarrini, ne ob lapsum nedum quadrimestris, sed fere novennii, caducati essent a iure nominandi, postulant sanationem, cum nunc Clericus Lucas de Luca Beneficium accepturus est. Haec patent ex informatione Episcopi, qui putat, inquirendum esse, an peremptis bonis, propter quae iuspatronatus concessum fuit familiae Ciavarrini, peremptum dici debeat etiam dictum iuspatronatus, praesertim cum dos perierit facto ipsius patroni, utpote evicta ab illius creditoribus.

Hisce acceptis iniunctum fuit Episcopo, ut audito Parocho S. Michaelis, referret, utrum Oratores possent necne reintegrare dotem Beneficii, ac praeterea vellent. *Cum magna*, respondit Episcopus, *premantur Oratores inopia, impossibile eis redditur, ut reintegrare valeant dotem Beneficii ad formam fundationis*. Ex his inquirenda veniunt: 1. Num Oratoribus Ciavarrini competat iuspatronatus; 2. utrum eis, quatenus patronatus competat, concedenda sit sanatio, si intra quadrimestre non nominarunt. Ex fundatione iuspatronatus huiusmodi est mere honorificum et caret iure nominandi. Cum porro Philippus auxerit dotem Beneficii, idcirco eidem concessum est iuspatronatus activum et passivum. Utrum vero hoc iuspatronatus ex transactione quaesitum nunc amplius competat, dubitari potest ex eo, quod augmentum dotis a Philippo datum ab eius creditoribus evictum fuit, quare cessare debet iuspatronatus, quod quaesitum fuit ex augmento dotis, maxime cum Oratores non possint dotem reintegrare, et Oeconomus ecclesiae Parochialis paratus sit legatum acceptare iuxta primaevam fundationem. Ex his sequeretur, ut Oratores Ciavarrini non possent amplius Rectorem nominare, et Parochus S. Michaelis esset reintegrandus ad celebrationem Missarum, quae in prima fundatione iniuncta fuere. Sin vero EE. PP. sententia inclinet, ut iuspatronatus competat Oratoribus Ciavarrini, tum inquirendum erit, num eisdem concedenda sit sanatio, si intra quadrimestre non nominarunt. Sed in hac re excusandi videntur patroni a negligentia, cum ob tenuitatem redituum nemo voluerit Beneficium acceptare. Dirimenda dubia sunt:

I. *An, et quomodo competat iusparonatus Beneficii S. Stephani Silvestro et Ioanni Baptistae Ciavarrini in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An sit concedenda sanatio in casu?*

[1] Cf. N. 345.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative; et servetur legatum Tidi, et ponatur in tabella.
Ad II. Provisum in primo.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 72, p. 142-145].

3932.

S. C. C., *Romana*, 16 aug. 1806.

Proposita instantia est a Capitulo S. Hieronymi Illyricorum, ut probarentur ea, quae ipsum retroactis annis gessit atque decrevit circa administrationem redituum Congregationis Illyricae. Rem multis et facti et iuris controversiis implicatam patefecit et illustravit Emus Cardinalis Gabrielli Apostolicus Visitator in sua informatione, in qua sub sex dubiis singula controversiarum capita expendit:
« Post varias temporum calamitates anno 1801 in ecclesia S. Hieronymi sub die 9 augusti choralis officiatura iterum persolvi coepit. Aliquot porro Canonici paulo antea in Urbem reversi saepe convenere. Praesule Primicerio absente, Emo Protectore iam defuncto et nulla impetrata apostolica venia, plura tulerunt decreta arbitraria, quae certam redituum quantitatem diversis nominibus eisdem Canonicis tribuebant. Qui nempe primi redierunt, vel in totum, vel in maxima parte eas sibimetipsis assignatas subventiones perceperunt, alii tardiores in reditu, in minori quantitate, novissimus aut nihil vel fere nihil consequi potuit. Ex quo delatis ad Pontificium Solium querelis de tam prodiga administratione, Capitulo Illyricorum visitatio apostolica praeposita est, quae abusus omnes refrenaret. Igitur visitatione peracta, in VI. dubio agitur de censuris per Capitulares incursis sive ob male gestam loci pii administrationem, largitionibus sibimetipsis assignatis, sive ob perceptos reditus vacantium Beneficiorum sacrario debitos, de contracta irregularitate ob non intermissam celebrationem, necnon de condonatione eorumdem redituum sacrario restituendorum. Quoniam Oratores per abusum administrationis, quam gerebant, nedum in insolitas erogarunt impensas, sed immo conspicuas sibimet ex loci pii reditibus largitiones decretas nec obtenta, nec reservata venia apostolica in parte exegerunt, suosque in usus erogarunt: non est dubium, quin latum contraxerint interdictum contra alienantes Ecclesiae bona, ex s. canonum praescripto in Extravag. *Ambitiosae, de reb. Eccles. non alienand.*, et const. Benedicti XIV, *Universalis Ecclesiae* [1], et clarius in Conc. Trident., Sess 22, cap. 11, *de ref*. In similes vero, alio quoque nomine, Capitulares incidere censuras ob usurpatum sacrarii censum. Post tot irregulares administrationis actus tandem expergefacti, absolutionem suis precibus ab his censuris, si forte contraxissent, implorant, et reticent irregularitatem, quam contraxisse aeque certum est et indubitatum, cum iam suspensi multiplici titulo, a celebratione non destiterint. Proindeque nedum absolutione, sed etiam dispensatione ab irregularitate indigent.

[1] Cf. N. 316.

Ad gratiam facit error forte eorum animis irreptus, quod crediderint, non incidisse in censuras, quia forte putarunt, sibimetipsis eos reditus tribui posse, qui vacantium vices supplebant. His ita excusari circumstantiis censeo, ut pro utraque gratia absolutionis et dispensationis indulgentiam SS. Pontificis mereantur ». Ex his deliberandum est:

VI. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, dispensatione et condonatione in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad VI. Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Visitatoris et Relatoris.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 72, p. 151-174].

3933.

S. C. C., *Turritana*, 16 aug. 1806.

Publico rogato instrumento die 11 septembris 1749 inter Franciscum Ledda et PP. Servitas Sassarenses, ille constituit, isti acceptarunt Cappellaniam cum onere Missae quotidianae ad eleemosynam duorum Realium, celebrandae ad privilegiatum altare SS. M. Virginis Dolorosae. Pro fundo Cappellaniae hypothecae subiecit Ledda nonnullas domus, ut ipso defuncto heredes traderent scuta Sarda nongenta. Eam vero conditionem interposuit, ut heredes deponerent hanc quantitatem *in poter del R. P. Priore de' Servi, che in quel tempo sarà, il quale avrà la cura caricar detti scudi novecento in luogo sicuro a talchè mai cessi la celebrazione della Messa*. Atque hanc conditionem PP. Servitae acceptarunt atque spoponderunt.

Defuncto fundatore, traditam pecuniam erogarunt PP. Servitae in emptionem censuum, qui dabant fructum scutorum octo in singula centum. Sed postea fructus ex fundo redeuntes diminuti sunt. Quamquam PP. Servitae hactenus celebrationem ad formam testamenti praestiterint, attamen nunc reductionem Missarum postulant ad eleemosynam a fundatore praescriptam pro ratione redituum, qui nunc percipiuntur. Interrogatus Procurator Generalis Ordinis Servitarum, respondit, eleemosynam manualem Missarum in Dioecesi Sassarensi adhuc esse unius Realis; reditus vero Oratorum culpa non perierunt. De augmento porro horum redituum nulla videtur esse spes, quare Oratoribus praescribi posse existimat, ut tot Missas celebrare teneantur ad rationem duorum Realium pro qualibet, quot iuxta annuum reditum celebrari poterunt.

Agitur de reductione oneris Missarum per contractum acceptati a Religiosis, praevia Superioris Regularis venia, ac propterea reiicienda videtur reductio ob deperitionem seu diminutionem fundi, cum contractus omnino servandi sint, ut in cap. *Antigonus*, et in cap. *Qualiter, de pact.*, et S. Congr. in *Bergomen.*, 10 iulii 1728. [1] Maxime, cum diminutio fundi ex parte verti

[1] Cf. N. 3342.

possit culpae Religiosorum, qui restitutas sortes census non investierunt in alios census, ut mens fundatoris fuisse videtur. Sequitur dubium:

An, et quomodo sit locus reductioni in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 72, p. 186-189].

3934.

S. C. C., *Fanen.*, 16 aug., 13 sept. 1806.

In Ecclesia Cathedrali Fanensi duo sunt Mansionarii, qui percipiunt fructus Beneficii erecti in ecclesia SS. Simeonis et Iudae, quae multis abhinc annis clausa est, quippe fatiscens et sordida. Cum eam reparare non possint Mansionarii, postulant, ut eruatur omnino, translata Icone ad altare, quod eis in Cathedrali Canonici concedunt, et erogato pretio ex caementis retrahendo in investimentum, unde annui reditus augeantur. Episcopus affirmat, ex fructibus Beneficii SS. Simeonis et Iudae percipi scuta 88.88, quae summa repartita ad scuta 44.44 annuatim pro unoquoque pertingit. Obnoxii igitur esse non possunt Mansionarii sumptibus pro restauratione iamiam labentis ecclesiae, pro qua scuta 159.12 impendi necesse esset, ut in peritia ex officio efformata describitur, in qua etiam eiusdem caementa ad valorem scutorum 409.41½ pertingere demonstratur. Demolitio praeterea huius ecclesiae nullum infert praeiudicium populo, tum quia nulla in ea est Missarum obligatio, tum quia aliae viciniores adsunt ecclesiae. Ipse locus, ubi sita est ecclesia, vix decet ipsius sanctitatem: vici angustia, clamor ac strepitus hominum infimae plebeculae vetant ecclesiastica munia cum dignitate frequentari. Capitulum consensit Oratorum instantiae. Ex his videtur, mereri Oratores, ut annuere dignemini eorum petitis.

Restaurationem ecclesiarum commendant s. canones et praecipue Tridentina Synodus, Sess. 21, cap. 7, *de ref.* Verumtamen, si deficiat modus unde fatiscentes ecclesiae reparari possint, eadem S. Synodus permittit demolitionem, cum facultate ecclesias dirutas in prophanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. In casu, si diminuatur stipendium Mansionariorum, ut reparationi ecclesiae consulatur, ipsis remanent annua scuta 30, quod stipendium pro temporum angustia tenue est, et impar oneri servitii chori per alternas hebdomadas et canendi in Missis et Vesperis solemnioribus. Proponitur dubium:

An, et quomodo sit locus demolitioni ecclesiae in casu?

Die 16 augusti 1806: Non proposita.

Die 13 septembris 1806 Sacra, etc. respondit: Affirmative cum solitis clausulis, celebrato quotannis festo SS. Titularium, et servata in prophanatione censura Sac. Concilii Tridentini, et ad mentem. Mens est, quod Episcopus incumbat investimento pretii caementorum, quo expleto referat de annuo reditu ab eodem retrahendo, et tunc providebitur quoad applicationem. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom 72, p. 189-191, 195].

[1] Cf. N. 3939.

3935.

S. C. C., *Lauretana*, 29 nov., 20 dec. 1806.

Presbyter Ioseph Sciava, Canonicus Collegiatae oppidi Castri Fidardi ab anno 1801 supplicavit ab hac S. Congregatione indultum iubilationis post expletum quadraginta annorum servitium. Rogata Episcopi et Capituli sententia, cumque constitisset, ipsum Canonicum a choro per quadriennium abfuisse, quo tempore Recineti studiis vacavit, rescriptum fuit die 19 decembris 1801: *Excomputato tempore, quo Orator abfuit causa studiorum, recurrat.* Nunc superelapso quinquennio reintegrat preces pro impetranda iubilatione. Denuo exquisita est sententia Episcopi, audito Capitulo. Habitis comitiis retulit: *che il medesimo sempre in addietro ha fatto sodisfare e sodisfatto ancora personalmente tutti li vari oblighi di Messe, che vi sono in questa nostra Collegiata, ma che sul punto del servizio corale, attesi gl'incomodi del Sig. Canonico Sciava, non ha potuto in conto alcuno prestarlo fin dal tempo, che dette la prima sua supplica per la giubilazione.* Nihilominus collectis suffragiis Capitulum instantiam probavit, et Episcopo interim defuncto, Vicarius Capitularis quoque instantiae suffragatur in sua informatione.

Nihilominus iis, quae Vicarius Capitularis pro concedenda iubilatione affert, aperte obstat praxis huius Sac. Congregationis, quae, nisi continuum et laudabile servitium praestitum sit, numquam indulta huiusmodi iubilationum impertiri solet. Tempus enim, quo quis abfuit causa studiorum, non calculatur in curriculo annorum quadraginta. Quare si Orator per quinquennium abfuit causa studiorum, si huiusmodi temporis defectum supplere non potuit, sequitur, ut deficiat continuum et laudabile quadraginta annorum servitium, quo remoto numquam indultum iubilationis concedi solet. Infirmitas vero, qua laborat Orator, quantum confert, ut alterum indultum causa infirmitatis concedatur, tantum inutilis est ad exorandum indultum iubilationis. Dubium est:

An sit concedendum indultum iubilationis in casu?

Die 29 novembris 1806: Non proposita.

Die 20 decembris 1806 Sacra, etc. respondit: Negative; et esse concedendum indultum causa infirmitatis ad quatuor annos, si tamdiu.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 72, p. 236-239].

3936.

S. C. C., *Sutrina*, 28 febr., 18 iul., 22 aug. 1807.

Presbyter Angelus Razzante paralysi a manibus laborat, atque ab Episcopo suo suspensus est, ne Sacrum faciat. Supplicat nunc pro rehabilitatione cum assistentia alterius Sacerdotis, ut sine periculo Sacrificium Missae offerre valeat. Rogatus est Episcopus de sua sententia, facto prius experimento per Magistrum caeremoniarum. Hic refert, Oratorem *esse in probabili periculo*

vel eversionis calicis, aut alius inferendae irreverentiae Sacramento, si solus celebret. Opinor vero, huic defectui suppleri posse, si cum assistentia alicuius Presbyteri celebret, qui vinum et aquam in calicem infundat, eumdem palla cooperiat et detegat, ac in oblatione, elevatione et sumptione sustineat, pariterque dextera teneat, dum Celebrans super Calice signat cum Hostia dicens, Per ipsum, etc., Per eumdem, etc., *ipsam frangendo ad illa verba,* Pax Domini, etc., *et cum extergit patenam. Quod quidem si EE. VV. permittendum iudicaverint, ut possit Sacerdos Orator suis Missarum oneribus et propriae devotioni satisfacere, opportune iniungendum esse arbitrarer, ut quoad fieri possit, privatim celebret, et loco, et tempore, quo pauci reperiantur adstantes.*

Ubi quis eo morbo vexetur, unde operatio rebus divinis periclitatur et scandalum oritur, profecto est irregularis ad tradita per Pirhing, *in Ius Canon.* lib. 1, tit. 20, n. 14. Sed cum agatur de morbo nulla sua culpa contracto, et omne removeatur periculum, si ei adsit alius Sacerdos, sane dispensandus videtur ab irregularitate, dummodo celebret cum adsistentia alterius Sacerdotis: can. *Illud*, caus. 7, quaest. 1. Proponitur dubium:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 28 februarii 1807 Sacra, etc. respondit: Negative.

Reiteratis vero precibus propter rei familiaris angustiam, quam etiam Episcopus in nova informatione testatur, idem Sacerdos EE. VV. supplicat pro definiendo dubio:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 18 iulii 1807: Non proposita.

Die 22 augusti 1807 Sacra, etc. respondit: Praevio recessu a decisis, dummodo celebret ianuis clausis, vel in hora minus a populo frequentata, et cum alio adsistente Sacerdote, pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi ad triennium cum solitis clausulis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 73, p. 43-45, 153, 157].

3937.

S. C. C., *Auximana et Nucerina*, 22 aug. 1807.

Resoluta fuit haec causa die 10 septembris 1803.[1] Post quadriennium et ultra Sacerdos Fancelli reintegrat preces. Rogatus de sententia Episcopus Cingulanus scribit: « Maiora se mihi praebuisse emendationis signa affirmare possum, cum tribus abhinc annis eam vitae rationem instituerit, quae Ecclesiasticum decet. Putarem, EE. VV. Oratoris precibus indulgere posse, eum absolvendo ab omni censura et irregularitate, cum nihil amplius perpetraverit, quod huiusmodi gratia reddat indignum ». Igitur EE. PP. deliberare dignabuntur:

An sit consulendum SSmo pro absolutione et dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 73, p. 174].

[1] Cf. N. 3918.

3938.

S. C. C., *Tarraconen.*, 21 nov. 1807.

Ab Archiepiscopo Tarraconensi hoc proponitur postulatum: « Cum in Dioecesis perlustratione reperiissem, neminem ex XXVII Vicariis ruralibus, qui totidem inserviunt suffraganeis ecclesiis, festis diebus Missae Sacrificium pro populo offerre, eo praesertim, quia nec sunt proprii Parochi, nec ipsorum ecclesiae propriam Parochiam a Matrice disiunctam constituant, sed ab illis gerantur dependenter a Matricis Rectore, in quo residet habitualis cura animarum: tamen attente considerans, eos ab iis, qui perpetui dicuntur, nomine tantum differre, non re, non dubitavi decretum edere eos constringens ad celebrandum pro populo diebus festis. Verum cum huiusmodi decreto resistant, ad eliminandas dubitationes sedandosque conscientiae motus, tutius duco EE. VV. super his consulere ».

Omnis dubitandi ratio in eo est, utrum in ecclesiis, quae in Dioecesi Tarraconensi *suffraganeae* vocantur, cura actualis resideat penes Rectorem ecclesiae Matricis, seu potius apud Vicarium *nutalem*, seu ad nutum amovibilem. Nam cum ex Tridentino, Sess. 23, cap. 1, *de ref.* ii teneantur pro ovibus suis sacrificium offerre, quibus animarum cura commissa est: ita tenentur applicare Missam pro populo, qui actualem curam exercent, licet sint Vicarii ad nutum amovibiles, ut declaravit Benedictus XIV in const. *Cum semper oblatas.*[1] Vicarii huiusmodi *nutales* negant apud se residere curam actualem, quia nec ecclesiis suffraganeis praeponuntur praevio examine, nec Synodo adsistunt, nec habent propriam Paroeciam disiunctam a Matrice. Ex his deducunt, quod non proprio iure curam exerceant, sed tamquam ministri Rectoris Matricis, proptereaque non ad eos pertinet cura actualis. Nihilominus Archiepiscopus censuit Vicarios huiusmodi veros esse Parochos, et apud eos curam actualem esse. Nam Vicariae, quas regunt, auctoritate Ordinaria erectae sunt, in eisque Vicarii *nutales*, licet a Rectoribus Matricis nominati, decreto Ordinarii instituuntur, nec nisi ab eodem Ordinario possunt amoveri. Separatim regunt curas a Matricis Rectore; Fontes Baptismatis habent, et SS. Eucharistiae Sacramentum in propriis ecclesiis custodiunt, Viaticum deferunt, Matrimonia publicant licet alter contrahentium Matrici subiectus sit; Baptismata in propriis codicibus adnotant; visitationi Episcopi subiiciuntur. Quae omnia evincunt, eosdem Vicarios, licet amovibiles, proprie tamen esse Parochos, et actualem curam habere. Consuetudinem porro despiciendam esse putat Archiepiscopus, cum potius dicenda sit abusus, ubi iuri divino et ecclesiastico repugnat. Ex his EE. VV. deliberare dignabuntur:

An XXVII Vicarii nutales *teneantur ad applicationem Missae pro populo, ita ut decretum ab Archiepiscopo in sac. visitatione latum sit exequendum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 73, p. 230-233].

[1] Cf. N. 345.

3939.

S. C. C., *Fanen.*, 21 nov., 19 dec. 1807.

Resoluta fuit haec causa die 13 septembris anni proxime praeteriti.[1] Nunc Episcopus Vos, EE. PP., certiores reddit, caementorum pretium attingere summam scutorum 409.41 ½, et fructus annuatim persolvendos scuta quinque pro singulo centenario. Cum autem lucrum scutorum duo circiter supra viginti tantummodo ex ea percipiant Mansionarii, quo lucro in duas partes diviso, eorum cuique exigua tantum summa obveniat scutorum 11, sequitur, eos magno Missarum onere gravari non posse. Dubium proponitur:

An, et quomodo applicandum sit investimentum ex pretio caementorum in casu?

Die 21 novembris 1807: Non proposita.

Die 19 decembris 1807 Sacra, etc. respondit: Affirmative in augmentum praebendarum et distributiones quotidianas iuxta votum Episcopi, celebrata ab unoquoque Mansionario una Missa in menses singulos in sacello Sanctorum Titularium applicanda pro anima fundatorum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 73, p. 237, 241].

3940.

S. C. C., *Arianen.*, 23 ian. 1808.

Franciscus Xaverius Marziano a praedecessore Episcopo suo Arianensi usque ad Lectoratus gradum promotus, a ceteris Ordinibus reiectus fuit, neque dimissoriales consequi potuit a Vicario Capitulari. Quare Martianus Neapolim petivit, et in Regio Clero adscriptus, ad reliquos omnes Ordines gradatim promotus est sine testimonialibus Curiae Arianen. contra constitutionem Innocentii XII, *Speculatores.*[2] Quamquam ex hoc esset suspensione irretitus, attamen celebravit, ut ipse asseverat, ignorantia ductus constitutionum apostolicarum. Sed monitus ab ecclesiasticis viris, ad suum Ordinarium confugit, ut a suspensione liberaretur. Id quod ab ipso obtinuit, dummodo a Sede Apostolica impetrasset dispensationem ab irregularitate, qua tenebatur ex eo, quod suspensione irretitus Sacris operatus esset. Cum itaque eius irregularitas nota esset, cessavit a celebratione Missarum, et apud Vos EE. PP., dispensationem ab irregularitate implorat.

Vicarius Capitularis in sua informatione affirmat, quod defunctus Episcopus *non volle promuover l'Oratore agl'ordini ulteriori per alcune mancanze, per altro di non molto momento dal medesimo commesse in Seminario. Egli sostiene, che allorquando fu così ordinato Sacerdote, non gli erano note le*

[1] Cf. N. 3934.
[2] Cf. N. 258.

apostoliche costituzioni, e che in conseguenza credevasi di non esser incorso in veruna censura. Del resto posso assicurare, che il detto Marziano è fornito di sufficienti cognizioni per lo stato Sacerdotale, e munito di tutti li requisiti prescritti dal Sac. Concilio di Trento; non ho cosa di dolermi del di lui costume, ed ha subito una corrispondente mortificazione da me impostagli.

Cum suspensus celebraverit, apertum est Martianum ex const. *Speculatores* irregularitatem contraxisse: cap. 3, *de poenis*; et S. C. in *Fanen.*, 20 iulii 1805[1]. Et quamquam Cappellano Regio privilegium sit, ut ordinare possit illos, qui Regio Clero adscripti sunt: attamen id obtinet, quatenus proprii Episcopi testimonialem afferant. Videant igitur EE. PP., num subsit causa, cur dispensandus sit. Non contemptu legum ecclesiasticarum, sed ignorantia fatetur Orator se praetermisisse testimonialem proprii Episcopi. Caeterum Ordinarius testatum facit, eum habere *tutti i requisiti prescritti dal Concilio di Trento*, etc. Dubium proponitur:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione et rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, imposita salutari poenitentia arbitrio Ordinarii.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 74, p. 11].

3941.

S. C. C., *Forosempronien.*, 26 mart. 1808.

Cathedralis Ecclesia Forosemproniensis et Parochialis est, curamque animarum per Vicarium amovibilem exercet in agro, in quo ea regio, quae appellatur *Piano di S. Martino*, distat ab Ecclesia Parochiali et ob longum apserumque interpositum iter spiritualibus nonnunquam destituitur auxiliis. Dum adhuc administrationem Forosemproniensis Ecclesiae retinebat modernus Episcopus Laureti et Recineti, ut consuleret hisce ruricolis, suasit Capitulo, melius saluti animarum futurum, si haec regio a Paroecia Cathedrali dismembraretur, constituto novo Parocho in ecclesia rurali S. Martini, quam circumstant tres supra sexaginta familiae colonorum. Annuit Capitulum. Ut vero congrua novo Parocho assignari posset et aedes parochiales extrui, et sacra supellectilis comparari, nonnulla proposuit Episcopus Administrator. Quoniam vero interea novus Pastor Forosemproniensi Ecclesiae datus est, is in Urbe auditus, nedum adprobavit commendavitque summopere, quae a suo Decessore gesta sunt, verum etiam noscens novam hanc Paroeciae erectionem utilem esse et necessariam: enixis precibus EE. VV. exorat, ut cum suis, tum incolarum Plani S. Martini votis quam primum satisfacere dignentur. Proponitur dubium:

An, et quomodo sit locus dismembrationi, et erectioni novae Paroeciae in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris, et ad D. Secretarium cum SSmo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 74, p. 53-63].

[1] Cf. N. 3924.

3942.

S. C. C., *Signina*, 18 mart., 27 maii 1809.

Pertinent ad patronatum fratrum Lauri, nempe Sacerdotis Laurentii, Octavii et Gregorii quatuor Cappellaniae sive simplicia Beneficia in Cathedrali Ecclesia Signina erecta, quorum alterum nuncupatum a S. Bernardino, et S. Maria Angelorum, alterum divo Hieronymo, possidetur a Sacerdote Laurentio; tertium vero sub invocatione S. Ioannis Baptistae, et quartum S. Ioseph, tenet Clericus Marianus, dictorum fratrum Lauri nepos. Horum Beneficiorum latet fundatio inter antiquitatis tenebras, cum ante annum 1500 iam erecta fuisse constet. Ex praediis, quae indiscriminatim pertinent ad haec Beneficia, redeunt annua scuta 62, et ex his implenda sunt onera Missarum 299 et alia quatuor cum cantu; praeterea vectigalia persolvi debent et expensae pro manutentione Cappellarum.

Cum redditus impares essent oneribus, fratres Lauri postularunt, tum reductionem onerum, tum etiam, ut duo Beneficia S. Bernardini et S. Hieronymi unirentur Beneficio S. Ioannis Baptistae; quae duo Beneficia unienda cum possideantur a Sacerdote Laurentio Lauri, hic assentitur unioni, dummodo post sui obitum effectum habeat. Episcopus narrata confirmans utriusque instantiae suffragatus est. Itaque die 17 decembris 1808 rescriptum prodiit: *Pro reductione arbitrio et conscientia Episcopi ad taxam Concilii Romani, et ponatur in tabella; quo vero ad unionem ponatur in folio.*

De unione nunc tantum quaeritur. Obstare quidem ei videtur iuris dispositio, quae ad perficiendam Beneficiorum unionem requirit causam necessariam et utilem, et consensum eorum, quorum interest: can. 49, Caus. 26, quaest. 1; cap. *Tua nuper, de his quae fiunt a Praelat.*, et S. C. in *Forosempronien.*, 19 decembris 1801.[1] Quamquam in re nostra unioni assentiantur tum Beneficiati, tum Patroni, attamen nulla subest necessaria causa, et utilitas Ecclesiae, cum unio petatur in commodum Beneficiatorum. Verum agitur de tenuissimis Beneficiis, quae maioribus, quam par sit, gravantur oneribus, ut difficile sit invenire, qui ea consequi velit, agiturque de Beneficiis mere simplicibus. Dubium proponitur:

An, et quomodo sit locus unioni in casu?

Die 18 martii 1809: Non proposita.

Die 27 maii 1809 Sacra, etc. respondit: Affirmative post obitum vel resignationem Sacerdotis Laurentii Lauri, firmis omnibus oneribus ad formam fundationum et rescripti diei 17 decembris 1808.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 74, p. 20-22, 25].

[1] Cf. N. 3914.

3943.

S. C. C., *Neapolitana*, 17 sept. 1814.

Acolythus Dominicus de Paolis triginta et amplius annos natus, cum in morbum gravissimum incidisset, convalescens laboravit imbecillitate nervorum opticorum, et nunc, quin ullam exteriorem deformitatem praeseferat, luminibus captus est ita, ut vix lucem a tenebris secernat. Nihil intentatum reliquit, ut adhibitis remediis visum recuperaret; sed omnia frustra, cum Chirurgi nullam spem esse reliquam affirment. Nihilominus cum maximo flagraret desiderio Sacrorum Ordinum, animum applicavit ad scientias philosophicas et theologicas consequendas, et opitulante persona, quae ei lectionem et scriptionem praestaret, tantum in iis profecit, ut facto publico experimento, admirationem in omnibus ingesserit. Neque minus profecit in sacris caeremoniis, et habet plurima testimonia, ex quibus probat se cum adsistentia Sacerdotis idoneum esse ad celebrationem Missae. Itaque SS̃mo bis preces porrexit, ut dispensationem ab irregularitate impetraret. Eius preces ad hanc Sac. Congregationem ablegatae fuere. Plurimas Orator affert commendationes Episcoporum aliorumque virorum Ecclesiasticorum.

Ex his inquirendum erit, num Orator sit irregularis, num dispensandus et quatenus dispensandus, quomodo gratia concedenda. Cum ita Orator careat visu, ut praeter lucem a tenebris nil praeterea discernat, irregularis profecto est ex genere eorum, qui ex defectu corporis impediuntur congruo usu et exercitio Ordinis, praesertim celebrationis Missae. Neque eidem suffragari posse videtur, quod neque sua culpa, neque vi morbi caecus sit, neque ullam deformitatem exteriorem habeat. Irregularis enim fit ex eo, quod, si non propter deformitatem, certe ob imbecillitatem Missam legere non potest. Superest, ut EE. PP. videant, num saltem dispensatio Oratori indulgenda sit. Pro impertienda gratia multa faciunt: irregularitatem casu, non culpa Oratoris contractam fuisse; vitium emendatum fuisse ab Oratore applicatione profectuque in scientiis, praecipue theologicis; dispensationis gratiam redire in utilitatem Ecclesiae: ita Oratorem instructum esse in sacris caeremoniis, ut celebratio Missae ab eo explenda cum adsistentia Sacerdotis neque scandalo, neque admirationi populo adstanti futura sit; eumdem Oratorem commendatum esse ab Ordinario, et ab aliis undecim Episcopis, qui pro eo gratiam deprecantur; testimonium Cleri, qui eumdem idoneum affirmat. Verum obstat regula, qua semper usa est S. Congregatio in concedendis dispensationibus super defectu corporis, ut eas facilius indulserit, ubi res erat de dispensando Sacerdote iam promoto, quam ubi agitur de Clerico promovendo, ut in *Comen.*, 6 maii 1775.[1] Nihilominus, quatenus EE. PP. gratiam indulgere censeant, id quod ad modum pertinet concedendae dispensationis, cavendum erit, ne celebrare possit sine assistentia alte-

[1] Cf. N. 3792.

rius Sacerdotis, et numquam in publica ecclesia, sed in Oratorio privato. Dubium dirimendum erit:

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 75, p. 4-10].

3944.

S. C. C., *Camerinen.*, 17 dec. 1814.

Carolus Ribecchi e Villa Valliculi suo testamento die 8 ianuarii 1793 constituit *erede universale e proprietaria di tutti i suoi beni la chiesa del SSmo Rosario di Vallicchio con obligo peraltro al Curato pro tempore di doversi celebrare tante Messe, quanto sarà il frutto di detti beni alla ragione di due paoli per Messa, lasciando per altro usufruttuarie della sua eredità le sue sorelle Lucia e Felice la loro vita naturale durante.* Viventibus adhuc heredibus usufructuariis, terraemotu concussa fuit ecclesia Parochialis S. Luciae, cui subiiciebatur ecclesia SSmi Rosarii, heres proprietaria Caroli Ribecchi.

Sacerdos Venantius Biocca preces admovit huic Sac. Congregationi, ut ei liceret Parochialem ecclesiam S. Luciae fere omnino collapsam transferre ad ecclesiam SSmi Rosarii. Ut vero consuleret expensis, quae pro amplianda hac ecclesia et a fundamentis extruendis aedibus parochialibus iudicio peritorum in scutis 350 requirebantur, facultatem imploravit vendendi caementa quassatae ecclesiae S. Luciae, et imponendi censum super fundo hereditatis Ribecchi. Ipse vero Parochus sese promptum paratumque exhibuit ad solvendos fructus, donec vixerint sorores Ribecchi usufructuariae. Hisce vero defunctis sese obligavit ad celebrationem Missarum pro simplici iulii eleemosyna, si ad huiusmodi celebrationem successores etiam cogantur, donec census fuerit extinctus. Archiepiscopus huic instantiae suffragatus est. Quibus precibus relatis per summaria precum in Congregatione diei 20 ianuarii 1798, rescriptum fuit: *Archiepiscopo, qui pro suo arbitrio et conscientia Oratori gratis indulgeat iuxta petita et superius descriptum eius votum.*

Parochus Venantius Biocca nonnisi anno 1803 usus est facultate a S. Congregatione sexennio fere ante tributa, quo anno die 8 novembris publico stipulato instrumento censum in annuis scutis decem imposuit super praedio *Camponovo* ad hereditatem Caroli Ribecchi spectante, illumque pretio scut. biscentum vendidit Comiti Aloysio Foschi Patritio Camerino. Defunctis anno 1808 sororibus Ribecchi venit dies, quo purificata est substitutio ecclesiae SSmi Rosarii. Sed cum eam regionem teneret extera dominatio, non potuit Parochus possessionem capere bonorum hereditariorum Ribecchi, sed ea invasit *Sagrilegum Demanium*, quod mobilia vendidit, stabilia publicae licitationi exposuit. Quare Parochus Venantius, quo minus detrimentum ecclesia caperet, censuit inire foedus cum patre suo Philippo Biocca et Comite Aloysio Foschi, ut ipsi ad haec bona licerentur. Cum tamen ea esset temporum

iniquitas, ut aditus ad S. Sedem esset interclusus, nec venia apostolica ad stipulandum contractum huiusmodi impetrari posset: Parochus nomine etiam patris et Comitis Foschi Spoletum venit consultum Cardinalem Antonelli Magnum Poenitentiarium, qui eo loci detinebatur, num tuta conscientia bona hereditatis Ribecchi acquirere posset. Cui respondit Excellentissimus Antonelli: licere, dummodo acquirerent animo restituendi bona et parendi ad omne mandatum Ecclesiae.

Nunc, postquam supervenit felix rerum mutatio, tam Comes Antonius, filius interea defuncti Aloysii Foschi, quam Parochus Venantius eiusque pater preces obtulere, quibus convalidationem venditionis et emptionis bonorum Ecclesiae postulantes declararunt, se promptos paratosque esse bona empta restituere ea tamen conditione, ut reintegrationem consequantur de expensis ab ipsis factis in manutenendis fundis, atque etiam eorum creditis et pecuniis solutis in dimittendo aere alieno hereditatis Ribecchi. Venditionem huiusmodi utilem Ecclesiae fuisse affirmant, idcirco sanationem contractus, atque opportunam absolutionem a censuris, si in eas inciderint, obtinere confidunt.

Archiepiscopus in sua informatione affirmat, bona vendita fuisse iustissimo pretio, nimirum pretio ultra triplum maiore pretio censuali, ac huiusmodi emptionis et venditionis contractum omnibus attentis verissimis circumstantiis tam Parochialis ecclesiae, quam Rectoris pro tempore cessisse in evidentem utilitatem. Addit praeterea, vires deficere ecclesiae Parochiali, si rescisso contractu restituere deberet summas emptoribus debitas. Inde putat, expedire Ecclesiae, ut sanatio concedatur, cuius et modum proponit atque suggerit. Porro cum bona fide contractum iniissent, ut Ecclesiae rem utilem facerent: videant EE. PP., num stante bona fide, rectissima intentione et temporum conditione, dubium sit, num censuras et propter successivas Missarum celebrationes in irregularitatem inciderint, ut eisdem, quemadmodum Archiepiscopus putat, *ad cautelam* tantum absolutio et dispensatio concedatur. Dignentur dirimere dubia:

1. *An contractus, de quibus agitur, sint irritandi seu potius sanandi in casu?*

2. *An sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris et respective dispensatione ab irregularitate in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Ad mentem; mens est, quod D. Secretarius curet cum Sanctissimo sanationem contractuum iuxta votum Archiepiscopi.

Ad 2. Affirmative ad cautelam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 75, p. 30-38].

3945.

S. C. C., *Ianuen.*, 9 sept. 1815.

Intuitu hereditatis die 21 septembris 1803 matrimonium in faciem Ecclesiae celebratum fuit inter Evangelistam Massa et Theresiam Turrio. Vir in domo mulieris per aliquod tempus habitavit, numquam tamen cum ea ivit cubitum. Postea domicilium sponsae deseruit. Verum semper hic vestigia

suae sponsae sectabatur, ut ad domum suam traduceret: atque res eo processit, ut rixae palam factae sint, et ipse armatus in domum sponsae sese intruserit, ex quo facto in vincula coniectus est. Frustra honesti et religiosi viri rem componere tentarunt. Nam anno 1805, post annum et menses decem a contracto matrimonio Theresia preces SSmo Dño Nostro obtulit, in quibus exposuit, Evangelistam Massa cum ea matrimonium contraxisse, sed numquam cum ea consummasse, propterea que postulabat dispensationem super matrimonio rato et non consummato, ex causa odii et aversionis animorum.

Quibus precibus ad S. hanc Congregationem remissis delegatus fuit Emus Archiepiscopus Ianuensis, ut citatis interesse habentibus, et Defensore matrimonii, processum conficeret ad formam constitutionis s. m. Benedicti XIV, *Dei miseratione*, [1] tum super non sequuta consummatione, tum super causis dispensationis. Absoluto processu anno 1808 censuit in suo voto Emus Archiepiscopus Ianuensis, constare de non sequuta consummatione et de idoneis causis dispensationis, quam S. Pontificem concedere consulebat.

Mulier nititur probationi, quam canones requirunt, ut non consummatum matrimonium evincatur: scilicet iuramento ipsius mulieris, testimonio septem propinquorum et recognitione sui corporis per obstetrices facta, quemadmodum praescribit cap. *Causam 14, de probat.*, cap. *Litterae Vestrae, de frigid. et malefic.*, et cap. *Fraternitatis*, eod. tit. Nilque contra refragari ait, si vir iuravit, se matrimonium consummasse. Nam in contradictione viri et puellae potius habendum est huius iuramentum, quando ex recognitione intemerata apparet ex cap. *Proposuisti, de probat.*, maxime cum assertio viri de sequuta consummatione sit incerta et inverosimilis. Incerta, quia rogatus a Iudice, num perfectam habuisset copulam, respondit: *credo perfetta la consumazione*: inverosimilis, quia cum ipse semper recusasset (quemadmodum testes deponunt) condormire cum uxore, licet saepe invitatus, verosimile non est, ut ipse asserit, clanculum et futive sponsam complexum fuisse.

Defensor vinculi ad vindicandam fidem iuramenti arguit ex cohabitatione, ex qua oritur praesumptio iuris et de iure sequutae consummationis: cap. 12, 13, *de praesumpt.*, porro ex eo quod Evangelista matrimonium contraxerit non propter hereditatem, sed ex inveterato amore erga Theresiam. Arguit praeterea ex obstetricum inscitia. Odii vero causam satis non esse contendit ad dissolvendum matrimonium ob Trident., Sess. 24, cap. 5. *de doct. matrim.* Ex his Emi PP. deliberare dignentur dubium:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 75, p. 90-96)].

[1] Cf. N. 318.

3946.

S. C. C., *Fesulana*, 13 ian. 1816.

Cathedralis Fesulanae Capitulum decem constat Canonicis, ad quorum aliquos cura pertinet animarum. Ex his videns modernus Episcopus chori servitium non pro dignitate praestari, SSmo Dño Nostro preces dedit, ut impetraret unionem ad mensam Capitularem et translationem ad Ecclesiam Cathedralem octo Beneficiorum, quae in aliis ecclesiis extant, quaeque vel ad liberam collationem Episcopi, vel ad patronatum Capituli, vel privatorum pertinent. Ex fructibus vero Beneficiorum huiusmodi vacantium, vel cum primum vacatura sint, tres constituantur Mansionarii, qui choro quotidie inserviant. Multa S. Congregatio, cui preces huiusmodi delegatae fuere, percontata est ab Episcopo, quae ad rem dirimendam erant necessaria, quibus in remissa informatione factum est satis.

Ex memoratis Beneficiis redeunt annua scuta fere 210, quae divisa pro stipendio inter erigendos Mansionarios, singulis darent scuta 70. Additque Episcopus: *Haec omnia Beneficia, si ab ecclesiis, ad quas modo pertinent, transferantur, tanti momenti damnum eventurum non esse affirmo, ut hoc ipsum attendere oporteat, cum agatur praesertim de illa Cathedralis Ecclesiae necessitate, cui quidem consulendi nulla alia via patere mihi videtur. Compertum mihi certumque est, neminem esse passive vocatum, qui de petita eorum Beneficiorum translatione ac reductione conqueri iure possit.*

Verum observandum, agi in re nostra non de augendis Praebendis Canonicalibus, sed de constituendis Mansionariis, propterea observandum erit, num dispositio Tridentini, Sess. 24, cap. 15, *de ref.* applicari possit ad casum, quo novae Mansionariae erigi debent. Sed sane si necessariae sunt Mansionariae in Cathedrali Fesulana: iusta videtur subesse necessitatis et utilitatis causa ad unionem perficiendam. Dubium proponitur:

An, et quomodo sit locus unioni et translationi Beneficiorum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta votum Episcopi, satisfactis omnibus oneribus etiam per alios ad formam respectivarum fundationum sumptibus Mansionariorum, et accedente consensu Patronorum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 76, p. 2-6].

3947.

S. C. C., *Segobricen.*, 25 maii, 15 iun. 1816.

Collegium Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Segobricensis suis capitularibus comitiis sub annum 1802 deliberavit, ut iubilatio Dignitatibus et Canonicis indulgeretur post expletum servitium 35 annorum, et Beneficiatis et Cappellanis, postquam annos 40 inservierint. Decretum placuisse ferunt ad exemplum consuetudinis vigentis in aliis Hispaniarum Ecclesiis, praecipue in Valentina Metropolitana. De singulis ad rem opportunis notitiis

rogatus Episcopus respondit: Collegium Canonicorum constat quatuor Dignitatibus et decem Canonicis. Praeterea in eadem Ecclesia triginta sunt Beneficia, et triginta tres Cappellaniae Ministeriales, quibus omnibus impositum est ad chorum, funera et caetera parochialia ministeria interesse. Ex quibus concludit Episcopus: nihil praeiudicii aut detrimenti affici unquam posse iubilationis concessione, sive ad populi commodum sive ad chori servitium dignum spectetur.

Nullum sane privilegium in iure scriptum legitur, quo Canonicis, qui diu Ecclesiae inservierint, indultum iubilationis concedatur; consuetudine tantum inolevit, ut Canonicis et Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum continuo et laudabiliter chori munera obierint, indulta iubilationis concederentur. Quamobrem praxis invaluit, et scrupulosius retenta fuit ab hac S. Congregatione, ut indulta huiusmodi *generatim* Capitularium corpori non concedantur, unde illis proprio marte liceat iubilatione frui post quadragenarium servitium, sed haec solum dari solet venia singulis recurrentibus in casibus particularibus, et quidem constito prius de *continuo* et *laudabiliter* expleto *quadraginta annorum* servitio ab iis, qui indulta huiusmodi implorant, ut statuit S. Congregatio in *Constantien.*, 4 maii 1737.[1] Quare deliberabunt EE. VV., an Dignitatibus et Canonicis post servitium annorum *triginta quinque* ea danda sit venia, Beneficiatis vero post expletum *quadragenarium* servitium, quin illorum quisque in singulis casibus ad S. Congregationem recursum habere teneatur, quo continuum et laudabile servitium praestitisse demonstret. Vestrum erit ferre suffragium:

1. *An sit probanda resolutio Capitularis Ecclesiae Segobricensis quoad indultam iubilationem omnibus Dignitatibus et Canonicis, qui ad annos triginta quinque et Beneficiatis et Cappellanis, qui ad annos quadraginta inservierint in casu?*

Die 25 maii 1816: Non proposita.

Die 15 iunii 1816 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 76, p. 103-107, 136].

3948.

S. C. C., *Savonen.*, 15 iun., 13 iul. 1816.

Vacata mense decembris anni 1811 ecclesia pagi Vadorum, die 10 ianuarii anni 1812 indictus fuit ab Episcopo Savonensi concursus accitis tribus Examinatoribus, quibus facultas data est novem ferendi suffragia, scilicet tria super unoquoque ex tribus quaesitis. Coram Examinatoribus adfuere concurrentes: Ioseph Toso, Praepositus ecclesiae parochialis oppidi Varaginis, qui octo tulit puncta; Sacerdos Ioannes Baptista Torre, ex Cappuccinorum Familia, atque ex rescripto SS̃mi habilis factus ad consequenda Beneficia, quantumvis curata, cui septem suffragarunt vota; Antonius Saccarelli, Rector ecclesiae S. Salvatoris oppidi Valleggie, qui sex suffragia consequutus

[1] Cf. N. 3474.

est. Nihilominus Episcopus censuit inter ceteros magis idoneum Sacerdotem Torre declarare. Graviter hoc tulit Praepositus Ioseph Toso, atque a iudicio Episcopi appellavit ad Em̃um Archiepiscopum Ianuensem, sed ea deserta, provocavit ad Laicam potestatem Ministri Cultorum, qui re cognita eumdem reiecit.

Ab hoc itaque tempore Sacerdos Torre institutionem in Archipresbyteratu obtinuit et a triennio illum possidet. Sed Praepositus Toso praeterito anno preces huic S. Congregationi obtulit, in quibus conquestus fuit sibi praehabitum fuisse Sacerdotem Torre, *che neanche aveva riportata l'approvazione nel detto concorso*, atque idcirco postulavit, ut ad trutinam revocarentur acta concursus, et cui de iure Paroeciae collatio fieret.

Episcopus in sua informatione, transmissis actis concursus, rationes affert, cur Praeposito Toso antetulerit Sacerdotem Torre, et concludit: reiiciendam esse instantiam Toso, cumque monendum, ut melius se gerat cum ovibus sibi concreditis.

Nulla profecto causa est, quamobrem acta concursus ad examen revocentur. Non enim potest Praepositus Toso in discrimen acta illa adducere, ex quibus ipse fuit approbatus. Posset ipse provocare ab irrationabili iudicio Episcopi, qui ipso posthabito Paroeciam contulit Sacerdoti Torre, cui minora suffragia in concursu accesserunt. Sed Tridentinum, Sess. 25, cap. 18, *de ref.* decrevit, ut inter approbatos ab Examinatoribus Episcopus eum seligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit. Non itaque cogitur Episcopus sequi relationem Examinatorum, et potest praeponere, qui minora suffragia habuit. Sed ne in iudiciis Episcoporum quidquam gratia et favor sibi vindicet, satis prospexit consultissima constitutio S. Pii V, *In conferendis*,[1] et encyclica s. m. Benedicti XIV, *Cum illud*,[2] ex quibus fas est ab irrationabili iudicio Episcopi *in devolutivo* appellare.

Unum in precibus Toso exponit, quod Sacerdos Torre *neanche aveva riportata l'approvazione nel detto concorso*, quod veritati non apprime cohaeret, cum septem habuerit suffragia. Ceterum Episcopus rationes affert, unde Tosium reiecerit, qui est: «vir apprime imprudens, rixosus, avarus, pauperum aspernator, quique ecclesiae Parochialis Varaginensis gregem sibi creditum non uti Rector, sed uti mercenarius oves mungit. Haec sunt momenta, quae, postposito Sacerdote Toso, me impulerunt ad declarandum prudentia, moribus, doctrina aliisque ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneum Sacerdotem Torre, qui ab Examinatoribus septem ex novem faventibus votis approbatus fuerat, quique insuper tum uti Curatus ecclesiae Parochialis S. Petri huius Civitatis, tum uti carcerum Confessarius, optimum de suarum virtutum praestantia testimonium exhibuerat». Dubium proponitur:

An constet de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut Praeposito Iosepho Toso sit conferenda Paroecia, seu potius Sacerdos Torre sit manutenendus in casu?

[1] Cf. N. 119.
[2] Cf. N. 333.

Die 15 iunii 1816: Non proposita.

Die 13 iulii 1816 Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et Praepositus Toso consulat conscientiae suae. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 76, p. 138-143].

3949.

S. C. C., *Terracinen. seu Setina*, 24 aug. 1816.

In tribus unitis Dioecesibus Terracinensi, Setina ac Privernensi unicum fuit Seminarium ab anno usque 1653 in Civitate Setina constitutum. Hinc factum est, ut Benedictus XIII confirmavit taxam a Visitatore Apostolico impositam datis apostolicis litteris die 18 februarii 1728, iussitque, ut a Dioecesi Terracinensi scut. 27.28, a Setina scut. 117.88, ac demum a Privernensi scut. 184.47 in Seminarii subsidium annuatim rependerentur. Adversus hasce apostolicas litteras insurrexerunt Privernates, ut gravamen, quod ipsis illatum putabant, averterent. Qua tamen controversia delata ad hanc S. Congregationem sub titulo *Privernen. Seminarii*, tria proposita fuere dubia: I. *An intret arbitrium pro aperitione oris?* Et quatenus affirmative: II. *An sit locus aperitioni Seminarii in Civitate Priverni et Terracinae in casu?* III. *An taxa super redditibus ecclesiasticis Privernensis Dioecesis aliisque redditibus adscriptis Seminario Setino adiudicari debeant Seminario Privernensi in casu?* Quibus in Congregatione diei 20 aprilis 1771 Emi Patres responderunt: *ad I. Negative; ad II. Ex hactenus deductis non esse locum aperitioni; ad III. Provisum in secundo.* Post haec silentium ultra quadraginta annorum superaccessit. Interea unicum fuit Seminarium in Civitate Setina positum, quod sede vacante clausum fuit. Verum novo a Summo Pontifice constituto Episcopo statim Setini cives postularunt aperitionem Seminarii, statimque Terracinenses, ut etiam in eorum Civitate aliud aperiretur Seminarium, efflagitarunt. Omnia habent EE. VV. in litigantium summariis.

In I. dubio postulat Communitas Setina confirmationem iudicii iam redditi de anno 1771 ab hac S. Congregatione. Nam Summus Pontifex egit causa cognita et motu proprio, ex quo omne subreptionis et obreptionis vitium excluditur. Pari iustitia niti contendit iudicium anno 1771 a S. C. redditum. E contra Promotor fiscalis nihil sibi commune esse cum causa acta anno 1771 contendit: res siquidem tunc acta est inter Communitatem Setiae et alteram Priverni. Nihil quaesitum tunc esse ait, nihil definitum de iuribus Episcopi pro instituendis Seminariis in propria Dioecesi. Quoad II. dubium negant Defensores Setiae, sustineri posse aperitionem Seminarii in Civitate Terracinae, quia ius privativum habendi Seminarium ad Civitatem Setiae spectat. At negat Promotor fiscalis posse Setinos impedire Episcopo, quominus exerceat facultatem sibi a Tridentino datam [2] pro constitutione novi Seminarii, quia Tridentinum concedit, ut in amplioribus Dioecesibus plura

[1] Cf. N. 46, 60.
[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

habentur Seminaria. In III dubio, cum Setini sperent, fore ut petita constitutio Seminarii in Civitate Terracinae reiiciatur, ita putant nullum ius esse Episcopo, ut de redditibus favore illius Seminarii disponat. E contrario contendit Promotor fiscalis, ut taxae, quae percipiuntur ex Dioecesi Terracinensi et Privernensi, applicentur novo Seminario. Tria proponuntur dubia:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20 aprilis 1771 in casu?*

II. *An, et quomodo servanda sit aperitio Seminarii ab Episcopo facta in Civitate Terracinae in casu?*

III. *An, et de quibus redditibus disponere valeat Episcopus pro Seminario Terracinensi in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Provisum in secundo.

Ad II. Affirmative sub denominatione Collegii tantum.

Ad III. Affirmative pro Collegio quoad quoscumque redditus, exceptis tamen omnibus et singulis redditibus et taxis ex triplici Dioecesi Seminario Setiae existenti addictis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 76, p. 215-220].

3950.

S. C. C., *Ferrarien.*, 14 dec. 1816, 25 ian. 1817.

Ferrariensis Archidioecesis plures complectitur Paroecias rurales, quas inter est Paroecia *di Boara*, intra cuius limites locus est vulgo dictus *la Pavonara*, in qua paucae familiae vitam ducunt, quaeque ab ecclesia Parochiali dividuntur per interpositum rivum nuncupatum *Canal Bianco*, ab eaque distant trium millium passuum itinere. Nomine populi postulatur, ut hae familiae a Paroecia *di Boara* separentur et alteri *di Francolino* addicantur, quae propior est, et commodior, ut Parochus possit aegrotis praesertim spiritualia praebere subsidia.

Archiepiscopus respondit in sua informatione: familiae nunc quidem per tria milliaria ab ecclesia distant propria culpa, quia quinque abhinc annis tertium pontem supra *Canale Bianco* fregerunt, per quem iter ita contrahebatur, ut propiores essent ecclesiae *di Boara*, quam *di Francolino*. Viam vero non esse imperviam etiam rigente hyeme, et plures remotiores esse incolas, qui tamen ad Paroeciam *di Boara* accedunt. Ait praeterea Archiepiscopus, sciscitasse ab hisce habitantibus *la Pavonara*, num infirmi obierint sine spirituali subsidio, et negative deposuisse. Ex his putat, relinquendam esse Paroeciam *di Boara* in statu suo, et tantum cogendos vel adhortandos recurrentes, ut sublatum ligneum pontem in antiquo loco iterum construerent pro faciliori accessu ad ecclesiam et pro commodiori ipsorum ac Parochi mutua communicatione.

Tridentinum, Sess. 21, cap. 4, *de ref.* permittit dismembrationes ob locorum distantiam, sive difficultatem, atque si populus sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possit.

Verum in casu, licet intercedat distantia trium lapidum, non tamen constat, subsidia spiritualia remotis parochianis defecisse. Dubium est:

An, et quomodo sit locus dismembrationi incolarum di Pavonara *a Paroecia* di Boara *in casu?*

Die 14 decembris 1816: Non proposita.

Die 25 ianuarii 1817 Sacra, etc. respondit: Negative, et Archiepiscopus curet reaedificationem pontis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 76, p. 332, tom. 77, p. 1].

3951.

S. C. C., *Pisana*, 29 mart. 1817.

Parochus S. Cassiani nomine etiam aliorum Parochorum Pisanae Archidioecesis, ut in dubio conscientiae acquiescant, proposuit quaesitum huiusmodi: Utrum Parochi, in quorum ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur sacrae conciones per Praecones ab Ordinario approbatos, soluti sint obligatione in Missae parochialis celebratione explicandi Evangelium.

Id primo inquirendum videtur, num Concionatores tempore Adventus et Quadragesimae praedicent pro Episcopo vel pro Parochis, et num Parochi per substitutum possint obligationi satisfacere. Nam si conciones habentur non pro Episcopo, sed pro Parochis, non possunt sane Parochi compelli idem onus per alios praestare. Rursus si per substitutos huic oneri fieri potest satis, eodem et ipsi per se non teneri videntur.

Licet autem certo constet, Episcoporum praecipuum esse praedicationis munus, non inde tamen sequitur, ut idem onus non competat etiam Parochis *ratione officii*, ut a SS. Concilio Tridentino declaratum est Sess. 23, cap. 1, *de ref.* Porro ex Tridentino decreto, Sess. 24, cap. 4, *de ref.* sequitur, Episcopum teneri in *sua Ecclesia* praedicationis munus obire vel per se vel per alios, quos in casu impedimenti assumet, Parochos vero *in aliis ecclesiis* vel per seipsos, vel, si sint impediti, per substitutos ab Episcopo deputandos, expensis eorum, qui eas praestare vel tenentur, vel solent. Et hoc munus praestandum est ab utroque omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis, et tempore Adventus et Quadragesimae quotidie vel saltem ter in hebdomada diebus. Si itaque Episcopus tenetur praedicare in *Ecclesia sua*, vel per se, vel per alios, quos assumet etiam tempore Adventus et Quadragesimae, videtur, ut quemadmodum in *aliis ecclesiis* hoc onere tenentur Parochi, ita affirmari possit, Concionatores in Paroeciis non praedicare pro Episcopo, sed pro Parocho, qui in sua ecclesia hoc munus obire debet vel per se, vel per substitutos. Quodsi obtineat sententia, Concionatores pro Parochis praedicare, tunc dicendum erit, Parochos, dum in eorum ecclesiis habetur concio, solutos esse ab onere explicandi Evangelium inter Missae celebrationem. Sed praetereundum non est, Parochos hoc munus praedicationis per alios praestare posse in casu tantum, quo ipsi impediti legitime sint. Videant tamen EE. PP., num ex consuetudine generatim inducta assu-

mendi Concionatores tempore Adventus et Quadragesimae oriatur iusta causa, cur Parochi se a praedicatione excusent. Ex his emergit dubium:

An Parochi, in quorum ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur sacrae conciones per Praecones ab Ordinario approbatos, teneantur diebus festis in Missa Parochiali explicare Evangelium in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cuiuslibet Paroeciae. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 97-102].

3952.

S. C. C., *Nullius Sublacen.*, 17 maii, 14 iun. 1817.

Postulantibus Canonicis Collegiatae Ecclesiae Trebarum, ut eis restituerentur distributiones, quas percipere potuissent, nisi exules ac deportati fuissent ob recusatum iuramentum fidelitatis, per rescriptum diei 5 februarii 1817 delegatae fuere eorum preces Emo Abbati, ut cogeret eos Canonicos, qui praesentes remanserunt, ut has distributiones absentibus ex causa deportationis restituerent.

Archipresbyter et reliqui Canonici praesentes contendunt, hoc intelligi debere de distributionibus quotidianis, non de distributionibus incertis, ex celebratione Missarum et Anniversariorum, quae solis vere praesentibus debentur. In Capitulo Trebarum observantia inductum est, ut haec incerta emolumenta ne quidem ab infirmis exigantur, propterea quod vera praesentia necessaria est.

Canonici vero absentes respondent, quod quaedam incerta, quae ex legatis proveniunt, certa sunt et intra annum lucrantur: haec consequuti fuissent, nisi vi expulsi a patria abfuissent, et saepe alias ab hac S. Congregatione definitum reperiri, Canonicos ob iniustam carcerationem lucrare omnes distributiones.

Emus Abbas ita concludit: *Sed vereor, ne minus aequum videatur, si totum quidem Capitulo persolutum fuerit, quantum antea persolvi consueverat; dum singulis Canonicis nihil obstare, ne si vellent, munus impositum obirent: impedimento deinde illato, quod tolli, nisi per iniquum periurium nequiret, iis exclusis, qui se periuriis contaminare nollent, totum illud emolumentum ad paucos unice redundaret, qui veriti non sunt fidem suam vetito iureiurando obstringere, vel si quem forte alium aetas aut casus apud Ecclesiam residere permiserit.*

Dubium proponitur:

An Canonici absentes ex causa deportationis lucrare possint pro tempore absentiae emolumenta ex legatis et ex funeribus in casu?

Die 17 maii 1817: Non proposita.

Die 14 iunii 1817 Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 154-156, 173].

[1] Cf. N. 3955.

3953.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 12 iul. 1817.

Duo oppida secus Mare Ligusticum posita: *Marola* et *Cà di Mare* intermedio monte distant inter se fere passuum mille, et uno reguntur Parocho, qui in ecclesia S. Viti *Marolae* residet. Populus *Cà di Mare*, sive quod aspera et hyberno praesertim tempore difficilis esset via, ut populani nec accedere sine difficultate ad ecclesiam possent, nec ad eos Parochus; sive quod ex promiscuo accessu iurgia rixaeque oriantur inter populanos utriusque oppidi veteri aemulatione dissociatos: dismembrationem postulavit a Paroecia S. Viti, cum haec vacans esset, et erectionem novae Paroeciae in propria ecclesia S. Mariae nuper et decenter extructa et sacris supellectilibus ornata.

Episcopus de sua sententia rogatus in prima informatione retulit: distare oppidum *Cà di Mare* ab ecclesia Parochiali S. Viti per unum lapidem; asperum esse iter tempore hyemis; hinc multos ex oppidanis diebus festis Sacro caruisse, et a vita migrasse absque Sacramentorum subsidio; animarum capita loci *Cà di Mare* excedere quingentum; Parochum S. Viti *Marolae* habere congruam scutorum 400; putare ad haec incommoda submovenda optimum fore, si proprius Parochus (ad minus Cappellanus Curatus) deputaretur in ecclesia *Cà di Mare*, cui a Parocho Matricis ecclesiae S. Viti subministrarentur annua scuta 50, et quod ad congruam deest, Municipium *Cà di Mare* suppeditaret.

Indicto interim concursu, novus renunciatus est Parochus S. Viti *Marolae* Sacerdos Malfanti, qui oblatis precibus petitae obstitit dismembrationi. Iterum rogatus Episcopus, audito in scriptis Parocho *Marolae* refert, reditum Paroeciae Marolae non ascendere, nisi ad scuta 144.81, exitum vero ad scuta 47.98, ita ut reditus integer non excedit scuta 94.90 monetae Romanae. *Opinor tamen*, concludit Episcopus, *optimum futurum, si Parochus* Marolae *deputaret Cappellanum Curatum, qui nocturno praesertim tempore* Cà di Mare *moraretur, expensis tamen eiusdem populi* Cà di Mare. Statum tamen activum et passivum et relationes peritorum non remisit Episcopus.

Tridentinum Sess. 21, cap. 4, *de ref.* dismembrationes Paroeciarum praescribit etiam *invitis Rectoribus*, si ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt; deputationem vero Cappellani, si populus ita numerosus sit, ut unus Rector sufficere non possit ecclesiasticis Sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo. Hinc deducit populus *Cà di Mare*, quod cum petita sit dismembratio ob distantiam unius milliarii ab ecclesia, et ob difficultatem itineris, quo parochiani ad eam accedunt: locus esse non possit deputationi Cappellani, quemadmodum Episcopus in secunda informatione proponit, maxime, cum deputatio Cappellani penitus non tolleret rixas, quae ex sola dismembratione extirpari poterunt. Congruam vero novo Parocho assignandam Tridentinum loco cit. fieri iubet

ex fructibus ad ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus, et si necesse fuerit, (Episcopus) possit compellere populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam. Qui iura populi *Cà di Mare* tuetur, opulentam esse Paroeciam S. Viti contendit: suspectas vero esse putat peritorum relationes, quia novus Parochus semper repugnavit statutum huiusmodi exhibere, et interpositis officiis, quaesierit suffragia populanorum, ut petitae dismembrationi repugnarent. Ex his concludit: cogendum esse Parochum Malfanti ad subministranda annua scuta 50 in partem congruae, et quod deficit, a populo *Cà di Mare* esse suppeditandum. Dubium proponitur:

An, et quomodo sit locus dismembrationi et erectioni novae Paroeciae in ecclesia Cà di Mare *in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative pro dismembratione iuxta primum votum Episcopi diei 24 iulii 1816.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 205-208].

3954.

S. C. C., *Romana*, 9 aug. 1817.

Cassandra Luci aetate annorum fere viginti in faciem Ecclesiae matrimonium contraxit cum Vincentio *Benlloch*, tanquam filio Stephani de Valentia. At in huiusce sponsi cognomine et origine mentitum est tum in actis, quae praecesserunt, tum in ipso matrimonio. Cassandram vi ac metu coactam in hoc matrimonium consensisse affirmant plurimi testes: sunt tamen et alii, qui id negant. Certum vero est ex coniugum confessione, matrimonium fuisse consummatum. Ortis dissidiis brevi temporis intervallo, et ad Tribunal Vicariatus deductis, Cassandra discessit a viro, cum quo numquam amplius convenit. Tunc ille militaria sequutus stipendia ab Urbe discessit, et nunc Mediolani vitam ducit.

Emenso iam anno 1814 Cassandra preces obtulit SSmo Domino Nostro, in quibus narrans, quod *minacciata della vita da un Giovane chiamato Vincenzo Benlloch per solo timore si trovò costretta di sposarlo*, veniam postulavit *d'intentare il giudizio di nullità del suo matrimonio*. Ex rescripto SSmi diei 21 ianuarii 1815 delegata est causa huic S. Congregationi, quae procederet, prout de iure ad formam constitutionis s. m. Benedicti XIV [1]. Quaestionibus subiecta fuit Cassandra Luci, et examinati testes ad vim metumque probandum ab eadem inducti. Alii testes ex officio rogati fuere a Defensore matrimonii, et acta matrimonii inserta fuere.

Cassandra Luci nullitatem matrimonii ex errore, ex vi et metu, ex defectu solemnitatum in contrahendo matrimonio, tandem ex simulatione probare studet. *De vitiis formae* agit allegatio Cassandrae, ex quibus matrimonii nullitatem deducit tum ex defectu publicationum, tum ex defectu testium in actu celebrationis matrimonii. Nam R. P. D. Vicesgerens dispen-

[1] Cf. N. 318.

savit proclamationes pro matrimonio contrahendo a Vincentio Benlloch, filio quondam Stephani de Valentia, de quo acta status liberi agebant, et pro hoc tantum dedit Parocho S. Stephani veniam nubendi. Licentia vero et delegatio data sub nomine unius personae ad aliam diversam personam non extendi tradunt Doctores. Perinde res igitur est, ac si matrimonium celebratum fuerit sine dispensationibus et sine licentia, ac proinde clandestinum. Duos vero testes: Pium Caldani et Lucam Giuliotti matrimonii celebrationi non interfuisse contendit. Nam Vincentius vir et amita Caldania negant praeter sponsos et consanguineos alium quempiam matrimonio praesentem fuisse. Ad haec Defensor matrimonii contendit, omissionem denunciationum et defectum licentiae matrimonium non vitiare, si, ut in praesenti casu, celebratum sit a proprio Parocho. Quoad testium defectum in actu matrimonii, contendit, omnimodam habendam esse fidem Parocho, qui de matrimonio coram se et indicatis testibus contracto testatur. *De vitiis substantiae*, et primum de *errore* Defensores Cassandrae contendunt, ipsam errasse in persona vel saltem in qualitate, quae in errorem personae redundabat. Etenim censuit contrahere cum Vincentio Benlloch, quando revera nupsit Vincentio Venturinio. Error vero personae, cum circa substantiam versetur, matrimonium irritat, ita ut etiamsi consummatum fuerit, sit rescindendum. Deinde contendunt, Cassandram ita respexisse ad qualitatem personae, ut error in qualitate removeat consensum ab actu. Referunt testes, ipsam abhorruisse Vincentium, utpote sibi aspectu horridum, attamen consilia eam ad matrimonium induxisse, ut cum ille esset nepos Sacerdotis Benlloch, qui divitiis affluebat, fugientem arriperet fortunam: non ergo persona, sed qualitas Cassandrae movit assensum, unde sequitur, ut error qualitatis redundet in errorem personae. Contra Defensor matrimonii regulam statuit, quod error nominis, licet pertineat ad errorem personae, attamen ex eo non irritetur matrimonium, quando constat de persona, cum qua contrahitur. Neque errore Cassandram deceptam fuisse contendit circa qualitatem ita ut in personam redundaret. Non enim Vincentius ei erat incognitus, sed praesens ipse fuit et Cassandrae notus. Quare ipsa consensum praestitit in personam sibi cognitam et praesentem, quam ipsa putabat habere hanc qualitatem nepotis Presbyteri Hispani. *De vi et metu* plura in medium adducunt Defensores Cassandrae, ita ut in ipso quoque matrimonii actu Cassandram repugnantem consensui minaci vultu Vincentium coegisse, ut si non voce, capite saltem parum inclinato, post trinam interrogationem a Parocho factam assensum simularet. Verum defensor matrimonii arguit contra vim et metum etiam ex dicto Cassandrae, quae idcirco se distulisse affirmat querelam nullitatis, quia ignorabat errorem nominis, ex quo declaravit nihil in metu et vi confidere. De *simulatione* tandem pauca habet allegatio Cassandrae. At Defensor matrimonii refutat hanc simulationem. Dubium proponitur:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 221-230].

[1] Cf. N. 3967.

3955.

S. C. C., *Pisana*, 30 aug. 1817.

Dilata fuit resolutio huius causae die 29 martii praeteriti,[1] quapropter modo decidenda erit.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In casu, de quo agitur, servandum esse decretum Archiepiscopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 268].

3956.

S. C. C., *Reatina*, 20 sept. 1817.

Alabri, quod oppidum est in Reatino, extat Ecclesia Collegiata et Parochialis, cui subiiciuntur octingenta fere animarum capita, quorum biscentum intra moenia eiusdem oppidi habitant, reliqua per agrum dispersa sunt. Ut spiritualibus illius populi necessitatibus occurreret Episcopus Marini, anno 1795 unum ex Canonicis ad *Villam Collium* misit, ut in ea Villa resideret, et sub dependentia Archipresbyteri Alabris Sacramenta ministraret. Nunc tandem populus ille ab hac S. Congregatione imploravit dismembrationem Paroeciae eiusque preces remissae fuerunt Episcopo pro informatione. Testatur Episcopus in sacra visitatione habita proxime praeterito mense maii novisse ea incommoda, ex quibus populus *Villae Collis* dismembrationem postulat. Multos praeterea allegat testes, qui asperitatem, difficultatem viarum et exposita mala confirmant. Affert relationem peritorum, qui distantiam constituunt a tribus ad quinque passuum millia. Parochum sive Archipresbyterum rogare non potuit, quia vacans est ecclesia Parochialis. Oeconomus Curatus, Patroni et Canonici dismembrationi repugnant, atque contendunt, per deputationem Cappellani Curati hisce incommodis subveniri posse.

Secus censet Episcopus, et dismembrationem necessariam ducit, maxime, cum nunc illius Villae animarum numerus excreverit ad capita 360. Populus pro congrua spopondit solvere decimam veluti familiarem pro conditione redituum subministrandam. Familia porro Laurentii cedit pro augmento congruae Capellaniam sui iurispatronatus, ex qua redeunt annua scuta 25. Haec sunt media ad congruam novi Parochi constituendi in ecclesia S. Mariae Magdalenae sita in Villa Collis.

Quaeritur igitur in 1. dubio de dismembratione; et cum constet ex informatione Episcopi atque ex testibus de asperitate viarum, de difficili accessu ad ecclesiam Parochialem, de distantia atque de incommodis inde sequutis: concedenda profecto videtur petita dismembratio ex Conc. Trident., Sess. 21, cap. 4, *de ref.* At Oeconomus Parochialis, Canonici et Patroni

[1] Cf. N. 3951.

dismembrationi repugnant, et satis animarum necessitati opitulari posse contendunt per deputationem Cappellani Curati. Sed huic Cappellani deputationi non adhaeret Episcopus. Si enim ab iisdem Cappellanus provideretur de necessariis ad vitam, nulla esset difficultas, ast congrua, quae a Collium incolis pacta est, Parocho assignatur, unde pro Cappellani Curati deputatione converti minime potest paciscentium deficiente consensu, immo absolute animis repugnantibus. In 2. dubio deliberandum erit, quomodo providendum sit congruae novi Parochi. Quibus positis quaeritur:

1. *An, et quomodo sit locus dismembrationi Villae Collis a Paroecia ecclesiae Alabri, et erectioni novae Paroeciae in ecclesia S. Mariae Magdalenae Collis, seu potius deputationi Cappellani Curati in casu?*

2. *An, et quomodo sit providendum congruae novi Parochi in ecclesia Collis, seu potius, et a quo sit solvendum stipendium Cappellano Curato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad primam partem iuxta votum Episcopi, reservato favore Matricis aliquo honoris signo arbitrio eiusdem Episcopi; negative ad secundam. [1]

Ad 2. Affirmative ad primam partem, per unionem Cappellaniae Laurenti et assignationem decimarum, facta tamen prius per populum Collis obligatione in forma iuris valida de solvendis decimis in perpetuum, et constituto fundo pro manutentione lampadis; negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 286-292].

3957.

S. C. C., *Nucerina*, 20 dec. 1817.

Plura inter Validensem Clerum suumque Episcopum Nucerinum orta sunt iurgia atque dissidia, quae necesse est, ut auctoritate Vestra EE. PP., compescantur. Conqueritur memoratus Clerus, habitam fuisse die 14 septembris anni 1815 Synodum Dioecesanam, atque in ea latam legem, qua declaratum fuit, omnes omnino Dioecesis Clericos ad Synodales Conventus cogendos esse; absoluta vero altera Synodo anno 1816 quosdam Clericos pecunia fuisse multatos propterea quod nulla legitima adducta excusatione Synodo non interfuere. Hasce querelas respicit 4. dubium, an scilicet praeter curam animarum exercentes omnes Presbyteri et Clerici Beneficio haud gaudentes ad Synodum compelli valeant.

Mordicus reponit Episcopus, in suis Synodis de rebus egisse ad reformationem morum spectantibus, ideoque ad hasce Synodos omnes omnino Clericos cogi potuisse et cogi in posterum posse teste Benedicto XIV, *De Synod. Dioec.*, cap. 6, lib. 3, in quo refert S. Congregationis decretum diei 15 decembris 1629, Lib. 14 Decret.: *Episcopus Balneoregien. supplicat per Sacram Congregationem responderi.* Primo: *An ipse cogere possit simplices Sacerdotes non Beneficiatos et Clericos Sacris Ordinibus initiatos pariter non Beneficiatos suae Dioecesis ad interessendum Synodo Dioecesanae?* Secundo: *Et quid, si concurrat*

[1] Cf. N. 3961, 3974.

consuetudo? Respondit: *Posse cogere, quando in Synodo agendum est de reformatione morum, sive de aliqua re concernente totum Clerum, vel de intimandis decretis factis in Synodo Provinciali; hoc autem casu in ipsa Synodi convocatione faciendam esse mentionem, quod de praedictis erit tractandum. Ad secundum: concurrente consuetudine posse.* Ad consuetudinem autem quod attinet in Nucerina Dioecesi, illam evincere studet Nucerinus Antistes ex indictione Synodi ultimae ante se celebratae, in qua reapse omnes omnino Clericos ad Synodalem Conventum vocatos fuisse constat; num vero reapse convenerint, incertum est.

Ad 6. diluendam quaestionem pergit Episcopus de Synodo quotannis cogenda, atque hoc sine distinctione, sitne Cleris oppidorum propter paupertatem grave, praescripsisse notat Tridentinum, Sess. 25, cap. 4, *de ref.* Dubia proponuntur:

4. *An Presbyteri et Clerici non Beneficiati compelli possint per Episcopum ad Synodum consuetudine legitima haud extante in casu?*

6. *An Clerus Nucerinae Dioecesis singulis annis sit compellendus ad Synodum Dioecesanam, etiam non obstante plurimorum gravi paupertate in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 4. Affirmative, ut in Balneoregien., *15 decembris 1629.*

Ad 6. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 77, p. 346-354].

3958.

S. C. C., *S. Miniati*, 21 febr., 7 mart. 1818.

Antistes S. Miniati exposuit, Canonicos Ecclesiae Castri Franchi ad Missam Conventualem teneri renuere, eo quod a limine fundationis pro suo Canonicatu unusquisque Sacrificium applicare iubetur. Dubium igitur dirimendum proposuit, an scilicet Benedicti XIV constitutio de Missa pro benefactoribus a Canonicis quotidie celebranda [1] ab Ecclesia Collegiata Castri Franchi servanda esset.

Capitularium Constitutionum particula, ex qua exemptio ab applicatione Missae Conventualis deducitur, his concepta verbis legitur in §§ 14 et 15, de officio Hebdomadarii: *Cuius Hebdomadarii partes sint, non solum... quod debeat Choro interesse canendo in Choro divinis officiis, sed etiam in hebdomada Missam canere ad altare maius singulis diebus a Constitutionibus ad interessendum ordinatis... Sacrificium tamen applicetur in satisfactionem obligationis proprii Canonicatus.* Ex hoc consuetudo Conventualem numquam applicandi pro benefactoribus orta est, quae centenariam superat, cum ab anno 1633, quo erecta fuit Collegiata, exordium ducat, Chori servitium quotidianum non est, sed dumtaxat festivis aliisque statutis diebus; neque onus Missae quotidianae celebrandae adnexum est unicuique Praebendae.

Verum si ex cit. Benedictina constitutione ne ii quidem ab applicatione

[1] Cf. N. 345.

Conventualis pro benefactoribus eximuntur, qui alia quotidiana, vel statuti cuiusdam diei applicatione tenentur, aliumque substituere pro peculiari obligatione coguntur: fortius a praedicta Missarum pro benefactoribus applicatione dispensari non posse videntur Canonici Castri Franchi, qui quotidiano onere applicationis pro sua Canonicali Praebenda haudquaquam premuntur.

Vestrum erit, EE. PP., vel strictim iuxta Benedictinam constitutionem applicationem Missae Conventualis praescribere, vel vigentem in Collegiata consuetudinem confirmare. Nec praetereundum, Canonicos Vestram implorare indulgentiam, ut ob redituum tenuitatem aliquid de iuris rigore remittatis. Notandum etiam est, ex Constitutionibus Collegiatae Castri Franchi haud praescribi quotidianum chorale servitium, sed certis tantum diebus. Dubia erunt:

1. *An, et quibus diebus teneantur Canonici Castri Franchi ad applicationem Missae Conventualis pro benefactoribus in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

Die 21 februarii 1818: Non proposita.

Die 7 martii 1818 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative omnibus diebus choralis officiaturae.

Ad 2. Affirmative, celebrata unica Missa cum cantu cum interventu omnium pro praeteritis omissionibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 78, p. 19-23, 26].

3959.

S. C. C., *Comaclen.*, 11 iul. 1818.

In Comacli Civitate anno 1570 postulante tunc temporis Episcopo, s. m. Pius V erigi mandavit duos Canonicatus, *qui una cum Archipresbytero Ecclesiae praefatae deservire, oneraque illi incumbentia supportare iuxta providam ordinationem per eumdem Episcopum desuper faciendam debeant*, ut constat ex litteris apostolicis decimo Kalendas iulii eiusdem anni, in quibus, ut duo novi erigendi Canonicatus congruam haberent praebendam, iussit SSmus Pontifex, ut ex fructibus Archipresbyteratus medietas dismembraretur, quae inter novos Canonicos aequis portionibus divideretur. Meminit de hac erectione in actis sacrae visitationis peractae de anno 1574 Episcopus Sacrati, *quo divinus cultus augeretur, et Archipresbyter in sacrorum administratione et Ecclesiae obsequio praedictis Canonicis pro Coadiutoribus uteretur, quibus plurimum indigere repertus est.* Latet tamen, quibus praecise conditionibus hi duo Canonici Archipresbyterum coadiuvare teneantur. Patet tamen ex parochialibus codicibus suam Archipresbytero praestasse operam in Sacramentorum administratione.

Ita actum est, usque dum defuncto Canonico Philippo Fogli ex apostolica collatione Canonicus renunciatus est Caietanus Samaritani, contra quem Archipresbyter Gentili apud S. Congregationem conquestus est, quod *sembra voglia ora esimersi dal sodisfare all'obligo ingiuntogli dalla costituzione apostolica, abbenchè percepisca la quarta parte delle rendite dell'Arcipretura.* Rogata est nuper defuncti Episcopi sententia, qui votum suum aperuit contra Archipresbyteri instantiam.

In eo potissimum sunt Archipresbyteri Defensores, ut obligationem coadiuvandi in cura animarum quoad Canonicatum nuncupatum S. Pii V derivent ex perceptione decimarum aliorumque redituum Archipresbyteratus. Cui accedit expressa S. Pontificis Pii V voluntas, quia in erectione Canonicatus hanc legem imposuit: *qui una cum eodem Archipresbytero ecclesiae praefatae deservire, oneraque illi incumbentia supportare debeant.* Haec autem lex impune negligi nequit iuxta praescriptum in S. Tridentina Synodo, Sess. 25, cap. 5, *de ref.* Ad destruendam enim fundationis legem ad avertenda onera in ipsa fundatione imposita nec nimium valent partium placita, nec quaevis vel longissima in contrarium observantia, quae tamquam abusus et corruptela a S. Tridentino Concilio improbatur et semper haec S. Congregatio fundationis leges ab inductis abusibus et quavis contraria consuetudine vindicavit, ut in *Mediolanen.*, 3 decembris 1735.[1]

Contra vero Defensores Canonici Samaritani contendunt: cum hoc onus expressis verbis in bulla erectionis impositum non fuerit Canonicatibus erigendis, nequeunt ii ex quavis interpretatione eo gravari, cum semper in dubiis libertati potius, quam servituti Beneficiorum favendum sit. Contrariam porro consuetudinem magni faciendam esse arbitrantur, quia non in linea *praescriptiva*, sed in linea tantum *interpretativa* ab ipsis introducitur, nimirum ut ex hac consuetudine erui possit, quid Summus Pontifex in bulla erectionis voluerit, quid illius Exequutores Episcopi senserint de oneribus Canonicatui adnexis. Dubium est:

An, et quomodo possessores Canonicatus S. Pii V nuncupati teneantur coadiuvare Archipresbyterum Comaclen. in cura animarum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta providam ordinationem ab Episcopo omnino faciendam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 78, p. 155-160].

3960.

S. C. C., *Nucerina et Tudertina*, 5 et 29 sept. 1818.

Nucerinae Dioecesis Sacerdos saecularis Gervasius Aleandri, nulli speciali eiusdem Dioecesis ecclesiae addictus, cum nulla ei spes affulgeret ad meliores ibidem fortunas transeundi, Rhetoris ac Rectoris munera in Seminario Tudertino sibi proposita obire deliberavit. Aliquis inter ipsum et Episcopum intercessit tractatus, sed sine fructu, donec ipse Episcopus vetuit, die 13 septembris anni 1816, ne a Dioecesi discederet, suspensionis interminata poena ipso facto incurrenda, et sibi reservata absolutione. Supplex, sed frustra, Gervasius Episcopum adiit, ut exoptatam veniam obtineret.

[1] Cf. N. 3452.

Querelas hinc ad S. Pontificem detulit, quas ad S. Congregationem delegatas ad Episcopum remisit pro informatione, quae tamen habita non est. Post urgentiores litteras tandem privatam dedit epistolam die 1 septembris praeteriti anni. Interea, cum ineunte mense novembris in Seminario Tudertino rhetoricam legere deberet Sacerdos Aleandri, die 28 octobris Theologorum adscito consilio illuc se contulit. Sequenti vero die 29 ab Episcopo Nucerino expeditae fuerunt litterae, in quibus eum confirmabat Vicarium Foraneum Sigilli, Coadiutorem Parochi, praeceptum addens, ne huiusmodi munera desereret, et ne a Dioecesi abiret sub canonicis poenis eo ipso incurrendis.

Post eius discessum a Dioecesi, casum S. Poenitentiariae Nucerinus Praesul, reticito Aleandri nomine, proposuit, responsumque accepit, Sacerdotem, de quo agebatur, incurrisse in suspensionem; si vero eam contempserit, etiam irregularitatem, et teneri Episcopo Nucerino subesse et obtemperare. Hoc audito responso Sacerdos a Sacris peragendis se abstinuit, cum antea Episcopi decretum nullam vim habuisse autumaverit; et S. Poenitentiariae exposuit, in casu ab Episcopo proposito reticitum fuisse recursum datum ad S. Sedem, antequam a Dioecesi abiret. Hinc a S. Poenitentiaria absolutionem a censuris *quomodolibet* contractis obtinuit, firma remanente suspensione celebrandi in Dioecesi Nucerina usque ad rerum cum Episcopo compositionem: in finitimis Dioecesibus vero private tantum celebrandi potestas facta est ad sex menses a die 11 martii datae concessionis computandos.

Quaeritur in *primo* dubio, an praeceptum Episcopi Nucerini tum diei 13 septembris, tum 29 octobris 1816 sustineatur. seu potius facultas competat Gervasio Aleandri a Nucerina Dioecesi Episcopo dissentiente discedendi. Nullam vim habere autumat Aleandri Defensor utrumque Episcopi praescriptum: nullo siquidem iure cautum est, Episcopos posse cogere ad residentiam, qui Beneficia *residentialia* non habent. At Episcopus decretum profert Concilii Tridentini, Sess. 23, cap. 16, *de ref.*, quod consonum est decreto sacrae visitationis diei 17 septembris anni 1803 a se lato, ut in posterum unusquisque in Ordinatione adscriberetur servitio Paroeciae vel alterius loci arbitrio Ordinarii, et in actis Ordinationum per modum regulae adderetur poenarum incursus, quae a s. canonibus servitium deserentibus comminantur.

Quaeritur in *secundo* dubio de irregularitate. Certum in iure est censuris irretitum, qui Ordinem exercet, incidere in irregularitatem: cap. 3, *de poenis*. Inquirendum ergo, utrum ex Episcopi decreto reapse suspensus remanserit Sacerdos, qui discesserat. Duo igitur erunt dirimenda dubia:

I. An praeceptum Episcopi Nucerini dierum 13 septembris et 29 octobris 1816 sit observandum in casu?

II. An constet de irregularitate incursa a Presbytero Gervasio Aleandri seu potius sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate pro cautela tantum in casu?

Die 5 septembris 1818: Non proposita.

Die 29 septembris 1818 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative, dummodo Episcopus provideat Aleandrum congrua pro Dioecesi substentatione.

Ad II. Affirmative ad primam partem, et consulendum SSmo pro absolutione et dispensatione elargienda post reditum ad Dioecesim, et petitam veniam ab Episcopo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 78, p. 227-231, 237].

3961.

S. C. C., *Reatina*, 19 dec. 1818.

Dabatur resolutio huius causae die 20 septembris 1817.[1] Verum mense augusti labente quidam Augustinus De Sanctis instrumento exhibito probavit Cappellaniae *Laurenti* pro novae Paroeciae dote assignatae passivum iuspatronatus ad propriae Familiae Clericos pertinere; dotis igitur complementum novae Paroeciae dari non potuit. Magis hinc magisque clamat populus Collium, ut omnes decimae, et etiam quae a Familiis Crispolti et Vitelleschi persolvuntur, novae Parochiae adiudicentur. Reproposita itaque eadem causa sub forma:

An, et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in 2. dubio sub die 20 septembris anni 1817 in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, etiam quoad decimas Patronorum super bonis intra fines novae Paroeciae existentibus, firma remanente perpetuitate huius oneris quoad omnes, dempta tamen Cappellania Laurenti.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 78, p. 271-275].

3962.

S. C. C., *Reatina*, 19 dec. 1818, 16 ian. 1819.

Duodecim in ecclesia Parochiali S. Flaviani oppidi Capitignani Reatinae Dioecesis et in Neapolitana ditione positi extant Beneficia, de quorum erectione et vera qualitate nihil statui certo potest, et tamquam simplicia a Sede Apostolica et Ordinario Reatino pro mensium diversitate collata reperiuntur. In praeterita rerum publicarum eversione factum est, ut duo ex praedictis Beneficiis sibi uniri postulaverit Dominicus Cavalli, Parochus oppidi Pelliscriptae eiusdem Dioecesis, cuius secutus est exemplum Hieronymus De Andreis, Parochus Capitignani, qui tria ex iis obtinuit. Praeterea Dominicus Cavalli a Fisco accepit et aliud Beneficium, et aliud Hieronymus De Andreis. Uterque Parochus Sacram adiit pacatis rebus Congregationem, ut apostolica auctoritate firmarentur illegitimae huiusmodi uniones.

Agitur in I. dubio, an et quomodo sit concedenda unio et quibus Beneficiis augenda sit congrua Parochialis. Sane a cap. *Nuper, de his quae fiunt a Praelato*, Clem. *Si una*, 2, *de rebus Eccl. non alienan.* et a Concilio Tri-

[1] Cf. N. 3956.
[2] Cf. N. 3974.

dentino, Sess. 7, cap. 6, *de ref.* vetantur uniones Beneficiorum absque legitima et rationabili causa. Verum rationabilis et legitima causa ab eodem Tridentino, Sess. 24, cap. 15, *de ref.* habetur tenuitas congruae Parochialis, cui succurri vult Beneficiorum unione. Paroecia Capitignani, in qua teneretur Parochus Coadiutorem sibi assumere, vix Parocho affert scuta 55 et obul. 45, ut testatur Episcopus, qui assentiendum putat Oratori Parocho, et unionem *pro nunc concedendam* arbitratur, ut bona serventur penes Ecclesiam. Quodsi EE. PP. in Episcopi sententiam descendant, unionemque necessariam ducant, tunc statuere debebunt, quaenam sint beneficia unienda.

Archipresbyter De Andreis, dum a resignatione non abhorret Beneficii S. Pauli ad Nurum, postulat, ut suae Paroeciae uniantur nedum tria Beneficia S. Flaviani sibi a *Demanio* illegitime concessa, et apostolico indulto sanata, sed et alia duo sub eodem titulo S. Flaviani, quae Archipresbytero Pelliscriptae Dominico Cavalli ab eadem laica potestate adscripta fuere.

Postulabat vero Parochus Cavalli, ut suae Paroeciae Pelliscriptae canonice unirentur tum duo Beneficia Sancti Flaviani fundata in ecclesia Parochiali sub eiusdem Sancti invocatione oppidi Capitignani, tum alterum S. Mariae Gratiarum. Nulla enim est peracta unio a laica potestate, quae in praesenti causa nullo apostolico beneplacito deinceps sanata est. Dubia sunt:

A. – *An, quomodo, et quae Beneficia sint unienda Paroeciae Sancti Flaviani in casu?*

Die 19 decembris 1818: Non proposita.

Die 16 ianuarii 1819 Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi Fioravanti, dimisso Beneficio S. Pauli ad Nurum, per Bullas.

B. – *An, et quae Beneficia unienda sint Paroeciae Pelliscriptae in casu?*

Die 19 decembris 1818: Non proposita.

Die 16 ianuarii 1819 Sacra, etc. respondit: Affirmatice quoad Beneficium S. Mariae Gratiarum, et etiam alterius Beneficii S. Antonii Patavini tantum reportato tamen consensu Patronorum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 78, p. 279-285, tom. 79, p. 1, 2].

3963.

S. C. C., *Firmana*, 3 iul. 1819.

Ut novae Paroeciae erectio, et ab unita actuali dismembratio, quam usque ab anno 1768 cl. mem. Cardinalis Paracciano praemeditaverat, in oppido Massineani Firmanae Archidioeceseos, ad effectum perduceretur, actum concordi studio est inter illius oppidi Deputatos et unicum actualem Parochum Sacerdotem Antonium Laurenti. Causae, quae suadere ipsis videbantur dismembrationem et erectionem, erant auctus nimium fidelium numerus in unica Paroecia, quae extra oppidum ad tria milliaria protenditur, viarum hyberno praesertim tempore asperitas ob flumen ac torrentes, quibus intersecantur, lamentabilis experientia, quod plures ex paroecianis in novissima epidemia sine Sacramentis decesserint. Rebus inter se compositis preces SSmo dederunt, ut apostolica auctoritate, quae inter se convenerant,

firmarentur. Rogatus Emus Archiepiscopus, ut de omnibus distincte referret ac votum suum aperiret, praenarrata confirmans concludit: *Meam denique sententiam aperiens, erectionem novae Paroeciae, inspectis rationum momentis, quae sub initio huiusmet relationis recensivi, a Sacra ista Congregatione spirituali populi utilitati atque necessitati concedendam esse censerem.*

Sacra haec Congregatio iusta et rationabili concurrente causa Parochiarum dismembrationem et novae erectionem saepe concessit. Praecipua vero causa ad suadendam novae Paroeciae erectionem est magna difficultas seu magnum incommodum parochianorum adeundi ecclesiam Matricem ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda, quo quidem in casu Tridentina Synodus, Sess. 21, cap. 4, *de ref.* novas Paroecias erigendi potestatem Episcopis tribuit. His expositis dignentur EE. PP. dirimere:

I. *An, et quomodo sit locus dismembrationi Parochialis ecclesiae in oppido Massineani, et erectioni novae Paroeciae extra oppidum in ecclesia S. Mariae de Misericordia in casu?* Et quatenus negative:

II. *An et quomodo sit providendum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata ad utrumque, et exquiratur nova informatio iuxta mentem.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 79, p. 172-177].

3964.

S. C. C., *Nullius Foropompilii*, 21 aug. 1819.

Inter Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Nicolai civitatis Meldulae legitime cooptatus est Clericus Antonius Vangelli, qui suum Ecclesiae praestitit servitium annum usque 1798, quo tempore secuta militari occupatione, bona omnia ad Collegiatam spectantia dirempta fuere, assignata postmodum cuilibet Canonico vitalitia pensione. Aliquot post annos placuit Vangellio ad saecularia vota transire et Matrimonium contrahere, nulla petita venia ab Apostolica Sede retinendi pensionem in statu etiam coniugali, quam tamen libere exegit nedum ab occupatoribus Status Ecclesiastici, sed etiam postea a Pontificia bonorum ecclesiasticorum Administratione. Anno demum 1815 Sacerdos Ioannes Grammatica Summum adiit Pontificem, eique exposita vacatione Canonicatus ob Matrimonium initum a Vangellio, et ex neglecta intra legitimum tempus nominatione per Communitatem Patronam, petiit obtinuitque per apostolicas bullas Canonicatus collationem, cuius etiam nactus est possessionem die 21 martii sequentis anni 1816.

Verum cum Sacerdos Grammatica purum nomen Canonici haberet, et illius reditus a Vangellio perciperentur, oblatis post triennium precibus, postulavit a S. Congregatione, ut in pensionum syllabo suum nomen subrogaretur Vangellio, et hic ad restitutionem fructuum a die captae possessionis cogeretur. Hae preces dimissae fuerunt rescripto: *Utatur iure suo.* Tunc eas renovavit apud SSmum D. N., ac super iis sequens prodiit rescriptum

[1] Cf. N. 3965.

diei 24 augusti 1818: *SSmus attentis expositis remisit preces ad Congregationem Concilii cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam cum clausula de aperitione oris, contrariis quibuscumque non obstantibus.* Exquisita est informatio ab Ordinario, auditis praesertim Patronis et Antonio Vangelli, eisque praefixo termino ad deducendum iura sua.

Quaeritur in *primo* dubio, an literae apostolicae, quas impetravit Sacerdos Ioannes Grammatica, sint exequendae; easque nullo pacto exequendas esse contendit Vangellius, utpote obreptionis et subreptionis vitio coinquinatas, quatenus Sacerdos Grammatica non exposuit Summo Pontifici, fundatorem voluisse, ut Cappellani (qui postea facti sunt Canonici) eligerentur ex Presbyteris Meldulensibus, *et non provisti di rendite ecclesiastiche*, ita ut inter concurrentes pauperior in nominatione praeferretur. Pariter silentio praetermissum est, eundem fundatorum voluisse, ut Cappellani cantus scientia pollerent. Si haec rescivisset Pontifex, haud quidem gratiam obsignasset impetrantis, qui nec nativitatem, nec originem ab oppido Meldulae trahebat, qui aliis ecclesiasticis Beneficiis erat ditatus, quique de sua scientia in cantu nullum fecerat experimentum. Contra vero Grammatica exequutionem urget apostolicarum literarum, quas ab omni obreptionis labe immunes contendit. Non enim res est de nominatione ad Canonicatum facta a Communitate Patrona iuxta fundatoris voluntatem.

Si in primo dubio victoriam assequatur Sacerdos Grammatica, tunc in *secundo* quaerendum erit, an pensio sit subrogata reditibus Canonicatus. Negat id Vangellius, quia in bullis favore impetrantis expeditis nulla fit mentio pensionis, sed Summus Pontifex loquitur tantum de Canonicatu. Cum ergo Praebenda Canonicalis et pensio prorsus differant inter se, nequit inde affirmari, ut facta fuerit unius in alterius locum subrogatio. Contra vero ex parte Sacerdotis Grammaticae sustinetur subrogatio. Non alia siquidem causa fuit constituendae pensionis, quam ipsa Praebenda Canonicalis, a cuius fructuum perceptione prohibebantur Canonici ob occupationem venditionemque bonorum: ac fuit proinde ipsi Praebendae subrogata pensio tum ex voluntate concedentis, qui non alios, quam Canonicos in huiusmodi pensionum syllabo inscribebat, tum ex voluntate accipientis ex ipsa pensionis perceptione desumpta. Dubia sunt:

1. *An litterae apostolicae sint exequendae in casu?*
2. *An pensio sit subrogata reditibus Canonicatus in casu?*

Die 21 augusti 1819: Non proposita.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 79, p. 246-251].

3965.

S. C. C., *Firmana*, 20 nov. 1819.

Dilata fuit resolutio huius causae die 3 iulii proxime praeteriti.[2] Receptis vero novis Emi Archiepiscopi literis, in quibus de actuali reditu Paroeciae Massineani, de annua impensa pro instauranda ecclesia S. Mariae de

[1] Cf. N. 3970.
[2] Cf. N. 3963.

Misericordia, etc. refert, atque dismembrationis necessitatem iterum confirmat, eadem dubia dirimenda erunt.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Archiepiscopi et conventionem, per bullas.

Ad II. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 79, p. 283-285].

3966.

S. C. C., *Carpen. et Mutinen.*, 22 ian. 1820.

Iacobus ex Comitibus Boschi die 21 martii anni 1815 viam est universae carnis ingressus, dum Carpensem regebat Ecclesiam. Fuerat ille anno 1788 ad Brictinoriensem Ecclesiam moderandam evectus, cuius iurisdictioni suberat Paroecia S. Petri Foropompilii, anno autem 1808 a SSmo fuit ad Carpensem Episcopalem sedem translatus. Tabulis itaque, quibus decessit, universalem scripsit heredem Comitem Antonium germanum fratrem; legavitque Ecclesiae Brictinoriensi *un apparato completo di tela di oro, la Mitra buona con pietre, ed un calice di argento con coppa dorata;* Paroeciae S. Petri Foropompilii *una pianeta gialla con trina d'oro e suoi finimenti, ed un calice di rame dorato con coppa di argento dorata;* Carpensi tandem Ecclesiae *la sua concolina o bacile d'argento.*

Suprema hac vix cognita voluntate plures penes S. Congregationem querelae delatae sunt a Carpensi Capitulo nedum contra legatarias Ecclesias Brictinorii et Foropompilii, sed etiam contra heredem Antonium Boschi, qui putabat, universam defuncti hereditatem in Mutinensi ditione existentem sibi addicere. Episcopi Mutinensis illico exquisita est informatio. Archiepiscopo etiam Ravennatensi remissae fuerunt preces Capituli Carpensis pro informatione et voto, ut auditis Capitulis Brictinoriensi et Foropompilii, eisdem terminum praefigeret ad deducendum iura sua coram S. Congregatione. Ravennae Metropolita refert: « Ex votis utriusque partis interesse habentis cognoscent EE. VV., quantum Capitulum Carpense solidis deficiat argumentis. Bulla enim S. Pii V, quae incipit, *Romani Pontificis*,[1] rem totam satis superque explicavit et definivit ». Cui constitutioni innixa S. Congregatio est in causa *Trivicana seu Tricaricen.*, 6 iulii 1726.[2] Ex reditibus Ecclesiarum Brictinoriensis et Foropompiliensis tot annorum spatio perceptis argumentantur Canonici Brictinorii, ius esse his Ecclesiis iuxta Pianam constitutionem condicendi ab herede universa sacra supellectilia, vasa, ornamenta ad divinum cultum spectantia indebite percepta cum hereditate, si illa fuerint praefatarum Ecclesiarum proventibus a defuncto Episcopo acquisita. Unde quaeritur:

1. *An sint consignanda legata a defuncto Episcopo Boschi relicta Ecclesiae Cathedrali Brictinoriensi et Paroeciae S. Petri Foropompili in casu?*

[1] Cf. N. 123.
[2] Cf. N. 3320.

2. *An, et quomodo, et in qua quantitate competant iisdem Ecclesiis res eiusdem defuncti Episcopi ad cultum divinum pertinentes in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, et esse inter eas proportionabiliter dividendas ad formam constitutionis s. m. Pii V, incipientis: Romani Pontificis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 80, p. 11-19].

3967.

S. C. C., *Romana*, 27 maii 1820.

Resoluta fuit haec causa die 9 augusti 1817.[1] Urgente vero Cassandra dolum et errorem, hodie reproponitur sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 80, p. 136-140].

3968.

S. C. C., *Bovinen.*, 27 maii, 17 iun. 1820.

Efferbuit lis inter Canonicum Tiberium de Pompa Decanum Curatum Cathedralis Ecclesiae et Canonicum Cantorem Iosephum Santoro quoad ius denunciationum matrimonialium, quam Praesul S. Congregationis iudicio submisit. Ex tribus potissimum fontibus rationum momenta deducit Decanus Curatus, ut probet, ad se privative pertinere ius denunciationum matrimonialium: ex veteribus libris parochialibus, ex s. visitatione ab Episcopo Iustiniani peracta anno 1584 et ex iuris dispositione, videlicet ex Conc. Tridentini, Sess. XXIV, cap. 1, *de ref. matrim.*, ubi Parochi nomine ille intelligitur, qui habet curam animarum actualem, et excluditur quicumque alius actualem curam non habens. Iam vero Decanus Curatus Ecclesiae Cathedralis Bovinensis est verus et solus Parochus, qui per concursum et canonicam institutionem assequitur Decanatum cum iure perpetuo ac privativo munia parochialia exercendi. Inter munera autem parochialia recensentur matrimoniales denunciationes, ac proinde ad unum Decanum spectare concludit ius huiusmodi denunciationes explere.

Negat e contrario Cantor Santoro, proclamationes matrimonii semper factas fuisse a Decanis ad annum usque 1683, cum de his sileant parochiales libri; citatque alteram visitationem anno 1680, in qua declaravit Decanus tunc temporis, denunciationes matrimoniales a se emitti non proprio, sed nomine Cantoris, cuius praebenda tunc vacabat. Ostendit deinde, Paroeciam exortam fuisse in Cathedrali. Cum itaque antiquior fuit Cathedralis erectio, autumat, potuisse Capitulum sibi reservare aliquod ius paroeciale usque ab initio sibi competens, quod in themate Capitulum cessit Cantori.

[1] Cf. N. 3954.

His omnibus tum in iure, tum in facto perpensis, erit EE. PP. respondere dubio:

An possit et debeat Decanus Curatus Ecclesiae Bovinensis emittere denunciationes matrimoniales, seu potius sit substinenda praxis favore Cantoris in casu?

Die 27 maii 1820: Non proposita.

Die 17 iunii 1820 Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 80, p. 142-149, 160].

3969.

S. C. C., *Auximana*, 16 dec. 1820.

Invaluerat consuetudo in Ecclesia Cathedrali Auximana, ut Missae Conventuales, exceptis certis diebus, in quibus hoc onus a Dignitatibus et Canonicis adimplebatur, celebrarentur ab iis Beneficiatis, qui aliquod peculiare Beneficium in altaribus eiusdem Ecclesiae obtinebant, quique pro sui Beneficii fundatoribus Sacrificium applicabant. Hanc consuetudinem, seu verius abusum, sua decisione eliminavit haec S. Congregatio anno 1734. Paruit statim Capitulum quoad applicationem Missae. Quo vero ad illam canendi non eadem semper servata est methodus. Primum enim celebrata est a Mansionariis et Beneficiatis, postea iis reluctantibus, alii Sacerdotes etiam extra gremium Capituli, vel etiam Regulares ad Sacrificium offerendum acciti sunt, soluta eleemosyna ex massa capitulari, ac imposita Beneficiatis taxa scutorum 15.20 in singulos annos, ut ab hoc praestando servitio eximerentur. Interea notissima edita est constitutio *Cum semper oblatas* a s. m. Benedicto XIV,[1] qua praeceptum est, ut in omnibus Patriarchalibus, Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis quotidie Missa cum cantu celebraretur, eaque applicaretur pro benefactoribus Capituli, sublata quavis contraria consuetudine. Novarum querelarum capta occasione, Emus Episcopus infrascripta S. Congregationi proposuit dubia.

Quaerendum primo videtur, ad quos spectet onus celebrandi quotidianam Missam Conventualem. Innumerae fere sunt S. Congregationis resolutiones, ex quibus satis aperte colligi videtur, hoc onus ad omnes spectare, qui alicuius Ecclesiae Clerum constituunt, nimirum ii, *qui* (ut ait S. Pontifex Bened. XIV in const. cit.) *in eadem Ecclesia sive Dignitates, sive Canonicatus sive Mansionariatus, sive Beneficia choralia obtinent.* Quo vero ad Auximanam Ecclesiam in specie animadvertendum, quod in Constitutionibus illius Ecclesiae enumerantur dies, in quibus Missae sunt celebrandae ab Episcopo, ab Archidiacono, ab Archipresbytero, ac demum assignantur Missae Canonicales in Dominicis Adventus et Quadragesimae, in tertia Dominica cuiuslibet mensis aliisque festis minus solemnibus: nihil vero constituitur quoad alias Dominicas infra annum et dies feriales. Inde consuetudo invaluit, ut

[1] Cf. N. 345.

Missae Conventuales quotidianae celebrarentur per turnum ab iis Sacerdotibus, qui peculiaria Beneficia ad altaria Cathedralis obtinebant, quique Missas non pro benefactoribus, sed pro oneribus respectivi Beneficii applicabant.

Quaerendum secundo est, an, a quibus, et in qua summa celebrantibus Missam Conventualem debeatur eleemosyna. Sane deberi huiusmodi eleemosynam ex capitulari massa distributionum sancitum est pluribus S. Congregationis oraculis, quibus supremum addit calculum s. m. Benedictus XIV in praedicta constitutione. Dubia sunt:

1. *An, et ad quos spectet onus celebrandi Missam quotidianam Conventualem in casu?*

2. *An, a quibus, et in qua summa sit solvenda eleemosyna Missarum pro benefactoribus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, et spectare ad Capitulares tantum ad formam Benedictinae constitutionis.

Ad 2. Affirmative, ex massa distributionum ad rationem obulorum viginti.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 80, p. 277-284].

3970.

S. C. C., *Nullius Foropompilii*, 16 dec. 1820.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis habitae die 21 augusti 1819,[1] quando tamen proponi iam non potuit, quare hodie sub iisdem dubiis proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. et 2. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 80, p. 275-277].

3971.

S. C. C., *Cameracen.*, 20 ian., 17 febr. 1821.

Ioannes Baptista Ioseph Bouchez posteaquam ecclesiasticae militiae nomen dederat, anteriori parte pollicis laevae manus orbatus fuit per amputationem secundum artem peractam. Verumtamen cum facile possit residua parte pollicis hostiam tenere, frangere, sumere, dummodo truncatus pollex ad extremitatem fortiter sit alligatus, et aliquo tegumento sive serico sive pelliceo, sive metallico sit coopertus, hinc SSmum exoravit, ut dispensationem ab hac irregularitate assequatur, sicque ad Sacros Ordines promoveri possit, Missamque cum digitali aureo vel argenteo valeat celebrare.

Episcopus Cameracensis testatur Ioannem Baptistam Iosephum Bouchez pietate non ficta, scientia, morum integritate vere commendabilem se praebere, maximamque sui expectationem movere, ipsum strenuum et diligentem Ecclesiae ministrum esse futurum. Idcirco Sanctitatem Suam enixe deprecatur, ut postulatam dispensationem concedere dignetur.

[1] Cf. N. 3964.

S. Congregatio irregularem dixit Sacerdotem pollice in sinistra manu carentem in *Cadurcen.*, 14 ianuarii 1663, Lib. 28 Decret., p. 3. Atque ex toto titulo Decretalium: *De corpore vitiatis ordinand. vel non*, colligitur, non esse eos ad Ordines promovendos, sive ex propria culpa, sive a nativitate, aut casu defectus ille acciderit. His accedit, petitae dispensationi obstare regulam, qua usa semper est S. Congregatio, ut scilicet facilius concedatur dispensatio super defectu corporis, dum agitur de dispensando Sacerdote iam promoto, quam ubi res est de Clerico promovendo. Verum gratiae in casu, de quo agimus, viam sternere possunt probati Oratoris mores, eius pietas non ficta et scientia, quae adeo ab Episcopo commendantur, ex quibus sequitur utilitas, quae Ecclesiae redundaret, praesertim, si ratio habeatur praesentibus rerum circumstantiis, in quibus omnes Episcopi maximam Sacerdotum deficientiam lugent. Hisce positis proponitur dubium:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 20 ianuarii 1821: Non proposita.

Die 17 februarii 1821 Sacra, etc. respondit: Affirmative, cum digitali aureo vel argenteo inaurato ita inhaerente, ut omne periculum arceatur, quod in Sacro peragendo cadere possit, et praemisso experimento coram sacrarum caeremoniarum Magistro, et dummodo eo digitali in nulla alia actione utatur, ac reverenter in capsula custodiatur, per breve.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 81, p. 29-32, 34].

3972.

S. C. C., *Balneoregien.*, 24 mart., 14 apr. 1821.

Postulatum Episcopus Balneoregiensis proponit: «Alter ex Canonicis Curatis Ecclesiae Cathedralis Balneoregiensis, qui territorium, ubi plures habitatores reperiuntur, intra fines suae Paroeciae habet, dum tales agricolae aegrotant, putat suo muneri satisfacere, si illis Sacramenta tantum administret, deferendo simul cum Viatico etiam S. Oleum, cuius unctione eosdem, quando in periculo mortis constitutos putat, corroboret, quin postea amplius eos inviset, et agoni assistat, quod, ut ipse asserit, ita consuetudine inductum est. Repugnat Rituale Romanum, adeoque circa talem assertam consuetudinem, ut S. Congregatio sapientissimum iudicium proferre dignetur, vehementer exopto».

Canonicus Bonaventura Paparozzi, ad quem spectat agricolarum praesertim cura, Episcopum tamquam de factis non recte instructum traducit, additque se absque praecedenti peritorum ordinatione ruricolis infirmis numquam Sacramenta administrasse, semperque obligatorias Ritualis Romani dispositiones retinuisse pluribus documentis comprobare conatur. De certa scientia testatur Capitulum, non in Sacramentis administrandis solummodo, sed aliis in casibus Canonicum Curatum infirmis opem tulisse, quoties fue-

rit requisitus. Quod toto conatu substinere praesumitur, est consuetudo pro immemorabili asserta, cuius natura in eo reponitur, quod ruris aegrotis nec Sacramenta, nec quidvis aliud praestare teneatur memoratus Curatus, nisi vocetur, et ad equitandum commodum ipsi praebeatur ob loci distantiam.

Magnum ac necessarium ministerium est moribundis opem ferre in eo praesertim statu, a quo vel felicitatis vel poenarum pendet aeternitas. Hinc inter praecipuas Parochi curas haec assistentia ab ipso agonizantibus praestanda debet numerari, quod Rituale Romanum, tit. *De visit. et cura infirmorum* praecipit. Neque Curato suffragari videtur consuetudo, quae nedum Rituali Romano opponi videtur, sed etiam animarum saluti. Dubium igitur proponere superest ab EE. VV. dirimendum:

An, et quomodo teneatur Canonicus Curatus aegrotos ruricolas visitare, eisque assistentiam praebere, dum morti proximi reperiuntur in casu?

Die 24 martii 1821: Non proposita.

Die 14 aprilis 1821 Sacra, etc. respondit: Affirmative, ad formam Ritualis Romani, et Episcopus curet providere Paroeciae Capellanum Curatum, ne ruricolae, vel Civitatis incolae spirituali assistentia careant.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 81, p. 92-96, 127].

3973.

S. C. C., *Nullius Orbetelli*, 14 apr., 2 iun. 1821.

Unica Parochialis ecclesia Prioratus nuncupata sub titulo S. Mariae in Coelum Assumptae extabat in loco Orbetelli, qui spirituali subest iurisdictioni Abbatis Commendatarii Monasterii SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias. Eam Paroeciam anno 1582 in Collegiatam erexit cl. me. Card. Farnesius Abbas Commendator, ita ut Archipresbyter Prior curam animarum principaliter exerceret, quatuor vero Canonici in animarum curae exercitio eumdem Archipresbyterum coadiuvarent. Verumtamen cursu temporis mali usus in Sacramentorum administratione irrepserunt. Hinc Emus Abbas die 29 septembris anni 1819 nonnulla observanda mandavit, quae Canonici Coadiutores suorum iurium laesiva autumabant. Quare idem Emus Abbas Vestrum iudicium, EE. PP., super his audire duxit.

Coadiutores duas quaestiones proponunt: *prima*, an statim ac Coadiutores renunciati sunt, facultatem habeant audiendi Confessiones ita, ut Ordinarius illam ad tempus coarctare nequeat; *secunda*, an ipsis liceat testimonium peractae Communionis Paschalis, vulgo *Bollettini*, distribuere parochianis sibi commissis, vel potius uni Archipresbytero.

Certum est in iure, Ecclesiam Curatam duos Parochos aeque principales habere non posse, sed ad illius regimen unum tantum esse praeficiendum Curatum ad mentem S. Conc. Trid., Sess. 7, cap. 7, *de ref.*; et pluries S. Congregatio hanc promiscuitatem reiecit in curae exercitio. Tenentque Doctores, Coadiutores habere tantum administrationem et exercitium illius iuris vel curae, quod in principali vel Rectore remanet, non vero frui ipso iure vel cura, quia duo insimul eamdem rem et eodem modo in solidum

possidere non possunt. Quoad potestatem ordinariam Coadiutorum audiendi confessiones perpendendum est S. Conc. Trid., Sess. 23, *de ref.*, cap. 15 vetuisse, ne quis confessiones audiret, nisi vel Parochiale haberet Beneficium, vel ab Ordinario approbatus esset; ex quo decreto oritur distinctio iurisdictionis *ordinariae* et *delegatae*. Cum vero Coadiutores Orbetellenses Archipresbyterum, apud quem residet tum ius, cum exercitium curae, teneantur adiuvare in iis dumtaxat, quae per se adimplere nequit: hinc concludit Emus Abbas, nullam urgere necessitatem, ut post adeptum Canonicatum statim iura parochialia exercendi facultatem habeant, ac audiendi confessiones, sicuti Coadiutores Parocho inhabili constituti.

Dubia itaque EE. VV. iurisprudentiae et sapientiae dirimenda subiiciuntur:

I. *An sustineantur praescripta Ordinarii Abbatis Trium Fontium lata die 29 septembris 1819, seu potius liceat Canonicis Coadiutoribus absque Ordinarii vel Prioris Archipresbyteri licentia Matrimoniis interesse in casu?*

II. *An idem Emus Abbas possit Canonicis Coadiutoribus facultatem audiendi confessiones coarctare, et etiam tollere in casu?*

III. *An iisdem Coadiutoribus competat ius distribuendi testimonia peractae Communionis Paschalis, et conficiendi statum animarum, seu potius id spectet ad Priorem Archipresbyterum in casu?*

Die 14 aprilis 1821: Non proposita.

Die 2 iunii 1821 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative, sicut pro caeteris Confessoribus.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 81, p. 134-150].

3974.

S. C. C., *Reatina*, 2 iun. 1821.

Bis iam resoluta fuit haec causa, diebus nempe 20 septembris 1817,[1] ac 19 decembris 1818.[2] Verum Municipes et Patroni insteterunt pro manutentione Canonicorum Curatorum in colligendis decimis a populo Collium.

Hinc repropronitur causa sub forma consueta:

1. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo et secundo loco quoad decimas in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 81, p. 150-156].

[1] Cf. N. 3956.
[2] Cf. N. 3961.

3975.

S. C. C., *Callien.*, 18 aug. 1821.

Testamentariis tabulis, quibus anno 1796 decessit Catharina Gaugelli, omnium suorum bonorum heredem instituit coniugem Antonium Lenci, adiecta tamen lege, ut dimidium praedii nuncupati il *Piano* o *Tarsia*, quod totam continebat hereditatem, ab omni aere alieno liberum et solutum erogaretur in legato perpetuo ad ipsius testatricis animam suffragandam. Cum anno 1797 in civitate Calliensi pia foret erigenda domus pro puellis orphanis educandis, cumque exigui essent reditus, Pius VI dictum legatum favore orphanotrophii concedendum esse benigne annuit cum onere perpetuo celebrationis unius Missae in qualibet hebdomada pro anima testatricis. Ut vero aequae partes tam pro Orphanotrophio, quam pro herede Antonio Lenci constituerentur, hic inita transactione anno 1801 sub die 19 iunii cessit praedium *Tarsiae* Orphanotrophio, constituto pretio scut. 3400 in *moneta aerosa*, cuius medietas scut. 1700 dicto Orphanotrophio tributa fuit pro antedicto legato, statutumque fuit, ut altera medietas scut. 1700 solveretur annis viginti post Lenci mortem ipsius heredibus, constituto interim fructu scut. 5 pro quolibet centenario et anno. Cum Orphanotrophio dictum retinere praedium minime conveniret ob loci distantiam, necessariis ab hac S. Congregatione obtentis facultatibus sub die 23 novembris 1805 peracta fuit praedii alienatio sub hasta favore Episcopi Bellini pro scut. 2650, quot nimirum constituebant intrinsecum praedii valorem, qui in transactione aestimatus fuerat in scut. 3400.

Ex hac pecuniae diversitate factum est, ut pia orphanorum domus ex legato Gaugelli scut. tantummodo 950 perceperit, quae demortuus Administrator in favorem Orphanotrophii fideliter investivit. Iuxta transactionem vero Administratores Orphanotrophii pendere debent heredibus Lenci die 17 ianuarii 1824 scut. 1700, quae tamen magna ex parte in alios usus erogarunt. Modo Administratores Orphanotrophii supplices sunt penes S. hanc Congregationem, ut peractum investimentum scut. 950 pro adimplemento deserviat oneris iniuncti in alienatione fundi *Tarsia* ad pium Legatum Missarum conservandum favore testatricis, utque memorata transactio adprobetur.

Porro cum transactio secumferat cessionem, remissionem, nequit ab Administratoribus piae causae iniri absque apostolica venia, quin transactio corruat, iique censuris obnoxii fiant, etsi necessaria causa adsit ad eam ineundam. In themate non constat, qua auctoritate concordiam subscripserint Administratores. Porro non adfuisse videtur utilitas loci pii. Verumtamen non levia etiam adsunt rationum momenta, quae suadent sanandam esse transactionem, cuius substantia in eo est, ut aliquid ex utraque parte remittatur. Iamvero Familia Lenci concessit Orphanotrophio, ut debitam pecuniam numeraret post viginti annos a morte Antonii Lenci, ex quo non leve commodum persensit illud, dum hanc summam investivit.

His itaque omnibus inspectis ne grave sit EE. VV. respondere sequentibus dubiis:

I. *An sit consulendum SSmo pro sanatione transactionis in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An investimentum scut. 950 favore legati Gaugelli Lenci sit approbandum in casu?*

Die 21 iulii 1821: Non proposita.

Die 18 augusti 1821 Sacra etc. respondit ad I. Affirmative, facta reductione capitalis scut. 1700 debiti Antonio Lenci et fructuum tam solutorum, quam solvendorum ad formam legis et tariffae.

Ad II. Affirmative, facta inscriptione ad formam edicti. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 81, p. 250-256, 259].

3976.

S. C. C., *Neapolitana*, 27 iul., 14 dec. 1822.

Mutuo consensu ac servatis a SS. Trident. Synodo praescriptis initum est die 2 augusti 1817 Matrimonium inter lectissimum iuvenem D. Nicolaum Vecchioni et adolescentulam D. Margaritam Muscettola ex Principibus Leporani. Optata plurimum, tentata saepius, obtenta numquam est Matrimonii consummatio per novem mensium spatium, quo invenes communem domum, commune habuerunt thorum. Ita longam inutilemque pertaesi moram utrique coniuges cum iam prius ab omni communione recesserant, et mulier ad patrios redierat lares: Summo Pontifici exposuerunt sub die 2 octobris 1819 apostolicam dispensationem a Matrimonio rato et non consummato exorantes. Statim datae sunt literae Emo Archiepiscopo pro confectione processus super non consummatione, servata in omnibus forma constitutionis s. m. Benedicti XIV, *Dei miseratione*, [2] utque referret de canonicis causis dispensationis.

Omnia rite recteque gesta sunt ab Archiepiscopali Curia. Rogati sunt primum coniuges, qui de non consummatione iurarunt, dein septem utrinque propinqui, demum alii testes. Facta etiam est inspectio corporis mulieris, tribus designatis obstetricibus, adstante matrona, et adstipulante peritorum in arte consilio. Et iam haec omnia ad suum properaverant exitum, cum Defensor Matrimonii instetit coram Indice Delegato, ut viri etiam corporis recognito fieret. Sed obstitit Nicolaus Vecchioni, solemni emissa protestatione, sese inspectioni subiicere, unde Margarita Muscettola Summum adiit Pontificem, ne in longius protraheretur actorum transmissio. SSmus annuit precibus. Transmisso processu, Emus Archiepiscopus ait: Constat Matrimonium non fuisse consummatum. De adducendis vero dispensationis causis sibi temperandum duxit, quia praemittendam corporis viri investigationem arbitratur. Defensor autem Muscettola adducit viri impotentiam saltem

[1] Cf. N. 4000.
[2] Cf. N. 318.

respectivam, defecturam successionem utriusque praenobilis Familiae, cum de unigenitis filiis agatur, ac demum coniugum aversionem et odia. Superest igitur, ut EE. PP. definire dignetur dubium:

An sit consulendum SSño pro dispensatione super Matrimonio rato et non consummato in casu?

Die 27 iulii 1822 Sacra, etc. respondit: Affirmative, et Nicolao Vecchione non relaxetur fides status liberi inconsulta Sacra Congregatione.

Reproposita vero causa sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 14 decembris 1822 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 82, p. 139-142, 248-251].

3977.

S. C. C., *Comen.*, 14 dec. 1822.

Ludovicus Molo anno 1798 Prioratum obtinuit S. Quirici erectum in Collegiata Bellinzon., cui est onus choro interessendi aliquibus diebus festivis. Idem Sacerdos, ut Canonicatum, cuius reditus ad summam scut. Rom. 150 pervenit, in eadem Ecclesia Collegiata Bellinzon. simul cum Beneficio assequi ac retinere posset, anno 1820 dispensationem impetravit a R. P. D. Archiep. Nysseno, Nuntio Apostolico apud Helvetios. Putarunt nonnulli ex Canonicis, obreptitie ac subreptitie extortam fuisse hanc dispensationem: hinc quaestio orta est inter Consilium et Canonicum Molo, et delata ad Tribunal Vicarii Capitularis, qui auditis partibus, die 17 aprilis 1821 sententia declaravit: *essere del tutto incompatibili i sudetti due benefici uniti in una sola persona... la dispensa non potè suffragarle punto, comechè surrettizia e perciò nulla ed invalida, poichè la S. Nunziatura esprimesi in questi termini: « Qui habes Prioratum seu Beneficium vel Cappellaniam in Ecclesia S. Quirici, cuius fructus, reditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera valorem non excedunt, et quae personalem residentiam non requirit ». Due cause, alle quali è appoggiata la dispensa, entrambi mancanti di verità, e false: la prima, che non eccedono i frutti del Priorato 24 Ducati d'oro di Camera; la seconda, che non importa residenza personale.* Consequens inde fuit, ut Camera Oeconomica Iosephum Paganini novum Priorem designavit, eiusque nominationem Curiae exhibuerit.

Cum vero nihilominus unum ex duobus Beneficiis Molo non dimitteret, nonnulli ex Capitulo Ecclesiae Collegiatae SSño supplicem libellum dederunt, ut hoc malum averteret, quorum preces R. P. SSmi Auditor Episcopo Comensi pro informatione et voto ablegavit. Ipse adprobat Vicarii Capitularis sententiam, ac concludit, Paganini in Prioratu esse instituendum, cogendumque Canonicum illum dimittere. Tunc ex rescripto SSmi diei 22 novembris 1821 huic S. Congregationi causae cognitio ac definitio commissa est, quae Episcopum rogavit, ut auditis Patronis, Capitulo Collegiatae, Canonico Ludovico Molo et Sacerdote Paganini, referret de annuo reditu et oneribus tum Canonicatus tum Prioriae, necnon de utriusque Beneficii incompatibilitate. Habita iam Episcopi responsione, dirimenda erunt dubia:

I. *An constet de incompatibilitate in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An sit locus nominationi ad Prioratum S. Quirici, seu potius instituendus sit Sacerdos Paganini in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, facto verbo cum SSño.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 82, p. 251-258].

3978.

S. C. C., *Praenestina*, 22 febr., 22 mart. 1823.

In oppido Ienazzani Praenestinae Dioecesis adest Hospitale S. Crucis, cuius spiritualis cura a remotis temporibus concredita fuit Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini, qui nunc Conventum B. M. Virginis Boni Consilii incolunt. At quum hoc Hospitale intra limites Paroeciae S. Pauli situm sit, frequentes ortae sunt quaestiones et querelae circa Sacramentorum administrationem inter Parochum S. Pauli et Fratres Augustinianos. Controversia ad Tribunal Auditoris Camerae fuit delata, et Locumtenens De Gentilibus anno 1721 decrevit: *Non competisse, neque competere praedictis RR. PP. S. Augustini assistere Sacramentis Matrimonii, neque caeteros actus parochiales exercere in dicto hospitali, praeterquam quod infirmis ibi existentibus SSmae Eucharistiae et Poenitentiae Sacramenta ministrare, ibique mortuos sepelire; in caeteris vero quibuscumque actibus parochialibus Parochum... manutenendum fore et esse.* Ex hoc decreto iterum controversiae exortae sunt: contendebant enim Religiosi, ius sibi competere Sacramentum Eucharistiae aliaque semper administrandi infirmis; e contrario Parochus asserebat, tunc tantum hoc Religiosis licere, quum Missam in ecclesia S. Crucis celebrant, et in hoc Sacrificio Eucharistiam conficiant, ut infirmis praebeant. Cum Regulares transitorio freti decreto cl. mem. Card. Matthaei a. 1807 solemniori quadam pompa per fines Parochiae S. Pauli transeuntes SS. Eucharistiam ad infirmos detulissent: id aegre ferens Parochus S. Pauli, capta occasione Sacramentum Extremae Unctionis infirmae cuidam administravit et alteri SSmam Eucharistiam dedit. Hinc Prior et PP. Eremitae Ordinis S. Augustini postularunt, ut confirmaretur decretum a cl. mem. Card. Matthaeio latum.

Huiusmodi preces Emo Episcopo remissae fuerunt, qui fuit rogatus, ut audito praesertim Parocho ecclesiae S. Pauli, sententiam suam aperiret. Absente Emo Episcopo Pro-Vicarius Generalis munere suo functus est. Plura in iure militant pro Archipresbytero S. Pauli, et primo quidem S. Tridentina Synodus, Sess. 24, cap. 13, *de ref.*, secundum quam Episcopi unicuique Paroeciae suum perpetuum peculiaremque Parochum assignare debent, a quo solo licite Sacramenta suscipiant. In specie autem, de qua agimus, magis urget favore Archipresbyteri iuris dispositio, quae vetat Regularibus sub poena excommunicationis latae sententiae, ne sine speciali Paro-

chi licentia Sacramenta Eucharistiae, Extremae Unctionis ac Matrimonii administrent: Clement. 1, *de privileg*. At non desunt quoque argumenta Religiosorum favore. Certum enim in facto est, his spiritualem infirmorum curam concreditam fuisse ab immemorabili. Extat decretum, quod Parocho S. Pauli administrationem Matrimonii et Baptismi Sacramentorum, necnon benedictionem in Sabbato Sancto praeservat. Si igitur hoc tantum ei reliquit, nullimode dubitari posse videtur, quin Eucharistiae et Olei Sancti administratio ad Religiosos pertineat, qui curam habere debent infirmorum, eisque morientibus assistere onus est; clarius vero habetur in re iudicata Auditoris Camerae, ubi decretum fuit, manutenendos esse Religiosos in iure administrandi Sacramenta Eucharistiae et Extremae Unctionis infirmis. Vestrum, EE. PP., erit dirimere:

1. *An, et quomodo spectet administratio Sacramentorum Eucharistiae et Extremae Unctionis ad Fratres Eremitas S. Augustini in Hospitali S. Crucis in casu?*

Die 22 februarii 1823: Non proposita.

Die 22 martii 1823 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative quoad Eucharistiam ad formam sententiae an. 1721; quo vero ad Extremam Unctionem negative, nisi de licentia Parochi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 50-58, 60].

3 979.

S. C. C., *Fanen.*, 22 mart., 19 apr. 1823.

Parochus Vincentius Monti an. 1819 ad fatiscentem parochialem ecclesiam reficiendam ampliandamque pro parochianorum opportunitate requisivit et obtinuit a Sacra Congregatione facultatem alienandi nonnulla bona ad Paroeciam spectantia. Cum vero S. Congregationis rescripta executioni mandaret, alienavit pro summa scut. 440 domum veterem parochialem cum adiuncto praediolo, et pro summa scut. 25 quamdam cryptam, de quibus mentionem minime fecit S. Congregationi, existimans hisce super bonis ipsi ablegatam alienandi facultatem. Cum primum autem suum cognovit errorem Parochus Monti, illico supplicavit S. Congregationem tum pro sanatione contractuum, tum quoque, si quae forent, pro absolutione a censuris.

Requisitus Episcopus respondit, vera esse omnia et singula, quae in precibus Oratoris asseruntur, ipsumque cuncta relate ad novae ecclesiae aedificationem et parochialis domus effecisse bona fide; pretium scut. 440.25 iuxta valorem domui paroeciali attributum per legalem peritiam ex venditione retractum in constructione novae domus parochialis integre fuisse erogatum. Quae cum ita se habeant, non dubitat Episcopus sua vota precibus Oratoris adiungere vehementer exoptans, ut gratiam, quam postulat, consequatur.

Ne bona Ecclesia temere dissipentur, solemnitates requirunt s. canones in illorum alienatione, quae si omissae fuerint, suo omnino robore carent contractus, et ita contrahentes poena excommunicationis mulctantur: Extrav. *Ambitiosae, de reb. Eccles. non alien.* Attamen alienationes, quae necessitatem vel evidentem utilitatem praeseferunt, quamvis initae absque beneplacito apostolico, non rescinduntur, immo ratae habentur. Evidens ista utilitas in casu desumenda videtur ex veteris alienatae domus statu fatiscente. Pro absolutione a censuris favet Parocho bona fides. His praemissis dubia proponuntur:

I. *An, et quomodo sanari debeat alienationis contractus Parochi Monti in casu?*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSño pro absolutione a censuris in casu?*

Die 22 martii 1823: Non proposita.

Die 19 aprilis 1823 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative in omnibus, facto verbo cum SSño.

Ad II. Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 69-72, 75].

3980.

S. C. C., *Firmana*, 24 maii 1823.

Dum licitae venationi vacabat die 25 octobris 1820 Sacerdos Franciscus Giustozzi Montisfalconii, aetatem agens annorum 47, improvisa igneae balistae diruptione laevam manum integram amisit; idcirco dispensationem ab irregularitate flagitat. Requisitus de more Eñus Archiepiscopus respondit: Peracto coram caeremoniarum Magistro experimento ab EE. VV. indicto, ea fuit eiusdem sententia, ut Sacerdos Giustozzi idoneus utique haberi possit Sacro perficiendo, si modo usus ipsi permittatur manus fictitiae ad vitandam deformitatem, et obligatio insuper praescribatur adhibendi in sacra actione alium Presbyterum, cuius ope ea singula rite exequi possit, quae ministerio utriusque manus indigent, ut v. g. abstersio patenae super calicem fragmentis collectis. Asserit insuper idem Archiepiscopus, agi de mutilatione inculpabiliter et fortuito ab ipso contracta; denique addit, Sacerdoti praefato in deteriori fortunae statu constituto onus revera incumbere sustentationis sex pupillorum ex fratre nepotum, eumdemque praeterea in maxima rerum angustia versari.

Irregularitatem procul dubio contrahit Sacerdos vitio corporis laborans ita, ut nequeat Sacrum perficere absque populi scandalo vel saltem admiratione: can. *Illiteratos*, Dist. 16; cap. *Presbyt.*, *1*, *de clerico aegrotant.*, et toto tit. *de corpore vitiatis ordin. vel non.*, et S. C. in *Cosentin.*, 13 iulii 1725.[1] Dispensatio tamen non raro concedi solet, et quidem facilius Sacerdoti iam promoto, quam Clerico promovendo, uti S. C. in *Comen.*, 6 maii 1775;[2] nonnumquam tamen ob Ecclesiae necessitatem vel utilitatem etiam Clericis

[1] Cf. N. 3301.
[2] Cf. N. 3792.

promovendis, velut in *Cameracen.*, 20 ianuarii 1821.[1] Proponitur idcirco dubium:

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die 24 maii 1823: Non proposita.

Die 14 iunii 1823 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 137-139, 147].

3981.

S. C. C., *Forosempronien.*, 24 maii 1823.

Rectori ecclesiae S. Mariae Vallis Forosempronien. Dioeceseos delatus fuit infans per mulierem rusticam domi baptizatus, sed iam vita functus, ut ecclesiasticae sepulturae traderetur. Examinata per Rectorem muliere Baptismatis administra, cognovit, hanc fuisse formam adhibitam italo idiomate: *Io ti battezzo col nome del Padre, del Figlio e dello Spirito Santo.* Audita forma, Rector ob ea verba, *col nome*, non modo pro nullitate Baptismi sensum suum exposuit, sed illico infantile corpus extra locum sacrum humari iussit; nunc autem ab EE. VV. petit, num bene senserit ac recte se gesserit. Episcopus fuit rogatus, ut auditis sub formali examine Parocho, obstetrice, parentibus infantis aliisque testibus de re instructis, referret praecise de forma adhibita in collatione Baptismatis, et an mulier baptizans recte sentiat de catholica religione, utque votum suum panderet. Ipse vero mox narratam facti seriem confirmavit, ac addidit: mulier baptizans relate ad fidem optime sensit. Baptisma vero Episcopus validum esse censet, quia variatio accidentalis in forma in substantiam rei non redundat.

Cum igitur ex Episcopi relatione compertum sit, mulierem Sacramenti ministram, cum dixit: *Io ti battezzo col nome*, particulae mutationem nequaquam fecisse pravo fine, aut inducendi causa errorem aliquem in Ecclesia: credamus oportet, eam formam a praefata muliere adhibitam fuisse ex errore, uti Theologi aiunt, materiali: nempe quia putaverit particulas *in* et *cum* unaeademque significatione pollere. Responsum addo, quod S. C. Universalis Inquisitionis feria IV, die 23 maii 1720 in simillimo casu hisce verbis edit: *Lecto memoriali N. N., quo proponit dubium, an recte sint baptizati duo pueri sub hac forma:* Io ti battezzo col nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo, *et an sit reiterandum Baptisma sub conditione; Emi Domini decreverunt, pueros, de quibus agitur, fuisse valide baptizatos, ideoque non esse baptizandos neque sub conditione.*

A validitate, et invaliditate collationis Baptismi pendet omnino resolutio super re bene vel male gesta a Rectore, qui sepulturam ecclesiasticam infanti denegavit. Quamvis autem validum declaretur Baptisma, ne tamen dubium in posterum oriatur, praecipue vero, ne nova forma inducatur, videant

[1] Cf. N. 3971.

EE. PP., an aliquo modo providendum sit in futurum per instructionem obstetricum, ut in *Ceneten.*, 12 maii 1753.[1] Dubia sunt:

1. *An valida sit Baptismi collatio in casu?*
2. *An recte se gesserit Rector denegando infanti ecclesiasticam sepulturam in casu?*
3. *An, et quomodo sit providendum quoad futurum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Non esse reprehendendum in casu; et nunc ab eo curandum, ut si fieri potest, detur infanti ecclesiastica sepultura.

Ad 3. Detur decretum, ut in Ceneten., *12 maii 1753.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 134-137].

3982.

S. C. C., *Caietana*, 14 iun. 1823.

Sacerdos Ioseph N. absolutionem poscit a censuris, dispensationem ab irregularitate et rehabilitationem, eo quod militibus, qui ad perditos homines, vulgo *briganti*, capiendos et profligandos proficiscebantur, sponte se adiunxit, atque duo ex illis interfecti fuerunt. Requisitus Caietanus Episcopus ita rem narrat: « Orator, qui annos 38 aetatis habet, sectae Carbonariorum adscriptus erat, atque ita in suspicionem venit se esse complicem homicidii ab aliis sociis commissi. Ut a longa iudiciali inquisitione se liberaret, qua appareat ipsius innocentia, consilium ei datum fuit, ut a Gubernio indultum peteret, obligatione assumpta, ut aliquid meritorium ageret in persecutione perditorum hominum. Id ei permissum est, et manui hominum armatorum aggregatus in discrimine cum latronibus igneam ballistam simul cum aliis explosit, et quamquam ex latronibus duo interfecti sunt, alii duo vulnerati, asserit tamen Orator, ex modo, quo arma direxit, a se neminem laesum aut occisum fuisse. Nunc patet, ipsum nullo modo complicem esse in homicidio a sociis commisso, aut in expeditione militari. Equidem ipsi suggessi, ut peteret absolutionem a censuris, quas incurrit: nam associationem ad sectam Carbonariorum et malam vitam satis luit per suspensionem et exercitia spiritualia et alias mortificationes. Censeo igitur Oratorem ad S. Missae celebrationem habilitari posse, quia conversus esse videtur et malorum exemplorum poenam dedisse ».

Irregularis Orator ex triplici capite existimandus est: Si Orator in excommunicationem incidit, propterea quod inter Carbonarios fuit cooptatus, irregularis profecto evasit propter violationem censurae rebus divinis operam dando: cap. penult. et ult., *de cleric. excom.* Deinde ubi praedicari coeptum est, Oratorem esse in numero Carbonariorum, ipsique praeterea tribui commissum homicidium, in irregularitatem incidit, si non ex infamia iuris, at certe ex infamia facti procedentem. Tandem cum Orator ipsius rogatu inter milites fuerit adnumeratus, et armis instructus ad bellum adversus

[1] Cf. N. 3629.

facinorosos homines fuerit profectus, in eosque ballistam igneam iteratis vicibus exploserit, irregularis evasit ex defectu lenitatis, iuxta receptam ab hac S. C. sententiam in *Brigantien.*, 30 martii 1805.[1] At mortificationis opera et spiritualia exercitia ab Oratore peracta satis esse non videntur, praesertim ad delendum scandalum ab eo illatum sese adscribendo Carbonariorum sectae, cuius impietate etiamnum orbis ingemiscit. Quaeritur:

An sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris, dispensatione ab irregularitate ac rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia quoad absolutionem a censuris; quoad dispensationem et rehabilitationem, expectet, et det maiora signa poenitentiae et constantis emendationis.[2]

[Liber 166 Decretorum, p. 300 a tergo].

3983.

S. C. C., *Fesulana*, 14 iun., 12 iul., 1823.

Invaluit usu in Dioecesi Fesulana, ut in administratione Sacramenti Confirmationis unus dumtaxat pro omnibus masculis a Parocho vel ab Episcopo deputetur Patrinus, et una mulier quoad omnes feminas Matrinae munere fungatur. Inde vero fit, ut qui Confirmationem acceperunt, suos uti plurimum ignorent Patrinos, Patrini confirmatos. Quare plures illius Dioecesis incolae hanc S. Congregationem exorant, ut de huiusmodi usu quid sentiendum sit, pro sua sapientia decernat.

Requisitus Episcopus, ut referret praesertim de legitimitate assertae consuetudinis, quomodo provisum sit pro cognatione spirituali, et ut Patrini spiritualium filiorum curam agant, etiam nonnullis aliis Hetruriae Episcopis rogatis distincte respondit: Consuetudo haec a saeculi transacti initio repetenda videtur; certior quoque factus sum, ita Antistitem Pisanum, Pistoriensem, aliosque quamplures se gerere. Ecclesias confirmandi magna comitante eos caterva adeunt; singuli habent comites parentes eorum. Si vero una cum his singulorum Patrini et Matrinae excipiendi essent in ecclesiis plerumque angustissimis, clamor, tumultusque orietur. Et quod etiam magis interest, haud facile esset omnium nomina accurate in tabulis describere.

Verum si una eademque die vir unus Patrini munere fungatur erga omnes masculos confirmandos, postquam fuerit a Parocho vel ab Episcopo deputatus, quin agnoscat eos, quorum causa munus illud suscipit, agnoscaturque ab eis: quonam pacto quaeso pro confirmatis dici poterit *sponsor* vel *fideiussor*? Quomodo paternam eorum curam gerere, quomodo eos instruere adversus visibiles et invisibiles salutis hostes; quomodo eos declinantes ad semitam errorum ad rectum callem revocare curabit, si et eorum nomina ignorat, et quamvis nosset, numero obrueretur? Idem dicendum de unica muliere, quae

[1] Cf. N. 3922.
[2] Cf. N. 3989.

omnium feminarum Matrina fuerit electa. Verendum proinde, ne hac methodo penitus evertatur Ecclesiae mens, et finis, quem sibi in dandis Patrinis proposuit, eoque certius, quia Pontificale Romanum praecipit, ne eodem die alicui fas sit Pàtrini fungi officio ultra duos, et cohaeret consuetudo Romanae Ecclesiae, orbis universi Matris. Verum Fesulanae Dioecesi favet longaeva et fortasse centenaria consuetudo, quae in aliis quoque Hetruriae Dioecesibus obtinet. Quamobrem non sine difficultate res in pristinum restitui posse videtur. Dirimendum itaque proponitur dubium:

An, et quomodo probandus sit usus Fesulanae Dioecesis in casu?

Die 14 iunii 1823: Non proposita.

Die 12 iulii 1823 Sacra, etc. respondit: Non esse probandum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo iudicandae ad formam Pontificalis Romani.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 160-167].

3984.

S. C. C., *Ostunen.*, 12 iul. 1823.

Quaesitum est per summaria precum in comitiis diei 25 ianuarii labentis anni, quinam sit Iudex, ad quem appellatio a sententia Ostunensis Vicarii Generalis interposita a Canonico Ecclesiae Cathedralis Ostuni sit deferenda, ut controversiam in secundo iurisdictionis gradu definiat. Rescriptum tunc prodiit: *Ponatur in folio cum voto D. Secretarii.* Meritissime autem ad Sac. Purpuram evecto clarissimo viro, qui summo omnium plausu Secretarii munus obibat, mandatis Sac. Congregationis obsequens votum exaravi, quod in calce huius folii habent EE. PP., quorum sapientiae erit dirimere dubium:

An, et ad quem deferenda sit appellatio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, ad Archiepiscopum in casu, de quo agitur, attenta appellatione iam interposita iuxta votum D. Secretarii.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 168, 198-202].

3985.

S. C. C., *Sutrina*, 22 nov. 1823, 21 febr. 1824.

Cum ad Seminarium Sutrinum perpauci praesertim ex aeris insalubris opinione accederent: cives Roncilionenses aedes olim Carmelitarum, nunc ad Capitulum Collegiatae Ecclesiae pertinentes, pecuniam pro supellectili, annuam pensionem pro iuvenum alimentis, Praeceptoresque gratuitos e gremio Capituli obtulerunt, exorantes, ut in Civitate Roncilionensi Seminarium vel Collegium ecclesiasticum aperiretur. Votis Roncilionensium cessit Episcopus; et quamvis certior factus fuerit de Sutrinorum dissensu, die 24 septembris 1821 erexit Collegium ecclesiasticum seu episcopale cum omnibus privilegiis, praerogativis et iuribus sub immediato regimine et protectione Episcopi pro tempore ad informandos adolescentes ad religionem, ecclesia-

sticam disciplinam et scientias, etc. Collegiumque die 15 eiusdem mensis aperiri mandavit.

Aperitionem tamen impedire tentarunt Capitulum Sutrinae Cathedralis et Communitas illius Civitatis, sed instante Episcopo ad hunc Sacrum Ordinem delata est quaestio, quae hodie EE. VV. decidenda proponitur. Plura afferunt Sutrini, ut Episcopi decretis denegetur executio. In primo capite probare nititur eorum Defensor, erectionem Collegii in omnimodam eversionem Seminarii Sutrini tendere: nam ex litera et ratione decreti Concilii Tridentini, Sess. 23, cap. 18, *de ref.* Seminarium stare debet apud Ecclesiam Cathedralem, vel saltem in Civitate Cathedrae honore decorata. Si causa erigendi Collegii admittatur, actum iam est de Seminario Sutrino, quia nemo amplius ad illud accedet, sed omnes Collegium Roncilionense petent. Illud vero Seminarium esse, non Collegium, facile quis intelligit, si illius erectionis modum perpendat. Alterum defensionis caput in excludenda necessitatis et utilitatis causa versatur. Angustiam enim Seminarii Sutrini infestamque caeli temperiem negat idem Defensor.

Episcopus et Roncilionenses totis viribus decretorum executionem urgent ex Conc. Trid. cap. cit., quod statuit, ut Episcopi certum puerorum numerum in Collegio ad hoc prope Ecclesias (Cathedrales), *vel alio in loco convenienti ab episcopo eligendo alere ac religiose educare teneantur;* praeterea ubi de Ecclesiis ageretur amplas Dioeceses habentibus, plenam indulsit facultatem, *ut possit Episcopus unum vel plura in Dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria.* Necessarium duxit Antistes Collegii erectionem, quia satis amplae sunt Dioeceses, et nimis angustum est Sutrinum Seminarium, nec omnes recipere potest pueros religiose in eodem Seminario educandos. Praeterea opinio de aeris insalubritate, sive vera, sive falsa sit, iam diu invaluit, omniumque animis tam alte insedit, ut difficile admodum sit parentes invenire, praesertim si divites sint, qui Sutrino in Seminario filios suos educari patiantur. Dubium est:

An, et quomodo decreta Episcopi sint exequenda in casu?

Die 22 novembris 1823 Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus.

Reproposita vero causa sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 21 februarii 1824 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 83, p. 239-244, tom. 84, p. 27].

3986.

S. C. C., *Spoletana*, 21 febr., 20 mart. 1824.

Reparatione indiget ruralis ecclesia et domus parochialis S. Venantii Spoletanae Archidioeceseos, atque ex relatione fabri murarii septem scuta supra centum nonaginta sunt impendenda. Parochus ex reditibus ecclesiae ne congruam quidem percipit; desunt Beneficia aliique ecclesiastici proventus; populus alienos fundos colit, et praediorum domini in aliis morantur Paroeciis. Itaque Archiepiscopus Spoletanus, antequam ullum edat decretum

pro restauratione dictae ecclesiae ac aedium parochialium, ab EE. VV. implorat, ut dirimatis dubia, quae in calce huius folii leguntur.

Fatiscentes ecclesias, praesertim parochiales, omnino esse restaurandas praescribitur in can. 30, Caus. 12, qu. 2, cap. *Quicumque, de eccl. aedific.*, idemque decrevit Tridentina Synodus, Sess. 21, cap. 7, *de ref.* Pro reparanda ecclesia S. Venantii omnia ex testimonio Archiepiscopi deficiunt media a s. canonibus statuta, atque unus superest populus: hinc necessario ad eum erit confugiendum. Disquirere autem oportet, an qui fundos possident, licet alibi degant, an potius parochiani impendere debeant, quidquid ad ecclesiam aedesque parochiales instaurandas requiritur. Nihil est in iure exploratius, quam cuiusque rei eum sequi incommoda, quem sequuntur commoda: R. I. 56, in 6. At commodo ecclesiae parochialis tantummodo perfruuntur, qui intra eius limites sedem habent: nam qui alterius loci utuntur domicilio, neque Sacramenta percipere, neque Missam in eadem ecclesia audire queunt. Quocirca non domini agrorum, sed coloni, uti parochiani, ad reficiendam ecclesiam aedesque parochiales S. Venantii cogendi videntur, et si inopia premantur, Paroecia ad viciniorem ecclesiam erit transferenda. Forenses tamen, si bona possideant in loco reficiendae ecclesiae, a solvenda collecta immunes non videntur, non solum, quia non desunt, qui asserant, huiusmodi collectam esse onus rebus inhaerens, sed etiam quia bona quaelibet sunt tacite hypothecata pro necessitatibus publicis illius loci, in quo sita sunt. Labentium vero ecclesiarum restauratio est necessitas publica, quoniam religio, quae templorum aedificatione fovetur ac servatur, publicum respicit bonum. Omnes igitur praediorum dominos, tametsi aliis subsint Paroeciis, contribuere debere pro instaurandis ecclesiis docent Barbosa, part. 3, alleg. 64, n. 11, etc. et declaravit S. C. in *Imolen.*, 6 septembris 1783.[1] His in iure animadversis, erit EE. PP., qua praestant sapientia, decernere:

I. *An, et quomodo possidentes teneantur ad reparandam Paroeciam in casu?*

II. *An, et quomodo teneantur coloni in casu?*

Die 21 februarii 1824: Non proposita.

Die 20 martii 1824 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative per aes et libram. Ad II. Affirmative, et operas praestare teneri prudenti arbitrio Archiepiscopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 84, p. 29-34, 41].

3987.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 29 maii 1824.

Dominicus Bertagni in Paroecia S. Michaelis de Capharonia Massensis Dioecesis, ubi ortum habuit, quatuordecim annorum spatio moram duxit, ac deinde anno 1814 minoribus Ordinibus initiatus Sermezzanam, Lunensis-Sarzanensis Dioeceseos, una cum patre venit, obtentisque mense septembris 1822 litteris dimissorialibus a Vicario Capitulari Massensi, ad Subdiaconatus Ordinem titulo patrimonii fuit promotus. Verum Episcopus

[1] Cf. N. 3833.

Lunensis Dominicum, quem sibi ratione domicilii subditum contendit, ab Ordinis exercitio suspensum declavarit, monuitque Vicarium Massensem, ne dimissorias ad alios Sacros Ordines ipsi concederet. Timens autem idem Dominicus, ne in suspensionem revera inciderit, absolutionem, quatenus opus sit, implorat; cumque in locum originis iam remigraverit, flagitat, ut cum litteris dimissorialibus Vicarii Massensis Diaconatu et Presbyteratu insigniri valeat.

Rogatus uterque Ordinarius de informatione et, utrum Orator in Sacro Ordine ministraverit, haec refert Vicarius Massensis: Mi costa innegabilmente, che il padre del detto Suddiacono è nativo di Casatico nella Provincia di Garfagnana, e che avendo preso moglie nella Parrocchia di S. Michele della stessa Provincia, ivi nacque il detto suo figlio Domenico nelli 6 maggio 1801, col quale abitò parte nella stessa Parrocchia, e parte in Casatico sino all'anno 1814, nel quale si portò con detto suo figlio a dimorare per qualche tempo in Sermezzana, che forma parte della Diocesi di Sarzana anche presentemente, non però con animo di fissare ivi il domicilio, ma soltanto per attendere a diversi interessi di sua famiglia, e frattanto esercitare il figlio stesso nella cultura delle scienze. Credè perciò con tutta la buona fede, dover richiedere dalla Curia Vescovile di Massa le dimissoriali per poter essere promosso al Sacro Ordine del Suddiaconato *ratione originis*, essendo persuaso, che il Vescovo di Sarzana non avesse più sopra di lui alcuna giurisdizione neppure *ratione domicilii*. L'oratore si è fin qui astenuto dall'esercitare l'Ordine del Suddiaconato.

Episcopus autem Lunensis respondit, Subdiaconum Bertagni pertinere absque dubio ad novam Dioecesim Massensem ratione originis. Indubium pariter esse, dictum Oratorem una cum patre anno 1814 Sermezzanam migrasse, ibique maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus transferendo domicilium posuisse, ac continuo novem annos circiter mansisse, videlicet usque ad mensem novembris anni 1822, quo tempore in regionem S. Michaelis rediit, patre tamen, familia, caeterisque Sermezzanae relictis; porro ex bonis in districtu Paroeciae Sermezzanae existentibus ab eius patruo ecclesiastico patrimonio provisum fuisse; tandem Ordinem Subdiaconatus non exercuisse. Existimarem, Oratorem pertinere ad hanc Dioecesim, atque a me potius, tamquam proprio Ordinario domicilii debuisse litteras dimissorias petere. Ast dato etiam, quod litteras dimissoriales ipsi concedere cumulative spectaret ad Ordinarium Massensem, attestationem super moribus, vita, necnon super libertate bonorum sibi in patrimonium constitutorum et Sermezzanae existentium ab hac mea Curia petere et obtinere absque dubio tenebatur, ex const. Innocentii XII incipien. *Speculatores*,[1] et ex Conc. Trident., Sess. 23, cap. 8, *de ref.*

Dignentur igitur EE. PP. dirimere dubia:

1. *An Dominicus Bertagni sine dimissoriis Episcopi Lunen.-Sarzanen. fuerit licite ad Subdiaconatus Ordinem promotus in casu?*

[1] Cf. N. 258.

2. *An sine litteris testimonialibus eiusdem Episcopi fuerit licite ordinatus in casu?* Et quatenus negative:
3. *An concedenda sit absolutio a suspensione in casu?*
4. *An, quomodo, et ad quem Episcopum spectet collatio aliorum Sacrorum Ordinum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ad 4. Affirmative ad Episcopum Massen. servatis servandis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 84, p. 113-121].

3988.

S. C. C., *Hieracen.*, 24 iul., 14 aug. 1824.

Vacante Parochiali ecclesia in oppido Rocellae Hieracensis Dioecesis, concursum die 13 martii 1820 indixit Episcopus. Certamine habito die 23 eiusdem mensis martii Examinatores Pro-Synodales ad parochiale regimen idoneos renunciarunt Sacerdotem Paschalem Pellegrino primo loco, et Sacerdotem Dominicum Congiusta secundo loco; Sacerdotem vero Paschalem Englen ex defectu scientiae reprobarunt. Episcopus autem praedicta die Paroeciam Sacerdoti Congiusta committendam decrevit, bullasque eius favore expediri mandavit. Paroeciae vero possessionem die 17 augusti sequentis Parochus Congiusta est assequutus. Dum haec in Curia Hieracensi agebantur, ad Metropolitanam Curiam Rheginensem confugerat Sacerdos Englen, seque ab Examinatorum relatione et Episcopi iudicio gravatum dicens, provocationem die 30 iulii 1820 interposuerat, quam eiusdem Curiae Vicarius Generalis die 10 augusti sequentis notificari mandavit Curiae suffraganeae Hieracensi, eamque compelli ad transmittenda acta concursus, et interim inhiberi, ne amplius in causa procederet; verum notificatio tantummodo die 1 septembris 1820 expleta fuit.

Vocati deinde fuerunt tam Parochus Congiusta, quam Sacerdos Englen, ut die 21 octobris sequentis interessent collationi et clausurae actorum, quae ad Metropolitanam Curiam erant transmittenda. Tunc autem comparuit Parochus Congiusta, et actorum transmissioni sese opposuit, quia 1. appellatio a Sacerdote Englen non fuerat oblata Iudici *a quo;* 2. infra triginta dies Sacerdos Englen apostolos non postulaverat; 3. non post decem dies, sed post aliquot menses appellaverat; 4. appellans, utpote in Regulari Ordine professus, incapax erat ad assequenda Beneficia saecularia. Huiusmodi appellationis cognitio una cum actis concursus ad Metropolitanam Curiam fuit delata, quae posthabitis exceptionibus Parochi Congiusta, die 30 novembris 1820, partibus auditis, appellationem a Sacerdote Englen interpositam admisit, ac mandavit procedi in dicta causa revisionis et appellationis ad ea, quae de iure incumbunt, pro eiusdem executione. Itaque instante Sacerdote Englen die 1 decembris sequentis decretum fuit, quod acta concursus, relatio Examinatorum, et examen super doctrina, aliisque occurrentibus revi-

deatur per tres Synodales Examinatores Metropolitanae Curiae, *ac proinde partes in peremptorio termino dierum trium dent notam Examinatorum Synodalium etc., alias termino elapso eligantur per hanc audientiam Metropolitanam.*
Obstitit quidem die 4 eiusdem mensis decembris Parochus Congiusta, praesertim quia pendente termino ad appellandum a decreto admissionis appellationis a Sacerdote Englen interpositae, ad ulteriora procederetur, et protestationem provocandi ad Apostolicam Sedem a decreto diei 30 novembris emisit: verum in acri partium certamine Parochi exceptiones reiectae fuere, et die 12 decembris iussit Metropolitanae Curiae Vicarius Generalis, ut praefatum decretum executioni committeretur. Itaque Examinatores ex officio designati ad actorum concursus examen progressi die 21 eiusdem mensis decembris renunciarunt Sacerdotem Englen primo loco adprobatum, secundo loco Sacerdotem Pellegrino, atque ob scientiae defectum reprobarunt Sacerdotem Congiusta, qui sequenti die 22 appellavit ad S. Sedem adversus decreta dierum 30 novembris et 12 decembris 1820, solemni emissa protestatione de actorum nullitate, si forte contra appellationem ipsam attentari contingeret. Appellationem *in devolutivo* tantum admisit Metropolitana Curia, et decrevit, ut Episcopus Hieracen. inter adprobatos Englen et Pellegrino Parochum eligeret, eumque in Paroeciae possessionem induceret. Accepta die 28 ianuarii 1821 huius *definitivae sententiae notificatione*, Parochus Congiusta sequenti die 29 iterum ad Sedem Apostolicam appellavit, et iterum appellationem Curia Metropolitana in devolutivo tantum admisit. Citationem deinde specialem cum inhibitione die 27 februarii 1821 appellans Congiusta ab R. P. D. Auditore SSm̃i obtinuit, quam tantummodo die 20 aprilis 1822 exequendam curavit· tunc autem Sacerdos Englen R. P. D. Auditorem SSm̃i adiit, qui controversiam omnem huic Sacrae Congregationi definiendam remisit.

Rogatus deinde Archiepiscopus Rheginensis de transmissione actorum concursus, authenticum illorum exemplar transmisit, et retulit, sibi constitisse de appellatione legitima a Sacerdote Englen interposita, et quoad habilitationem eiusdem Sacerdotis ad saecularia Beneficia prae oculis habuisse decretum die 7 augusti 1807 a Gubernio latum occasione suppressionis Monasteriorum, quo statutum fuit, quod *i Sacerdoti ed altri ordinati* in Sacris *vestiranno gli abiti da Prete, formeranno parte del Clero secolare, e potranno concorrere alle porzioni laiche, a beneficii ed a qualunque carica ecclesiastica.* Requisitus quoque Episcopus Hieracensis ea exposuit, quae in actis concursus habentur, monuitque serotinam fuisse appellationem Sacerdotis Englen. Proponuntur autem dirimenda dubia:

I. *An legitime appellaverit Sacerdos Englen, ita ut locus fuerit revisioni actorum concursus in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An sint transportanda originalia acta concursus in casu?*

Die 24 iulii 1824: Non proposita.

Die 14 augusti 1824 Sacra, etc. respondit ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 84, p. 206-215].

3989.

S. C. C., *Caietana*, 20 nov. 1824.

Agebatur de hac causa die 14 iunii 1823.[1] Redit nunc iterum Orator et flagitat, ut sibi dispensationis et rehabilitationis gratia largiatur. Requisitus de more Episcopus refert Oratorem in maxima penuria versari, ac subdit: Ipse constanter bene se gessit, neque causam querelarum mihi ullam dedit, sed maxime emendatum se praebuit. Nec puto ex eius rehabilitatione scandalum evenire posse in oppido, ubi unusquisque eius et familiae necessitates novit et bonam eius vitam. His positis censerem, Oratori facultatem concedi posse ad celebrandam S. Missam. Proposito itaque dubio:

An sit consulendum SSm̃o pro gratia dispensationis et rehabilitationis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Peractis spiritualibus exercitiis in loco et pro tempore arbitrio Episcopi pro gratia, et ad D. Secretarium cum SSm̃o.

[Liber 167 Decretorum, p. 485].

3990.

S. C. C., *Ariminen.*, 18 dec. 1824.

Sacerdos Angelus Barbanti improviso morbo correptus diem obiit supremum, dum Iosepho Speri, Parocho SSm̃i Crucifixi, primo circiter a Civitate Ariminensi lapide per aliquot dies tempore Paschatis in audiendis fidelium confessionibus opem ferebat. Exequias in propria ecclesia explevit sibique emolumentum funeris retinuisset Parochus Speri, nisi querelam laesionis iurium parochialium excitasset Archipresbyter SS. Ioannis et Pauli Thomas Bizzocchi, in cuius Paroecia intra Civitatem Sacerdos Barbanti suae habitationis domum habebat: quo factum est ut eadem emolumenta penes alium Parochum deponerentur. Preces deinde huic S. Congregationi obtulit Archipresbyter Bizzocchi, quibus definiri petit, an ad ipsum, an ad Parochum Speri defuncti Sacerdotis Barbanti corpus et funeris emolumenta pertineant. Episcopus requisitus fuit pro informatione et voto, ut audito praesertim Rectore Paroeciae SSm̃i Crucifixi, et transmissis particulis Synodorum ad rem facientibus, referret de bono iure Oratoris, et utrum Sacerdos Barbanti ad eam Paroeciam sese contulerit animo permanendi. Ipse autem mox narrata retulit.

Parochis ius esse humandi cadavera eorum, qui intra suae Paroeciae fines vitam duxerunt, et parochialem ecclesiam eiusque coemeterium esse locum sepulturae parochianorum, nemo ambigit. Limitantur tamen haec, si defuncti voluntas, vel eiusdem Familiae tumulus, vel tandem loci distantia aliud servari postulent. Si loci distantia periculosam gravique incommodo

[1] Cf. N. 3982.

obnoxiam translationem cadaveris reddat, exequias eiusdem loci Parochus paraget, nihilque (si peculiare desit Statutum) Parocho domicilii debebitur: cap. 3, *de sepult.*, in 6. Ad acquirendam vero qualitatem parochiani alicuius Paroeciae sufficit habitatio pro aliquo tempore considerabili, imo etiam habitationis principium, dummodo lares ibidem statuerit, idest dummodo ibi domicilium animo permanendi fixerit: cap. 2, *de sepult.*, in 6. Accidentalis namque mutatio domicilii absque animo deserendi primum et acquirendi secundum, non facit cessare iurisdictionem proprii Parochi, neque illam inducit in eum, intra cuius Paroeciae limites quis moratur.

Hisce perpensis Archipresbytero SS. Ioannis et Pauli, non autem Parocho SS̃mi Crucifixi cadaver Sacerdotis Angeli Barbanti una cum funeris emolumentis competere dicendum erit. Inopinato siquidem correptus morbo intra fines Paroeciae SS̃mi Crucifixi decessit Sacerdos Barbanti, qui non animo permanendi suumque domicilium deserendi illuc sese contulerat. Sepulturam vero in ecclesia SS̃mi Crucifixi non elegit; nullumque in ea gentilitium sepulchrum habuisse suadet silentium de eodem tum a Parochis contendentibus, tum ab Episcopo servatum; distantia denique mille circiter passuum a Civitate Arimini in amoena planitie sita, non ea est, quae cadaver ad ecclesiam SS. Ioannis et Pauli deferri non pateretur.

Horum nihil inficiatur Parochus Speri, qui sibi praesidium tantummodo quaerit a Synodali lege anno 1818 lata, cuius cap. *De funeribus*, § 4 ad quaestiones omnes, quae inter Parochos oriri solent, tollendas statuit, ut ius funeris esset penes Parochum, *in cuius Paroecia casu quivis moritur, si incolatus vigintiquatuor horarum praecesserit*. Casu siquidem in Paroecia SS̃mi Crucifixi defunctus est Sacerdos Barbanti post aliquot dierum incolatum, adeo ut synodali lege hodierna quaestio reapse sublata videatur.

Verum animadvertendum, Synodum Ariminensem numquam ab Apostolica Sede fuisse confirmatam: iuris autem communis sanctioni derogari minime posse per Synodum Dioecesanam, cuius leges communi iuri adversantes, etsi ad tollendas quaestiones fuerint editae, nullius sunt roboris, ut aperte constat ex cap. *Quod super his, de maiorit. et obed*. Proponuntur dubia:

1. *An, et ad qem Parochum spectet ius tumulandi et funeris in casu?* Et quatenus affirmative ad Parochum domicilii:
2. *An sit locus exhumationi, et restitutioni cadaveris in casu?*
3. *An, et quae funeris emolumenta sint restituenda in casu?*

Die 18 decembris 1824: Non proposita. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 84, p. 365-373].

3991.

S. C. C., *Lucana*, 9 ian. 1825.

Sacra Congregatio declaravit, onera Missarum ac fundationes Beneficiorum et Capellaniarum perimi non posse longissimi temporis aut saltem centenaria praescriptione.

[Per summaria precum coram R. P. D. Antonio Dominico Gamberini].

[1] Cf. N. 3992.

3992.

S. C. C., *Ariminen.*, 29 ian. 1825.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis diei 18 decembris 1824; [1] quoniam vero tunc proponi non potuit, hodie proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad Parochum domicilii, nempe SS. Ioannis et Pauli.

Ad 2. Non expedire.

Ad 3. Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 8].

3993.

S. C. C., *Sarnen.*, 26 febr. 1825.

Ioannes Sacerdos, qui ob scandalum ex cohabitatione cum duabus mulieribus titulo famulatus successive cum eo degentibus obortum, a proprio Ordinario fuit a divinis suspensus, die 14 iunii 1823 S. Congregationem adiit, ut ab irregularitate ob contractam infamiae labem absolutionem obtineret. Rogatus de more Episcopus pro informatione et voto, respondit: Sacerdotem Ioannem modo in aetate annorum 55 constitutum grave praebuisse scandalum ob suspectam cum duabus mulieribus famulatum ipsi praebentibus cohabitationem; pluries vero fuisse monitum, correptum, poenisque mulctatum et denique a divinis suspensum. Tempore autem ss. missionum confessionem eum peregisse, et operam suam missionariis sedulo praestitisse, dimissa e propria domo secunda muliere, quae tunc famulatum ipsi praestabat. Tandem subdidit: « Cum pro cura spirituali 2200 animarum quatuor tantum adsint Sacerdotes, de necessitate servitii Ioannis constare videtur; neque scandalum inde oriri existimo, quod iste per multum iam temporis a me suspensus et castigatus nunc Missam celebret. Ideo expedire censeo, ut S. Congregatio omnes facultates necessarias concedat, ita tamen, ut earum executio differatur usque ad festivitatem Omnium Sanctorum huius an. (1823), dummodo in emendatione perseveret ».

Dimissus die 3 iulii 1823 Orator fuit rescripto: *Lectum;* cumque preces iterasset die 14 augusti 1824, denuo rogatus fuit Episcopus, ut auditis praesertim Parocho, referret de constanti emendatione. Retulit autem Episcopus: « quia habet inimicos... ut domum episcopalem peteret, eum coegi, ubi iam per duos menses commoratur et bene se gerere videtur. Confessario, quem Orator me approbante eliget, opportunae facultates poterunt dari pro absolutione a censuris incursis et ab irregularitate, ita tamen, ut ad SS. Sacramenta admittatur, ad Missae vero celebrationem non habilitetur, sine me consensu, qui post signa verae poenitentiae praestabitur.

[1] Cf. N. 3990.

Cum suspectus quidem et diffamatus, non tamen pro notorie concubinario haberi possit Sacerdos Ioannes, nam suspensio indicta ex cap. *Praeter hoc*, Dist. 32, non est proprie suspensio, sed mera prohibitio non inducens irregularitatem, nec censuram: respondendum videretur, quoad irregularitatem non indigere; quoad suspensionem recurrat ad Episcopum, a quo cum fuerat inflicta, tolli etiam poterit suspensio. Verum ipsemet Sacerdos dispensationem ab irregularitate poscit, postquam mandato Episcopi sese recipiendi in domum episcopalem serio paruit ac paucis abhinc mensibus verae poenitentiae signa dedit: hinc ad cautelam dispensatio quoque ab irregularitate poterit indulgeri. Quaeritur:

An sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris et irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attenta petitione Oratoris, pro gratia absolutionis a censuris, et ad cautelam etiam ab irregularitate, arbitrio et conscientia Episcopi, facto verbo cum SSmo.

[Liber 168 Decretorum, p. 241].

3994.

S. C. C., *Ariminen.*, 14 maii 1825.

Decessit die 1 maii 1824 Petrus Barilari Ariminensis vigesimum aetatis suae annum agens; et immaturam filii mortem lugens Paulus eius pater funebrem pompam in propria Paroecia S. Agnetis explendam, cadaver autem ex Vicarii Apostolici venia transferendum ad ecclesiam S. Bernardini PP. Minorum Observantium ibique tumulandum curavit. Inopinato deinde iussu praedicti Vicarii Apostolici medietatem cerae, emolumentorum funeris ad tumulantem ecclesiam, sive ad memoratos Coenobitas mittere debuit Archipresbyter Caietanus Frioli Parochus S. Agnetis. Qui mandatis Ordinarii promptissime obtemperans, opportunam protestationem emisit, ac supplicem porrexit libellum huic Sac. Congregationi, quo omnium restitutionem implorat.

Rogatus novus Ariminensis Episcopus pro informatione et voto, audito praesertim Praefecto Conventus S. Bernardini, ut referret, utrum defunctus sepulturam elegerit vel sepulchrum adsit gentilitium, respondit: « Paulus Barilari de filii sui immatura morte moerens, obtinuit a Vicario Apostolico, ut in ecclesia aliqua deponeretur, et ex devotione elegit ecclesiam S. Bernardini Minorum Observantium, in qua nullum Familiae suae sepulchrum gentilitium extabat ». A pandendo vero animi sensu abstinuit.

De iure communi omnes parochiani in ecclesiis parochialibus earumque caemeteriis sepeliri debent, nisi probetur, quod defunctus vel habeat sepulchrum maiorum, vel aliam sepulturam sibi elegerit: cap. *In nostra*, 10, *de sepultur.*, cap. *Animarum*, 1, et cap. *Is qui*, 3, eod. tit., in 6. Cum igitur in ecclesia S. Bernardini nullam Familiae suae sepulchrum gentilitium habeat Petrus Barilari, nec sibimet ipse, sed eius pater *ex devotione* in eadem ecclesia sepulturam elegerit, eius tumulatione iura parochialia violata fuisse videntur. Pater enim nequit eligere sepulturam filio, nisi impuberi, dum filius-familias, dummodo pubes sit, etiamsi non sit sui iuris, potest absque consensu patris sibi libere sepulturam eligere: cap. *Unaquaeque*, 4, Caus. 13, q. 2, cap. *Licet*, 4, *de sepult.*, in 6. Verum opponunt PP. Minores Observantes, laudabilem sepulchri sibi suisque eligendi consuetudinem ab antiquis Patriarchis ortum habuisse, illaque fretum Paulum Barilari defuncto filio sepulturam in ecclesia S. Bernardini elegisse. Si Petrum Barilari in ecclesia S. Bernardini tumulandum non fuisse censeant EE. PP., omnium funeris emolumentorum restitutio favore Archipresbyteri Frioli decernenda videtur, ut in *Aesina*, 15 decembris 1703, [1] et in *Ariminen.*, 18 decembris 1824. [2]

Dubia sunt:

I. *An pater legitime elegerit filio sepulturam in casu?*

II. *An, et quomodo Fratres Minor. Observant. S. Bernardini teneantur ad percepta emolumenta restituenda in casu?*

Die 14 maii 1825: Non proposita. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 114-118].

3995.

S. C. C., *Faventina*, 14 maii, 11 iun. 1825.

Angelus Emiliani, Rector Parochialis ecclesiae S. Mariae in Merlaschio Dioecesis Faventinae, elapso anno huic S. Congregationi exposuerat, sex terrulas ad suam ecclesiam pertinentes, quarum pretium in scutis 1800.08 periti statuerunt, inter se dissitas esse ac fructus admodum tenues ferre. Addiderat, Antonium Zambrini et Marcum Magnani, qui fundos ecclesiae terrulis adiacentes possident, pro illis obtulisse scuta 2115.04, et veniam easdem alienandi imploraverat.

Inter causas, ob quas legitime Ecclesiae bona alienantur, manifesta utilitas accensetur iuxta canonem *Sine exceptione*, 12, q. 2, et cap. *Ut super*, 8, *de reb. Eccles. non alien.* Praedium, quod pro sua ecclesia Parochus Emiliani ex pretio terrularum emere satagit, peritorum aestimatione et iudicio longe excedit reditum hactenus perceptum a sex terrulis ad ecclesiam pertinentibus. Adest igitur manifesta utilitas, et ecclesia tempore alienationis maximum lucrum capiet. Suadent haec probandum esse contractum pro ecclesia ineundum: verum ex peritorum relationibus apparet, de fundo agi, in quo domus colonica deest, quam tamen se aedificaturos et scuta 150 erogaturos spondent venditores: Petrus et Sacerdos Nicolaus fratres Rossini. Quare proponitur dubium:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro approbatione contractus in casu?

Die 14 maii 1825: Non proposita.

Die 11 iunii 1825 Sacra, etc. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo pro deputatione peritorum ex officio, qui distincte referant de valore et annuo re-

[1] Cf. N. 3010.
[2] Cf. N. 3990.
[3] Cf. N. 3997.

ditu sex terrularum praebendae parochialis, et fundi fratrum Rossini, necnon de expensa necessaria pro constructione domus colonicae. [1]
[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 111-114, 121].

3996.

S. C. C., *Sypontina*, 14 maii, 11 iun. 1825.

Unica in oppido Vici Sipontinae Archidioeceseos extabat Paroecia, cuius animarum cura penes Archipresbyterum erat Collegiatae Ecclesiae S. Mariae in Coelum Assumptae; cumque ad eamdem Paroeciam in extrema oppidi regione sitam parochianis oppositam partem incolentibus longinquus ac difficilis hyemali praesertim tempore pateret aditus, ecclesia vero universum populum, qui ultra numerum sex millium iam creverat, dum sacrae functiones peragebantur, capere iam non posset: pia mulier Euphrosina de Fine congruam dotem pro alterius Paroeciae erectione contulit, petiitque, ut in ecclesia S. Dominici ante Regularium expulsionem Patribus Ord. Praedicatorum concredita Paroecia sub titulo SS. Petri et Pauli erigeretur, utque ad illam transferrentur sex Capellaniae a Petro de Fine in ecclesia S. Petri extra moenia fundatae, illisque duae aliae adderentur Capellaniae, imposito Capellanis onere suppetias ferendi novo Parocho in cura animarum gerenda, ac in utraque ecclesia Sacra faciendi.

Conquerentibus vero Canonicis Collegiatae, in actu s. visitationis die 18 septembris 1818 sententiam subscripsit Archiepiscopus, quo statuit: 1. *Che la chiesa di S. Domenico resti sotto il titolo di Coadiutrice, ed il Coadiutore sarà eletto per formale concorso.* 2. *Che la Chiesa Collegiata di Vico rimane Matrice.* 3. *Che la Chiesa Coadiutrice suddetta nell'essere di aiuto al Parroco, abbia una spirituale giurisdizione separata nei termini seguenti: cioè dal Borgo del Purgatorio fino al Carmine, esclusa la Contrada di S. Marco, che gli era stata assegnata.* Modum item praefinivit in exercitio spiritualis iurisdictionis custodiendum.

Obstitit huic sententiae Capitulum, ac primo nullitates et gravamina ad Curiam Archiepiscopalem detulit, dein die 20 februarii 1819 ad Sedem Apostolicam provocavit. Rogatus Archiepiscopus de informatione et voto, hactenus narrata confirmavit. Coadiutoris Defensor contendit, Archiepiscopi decreto anni 1818 eamdem erectionem suis stare viribus, etenim Tridentina Synodus, Sess. 21, cap. 4, *de ref.* Episcopis facultatem tribuit novas Paroecias etiam invitis antiquarum Rectoribus erigendi, si parochiani ad antiquam Paroeciam ob locorum distantiam sive difficultatem sine magno incommodo accedere nequeant. Utramque autem intercessisse et difficultatis et distantiae causam ad novam Paroeciam erigendam nedum constare ait ex indicato decreto Archiepiscopi, sed etiam ex Euphrosinae precibus, et testimonio quinque supra triginta oppidanorum, affirmantium, plures extremam terrae partem inhabitantes e vita sine Sacramentis migrasse. Neque tantummodo

[1] Cf. N. 3998, 4032.

legitime erectam, verum etiam liberam ac independentem esse Coadiutoris Defensor suadere nititur Paroeciam SS. Petri et Pauli. Euphrosina enim erectionem petiit *di una nuova Parrocchia*. Voluntati fundatricis concinit Archiepiscopi decretum, quo ecclesia S. Dominici erecta fuit in Coadiutoriam iurisdictionem separatam habentem.

Verum Collegiatae Defensor erectionem ecclesiae S. Dominici in Coadiutoriam servandam esse dicit, non vero liberam ac independentem declarandam. Nullam enim in themate dismembrationis alteriusque erectionis causam suppeditat aut distantia aut difficultas, siquidem parochiani omnes in eodem oppido commorantur. Si qua demum esset viarum distantia aut difficultas, populi commodo consuli potest per ecclesiam S. Dominici in Coadiutricem et a matrice Ecclesia dependentem iam legitime erectam. Quaeritur:

I. *An sit servanda erectio Ecclesiae S. Dominici in Coadiutricem, seu potius sit declaranda libera Parochialis, et pro huiusmodi effectu, an, et quomodo sententia Archiepiscopi sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Die 14 maii 1825: Non proposita.

Die 11 iunii 1825 Sacra, etc. respondit ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; et sententiam Archiepiscopi esse confirmandam, facto verbo cum SSmo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 103-111, 120].

3997.

S. C. C., *Ariminen.*, 9 iul. 1825.

Descripta fuit haec causa in folio Congregationis diei 14 maii proximi; [1] quoniam vero tunc proponi non potuit, hodie proponitur ac resolvenda est.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 143].

3998.

S. C. C., *Faventina*, 3 sept. 1825.

Discutiebatur haec causa die 11 iunii proximi, [2] iussumque Episcopo pro deputatione peritorum ex officio. Episcopus peritum ex officio elegit, qui valorem fundi fratrum Rossini ad scuta 2400, eiusque annuos reditus ad scuta 120 evexit, et pro domus colonicae aedificatione scuta 353 impendenda esse affirmavit; pretium vero terrularum ad parochialem ecclesiam spectantium ad scuta 1800, ac illarum fructus annuos ad scuta 90 cohibuit. Quibus habitis idem dubium proponitur.

[1] Cf. N. 3994.
[2] Cf. N. 3995.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta modum, nempe Episcopus praefigat terminum fratribus Rossini pro constructione domus proprio aere peragenda, acceptis scutis 103 a Parocho Emiliani oblatis, ipsique Rossini nomina Zambrini et Magnani in solutum recipiant, quacumque evictione favore Paroeciae remissa; quo vero ad consignationem censuum suspendatur usque ad absolutam constructionem domus. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 204].

3999.

S. C. C., *Tiburtina*, 17 dec. 1825.

Existimantes Canonici Cathedralis Ecclesiae Tiburtinae, nullo iure cogi posse ad suppeditandam Episcopis rem divinam facientibus sacram supellectilem, hodiernum Episcopum monuerunt, ut paramenta aliaque pro Pontificalibus peragendis necessaria proprio aere sibi acquireret; eo autem contendente sibi ius esse utendi sacris vestibus, quae in sacrario asservantur, ad Apostolicae Camerae Triumviros confugerunt, atque opportunum monitorium die 24 februarii superioris anni expediendum curarunt. Cum vero SSm̃us causae definitionem Episcopi postulatu huic Sacro Ordini ablegaverit, Canonici quaestionem super paramentorum usu in disceptationem vocari efflagitarunt.

Canonicorum Defensor tum solum Episcopis ius esse autumat utendi paramentis aliisque sacrarii supellectilibus, cum ipsi in sacrarii et Ecclesiae manutentionem quartam redituum mensae episcopalis partem impendunt, aut sacrarium necessariis proventibus est suffultum, aut legitimum Episcopis secunda viget consuetudo. Episcopi autem Tiburtini, licet ex mensa episcopali annua scut. 2146.? 1 percipiant, nullam in sacrarii levamen erogant suorum redituum partem; sacrarium adeo tenui censu est praeditum ut aere alieno prematur; consuetudo tandem suadet, nullo Episcopos pollere iure utendi rebus sacrarii.

Episcopi vero Defensor usum paramentorum aliarumque rerum sacrarii pro Pontificalibus obeundis Tiburtinis Praesulibus denegari non posse arbitratur. Explorati siquidem iuris est, Episcopis in Ecclesia Cathedrali aut in privato sacello sacras functiones exercentibus usum ecclesiasticae supellectilis, cuius copia est in sacrario, concedi oportere, quin eam sibi comparare compelli possint. Concinit S. C. in *Terracinen. et Setina*, 9 maii 1772. [2] Quaeritur:

1. *An Episcopo functiones in Ecclesia Cathedrali, vel in suo privato sacello exercenti ius competat utendi vestibus tam Sacerdotalibus, quam Episcopalibus, supellectili, vasis, aliisque ornamentis, etiam arae maioris ac throni episcopalis ad sacrarium eiusdem Ecclesiae spectantibus in casu?*

[1] Cf. N. 4032.
[2] Cf. Thesaurus Resolutionum, tom. 41, p. 124-126.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative in omnibus quoad Ecclesiam Cathedralem et quoad sacellum pro paramentis necessariis ad functiones Pontificales, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 85, p. 247-253].

4000.

S. C. C., *Callien.*, 21 ian. 1826.

Resoluta fuit haec causa die 18 augusti 1821, [1] verum nunc iterum proponitur sub hac forma:

I. *An consulendum sit SSm̃o pro approbatione transactionis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, et exequatur resolutio Sacrae Congregationis diei 18 augusti 1821 quoad reductionem ad formam legis et tariffae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 2].

4001.

S. C. C., *Maceraten.*, 21 ian. 1826.

Divisa Paroecia Collegiatae Ecclesiae S. Blasii oppidi Montis Milonis Dioecesis Maceratensis, pro agricolis, qui prope Abbatialem Ecclesiam S. Mariae de Rambona morabantur, anno 1819 apostolica intercedente auctoritate erecta fuit Capellania Curata, cuius Rector Capellanus Curatus perpetuus foret, ac parochialia munera exerceret, eique pro Parochiali adscripta est Ecclesia Abbatialis cum exigua parte adnexarum aedium pro sua residentia. Capellaniam obtinuit Sacerdos Ioseph De Angelis, qui utrum pro populo Missam diebus festis applicare debeat, Provicarium Generalem Maceratensem consuluit, ac responsum habuit: *quanto all'applicazione della Messa pro populo non se ne fa alcuna menzione nè nel Breve del S. Padre, nè nella patente dell'Em̃o Abate Patrono, ed essendosi riserbati anche varii diritti alla prima Chiesa Parrocchiale, pare, che a questa sola rimanga il peso della Messa, non essendosi il Cappellano posto, che per aiuto dell'intera Parrocchia.* Verum, ut maiori conscientiae suae tranquillitati consulat, idem Capellanus Curatus perpetuus ab hac S. Congregatione declarari implorat, an ad Missam pro populo applicandam teneatur.

Remissis precibus Episcopo, ipse superius narrata confirmavit, et exemplum transmisit apostolicarum litterarum, ex quibus patet, quod electus fuit Presbyter Capellani Curati illi tributa denominatione, qui familiis praedictis assidua Sacrorum procuratione praesto esset, constituto eidem annuo centum scutor. stipendio... ex praedictae Abbatiae fructibus suppeditando... qui Capellanus omnia et singula parochialia munia in territorio per Episcopum designato seu designando diligenter exercere teneatur. Capitulum vero Col-

[1] Cf. N. 3975.

legiatae ab Episcopo interrogatum censet, varia iura matrici fuisse reservata: *lo che mostra dipendenza e non perfetto smembramento. La Messa pro populo si fa celebrare dalla chiesa matrice.* Eamdem sententiam amplexus est Episcopus ita informationem suam claudendo: *mihi videtur facta esse Capellania Curata in subsidium universae Parochiae, non vero cura dismembrata ab Ecclesia Matrice, unde putarem, non inductum fuisse novum onus Missae pro populo, sed eam tantum sufficere, quae a Canonico Curato celebratur pro omnibus, qui olim in integra veteri Paroecia censebantur.*

Verum expositis adversatur, quod Parochos eosque omnes, quibus animarum cura imminet, divino praecepto teneri pro ovibus suis Sacrificium offerre, declaravit Tridentina Synodus, Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, et magis explicite Bened. XIV, const. *Cum semper oblatas.* [1] Nemo igitur ex iis, qui actualem animarum curam habent, ab hac obligatione applicandi Missam pro populo est immunis. Distinctam vero ac separatam populi partem Capellano Curato perpetuo S. Mariae de Rambona fuisse adscriptam, non est ambigendum. Hinc hodiernae quaestioni omnimode convenire videntur definitiones in *Egitanien.*, 27 iunii et 18 iulii 1789. [2] Dirimendum igitur proponitur dubium:

An Capellanus Curatus perpetuus Missam teneatur applicare pro populo in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 5-8].

4002.

S. C. C., *Neapolitana*, 18 mart. 1826.

Maria Hieronyma Marigliano anno 1821 cum Caietano d'Errico summa animorum consensione in matrimonium collocata post quatuor fere mensium cohabitationem nonnullis obortis dissidiis a viro divertit patriosque petiit lares. Dein separationem quoad thorum et habitationem impetravit, ac paulo post supplex adiit Summum Pontificem, ac matrimonii rati et non consummati ob viri frigiditatem postulavit dispensationem. Precibus Sacro huic Ordini de more ablegatis, Eñus Archiepiscopus rogatus fuit, ut ad tramites constitutionis Benedictinae *Dei miseratione* [3] processum conficeret, ac animi sui sententiam aperiendo, de canonicis dispensationis causis referret.

Constituto in Archiepiscopali Curia matrimonii Defensore, et propositis ab eo interrogatoriis, primum rogata est Maria Hieronyma, quae Sacramenti interposita religione affirmavit, numquam ob Caietani impotentiam intercessisse matrimonii consummationem, quamvis eius vir ex Medicorum consilio plura adhibuerit remedia; immo addidit, Caietanum propriae gra-

[1] Cf. N. 345.
[2] Cf. N. 3867.
[3] Cf. N. 318.

rum frigiditatis, ad extraneos amplexus illam sollicitasse, ut eius virginitas violaretur. Mariae Hieronymae depositioni septima accessit ex eius latere propinquorum manus iureiurando testantium, esse veritati apprime consona, quae mulier narraverat. Decem quoque alii iurati testes de non consummatione matrimonii, de viri saevitiis deque illius impotentia tulere testimonium. Tres insuper obstetrices, duabus matronis adstantibus, Mariae Hieronymae corpus rite inspexerunt, eamque adhuc virginem denuntiarunt.

At Caietanus iureiurando asseruit, matrimonium cum Maria Hieronyma post aliquos nuptiarum dies revera consummasse, et propinquos aliosque testes examini subiiciendos designavit. Postea vero vadimonium deseruit, et nunquam adduci potuit vel ad subeundam sui corporis recognitionem, vel ad testes designatos examinandos. Quocirca Eñus Archiepiscopus processum tali pacto absolutum ad hanc Sacram Congregationem misit, votum suum ita pandens: *nullam habeo rationem, ob quam stare non debeam pro Mariae Hieronymae virginitate adhuc integra, et matrimonii non consummatione, et solutione.*

Duo probanda esse contendit mulieris Defensor: matrimonium non fuisse consummatum, instamque subesse dispensationis causam. Mulier enim in ipsa novitate reclamavit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci, atque id tam proprio iuramento, quam testimonio mulierum, quae per aspectum corporis, eam esse virginem asseruerunt, probavit. Iureiurando insuper accedunt septima propinquorum manus. Quod vero dispensationis causam respicit, Mariae Hieronymae Defensor censet, privatam etiam causam sufficere, ut Pontifex dispensationem impertiatur. Concurrunt autem in themate iurgia, dissensiones, odia inter coniuges, et potissime Caietani impotentia. Nec dispensationi obstare autumat non sequutam corporis viri inspectionem: Caietani enim impotentiam ex eo perspicue constare arbitratur, quod matrimonium consummare nequiverit.

At vero Sacramenti Defensor contendit, post coniugum cohabitationem urgentissimam exurgere iuris et de iure praesumptionem, matrimonium fuisse consummatum. Probationes autem, quas affert mulier, eas esse denegat, in quibus EE. VV. conquiescere valeant. Deficere quoque affirmat iustas dispensationis causas, quae graves urgentesque sint oportet. Desunt enim graves Caietani frigiditatis probationes; animorum vero alienationem et viri saevitias iustam ait suppeditare causam pro temporanea separatione, non autem pro obtinenda matrimonialis nexus dissolutione. Dubium est:

An sit consulendum SSño pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et ad D. Secretarium cum SSño ad mentem. Mens est, ut per Eñum Archiepiscopum Neapolitanum praefigatur terminus unius mensis Caietano d'Errico ad subiiciendum corpus suum inspectioni Professorum chirurgiae et medicinae ab eodem Archiepiscopo etiam ex officio deputandorum pro verificatione, an ad matrimonii usum potens sit, an non, an temporanee, seu potius in perpetuum, cum intimatione, quod elapso termino, et perseverante ipso Caietano in spretu mandati, habebitur sua contumacia pro retractatione iuramenti ab eo praestiti, et pro ultronea confessione non sequutae

consummationis et suae impotentiae, ideoque numquam ad alia vota transire poterit, etiamsi uxori suae Mariae Hieronymae Marigliano indultum dispensationis a SSmo concedatur, et Emus Archiepiscopus de resultantibus certioret.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 63-67].

4003.

S. C. C., *Neapolitana*, 27 maii 1826.

Maxima animorum iucunditate die 7 maii 1821 inter Thomam Messore octo supra quadraginta annos natum et Mariam de Pompeis initum est matrimonium. Iam inde a principio connubii mulier primum cum matre, dein cum fratribus conqueri coepit de viri frigiditate: post duos vero circiter menses communis thalami, quem in fraterna mulieris domo habuerunt, coniuges quibusdam inter se obortis dissidiis rei maritali operam dare destiterunt, ita ut Thomas comitatis tantum gratia deinceps domum ventitaret uxoris. Cumque nihilominus Mariam in utero gestare arbitraretur eius vir, Michael, mulieris frater viros in arte peritos accivit, qui morbo hysterico intumescentiam ventris tribuerunt. Medicorum sententiam Michael significavit Thomae Messore, qui leviro percontanti, utrum alios pro suo lubitu vellet peritos eligere, binis epistolis responsum dedit: *ulteriori assicurazioni non mi pare che siano necessarie*. At coniugum abalienatione simultatibusque in dies increbrescentibus, supplicem Maria de Pompeis Summo Pontifici porrexit libellum, quo matrimonii rati et non consummati ob viri frigiditatem expostulavit dispensationem.

Sacrae huic Congregationi ablegatis precibus, rogatus fuit Emus Archiepiscopus, ut ad tramites constitutionis Benedictinae *Dei miseratione*[2] processum conficeret, atque animi sui aperiret sententiam. Validitatis Defensore in Curia Neapolitana constituto, ceterisque rite peractis, mulier Sacramenti fide interposita, ob Thomae impotentiam numquam matrimonium consummatum fuisse asseveravit, quamvis intra duorum mensium spatium viro sui copiam fecerit. In Mariae depositionem septima ivit propinquorum manus. Plures quoque rogati testes, inter quos nonnulli medici, a quibus opem et remedia quaesierat Thomas, affirmarunt, audivisse de ipsa muliere deque eius consanguineis, ob viri imbecillitatem numquam secutam matrimonii consummationem. Tres denique obstetrices a quatuor peritis instructae, mulieris corpus, praevio balneo, et duabus matronis adstantibus, inspexerunt, ac Mariam de Pompeis adhuc virginem iudicarunt: similiter medici obstetricum audita relatione, concordi animo pro non consummatione protulere sententiam.

Thomas vero examini subiectus, licet fassus fuerit, primis nuptiarum diebus haud potuisse ob propriam debilitatem rem matrimonialem perficere, atque ob hanc causam quatuor consuluisse in arte medica peritos, nihilominus iuramento affirmavit, postea levem, sed sufficientem habuisse potentiam ad matrimonii consummationem, adeo ut eius uxor desinente mense ab inito connubio in suspicionem venerit conceptionis foetus. Thomae depositionem iureiurando de credulitate septem ex eius latere confirmarunt propinqui. Tandem deventum est ad corporis Thomae recognitionem a septem delectis peritis, quorum tres medicinam, quatuor chirurgiam profitentur. Examine rite expleto, omnes quidem affirmarunt, nullo externo vitio Thomam laborare, sed tres medici et duo chirurgi ex nervorum debilitate et vasorum varicositate illum verosimiliter impotem pronunciarunt, cuiusque frigiditatem forte insanabilem esse existimarunt; unus vero omnino impotentem renuntiavit; demum alter putavit, possibile fore, ut Thomas actus coniugales exercere queat.

Absolutum processum huic Sacro Senatui remittens Emus Archiepiscopus votum suum ita pandidit: potiora et melius stabilita mihi visa sunt argumenta pro non consummatione matrimonii et virginitate non temerata Mariae de Pompeis, prindeque posse locum esse gratiae petitae solutionis eiusdem matrimonii. Contendit mulieris Defensor, Mariae iuriiurando concinere septimam propinquorum manum, testium dicta, ac sententiam obstetricum. Ad dispensationis causas quod spectat, etiam privatam satis esse autumat. In themate autem plures occurrunt causae, ac praesertim viri frigiditas, coniugalis fidei violatio, attentata contra existimationem et personam mulieris, necnon coniugum odium. At contra matrimonii Defensor arbitratur, mulierem non esse audiendam, quum tantummodo post expletum biennium, nimirum die 11 iunii 1823 Summum adierit Pontificem, eo magis quod in casu adest opinio de sequuta mulieris praegnantia. Graves praeterea, urgentes, urgentissimas requiri causas, ut Pontifex dispensationem matrimonii elargiatur. Desiderantur vero in themate graves frigiditatis Thomae probationes. Adulterium vero a Thoma commissum, et animorum aversio, nec satis probantur, nec sufficiunt ad connubii vinculum dissolvendum. Dubium est:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, inhibito Thomae Messore transitu ad alia vota.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 102-106].

4004.

S. C. C., *Neapolitana*, 22 iul. 1826.

Agitabatur haec causa die 18 martii praeteriti.[2] Ad mentem S. Congregationis habita per Professores inspectione corporis Caietani Emus Archiepiscopus refert: *Omnes unanimiter concluserunt, ac ad unam eamdemque sententiam accesserunt, Caietanum d'Errico ad usum matrimonii impotentem absolute in perpetuum, insanabilemque declarando.* Reproposito itaque eodem dubio:

[1] Cf. N. 4004, 4007.
[2] Cf. N. 318.

[1] Cf. N. 4005.
[2] Cf. N. 4002.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, et ad mentem; mens est, ut scribatur Eño Archiepiscopo, ne Caietano d'Errico relaxetur fides status liberi inconsulta S. Congregatione. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 146].

4005.

S. C. C., *Neapolitana*, 26 aug. 1826.

Resoluta fuit haec causa die 27 maii proximi [2]. Instante vero matrimonii Defensore iterum proponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 171].

4006.

S. C. C., *Viterbien.*, 26 aug., 16 sept. 1826.

In oppido Montis Alti de Castro Viterbiensis Dioeceseos exortae sunt quaestiones inter Archipresbyterum Iosephum Corradi et Confraternitatem S. Crucis. Contendit Archipresbyter, cadavera Sodalium memoratae Confraternitatis ad ecclesiam Parochialem esse omnino deferenda pro funere peragendo, nedum ubi defuncti sepulturam in ecclesia S. Crucis sibi elegerint, verum etiam si expresse caverint, ut funus in ecclesia tumulante perficiatur; sin minus, censet omnia emolumenta funeris in ecclesia S. Crucis peracti sibi esse tribuenda. At vero Sodales antiqua innixi consuetudine arbitrantur, funus in ecclesia tumulante esse paragendum, quoties defuncti Confratres id expresse mandaverint, et tunc portionem tantum canonicam a Parocho exigi posse.

Re ad hunc S. Ordinem ab Archipresbytero delata, rogatus fuit de informatione et voto Vicarius Capitularis. Ipse autem quoad funera ait: *Ius sepeliendi in dicta ecclesia S. Crucis, si a defunctis ibidem electa sit sepultura, tum iure communi, tum ex decretis die 5 martii 1721 a Viterbiensi Episcopo Adriano Sermattei editis, habent Confratres. Hinc si exequiae fiant in ecclesia Parochiali, integrum funus ad Archipresbyterum, si autem in ecclesia S. Crucis, eidem quarta pars tantum debetur praeter scutata duo, de quibus in supradictis decretis et Confratrum folio. In ecclesia autem S. Crucis fieri tantum debent, quando id expresse voluit defunctus.*

De funeribus rem apertam esse arbitrantur Sodales. Nam in dubium revocari non potest, ecclesiam S. Crucis iure sepeliendi pollere cadavera Confratrum, qui in eadem ecclesia sepulturam sibi elegerint, conformiter

[1] Cf. N. 4007.
[2] Cf. N. 4003.

etiam resolutioni huius S. C. in *Valven. seu Sulmonen.*, 10 maii 1727. [1] Ex iure autem sepeliendi alicui ecclesiae impertito duo sequuntur: primum, quod cadavera defunctorum, qui sepulturam in ea elegerint, antea deferri nequeant ad ecclesiam Parochialem, sed recto tramite ad ecclesiam tumulantem sint asportanda, ut in *Lucana*, 14 martii 1722, [2] et *Civitatis Castellanae*, 18 februarii 1764, [3] alterum, quod omnia funeris emolumenta spectent ad ecclesiam tumulantem, dempta quarta funeraria pro Parocho defuncti, uti censuit S. C. in *Asculana*, 29 augusti 1733, [4] ac salvo iure peragendi officium funebre super cadaveribus, quando sepeliendi sunt subiecti Parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium tumulans nulla praeditum exemptione: S. R. C., decr. *Urbis et Orbis*, 10 decembris 1703, ad XX, [5] sin vero Parochus vocatus renuat, aut alium Sacerdotem non substituat, potest Rector ecclesiae, vel Capellanus exequias explere, ceu respondit haec S. C. in *Bononien.*, 28 iulii 1724, ad IX. [6] Verum Archipresbyter cadavera Confratrum ad ecclesiam Parochialem, antequam sepulturae tradantur, deferenda esse contendit, pro funere ibidem peragendo, etiamsi sepulturam in ecclesia S. Crucis elegerint, ibique exequias expleri praeceperint: sin minus, ad Parochum omnia funeris emolumenta spectare arbitratur. Adeo enim in praesens Sodalium S. Crucis auctus est numerus, ut perpauci in Parochiali sepeliantur, ac proinde Archipresbyter iis privatur emolumentis, quibus constituta est Parochorum congrua. Itaque proponuntur dubia:

3. *An, et quomodo cadavera Confratrum recto tramite sint deferenda ad ecclesiam tumulantem, seu potius antea sint asportanda ad ecclesiam Parochialem pro funere peragendo in casu?*

4. *An, et quae emolumenta funeris in ecclesia S. Crucis peracti spectent ad Archipresbyterum in casu?*

5. *An, et ad quem spectet ius peragendi Officium funebre super cadaveribus in ecclesia S. Crucis in casu?*

Die 26 augusti 1826: Non proposita.

Die 16 septembris 1826 Sacra, etc. respondit ad 3. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 4. Affirmative pro quarta funerali dumtaxat iuxta taxam Dioecesis.

Ad 5. Affirmative, et spectare ad Archipresbyterum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 183-188, 201].

[1] Cf. N. 3326.
[2] Cf. N. 3238.
[3] Cf. N. 3735.
[4] Cf. N. 3406.
[5] Cf. N. 5733.
[6] Cf. N. 3279.

4007.

S. C. C., *Neapolitana*, 23 dec. 1826.

Prius dilata, mox die 22 iulii proximi data fuit resolutio huius causae.[1] Insistente vero matrimonii Defensore modo reproponitur sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 239-241].

4008.

S. C. C., *Tiburtina*, 27 ian. 1827.

Aegidius Columna volvente saeculo XVII, ex proprio aere in Archipresbyterali ecclesia Terrae Rubiani Dioecesis Tiburtinae altare S. Antonio Patavino dicatum construxit; illudque congrua dote instruere meditabatur Praesul Iacobus Columna, sed quod animo intendebat, morte praeventus perficere non potuit. Eius hereditas ab intestato delata est germanae illius sorori Annae Seraphinae, quae solemnem emiserat professionem in Monasterio S. Mariae Humilitatis ad radices Montis Quirinalis. Verum soror et moniales piae defuncti mentis certiores factae Capellaniam sub invocatione S. Antonii in eodem altari anno 1674 erigi curarunt. Ius praesentandi Capellanum reservarunt Sorori Annae Seraphinae, dum viveret, ac post illius obitum ad favorem dicti Ven. Monasterii S. Mariae Humilitatis de Urbe, et earumdem RR. Monialium. Huiusmodi iure patronatus iugiter gavisae sunt Moniales; et anno 1786 Capellaniae possessionem iniit Sacerdos Franciscus Folgori ab eisdem nominatus. Verum postea Moniales e proprio Monasterio abire coactae ad Coenobium Monialium S. Catharinae Senensis eiusdem Ordinis confugerunt, ibique etiam nunc quinque superstites commorantur.

Cumque hodiernus Tiburtinus Episcopus memoratum Folgori in amentiam incidisse deprehenderit, Missarumque proinde onera negligi: exposuit S. Sedi, pro certo habere, ad se devolutum esse Capellaniae iuspatronatus, *attesa la soppressione del sudetto Monastero*. Paulo ante Princeps Maffeus Barberini Columna de Sciarra supplicem huic S. Ordini porrexerat libellum, ut eidem ius nominandi tribueretur, *per la ragione, che i beni, coi quali è stata fondata la Cappella, erano di pertinenza de' suoi antenati, e perchè le religiose Domenicane sembrano decadute dalla nomina, non essendo più nel Monastero*. Id postquam rescierunt Moniales, hanc Sacram adiere Congregationem, ne ipsis imprudentibus aliquid decerneretur. Hinc de more Episcopo pro informatione et voto ablegatis precibus, die 25 ianuarii 1823 rescriptum prodiit: *Ponatur in folio, citata parte*. Quae cum ita se haberent, die

[1] Cf. N. 4002, 4004.

26 aprilis 1823 quatuor Moniales et quae inter eas se Praesidem appellat, Cappellanum nominarunt Presbyterum Stanislaum Sebastiani. Huius rei fama ad Principem Sciarra perlata, iterum hunc S. Ordinem adiit et plurimum conquestus est de Sebastiani nominatione. Tum vero Stanislaus Sebastiani ad Ap. Sedem confugit, ac petiit, ut si quid nullitatis in nominatione vel institutione irrepserit, sanatione deleretur, votique compos factus est. Id aegre ferentes Communitates Rubiani, Vallisfrigidae et Anticuli, ac etiam Sacerdos Aloysius Tiritante, qui se ad Capellaniam passive vocatum contendit, impetratam sanationem veluti obreptionis et subreptionis vitio infectam traduxerunt penes R. P. D. Auditorem SSmi, qui die 23 februarii anni 1825 remisit causam ad hanc S. Congregationem.

Stanislai Defensor, cui adstipulatur Monialium Patronus, nominationem favore Sebastiani expletam suis stare viribus, concordi animo arbitrantur. Inquiunt enim: nominationis nullitas oriri potest vel ex deficientia iuris nominandi, vel ex inhibitionis spretu, quae ius illud in suspenso reliquerit, vel ex inhabilitate nominati. Nullum tamen ex istis in medium potest afferri. Etsi enim Moniales Humilitatis in Monasterio S. Catharinae vitam ducant, nihilominus iure nominandi, quo duobus abhinc saeculis gavisae sunt, perfrui debent. Enimvero anno 1814 reduce ad Petri Cathedram s. m. Pio VII, Humiles Moniales aeque ac caeterae Religiosae domus, bonorum omnium, quae ex naufragio supererant, redintegrationem sunt consecutae, atque onera ex fundatione eisdem annexa implere coguntur. Exinde colligunt iidem Defensores, Monialibus non esse auferendum iuspatronatus, cum nihil sit magis naturae consonum, quam eum sequi commoda, quem sequuntur incommoda: Reg. 55, R. I., in 6. Nulla praeterea tempore nominationis intercesserat inhibitio, qua Moniales ab illa explenda prohiberentur. Nec tandem nominatio a Monialibus emissa redargui potest ex persona nominati: siquidem Episcopus Stanislaum parem iudicavit ad Capellaniam assequendam.

E contrario Communitatum et Aloysii Tiritante Defensor minime dubitandum ait de nullitate nominationis, quam perpaucae Moniales emiserunt favore Sacerdotis Sebastiani. Longe enim antequam Moniales nominationem explerent, lis coram hoc Sacro Ordine aderat instituta non modo ex Principis Columna de Sciarra precibus, sed ex Episcopi Tiburtini placito, qui definitionem super devolutione patronatus ad episcopalem sedem ab hac S. Congregatione praestolabatur. Quin imo ipsae Moniales exoraverant, ne aliquid ipsis inauditis statueretur. Nominatio itaque post contestatam litem a Stanislao obtenta, illicita, nulliusque roboris est iudicanda ex cap. 1, 2, *ut lite penden.*, in 6. Insuper invalidam existimat nominationem, utpote editam a personis facultate nominandi destitutis. Nam iuspatronatus neque Ordini Praedicatorum, neque singulis Monialibus, sed solummodo Monialibus Monasterium S. Mariae Humilitatis, seu Communitatem religiosam in eisdem aedibus constituentibus fundatores Capellaniae reservarunt. Cumque perpaucae Moniales ex praefato Monasterio supersint, atque istae in aliud Coenobium migraverint, peculiaremque Communitatem non efforment, extinctum est renuntiandum Humilitatis Monasterium, ac Moniales quovis iurepatronatus penitus destitutae. His accedit, quod nominatione Stanislai,

qui ex Rivorigido originem trahit, ius tertii fuerit laesum, nam Aloysius Tiritante Rubiani ortus a fundatoribus vocatus censetur in Capellaniae institutione.

Quatenus tamen EE. VV. ius nominandi ad Capellaniam nec ad Principem Sciarra Columna, nec ad Moniales spectare iudicaverint: videant, utrum illud ad Episcopum fuerit devolutum; deficientibus enim Beneficii patronis, in iure patronatus succedit Ecclesia, seu Episcopus: can. *Quaecumque* et can. *Noverint*, Caus. 10, quaest. 1. Itaque EE. VV. dirimere dignabuntur:

IV. *An, et ad quem spectet iuspatronatus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad IV. Dilata, et reproponatur cum voto D. Secretarii, auditis omnibus interesse habentibus super iurepatronatus activo.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 19-26].

4009.

S. C. C., *Tiburtina*, 27 ian., 17 mart. 1827.

Caeteras inter ecclesias Tibure existentes antiquissimum exurgit templum, cui a S. Petro nomen, pluribus sacris aris ornatum ac sepulchris praeditum. Huiusmodi templum ineunte anno 1815 largitate Summi Pontificis Sodalitio Mortis et Orationis fuit traditum una cum claustrali aedificio, iuribus et pertinentiis, quin aliquid cautum fuerit de iure tumulandi, quo ecclesia S. Petri ab immemorabili tempore gaudere consueverat. Quocirca cum nuper diem obierit supremum Petrus Petrucci, ac defuncti voluntate eam in ecclesiam per Confratres cadaver delatum fuerit, ibique sepulturae mandatum: lis exarsit inter praefatam Sodalitatem et Carlum Regnoni, Rectorem Paroeciae SS. Vincentii et Anastasii, in cuius finibus sita est eiusdem defuncti domus, super iure tumulandi atque emolumentorum perceptione. Contendit Parochus, memoratam ecclesiam statim, ac Regularis esse desiit, et Confraternitati fuit concessa, amisisse ius tumulandi, quo primum potiebatur, ac propterea omnia etiam emolumenta Parocho defuncti competere. Quoniam vero Sodales portionem tantum canonicam ad Parochum spectare autumant, ideo Sacerdos Regnoni oraculum huius Sacri Ordinis sibi exquirendum ducit.

Tiburtinus Episcopus, auditis interesse habentibus, refert: negari haud posse, ecclesiam hanc a multis saeculis hoc iure pacifice gavisam fuisse, nec videri hoc iure privandam praecise ex eo, quod data fuit Confraternitati Charitatis et Mortis, cuius speciale institutum est purgantium animas orationibus, anniversariis et sanctis Sacrificiis suffragari.

Haud diffitetur Parochus Regnoni, olim S. Petri ecclesiam iure tumulandi gavisam fuisse; contendit vero illud amisisse statim ac in Confraternitatis potestatem transiit. Iure enim communi Sodalitates hoc privilegio minime potiuntur, et solummodo ex Apostolicae Sedis aut Episcopi indulto illud acquirere valent, ut in *Valven. et Sulmonen.*, 10 maii 1727.[2] In themate

[1] Cf. N. 4015.
[2] Cf. N. 3326.

Confratres nullum proferunt aut Summi Pontificis, aut Episcopi privilegium, quo cadavera in ecclesia S. Petri iure tumulandi fuerint donati. Iam vero, si cadavera condantur sepulcro in ecclesiis, quae iure tumulandi sunt destitutae, cuncta funeris emolumenta ad Parochum defuncti pertinere decernit Statutum Cleri Romani, quod vel in Tiburtina Dioecesi plenam vim exerere confirmat Episcopus.

Verum animadvertunt Confratres: Ecclesia S. Petri a tempore, cuius initium hominum vincit memoriam, gaudet iure tumulandi, nec liquet huiusmodi privilegio praeditam fuisse intuitu Regularium, quibus antea erat concredita, quin imo cum ius tumulandi impertiatur ecclesiis quoque non Regularibus, reale est dicendum, et ecclesiae sepulcra habenti cohaerens. Per saecularizationem vero solum censentur mutata et sublata privilegia et iura concernentia regularitatem, caetera autem iura integra remanent et illaesa ipsi ecclesiae, nisi expresse tollantur. Quocirca, inquiunt Confratres: Parochus Orator quarta funerali contentus sit oportet, ex S. C. in *Asculana*, 29 augusti 1733,[1] et in *Viterbien.*, 26 augusti 1826, ad 4. dubium.[2] Dignentur itaque EE. PP. respondere:

1. *An ecclesia S. Petri gaudeat iure tumulandi in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An, et quae emolumenta funeris in eadem ecclesia peracti spectent ad Parochum defuncti in casu?*

Die 27 ianuarii 1827: Non proposita.

Die 17 martii 1827 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative pro quarta funeraria tantum iuxta consuetudinem loci.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 37-40, 60].

4010.

S. C. C., *Ariminen.*, 16 iun. 1827.

Plures ex decretis Synodi Dioecesanae anni 1742 exortae sunt quaestiones inter Saeculares Regularesque animarum Curatores, ad quas praecidendas amica anno 1776 intercessit inter eosdem transactio, in eaque statutum: *che tutti gli emolumenti di cere, che servono tanto per l'accompagnamento del cadavere, quanto per il deposito del medesimo, o questo si faccia nella Chiesa Parrocchiale, o nella Chiesa tumulante, ed anche di quelle della Messa cantata e degli altari, debbono dividersi in egual porzione fra le predette Chiese.* At nuperrime aliae exarserunt controversiae super emolumentorum perceptione et cadaverum expositione inter Parochos ac Regulares. Lata enim anno 1817 edictali lege a S. C. Consultationis, ut omnia fidelium cadavera in publico coemeterio humarentur, arbitrati sunt Parochi, memoratam transactionem iam penitus evanuisse, funus recto tramite ad ecclesiam Parochialem esse ducendum, ibique explenda parentalia, et omnia funeris emolumenta ad Parochum pertinere, sive defunctus alibi sibi elegerit sepulturam, sive sepul-

[1] Cf. N. 3406.
[2] Cf. N. 4006.

chrum habeat gentilitium. Quocirca cum die 18 octobris anni 1824 Aloisius Ferrari, qui venia Episcopi sepulturam sibi elegerat in ecclesia S. Bernardini Patribus Minoribus Observantibus concredita, ex hac vita migrasset, eiusque cadaver exequiis in Parochiali ecclesia S. Agnetis prius peractis in electo sepulchro conditum fuisset: noluit Parochus tradere ecclesiae S. Bernardini mediam emolumentorum partem, quam tamen postulantibus Patribus Minoritis penes aedem sacram deponi mandavit Episcopus, usque dum ab hoc S. Ordine quaestio dirimeretur. Interea supremam obiit diem Seraphinus Ferraresi, qui similiter in ecclesia S. Bernardini, ubi maiorum suorum excisum erat sepulchrum, humo corpus suum mandari coram testibus significaverat, sed Episcopus ad novas vitandas lites praecepit, ut in propria Paroecia S. Ioannis Evangelistae tumulo conderetur. Haec gravate ferentes PP. Minoritae enixe flagitant, ut EE. VV. controversias omnes tum de emolumentorum perceptione, tum de funere ducendo dirimere dignentur. Rogatus Episcopus hanc rerum seriem confirmavit.

Parochi ab Episcopo auditi cuncta funerum emolumenta sibi esse tribuenda contendunt. Si enim cadavera tumulantur in ecclesia non Parochiali, nullumque sepeliendi ius habente, omnia funerum emolumenta ad Parochum pertinere docet S. C. Ep. et Reg. in *Fabrianen.*, 14 decembris 1753,[1] et haec S. C. in *Romana*, 28 iulii 1731[2] et in *Senogallien.*, 24 ianuarii 1739.[3] Iam vero ecclesia S. Bernardini, quamvis iure sepeliendi olim gauderet, nihilominus ex edictali lege anni 1817 hoc iure destituta remansit. Porro Ariminensis Episcopus numquam preces obtulit S. Congregationi, et idcirco venia ab ipso impertita pro humando cadavere Aloisii Ferrari in ecclesia S. Bernardini nihili est facienda. Quapropter nedum emolumenta funeris Seraphini Ferraresi, cui Episcopus nullam indulgendam censuit licentiam, verum etiam emolumenta funeris Aloisii Ferrari, integra spectant ad eorum Parochos.

Verum Patres Minoritae utriusque funeris emolumenta, subducta pro Parocho portione canonica, sibi autumant restituenda. Initio enim latum inter ius sepeliendi ac ius funerandi intercedit discrimen, nec unum est alterius accessorium. Et revera Benedictus XIII in const. *Romanus Pontifex*,[4] postquam decrevit, ab ecclesiis Regularibus canonicam portionem Parocho solvi oportere, inquit: haec locum habeant et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam Parochialem ecclesiam *tumuletur* vel *exponatur:* ideoque ecclesia S. Bernardini, quamvis iure tumulandi esset destituta propter edictalem legem anni 1817, etiam nunc gauderet altero iure *exponendi* seu *funerandi*, quod satis habetur ad percipienda funerum emolumenta. Insuper per edictalem legem haud abrogatum videtur ius sepeliendi, secus hoc iure expoliatae forent existimandae vel ipsae ecclesiae Parochiales, quoniam et in his cadavera tumulari vetuit lex; sed tantummodo coemeteria sepulchris singularium ecclesiarum subrogata, ac proinde cuiusque

[1] Cf. N. 1871.
[2] Cf. N. 3372.
[3] Cf. N. 3497.
[4] Cf. N. 284.

ecclesiae iura quoad funus et emolumentorum perceptionem integra adhuc perseverant. Ex his colligunt PP. Minoritae, nedum emolumenta funeris Seraphini Ferraresi, qui sepulchrum habebat gentilitium in ecclesia S. Bernardini, verum etiam emolumenta funeris Aloisii Ferrari, qui in eadem ecclesia, sepulturam elegerat, sibi a Parochis esse restituenda: sive enim sepulturae electio fiat expresse, sive tacite, nullam scilicet sepulturam eligendo, dum sepulchrum adest gentilitium, ecclesia tumulans iisdem frui debet iuribus, omniaque percipere emolumenta. Dein subdunt Religiosi: cadavera illorum, qui in ecclesia S. Bernardini sibi sepulturam dari iusserunt, ad illam recto tramite sunt deferenda, ibique explendae exequiae, licet postea in publico coemeterio tumulari debeant, uti declaravit haec S. C. in *Viterbien.*, 26 augusti 1826, ad 3. dubium.[1] His perpensis EE. PP. dignabuntur dirimere dubia:

1. *An, et quae emolumenta funeris Aloisii spectent ad ecclesiam S. Bernardini in casu?*

2. *An, et quae emolumenta funeris Seraphini spectent ad ecclesiam S. Bernardini in casu?*

3. *An cadavera tumulanda in ecclesia S. Bernardini sint ad eam recto tramite deferenda, ibique funus peragendum in casu?*

4. *An cadavera defunctorum habentium sepulchrum gentilitium in ecclesia S. Bernardini, sed tumulanda in publico coemeterio, deferri debeant ad eamdem ecclesiam, ibique peragi funebria officia in casu?*

5. *An cadavera defunctorum sine legitima venia eligentium sibi sepulturam in ecclesia S. Bernardini sint ad eam asportanda pro funere peragendo, antequam deferantur ad publicum coemeterium in casu?*

6. *An liceat testatoribus vel heredibus designare ecclesiam pro funere explendo, antequam cadavera ad ecclesiam tumulantem vel ad coemeterium deferantur in casu?* Et quatenus affirmative:

7. *An, et quae emolumenta funeris pertineant ad ecclesiam exponentem in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. et 2. Affirmative ad formam transactionis anni 1776.

Ad 3., 4. et 5. Affirmative.

Ad 6. Affirmative ad formam Synodi.

Ad 7. Affirmative, dempta portione canonica pro Parochis ad formam transactionis anni 1776.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 104-111].

4011.

S. C. C., *Aquaependen. et Soanen.*, 21 iul. 1827.

Sacerdos A. C. de terra A. Aquipendiensis Dioecesis a primis iuventutis annis vitam otio deditam et a studiis plane alienam ducere, sicque a recto tramite aberrare coepit. Ad meliorem deinde frugem quamvis reversus ita tamen ebrietati inservire perrexit, ut poena suspensionis ipso facto incur-

[1] Cf. N. 4006.

rendae in casu reincidentiae ab Episcopo inflicta fuerit. Discessit postea a sua Dioecesi, ac officiaturam ad nutum amovibilem in Paroecia S. Ioannis finitimae Dioecesis Soanensis consecutus, persaepe in terram A. remeavit, ibique in assuetas ebrietates non raro, ac praesertim in nuptiali convivio cuiusdam affinis ultimis hisce temporibus celebrato prolapsus est. Qua de causa, etsi ab extero Presbytero graviter admonitus de reincidentia fuerit, Sacrum tamen litavit, et in publicam incidit irregularitatem. Post haec sponte ad Minorum reformatorum Coenobium loci A. se contulit, ibique spiritualibus exercitiis navavit operam. Quatuor et ultra iam elapsi sunt menses, ex quo idem Sacerdos sexagenariam agens vitam, ac gravi paupertate laborans, a Sacro peragendo se abstinet, suorumque criminum luit poenam. Nunc itaque absolutionem a suspensione et dispensationem ab irregularitate expostulat.

Episcopus Aquipendien. rogatus, narrata confirmans, addit: *Clementiae EE. VV. toto animi fervore eumdem C. commendare enitor, ne, cum sit pauperrimus, neque victum sibi aliter, quam Missarum eleemosynis parare queat, in desperationem propter inopiam incidat.* Episcopus vero Soanensis ob necessitatem alterius Missae diebus festis pro populo illam ecclesiam frequentante et penuriam Sacerdotum in sua Dioecesi quam maxime Oratorem commendat, qui praeterea egestate pressus nonnisi Missarum eleemosynis habeat, unde decenter vivat. Scandalum denique minime timendum esse ait ex dispensatione, imo magnam populi laetitiam sperandam. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSm̃o pro absolutione ac dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia absolutionis a suspensione, et dispensationis ab irregularitate cum reincidentia in eandem poenam suspensionis, et praeviis spiritualibus exercitiis, arbitrio Episcopi Aquipendien., facto verbo cum SSm̃o.

[Liber 170 Decretorum, p. 380 a tergo].

4012.

S. C. C., *Neapolitana*, 15 sept. 1827.

Maria de Peruta vix septemdecim annos nata summa consensione die 7 martii anni 1825 nupsit Comiti Aloisio de Mauro, cum quo post nonnullorum dierum lapsum in paterna domo communem habuit thalamum. Secundus nondum a nuptiarum die effluxerat mensis, cum mutuo iam frigescente coniugum amore, exortisque postea dissidiis, Aloisius uxorias dereliquit aedes, vel, ut ipse affirmat, ad illas accedere, tamquam operi maritali minus aptus, prohibitus fuit. Etenim tam mulier, quam illius parentes coeundo imparem dicebant Maurum; imo huius impotentiae rumore sensim percrebrescente, supplicem Maria Pontifici Maximo obtulit libellum, ac dispensationem petiit a matrimonio rato tantum et non consummato. Precibus ad hanc S. Congregationem ablegatis, statim literae datae fuerunt Em̃o Neapolitano Archiepiscopo, ut ad tramites Benedictinae constitutionis, *Dei miseratione*[1] processum conficeret, suique animi sensum aperiret. Omnibus rite peractis coepta est actorum series et ad exitum usque perducta.

Maria examini subiecta iureiurando dixit, se adhuc virginem; irritos fuisse viri conatus ob eius frigiditatem; hanc ob causam iam inde ab initio cum matre, postea cum aliis consanguineis querelas instituisse, tandem propter pandita nuptialia arcana graves a viro pertulisse minas, maximaque erga illum affici animi aversione. Quae mulier deposuit, ea veritati consona credidit iurata propinquorum manus. Formali deinde, praevio balneo, adstantibus matronis et adhibito medicorum et chirurgorum consilio, accessit Mariae corporis inspectio per delectas obstetrices expleta, qua virginitatis signa in illa deprehendisse retulerunt. Obstetricum relationem probarunt periti, omnesque indubia integritatis indicia occurrere denuntiarunt, uno excepto, qui ea tantum probabilia existimavit.

Aloisius e contrario iuramenti ope asseruit, ipsa prima condormitionis nocte matrimonii intercessisse consummationem: huiusque rei signa summo mane vidisse tam uxoris matrem, quam duas insimul adstantes famulas. Suam depositionem septem ex eius latere propinquorum testimonio roboravit. Iudicialis deerat corporis viri inspectio; ideo illi indicta fuit dies, qua se praeberet recognoscendum. Verum numquam adduci potuit, ut corpus suum inspectioni peritorum sive in Urbe, sive Neapoli subiiceret.

Mulieris Defensor haud inficiatur, duo esse probanda: matrimonium non fuisse consummatum, iustamque intercedere dispensandi causam. Ad primum evincendum affert ipsius Mariae testimonium proprio iureiurando et septima propinquorum manu, testium dictis, ac fama vallatum. Hisce maximum et cumulatum addit pondus explorata Mariae virginitas. Ex mulieris integritate sponte sua fluere contendit iustam gravemque dispensandi causam, scilicet Aloisii impotentiam. Alteram dispensandi causam collocat in animorum abalienatione, exorta ex viri minis, contumeliis, iurgiis.

At Sacramenti Defensor eas desiderari tuetur non sequutae consummationis probationes, in quibus Em̃i Patres tuto conquiescere valeant; perspicuam propugnat viri potentiam, nullamque adesse arbitratur iustam dispensandi causam. Quocirca demandandum censet triennale experimentum. Vestrum nunc est, Em̃i Patres, definire:

An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et ad mentem.[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 175-181].

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. N. 4014, 4021, 4023.

4013.

S. C. C., *Tiburtina*, 15 sept., 24 nov., 15 dec. 1827.

Tiburtinus Episcopus, cum Casapis ecclesiam divino cultui indecoram, fidelibus ob humiditatem et pavimenti fractiones imperviam reperierit, necessarias illico praescripsit restaurationes, et decretum Communitati Casapensi indici voluit, ut sancita cito exequeretur. Hoc decretum aegre tulit Communitas, autumans restaurationis onus non sibi, sed Principi Pio Patrono incumbere; at qui Principis est a negotiorum gestione, contendit vetusta Archipresbyteratus dotatione tam Parochi substentationi quam fabricae tuitioni provisum fuisse, ideoque non a Principe, sed ab Archipresbytero, et in eius defectum a populo Parochialem ecclesiam restaurandam esse.

Preces huic S. Ordini a Communitate Casapis oblatae ablegatae fuerunt Episcopo, ut auditis interesse habentibus, referret de summa ad reficiendam ecclesiam necessaria, an utilis actio contra praecedentem Archipresbyterum institui posset, votumque suum panderet. Episcopus peritiam misit a fabro murario confectam, ex qua eruitur, in ecclesiae restaurationem esse impendenda scut. 83 et obol. 93, ac dein subdit: « Nulla bona pro fabrica inscripta reperiuntur; et quoniam media a Sacro Concilio Tridentino praescripta [1] adhiberi non poterant ad instaurandam ecclesiam Parochialem Casapis, cum illic nec Beneficia, nec Capellaniae erectae sint, nec Confraternitates existant, et incolae Oppidi maxima laborent inopia, decretum Communitati notificatum volui. Nulla meo iudicio utilis actio contra praecedentem Archipresbyterum Casapis institui potest, enixe enim in adnexo folio contendit, numquam Archipresbyterum onus habuisse manutentionis fabricae ecclesiae. Putarem igitur, tam Patronum, quam Communitatem teneri pro rata constituenda, quoniam indiscriminatim Tridentinum utrosque adstringit, omni appellatione remota ».

Collabescentes ecclesias reaedificandas instaurandasque esse ex ipsius ecclesiae reditibus, nisi adsit peculiaris quaedam consuetudo, suadent can. 30, Caus. 12, qu. 2, cap. *De his, de eccl. aedific.*, et Conc. Trid., Sess. 21, cap. 7, *de ref.* Hisce deficientibus obstringitur Patronus non *praecise*, sed *causative*, nempe si ius praesentandi retinere velit, quemadmodum docet Bened. XIV, *Instit.* 100, n. 14. In themate desunt reditus ad reparandam ecclesiam destinati; Archipresbyter caret congrua ad vitae exhibitionem necessaria, ideoque aut Patronus, aut populus compellatur necesse est ad reficiendam ecclesiam. Qui Principis Pio est a negotiorum gestione, contendit, Patronum esse immunem ab hoc onere renuntiandum, quia Patronus post expletam dotationem compelli nequit ad illius supplementum. At vero Communitas Casapis arbitratur, Patronum teneri constituere novam dotem, nam ipse veluti pater habetur, qui debet iterum dotare filiam, quae indotata evasit. Verumtamen si EE. PP. Communitatem seu parochianos ad reficiendam ecclesiam

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 7.

obstrictos censuerint, statuere dignabuntur, an illi dumtaxat, qui Casape lares habent, seu potius etiam forenses, qui praedia, aliaque bona stabilia possident intra eiusdem oppidi confines, compellendi sint. In Italia mos invaluit, ut possidentes omnes, licet forenses, solvere teneantur, quemadmodum videre est in *Imolen.*, 6 septembris 1783 [1] et in *Spoletana*, 20 martii 1824. [2] Dubia sunt:

I. *An Patronus teneatur restaurare ecclesiam Parochialem in casu?* Et quatenus negative:

II. *An, a quo, et quomodo sit restauranda in casu?*

Die 15 septembris 1827: Non proposita.

Die 24 novembris 1827 Sacra, etc. respondit: Dilata ad sequentem.

Die 15 decembris 1827 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative, praefixo Patrono termino duorum mensium vel ad perficiendas reparationes, vel ad renunciandum iuripatronatus.

Ad II. In casu renunciationis teneri possidentes etiam exteros per aes et libram.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 192-197, 213, 239].

4014.

S. C. C., *Neapolitana*, 26 ian. 1828.

Dilata fuit resolutio huius causae die 15 septembris 1827. [3] Nunc insistente matrimonii Defensore iterum proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et fiat nova inspectio mulieris in Urbe, et praefigatur Aloisio de Mauro terminus duorum mensium ad accedendum ad Urbem pro recognitione sui corporis, et notificetur Emo Archiepiscopo. [4]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 4].

4015.

S. C. C., *Tiburtina*, 26 ian. 1828.

Dilata fuit resolutio IV. dubii huius causae die 27 ianuarii 1727. [5] Ponderato autem R. P. D. Secretarii voto:

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad IV. Collationem spectare ad Episcopum iuxta votum D. Secretarii.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 3].

[1] Cf. N. 3833.
[2] Cf. N. 3986.
[3] Cf. N. 4012.
[4] Cf. N. 4021, 4023.
[5] Cf. N. 4008.

4016.

S. C. C., *Gallipolitana*, 15 mart., 26 apr. 1828.

Ut ex hac, qua Canonici Cathedralis premebantur, angustia levarentur, Episcopus Vincentius Capece anno 1600 eisdem donavit quartam partem piscium, quam piscatores ex vetusta consuetudine mensae episcopali solvere tenebantur. Hanc donationem eodem flagitante Episcopo roboravit Paulus V apostolicis litteris diei 27 aprilis anni 1606. Usus tamen paulatim inolevit, ut Episcopi, silentibus Canonicis, quartam partem a piscatoribus perciperent solemnioribus illis diebus, quos *Sabaoth* appellant. Novissime autem controversia exarsit eum inter, qui Episcopo est a negotiorum gestione, et Canonicos, quinam sint dies inter festa *Sabaoth* recensendi. Hinc Canonici Sacri huius Ordinis oraculum sibi exquirendum duxerunt. Verum requisito Episcopo, ut referret, quid ex consuetudine loci foret intelligendum sub illa voce *Sabaoth*, et a Canonicis exhibito eidem Episcopo exemplo litterarum apostolicarum Pauli V, in quibus nulla extat dierum *Sabaoth* mentio: nova atque acrior exorta est quaestio, contenditque Episcopus, ad rationem earumdem litterarum litem esse dirimendam, ac propterea cogendos Canonicos, ut bullam Pauli V, quae in capitulari grammatophylacio asservatur, in episcopali archivio deponant.

Quod pertinet ad autographas litteras apostolicas Pauli V, multo iure arbitrantur Canonici, se compelli non posse ad illarum traditionem, ut in episcopali archivio asserventur. In primis enim iam inde ab initio curarunt Canonici, ut eiusmodi litterae in capitulari tabulario custodirentur, quod quidem consentaneum est decretis peculiarium Synodorum, quas inter Concilium Romanum anni 1725, tit. 12, cap. 6. Dein tam Canonici, quam Episcopus extrahere nequeunt a capitulari grammatophylacio instrumenta ceterosque libros; imo Episcopus prohibetur ab eodem archivio extrahere vel ipsas scripturas mensae episcopalis, licet cogere queat Canonicos, ut sibi ostendant scripturas illas, vel earum exemplar exhibeant: S. C. in *Alatrina*, 28 aprilis 1827. [1] Itaque quaeritur:

3. *An Canonici teneantur tradere autographas litteras Pauli V, ut asserventur in archivio episcopali in casu?*

Die 15 martii 1828: Non proposita.

Die 26 aprilis 1828 Sacra, etc. respondit ad 3. Negative, salvo iure Episcopo extrahendi exemplar authenticum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 51-55, 63].

4017.

S. C. C., *Comaclen.*, 19 iul. 1828.

Pacificus Occhi in minoribus Ordinibus constitutus tribus abhinc annis melancholico morbo correptus, quandam mentis aberrationem per duos menses passus est, a qua tamen postea convaluit, nec unquam in illum recidit

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 78-82.

morbum. Cumque in praesens 23. agat annum, dispensationem ab irregularitate efflagitat, ut SS. Ordinibus initiari valeat.

Rogatus de more Episcopus Comaclensis haec retulit: « Ex Parochi fide compertum habeo, eundem Oratorem vita et moribus bonis praeditum esse, necnon ex adiuncta medici attestatione tribus circiter abhinc annis, ex quo mentis aberrationem passus est propter melancholiam, quae maniae initium est, mentis vigore ac tranquillitate perfecta pollere atque integra animi et corporis sanitate frui, ita ut ex lapsu temporis, quo constanter praefato morbo caruit, et quantum arte medica coniici et cognosci potest, difficile sit ipsum rursus ea infirmitate vexatum iri. Quae omnia si EE. PP. iudicaverint non obstare, quominus ad SS. Ordines recensitus Occhi promoveatur, ego, ut precibus eiusdem fiat satis, vota et desideria mea admoveo, quatenus ex deficientia et magna penuria Sacerdotum gravi eorum necessitate in tota hac mea dioecesi laborem, ita ut mihi saepissime desint, quos fidelium curae et spiritualibus commodis praeficiam, et idcirco ex Oratoris promotione evidens utilitas obventura sit ». Quaeritur:

An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis ab irregularitate, dummodo ante promotionem ad Subdiaconatum in morbum iterum non inciderit, et firma eadem conditione pro susceptione reliquorum Ordinum citra dispensationem ab interstitiis, facto verbo cum SSm̃o.

[Liber 171 Decretorum, p. 389].

4018.

S. C. C., *Novarien.*, 19 iul., 16 aug. 1828.

Ecclesiae Cathedrali Novariensi nedum duo supra triginta Canonici, sed etiam duodecim Capellani chorales olim inserviebant, quorum numerus post recentissimas temporum calamitates ad novem reducebantur. Post quadragenarium laudabile et assiduum chori servitium iubilationis indulto cum solitis clausulis ab hoc Sacro Ordine donati fuerunt Ioseph Toscani et Isidorus Galloni, quorum postremus est Chori Magister. Ob adversam autem valetudinem exemptionem a chorali servitio, non vero a munere maioris Caeremoniarii ad alterum triennium nuper obtinuit Sacerdos Franciscus Frasconi, tributa facultate, ut *interim fructus omnes et distributiones quotidianas sui Beneficii percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.* Huiusmodi indulta nonnullas inter Capellanos excitarunt controversias. Qui enim Punctatoris officium exercet, existimans Capellanos emeritos, aut exemptionis indulto praeditos extraordinariis distributionibus frui non posse, eas inter praesentes tantum distribuit.

Capellanorum preces, quibus de exortis dubiis oraculum huius Sacri Ordinis petebant, Em̃o Episcopo Novariensi ablegatae sunt, ut auditis Capitulo et Capellanis, sententiam suam aperiret. Em̃us Episcopus superius recensita confirmans, votum suum de singulis quaestionibus pandit.

Qui Punctatoris munere fungitur, ex peculiari Novariensis Ecclesiae

lege censet, distributiones *inter praesentes* illis tantummodo esse tribuendas, qui realiter choro intersunt. Concinit etiam Emus Episcopus. Verum ea est huius Sacri Ordinis constans sententia, ut Canonicis aut Beneficiatis rude donatis nedum fructus Praebendae et quotidianae debeantur distributiones: Bened. XIV, *De Synod. Dioeces.*, lib. 3, cap. 4, num. 6, sed etiam omnia emolumenta inter praesentes distribui solita, perinde ac si ipsi quoque divinis interessent: S. C. in *Aquaependen.*, 1 aprilis 1719,[1] et in *Mantuana*, 16 martii 1737,[2] iis tantummodo exceptis, quae ex voluntate testatoris vel dantis realiter praesentibus sunt impertienda, quemadmodum docent resolutiones in *Verulana*, 17 iunii 1820,[3] et in *Terracinen. seu Privernen.*, 23 decembris 1826.[4] Exinde facile colligitur, Capellanis Novariensibus iubilatione praeditis ius esse lucrandi distributiones extraordinarias, seu quae *inter praesentes* fieri dicuntur, cum ipsi propter iubilationis indultum tamquam divinis Officiis praesentes censeantur, ac nulla in themate extet testatoris vel dantis voluntas, quae illarum partitionem inter praesentes fieri praecipiat. Idem quoque ferendum iudicium de Capellano Frasconi, qui ob adversam valetudinem exemptionem a choro obtinuit. Praeterquamquod enim ipsi Capellani fatentur, memoratas distributiones extraordinarias ex capitulari lege percipi posse ab infirmis, inter quos est sane accensendus Capellanus Frasconi, illud accedit, quod ei propitia videatur sententia huius S. C. in *Romana*, 5 maii 1703.[5] Quatenus autem EE. VV. censeant, Capellanis iubilatis, ac etiam Caeremoniario Frasconi ius esse lucrandi extraordinarias distributiones, postulant, ut decernatur, utrum ipsis sint restituendae eaedem distributiones, quae a Punctatore inter Capellanos praesentes fuerunt distributae. Et sane, si ipsis debentur in futurum eiusmodi distributiones, nemini dubium, quin eis sint restituendae distributiones, quibus fuerunt destituti: S. C. in *Nepesina*, 11 aprilis 1818[6] et *Terracinen. seu Privernen.*, 24 novembris 1827.[7] Hisce positis dirimenda sunt dubia:

3. *An Capellani iubilati, licet choro non intersint, fruantur extraordinariis distributionibus in casu?*

4. *An Capellanus Franciscus Frasconi praeditus indulto abessendi a choro ob adversam valetudinem gaudeat distributionibus extraordinariis in casu?*

5. *An Capellanis iubilatis et Caeremoniario Frasconi sint restituendae distributiones extraordinariae in casu?*

Die 19 iulii 1828: Non proposita.

Die 16 augusti 1828 Sacra, etc. respondit ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Affirmative, exceptis iis, de quibus aliter cautum fuerit in fundatione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 184-192, 203].

[1] Cf. N. 3186.
[2] Cf. N. 3471.
[3] Thesaurus Resolutionum, tom. 80, p. 149-154, 160.
[4] Thesaurus Resolutionum, tom. 86, p. 241-245.
[5] Liber 53 Decretorum, p. 186.
[6] Thesaurus Resolutionum, tom. 78, p. 41-43, 47.
[7] Thesaurus Resolutionum, tom. 87, p. 214.

4019.

S. C. C., *Senen.*, 16 aug. 1828.

In Senensi et in finitimis Dioecesibus nonnumquam accidit, ut obstetrices pueros periclitantes sacro regenerationis lavacro abluerint hac adhibita forma: *Io ti battezzo col nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo. Amen.* Ex hac Baptismatis forma quidam haerere coeperunt de Sacramenti validitate, ac rem ad proprios detulerunt animarum Curatores, quorum plerique validum existimantes collatum Baptismum, illum vel sub conditione reiterare detrectarunt; nonnulli autem contrarium arbitrantes, Baptismum denuo conferendum censuerunt. Hac de causa se minus recte gessisse, ac propter reiteratum Baptisma irregularem evasisse dubitans Aloisius Papi olim Rector Paroeciae S. Christophori a *Vagliali* Senarum consuluit Archiepiscopum. At prudens Antistes probe noscens causas maiores et difficiliores quaestiones fidem aut disciplinam spectantes deferendas esse ad Apostolicam Sedem, Summum adiit Pontificem hac super re pontificium implorans oraculum.

Re huic Sacro Ordini ablegata memoratus Archiepiscopus rogatus fuit, ut referret, an mulieres baptizantes recte sentiant de catholica religione, ita ut novum errorem inducere voluerint. Is vero responsum dedit: *È fuori di ogni dubbio, che non per poca religione, nè per indurre un nuovo errore, ma per sola ignoranza le levatrici usarono la formula, col nome ecc.*

Quum Baptismatis Sacramentum characterem imprimat, infantes, etiamsi domi in casu necessitatis baptizati sint, nec sub conditione sunt denuo sacro lavacro tingendi, *nisi adsit probabile dubium invaliditatis Baptismi*, ut respondit haec S. Congregatio 27 martii 1683 apud Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, 84, n. 7, secus et dans et accipiens irregulares evadunt: cap. *Ex litterarum, de apost. et reiter. Bapt.*, S. C. in *Sutrina*, 12 iulii 1794.[1] In praesenti igitur casu perpendere oportet, an ob immutatam Baptismi formam probabile subsit dubium de Sacramenti validitate. Verum eiusdem vocis mutationem haud secumferre substantialem formae corruptionem facile intelligitur, si animadvertatur, omissionem praepositionis *in*, et subrogationem vocis *col*, minime sensum moralem destruere, aut invocationem tollere SSmae Trinitatis. Quae igitur obtigit mutatio, accidentalis est iudicanda, nullumque suppeditat probabile dubium, quod suadeat Baptisma esse denuo conferendum: siquidem accidentalis mutatio irritum non reddit Sacramentum, nisi, uti monet Angelicus Doctor, 3 Part., quaest. 60, art. 8, aliquis formam sic mutando intendat alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, quia non videtur, quod intendat facere, quod facit Ecclesia. At vero longe abfuit in praesenti casu animus novum inducendi ritum. Qua ex re Baptismus ab obstetricibus sub illa forma ex ignorantia collatus ne sub conditione quidem est reiterandus, ut in simillimis casibus declaravit S. C. Supremae

[1] Cf. N. 3890.

Inquisitionis die 23 maii 1720, similiter haec S. C. in *Forosempronien.*, 24 maii 1823.[1] Ne tamen in posterum propter obstetricum ignorantiam nova Baptismi induceretur forma, et dubia orirentur, addidit: detur decretum, ut in *Ceneten.*, 12 maii 1753.[2] Restat nunc, ut sermo instituatur, an Sacerdos Papi in irregularitatem inciderit. Sane ipsum latebat, Congregationem Universalis Inquisitionis et hunc Sacrum Ordinem alias validum declarasse Baptismum sub illa forma collatum. Praeterea adversa infantis valitudo non sinebat, ut reiteratio Baptismi protraheretur, et revera *dopo qualche giorno*, ait Archiepiscopus, *la creatura cessò di vivere*. Verum non apparet infantis infirmitatem adeo gravem fuisse, ut tempus non suppeteret consulendi Archiepiscopum, vel saltem viciniores Parochos, antequam reiterationem Baptismi aggrederetur. Itaque EE. PP. definire dignentur:

I. *An sit validus Baptismus ex ignorantia collatus sub hac forma:* Io ti battezzo col nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo *in casu?*

II. *An, et quomodo sit providendum quoad futurum in casu?*

III. *An Sacerdos Aloisius Papi in irregularitatem inciderit, ita ut sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Detur decretum in Ceneten., *12 maii 1753.*

Ad III. Consulendum SSmo pro dispensatione ad cautelam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 221-225].

4020.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 16 aug., 20 sept. 1828.

Una tantum Sarzanae extat Paroecia, eaque in Cathedrali Ecclesia est constituta. Habitualis cura penes Capitulum residet, actualis vero penes duos Presbyteros Vicariorum titulo praeditos et ad Capituli nutum amovibiles. Huius Ecclesiae cathedram vix conscendit praesens Episcopus Aloisius Scarabelli, nihil inexpertum reliquit, ut Cathedralis suae Vicarii Curati diebus festis Sacrosanctum Evangelium explicarent; sed nec adhortationes, nec praecepta quidquam profuerunt. Huius rei principes auctores fuerunt ipsimet Cathedralis Ecclesiae Canonici, qui putantes, Vicarios suos nullo pacto adigi posse ad Evangelii explicationem, ipsis inhibuerunt, ne Episcopi monitis parerent. Quamquam enim onus explicandi Evangelii Parochis incumbere non inficientur Canonici, nihilominus munus illud in Ecclesia Cathedrali ita solius Episcopi proprium esse arbitrantur, ut Vicarii Curati plane immunes sint; eoque firmius huic opinioni adhaerent, quod nec Canonici, nec Vicarii explicationem Evangelii in Cathedrali templo unquam expleverint. Hinc factum est, ut Canonici ab Episcopi decretis appellationem interponerent et ad S. Congregationem confugerent.

Supplex illorum libellus Sarzanensi Episcopo ablegatus fuit, qui refert,

[1] Cf. N. 3981.
[2] Cf. N. 3629.

plurimos valde conqueri, res fidei et morum ipsis mane nullimode tradi; populos rurales et agrestes magis in rebus religionis instrui, quam populum huius Civitatis in praesentiarum. Exinde flagitantibus utriusque partis Defensoribus, concinnata fuerunt dubia inferius referenda.

Quoad 1. dubium non diffitetur Episcopus, praedicationem Evangelii sibi praecipuum in modum incumbere ex Tridentin. Synod. Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, verum contendit, Parochos omnes, ac etiam qui in Cathedrali Ecclesia curam exercent animarum, obstrictos esse diebus festis ad praedicandum Sanctum Iesu Christi Evangelium, ut in Sess. 5, cap. 2, *de ref.*, et Sess. 22, cap. 8, *de ref.* Tridentini Concilii sanctioni concinit Synodus Dioecesana Sarzanae, cap. 38, § 6. Ab huiusmodi onere frustra se eximere conantur, qui in Ecclesia Sarzanensi Parochi munere funguntur, contendentes officium illud in Ecclesia Cathedrali uni Episcopo imminere, uti resolvit haec S. C. in *Pientina*, 14 septembris 1748.[1] Nec immunitatem a praedicatione Evangelii sibi quaerere valent ex immemorabili consuetudine, ista enim, utpote iuri divino et canonico adversa, corruptela est ac proinde reiicienda: cap. ult. *de consuet.*, immo eam nedum reprobavit Tridentina Synodus, Sess. 5, cap. 2, *de ref.*, sed etiam Innocentius XIII in const. *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723,[2] quam confirmavit Bened. XIII in const. *In supremo*, 23 septembris 1724.[3] Quoque itaque sese vertant Vicarii Curati Sarzanensis Ecclesiae, praedicationem Evangelii effugere nequeunt. Similiter quoad 2. explorati iuris est, ad Parochos pertinere denunciationes matrimoniorum, vigiliarum et dierum festorum ex Trident. Synod. Sess. 24, cap. 1, *de ref. matrim.* Erit nunc Emorum Patrum decernere:

1. *An, et ad quem spectet explicatio S. Evangelii diebus festis in Ecclesia Cathedrali in casu?*

2. *An, et ad quem spectent denunciationes matrimoniorum, vigiliarum et dierum festorum in casu?*

Die 16 augusti 1828 Sacra, etc. respondit: Dilata ad primam omnino et infallenter, non retardata executione decreti diei 22 iunii 1827 (quo decreto litterae datae fuerunt Episcopo, ut iuris et facti remediis compelleret Curatos ad prosequendam concionem iuxta mandata Episcopi).

Die 20 septembris 1828 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad Vicarios Curatos, et amplius.

Ad 2. Affirmative, ut in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 207-213, 240].

[1] Cf. N. 3602.
[2] Cf. N. 280.
[3] Cf. N. 283.

4021.

S. C. C., *Neapolitana*, 20 sept. 1828.

Bis iam dilata fuit resolutio huius causae, videlicet diebus 15 septembris 1827 [1] et 26 ianuarii proxime praeteriti. [2] Tandem Aloisius Romam venit, paratumque se exhibuit ad subiiciendum corpus suum peritorum recognitioni. Quapropter delectis tribus in arte medica et duobus in arte chimica peritis, adhibito Defensore matrimonii ex officio deputato, ceterisque servatis solemnitatibus peritia super inspectione corporis viri statim confecta fuit. Periti autem omnes, quamvis Aloisium in externa partium constructione nullo quidem vitio, quod rem maritalem impediat, laborantem proclamaverint: nihilominus, quum ipse in facto periculo nullum dederit viripotentiae signum, penis vero ac nervorum debilitas internam panderet paralysim, eum in illa rerum conditione constitutum ad coeundum omnino impotem declararunt. Omnes porro dixerunt, se haud posse iudicium ferre, utrum Aloisii impotentia *sia originaria o sopravvenuta*, nec etiam, quatenus accidentalis fuerit, *se sia accaduto prima o dopo il matrimonio*, licet Doctor Morchini subdat: *ma mi persuado, che l'abuso dei piaceri in tempo precoce abbia prodotto il vizio nervoso, del quale ho più volte parlato*. Insuper Ioannes Baptista Bomba Aloisium perpetuo et absolute impotentem denuntiavit. Aloisius Pompei dixit: *ho forte argomento di dubitare, che la di lui impotenza sia immedicabile, invincibile e perpetua*. Dominicus Morchini ac Ioseph Sisco Aloisium perpetuo impotem existimarunt, saltem ad rem cum virgine habendam. Petrus autem Lupi retulit, vitium, quo Aloisius afficitur, esse *piuttosto temporaneo e vincibile, non essendovi alcun difetto di organizzazione*.

Postulat hinc Mariae Defensor, ut Emi Patres praevio recessu a decisis super nova inspectione corporis mulieris, consilium praebeant Summo Pontifici pro exorata matrimonii rati et non consummati dispensatione. Unde quaeritur:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis super nova inspectione mulieris in Urbe in casu?* Et quatenus recedendum a decisis:

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Recedendum a decisis.

Ad II. Affirmative, adiecta lege Aloisio de Mauro non transeundi ad alia vota. [3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 233-236].

[1] Cf. N. 4012.
[2] Cf. N. 4014.
[3] Cf. N. 4023.

4022.

S. C. C., *Brictinorien.*, 22 nov. 1828.

Plures adversus decretum ab hodierno Brictinoriensi Episcopo die 8 decembris 1822 pro instaurando et gubernando Cathedralis Ecclesiae Capitulo editum excitarunt querelas nonnulli Canonici, easque ad hanc S. Congregationem detulerunt. Rei seriem, memoratasque controversias narrat ac expendit votum Emi et Rmi Cardinalis Falzacappa. Quid sit decernendum, ex eodem voto dignoscent Emi Patres.

Docet igitur Emus Relator: « Recte sese gessit Episcopus, dum cap. III horarium pro absolvendis divinis officiis constituit. Verum, ut docte monet Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 4, cap. 2, facile eluderentur laudabiles Constitutiones, nisi in singulis Cathedralibus et Collegiatis ii constituti essent, qui olim Obedientiales, nunc vero Punctatores nuncupantur, quique saltem duo fideliter, ac remota qualibet suspicione fraudis, notare curent, quotquot singulis diebus a choro, sacrisque functionibus se subducunt. Haec autem addit doctissimus Pontifex: *Ex his duobus deputandum unum a Capitulo, alterum ab Episcopo decrevit S. Carolus Borromaeus... quibus vestigiis laudabiliter et sancte plures alii Episcopi haeserunt. Atque universim loquendo electos in Punctatores, priusquam officium assumant, esse iureiurando obstringendos ad illud fideliter obeundum edixit S. C. in Maceraten., 26 aprilis 1664... Cumque postea dubitatum fuisset, coram quo praedictum iuramentum praestandum esset, S. C. praestandum censuit coram illo, a quo Punctator fuisset electus.*

Laudandus igitur Episcopus, qui in cap. VI. praescripsit electionem duorum Punctatorum. Sed cum etiam praescripserit, ut ambo coram se iusiurandum de fideliter punctando emitterent, rem ita conciliandam putarem, ut iuxta methodum a S. Carolo statutam et a Benedicto XIV laudatam, ex duobus Punctatoribus unus ab Episcopo, alter a Capitulo eligeretur, qui coram deputante iuramentum praestarent ». Quapropter quaeritur:

II. *An, et coram quo Punctatores praestare debeant iusiurandum de munere fideliter obeundo in casu?*

VI. *An sit confirmandum decretum super punctaturis in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad II. Affirmative coram respectivo eligente iuxta votum Emi Relatoris.

Ad VI. Affirmative iuxta votum Emi Relatoris.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 256-296].

4023.

S. C. C., *Neapolitana*, 20 dec. 1828.

Aloisio et matrimonii Defensore instantibus rursus proponitur haec causa pluries iam agitata [1] sub hac dubiorum forma:

I. *An sit standum in primo vel in secundo loco decisis quoad primum dubium in casu?*

[1] Cf. N. 4012, 4014, 4021.

II. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu?*
Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. In secundo loco decisis.
Ad II. In decisis.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 88, p. 327].

4024.

S. C. C., *Signina*, 20 dec. 1828.

Eurosia Azzocchi e terra Gabiniani Signinae Dioecesis ex hac vita anno 1825 migratura proprio Confessario Aloysio Cipriani pandidit, quid de bonis suis post mortem faciendum optaret: nempe imprimis, ut cuncta fere bona mobilia titulo legati tribui possent partim consanguineis et affinibus suis, partim pluribus aliis personis, ita ut septemdecim numerarentur legatarii. Praecepit insuper, ut quaedam domus et stabulum divenderentur, ac pretium in Missarum celebrationem quamprimum erogaretur. Dein viro suo Faustino Bajocchi reliquit quandam vineolam ea lege, ut tertia pars valoris eiusdem vineolae similiter conferretur in Sacrorum celebrationem. Tandem memoratum Faustinum heredem in reliquis bonis fecisse videtur, eidem caetera bona relinquendo. Hanc testatricis dispositionem in informi quodam folio descripsit Confessarius, qui iuris utriusque penitus ignarus, nullam adhibuit solemnitatem, ac solummodo accersivit duos testes, scilicet Aloysium Biasi et Franciscum Pasquini, quibus adstantibus et audientibus patefecit extremam Eurosiae voluntatem, eamque suam esse pia testatrix integris sensibus perspicuisque verbis ac nutibus declaravit confirmavitque, quod quidem nemo ex interesse habentibus inficiatur.

Defectus huiusmodi solemnitatum, quas postulant etiam sacri canones pro testamentis ad profanas causas, viam stravit successioni ab intestato, ac demortuae hereditatem adiit eius germana soror Angela Azzocchi Cerbara, cui testatrix tantummodo legaverat tres modios frumenti. Heres tamen pium Missarum legatum viribus suis stare intelligens, supplicem huic S. Congregationi obtulit libellum, quo ob tenuitatem assis hereditarii congruam postulat Sacrorum imminutionem.

Episcopus pro informatione ac voto rogatus praedicta confirmans, quamvis nullius roboris existimet Eurosiae dispositionem quoad legata profana, nihilominus censet, heredem ab intestato obstrictam esse ad pii legati adimplementum, quoniam Confessarius et alter ex testibus Ioseph Biasi, qui adhuc vita fruitur, fidem perhibeant, eam fuisse testatricis voluntatem, suae supra descripta est. Refert insuper Episcopus, cuncta bona hereditaria pertingere ad summam circiter scutatorum 160. Pretium autem bonorum, quae in Missarum celebrationem forent eroganda, vix summam excedere scutatorum 90. Quae cum ita sint, pergit Episcopus: « mea quidem sententia, licet caetera bona ab herede tuta conscientia possideri possint, attamen pretium domus stabulique, necnon tertiae partis superficiei vineae erogandum est in suffragium animae Eurosiae. Sed quoniam SS. Missae Sacrificium praecipuum quidem est animabus defunctorum suffragium, sed non unicum, cum et eleemosynae et alia pia opera defunctis fidelibus suffragari possint: non abs re esse arbitrarer, si eiusdem pretii dimidium in celebrationem Missarum pro anima testatricis impenderetur, aliudque dimidium converteretur in eleemosynas pro rata erogandas legatariis in folio descriptis, qui omnes vera paupertate laborant, quibus proinde subsidium aliquod, licet parvi momenti praestitum non leve arbitror esset animae Eurosiae suffragium ». Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Lectum ad instantiam; et pium legatum executioni mandetur iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.

[Liber 171 Decretorum, p. 547].

4025.

S. C. C., *Baren.*, 24 ian. 1829.

Sacerdos Ianuarius de A., oppidi B. Barensis Dioecesis, 30 abhinc annis tamquam homicidii et furti socius accusatus ad triremes damnatus fuit. Anno 1815, dum hanc luebat poenam, Sacrum facere coepit tum Aquilae, tum in eiusdem civitatis arce, praevia tamen irregularitatis dispensatione, quam illi Ordinarius loci rogante militum Praefecto impertitus est. Poena carceris expleta ad patriam anno 1826 remeavit, et monitus a Barensi Archiepiscopo Missa celebranda abstinuit, supplicesque huic S. Ordini obtulit preces dispensationem postulans ab irregularitate, in quam incidit.

Archiepiscopus de informatione et voto rogatus respondit, Oratorem non complicem fuisse in actu ipso criminis, sed secreto consensu et remota cooperatione participem fuisse in furto aliquo cum homicidio in detrimentum Baronis loci patrato. Addit, poenam carceris eum iam penitus absolvisse, ribus circiter abhinc annis ad patriam se contulisse, sextum supra quinquagesimum aetatis agere annum, bonis moribus, et extrema paupertate eum commiserationi publicae se commendasse. Et obtenta remissione partis laesae, ait Archiepiscopus, se in ea versari opinione, ut S. Congregatio a censuris absolvere et ab irregularitate dispensare, et celebrationem Missae ei permittere possit sine timore scandali vel admirationis in populo. Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Praemissis spiritualibus exercitiis in aliqua religiosa domo ab Archiepiscopo designanda, pro gratia dispensationis iuxta petita, facto verbo cum SSmo.

[Liber 172 Decretorum, p. 229 a tergo].

4026.

S. C. C., *Derthonen.*, 12 sept. 1829.

Restituta Derthonensi Sede anno 1817, Pius VII Capitulo Cathedrali noviter erecto facultatem tribuit, ut Statuta quaecumque, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et constitutionibus apostolicis minime repugnantia, praevio Ordinarii loci examine et approbatione de novo edere, atque edita

reformare... possent. Itaque Derthonensis Ecclesiae Canonici exemplar conditarum legum die 8 maii 1823 Episcopo obtulerunt, qui omnibus cognitis matureque perpensis eas probavit. Verum vix uno alterove anno a latis Statutis elapso, nonnullae Episcopum inter et Canonicos exarserunt quaestiones. Etenim Canonici praeter novissima Statuta contrarias etiam antiquissimasque consuetudines pro lege habendas, atque pro temporum adiunctis observare sibi fas esse arbitrabantur. Hinc vetustis privilegiis, veterique innixi consuetudine sibi ius esse contendebant post absolutas Vesperas recitandi Matutinum diei sequentis, idque a die prima novembris ad Paschatem usque Resurrectionis; item diebus ferialibus tum Vesperas, tum Missas Conventuales sine cantu absolvendi; similiter gaudendi quotidianis distributionibus tempore vacationum, etsi choro non interessent. Contra Episcopus vetusta Capituli privilegia iam penitus extincta autumans capitulares Constitutiones a Canonicis omnino ad unguem servandas tuebatur. Denique ne graviores de caetero contentiones emergerent, rem ad hunc Sacrum Ordinem detulit, petiitque, ut dubia in calce huius folii descripta EE. VV. dirimenda proponerentur.

Episcopus, cui eiusdem preces ablegatae fuerant, ut Capitulo terminum indiceret ad iura sua deducenda coram S. Congregatione, refert: Capitulum Cathedrale Derthonense ex tredecim coalescit Canonicis ad quotidianam residentiam adstrictis, quatuorque qui ad festivam tantum tenentur, ac demum duobus Capellanis. Reditus porro Praebendarum Canonicalium, qui ante Capituli suppressionem erat omnino tenuis et exiguus, nunc ex Regis piissimi munificentia maior est effectus.

Qui Episcopi partes tuetur, omnia iura et privilegia, quae sive antiquioribus Statutis, sive vetusta consuetudine innitebantur, velit undequaque abrogata et deleta, quia inter Sedes Episcopales Pedemont. Provinciae apostolicis litteris anni 1803 suppressas ac penitus extinctas aderat profecto Sedes et Capitulum Derthonense. Porro quod pertinet ad 1. dubium, sane Statutorum praescriptio Matutinum mane recitandi, cohaeret tum universali Ecclesiae disciplinae, tum sacrorum canonum dispositioni: cap. *Presbyter, de celeb. Miss.* Quoad 2. dubium Statutorum sanctionem de Vesperis canendis tum consuetudini Ecclesiae Derthonensis consonam, tum apostolicis constitutionibus congruentem vocat Episcopi Defensor provocando ad Ioan. XXII in Extravag. unic., *de vita et honest. cleric.* De Missis porro conventualibus, etiamsi eadem die duae sint, cum cantu celebrandis in 3. dubio ostendit concordantiam cum ss. canonibus, ut cap. *Cum creatura, de celebr. Missar.* In 4. dubio quoad distributiones ab absentibus lucrandas urget ss. canones, qui distributiones singulis horis assignandas alacrioribus tribuunt absentiumque distributiones praesentibus accrescere volunt: Trident. Synod., Sess. 24, cap. 12, *de ref.*

Ex adverso Capituli Defensor sustinet, statuta, consuetudines et privilegia Derthonensis Capituli neque per apostolicas litteras anni 1817 super nova Sedium Episcopalium erectione, neque per novas Constitutiones a Canonicis conscriptas ullatenus fuissa abrogata aut imminuta. Nam Pius VII facultatem Capitulis in antiquum statum restitutis concessit nova condendi

Statuta, « salvis tamen et integris manentibus, vel in suo robore respective restitutis iuribus omnibus aut praerogativis, quibus Capitula praedicta ante annum 1803 potiebantur, et quibus hac nostra constitutione nominatim derogatum non fuerit ». Iam vero in Derthonensi Ecclesia vetustissima viget consuetudo, quae novissimis Statutis contraria est. Quaeritur:

1. *An Matutinum sit mane recitandum in casu?*
2. *An Vesperae sint quotidie cum cantu persolvendae in casu?*
3. *An, et quot Missae Conventuales sint cum cantu celebrandae in casu?*
4. *An Canonici absentes a choro tempore vacationum lucrentur quotidianas distributiones in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1., 2. et 3. Affirmative ad formam Constitutionum, et ad mentem. Mens est, ut Episcopus iusta accedente causa possit dispensare pro anticipatione Matutini et persolutione Vesperarum sine cantu, necnon indulgere, ut una tantum Missa Conventualis celebretur cum cantu, reliquae autem legantur ad quinquennium.

Ad 4. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 89, p. 196-209].

4027.

S. C. C., *Marsorum*, 30 ian. 1830.

Ex historiis aliisque monumentis non satis constat, utrum antiquitus in Ecclesia Collegiata S. Bartholomaei terrae Avejani solus Abbas vel etiam Canonici curam gererent animarum; utrum postquam Canonici a communi vita defecerant, parochialia munia a duobus Parochis seu Vicariis exercerentur. Post saec. XVI sane integrum animarum onus Abbati incubuisse, ipsum principem inter Canonicos retinuisse locum, statis quibusdam solemnioribus diebus Missam canere, nonnullasque alias peragere consuevisse sacras functiones, in dubium revocari non potest. Similiter compertum est, Canonicos Missam pro populo cum Abbate in orbem applicasse, Baptismatis Sacramentum ad annum usque 1667, ac interdum etiam postea, nulla petita venia administrasse, suaque fecisse ac etiam in praesens facere emolumenta a fidelibus offerri solita, Capitulum decimas omnes, ac funerum emolumenta percepisse, nonnullaque alia exercuisse iura, quae Parochi essent propria. Nihilominus vix aliqua anteactis temporibus Abbatem inter et Canonicos extitit controversia: nuper vero tam acris exarsit quaestio, ut partes hunc S. Ordinem sibi adeundum putaverint.

Episcopus rogatus de relatione et voto, ab animi sui pandenda sententia abstinuit. Convenit inter partes, actualem animarum curam penes Abbatem Curatum integre iamdudum residere, sed ad trutinam vocatur, an cura habitualis sit penes Capitulum, an istud quaedam sibi reservaverit iura. Iam vero hodiernus Abbas Antonius Spina contendit, nullo unquam tempore neque actualem neque habitualem curam penes Canonicos Capitulumque extitisse, eamque plenariam et omnimodam ad Abbatem S. Bartholomaei perpetim pertinuisse, sive primordia eiusdem Ecclesiae, sive

postera ac novissima spectentur tempora. Etenim memoratus Abbas, antequam rurales Abbates communi consilio in Ecclesiam S. Bartholomaei se conferrent, unicus ac legitimus erat Curator animarum Avejanensium, neque huiusmodi cura postea unquam privatus fuit, imo eam plane retinuit et nunc quoque retinet. Testes appellat sacras visitationes, ac praesertim illam anni 1682, in qua legitur: *cura animarum, quae est unica in hac terra, residet penes Abbatem Caput Capituli*. Praeterea subdit Abbatis Defensor, ut cura habitualis penes Capitulum resideat, et Abbas S. Bartholomaei Vicarius Capituli dicatur, oporteret, ut Canonici ostenderent, se animarum curam olim proprio iure gessisse, ac dein curam actualem in Abbatem S. Bartholomaei transtulisse. At neutrum demonstrant: inde exploratum censet, nedum actualem, sed etiam habitualem curam penes Abbatem existere, quod consonum est etiam immemorabili consuetudini.

At Canonicorum Defensor initio tam habitu, quam actu, postea habitu dumtaxat penes totum Capitulum fuisse existimat animarum curam. Qui enim originem Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomaei parumper inspicere velit, facile intelliget, eam coaluisse ex Parocho Avejanensi atque ex Parochis fucensis agri, qui una cum vicanis domicilium et habitationem Avejanum transtulerunt. Ex historia enim apparet, Presbyteros, qui vicis praeerant, suas inibi habuisse ecclesias, Abbatis titulo fuisse insignitos, saparatum territorium, peculiaresque habuisse greges, ac postea simul cum incolis a suis pagis transmigrasse et Avejanum se contulisse. In discrimen itaque adduci non potest, eosdem Abbates veros ac proprios fuisse animarum curatores. Verum post transmigrationem suum quisque propriae ecclesiae titulum retinuit, nec Abbatis nomen ab se abdicarunt, donec unus constitutus fuerit Rector, qui animarum cura Capituli nomine fungeretur. Toti capitulari corpori animarum curam insitam fuisse vel ex eo aperte colligitur, quod anno 1599 per duos Capellanos seu Curatos illa exercebatur: cum enim una ecclesia duos habere nequeat Parochos, ideo exercitium curae non uni, sed pluribus commissum, demonstrat, curam habitualem residere penes Capitulum. Ex Tridentina Synodo, Sess. 7, cap. 7, *de ref.* factum quidem est, ut actualis animarum cura in Abbate coalesceret, verum habitualis penes universum Capitulum remansit. Quibus positis quaeritur:

1. *An cura habitualis parochialis et Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomaei sit penes Capitulum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *Affirmative*.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 2-13].

4028.

S. C. C., *Fabrianen.*, 30 ian., 20 mart. 1830.

Confratres Sodalitatis sub titulo SS̃mi Cordis Iesu in ecclesia S. Onuphrii erectae ineunte anno 1823 supplicem s. m. Pio VII obtulerunt libellum, quo enixis precibus postulavere, *che i loro corpi abiano l'ecclesiastica seppoltura nella suddetta loro chiesa, ossia nella camera di cemeterio annessa alla medesima*.

Sui voti compotes facti sunt. SS̃mus enim die 10 ianuarii 1823 remisit preces arbitrio et prudentiae Ordinarii, qui die 20 martii eiusdem anni rescriptum edidit pro executione gratiae, salvis omnibus iuribus parochialibus. Anno 1825 duo Sodalitatis Confratres fato cesserunt: Comes Antonius Giampè et Canonicus Hieronymus Stelluti, qui in ecclesia Sodalitatis sepeliri, ibidemque exequias peragi voluisse ex eorumdem testamentariis tabulis constat. Hinc gravis admodum inter Parochos, eiusdemque Sodalitatis Confratres de iure funeris efferbuit lis.

Sodales contendebant, ecclesiam S. Onufrii ex apostolico rescripto et decreto executoriali Episcopi ius sepeliendi seu funerandi obtinuisse, ideoque funebria officia in eadem ecclesia esse absolvenda, et ad Confraternitatem dempta portione canonica pro Parochis, cuncta pertinere funerum emolumenta. Contrarium evincere conabantur Parochi inquientes, memoratam ecclesiam numquam acquisivisse ius tumulandi et exequias explendi, sed tantummodo sepulcrum pro Confratribus prope illam ecclesiam excissum subrogatum fuisse publico coemeterio, quo ceteroquin ex edictali lege anni 1817 a S. C. Consultationis lata vel ipsorum Confratrum cadavera post parentalia fuissent pro humatione deferenda.

Ordinarius per modum provisionis decrevit, ut factis prius exequiis in propria defunctorum parochiali ecclesia, cadavera deferrentur humanda in sepulcro Societatis Cordis Iesu, emolumenta vero funeris retinerentur loco depositi consignanda exinde cui de iure, idque sine praeiudicio iurium ad ambas partes spectantium. Ad interrogationem porro Parochorum Episcopus die 23 augusti 1825 hisce verbis mentem suam aperuit: Nel dare esecuzione ai rescritti risguardanti gl'indulti ottenuti di particolare tumulazione tanto dalla Compagnia del Cuor di Gesù, quanto dalle altre Confraternite e famiglie non abbiamo inteso in alcun modo di accordare alcun diritto di esequie e funerali, che abbiamo voluto e vogliamo pienamente conservato come in addietro, alle respettive parrocchiali chiese, null'altro intendendo di accordare con i nostri decreti esecutoriali, che la tumulazione del cadavere nell'impetrato sepolcro speciale in sostituzione del pubblico cemeterio.

Verum sedatam hac declaratione litem iterum SS̃mi Cordis Iesu Sodalitas concitavit, supplicemque die 25 maii 1829 huic Sacro Ordini libellum dedit, orans, ut restitutis iis, quae ex Vicarii Generalis decreto depositi loco retinentur, ius et emolumenta funeris, excepta tamen quarta, quae ex Tridentini Concilii sanctione [1] praestari Parochis debet, congruere sibi ab Sacro eodem Ordine decernatur.

Fabrianensis Antistes pro informatione et voto rogatus praenarrata confirmat, ac subdit: quod si res in aliqua dubitatione versaretur, pro Paroeciarum iure standum esse arbitrarer.

Urgent Confratres, neque in supplici libello Apostolicae Sedi porrecto, neque in Episcopi decreto occurrere mentionem eamdem ecclesiam iure tumulandi haud praeditam esse, ac tantummodo illius sepulcrum publico coemeterio fuisse subrogatum. Quod quidem cum probe noverit idem Anti-

[1] Sess. XXV, *de ref.*, c. 13.

stes, declarationem Sodalitati penitus adversam nullis servatis solemnitatibus et post biennium executionis gratiae petitae edidit. Restat igitur, ut Confraternitatis ecclesia legitimo gaudeat iure sepeliendi, ex quo sequitur, quod cadavera defunctorum, qui sibi sepulturam in ea elegerint, recto tramite ad tumulantem asportanda sint, ibique officia funeris peragenda: S. C. in *Lucana*, 14 martii 1722,[1] et in *Civitatis Castellanae*, 18 februarii 1764,[2] omniaque funeris emolumenta, dempta quarta funeraria pro Parocho defuncti, ad ecclesiam tumulantem spectare: S. C. in *Asculana*, 29 aug. 1733.[3]

Verum Parochi intercedere aiunt discrimen inter ius sepeliendi seu funerandi alicui ecclesiae concessum, et veniam, quam Episcopus tribuit, ut Confratrum cadavera post parentalia in aliquo potius sepulcro, quam in publico coemeterio condantur. Primo quidem casu ad ecclesiam, quae eiusmodi gaudet iure, omnia pertinent funerum emolumenta, dempta quarta pro Parocho, dummodo tamen in eadem ecclesia iusta persolvantur; secus tamen iudicandum in altero casu, quo cadaver exponatur ac tumuletur in ecclesia non parochiali ac ius sepeliendi non habente: tunc enim nedum quarta funeris, sed omnia emolumenta ad Parochum defuncti pertinere docet S. C. in *Senogallien.*, 24 ianuarii 1739[4] et in *Ariminen.*, 16 iunii 1827.[5] Porro in themate ecclesiam S. Onuphrii nullo donatam esse iure funerandi ex praenarratis adeo exploratum censent Parochi, ut vix aut ne vix quidem aliqua excitari queat dubitatio. Dubia sunt:

1. *An ecclesia Societatis SSmi Cordis Iesu gaudeat iure sepeliendi seu funerandi pro Confratribus sepulturam ibidem sibi eligentibus in casu?*

2. *An, et ad quem spectent emolumenta funerum Antonii Giampè et Hieronymi Stelluti in casu?*

Die 30 ianuarii 1830: Non proposita.

Die 20 martii 1830 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative, firmo remanente indulto s. m. Pii VII.

Ad 2. Affirmative ad Parochos.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 40-48, 70].

4029.

S. C. C., *S. Miniati*, 20 mart. 1830.

Franciscus Baldereschi in oppido Palajae Dioecesis S. Miniatis cum primis adolescentiae annis ecclesiasticae militiae nomen dedisset, itaque vitam egisset suam, ut nulla de illius integritate morum suboriri posset suspicio, clericalem tonsuram duosque primos minores Ordines ab suo Antistite suscepit. At ineunte aetate, immutatisque moribus adeo sensim a suscepta vitae ratione discessit, ut ne clericalem postea gestaret habitum, ab eodem Episcopo

[1] Cf. N. 3238.
[2] Cf. N. 3735.
[3] Cf. N. 3406.
[4] Cf. N. 3497.
[5] Cf. N. 4010.

interdictum sibi fuerit. Necdum poenalis isthaec lata fuerat ab Episcopo sententia, cum idem Baldereschi quamdam deprimens mulierem, quae suae virginitatis iacturam antea fecerat, cum ea fornicationis crimen admisit, quod etsi aliquandiu delituerit, progressu tamen temporis ex mulieris partu innotuit apertissime. Hinc apud criminale S. Miniatis Tribunal accusatione instituta, oeconomice tantum et sine forensi strepitu acta res fuit, eidemque Francisco praeter multam scutatorum 150, quam ad reficiendas partus expensas iam antea ipse luerat, die 17 februarii 1825 exilii poena irrogata est. E propria igitur patria extorris sese in Collensem anno 1825 recepit Dioecesim, ibique commorans adeo indubia dedit poenitentiae iugisque emendationis suae argumenta, ut eum Collensis Episcopus in illius Dioecesis Seminarium cooptaverit et quibusdam eiusdem Seminarii adolescentulis praefecerit.

Quod ubi novit S. Miniatis Antistes, suarum duxit esse partium literas ad Collensem dare Episcopum, ut ipsum de patrato a Francisco fornicationis crimine et de anteactae eius vitae ratione certiorem faceret. Non multum vero post temporis rogatus idem S. Miniatis Antistes, ut opportunam Collensi Episcopo veniam tribueret, qua hic posset in Franciscum Baldereschi omnes spiritualis iurisdictionis actus exercere, ac suae veluti habere Dioeceseos clericum, annuit votis, ac die 13 martii 1829 exoptatam remisit cessionem. Cuius quidem concessionis amplissima verba cum pro dimissorialibus literis Collensis habuisset Episcopus, nullumque existimasset ex admisso fornicationis crimine irregularitatis impedimentum oriri potuisse, Clericum Baldereschi, quem quatuor iam antea annis suae Dioecesis Seminario exceperat, ad reliquos primum minores Ordines, dein ad Subdiaconatum promovit.

Haec cum ita se haberent, Subdiaconus Baldereschi conscientiae suae prospiciens Sacrum adiit Poenitentiariae Tribunal, ut non modo absolveretur a censuris et ab irregularitate, in quas se incidisse arbitrabatur, verum etiam, ut ad Subdiaconatus obeunda munia aliosque Ordines recipiendos necessariam assequeretur facultatem. Licet vero quoad absolutionem a censuris susceptique Ordinis exercitium idem Orator sui voti compos evaserit, eum tamen iussit S. Poenitentiaria, ut pro aliorum Ordinum susceptione Sacram hanc exoraret Congregationem. Quamobrem supplicem huic Sacro Ordini porrexit libellum, ut ad Diaconatus et Presbyteratus Ordines promoveri ab Collensi Episcopo possit.

Rogatus S. Miniatis Antistes supra narrata confirmat. Collensis vero Episcopus nonnullas remisit animadversiones, quibus demonstrare nititur, nullo se praepeditum esse impedimento, quin Clericum Baldereschi ad Sacros Ordines promoveret, tum quia amplissima ab S. Miniatis Antistite facta sibi fuerat facultas, qua spiritualem iurisdictionem exercere in eumdem Clericum posset, tum quia ex fornicationis crimine et ex oeconomici exilii poena, quae nondum innotuerat, nullam putabat oriri potuisse irregularitatem. Cum enim fornicationis crimen infamiam iuris non irroget, luculenter evincitur, Clericum Baldereschi infamiam dumtaxat facti contraxisse. Infamia autem facti, licet ex enormi crimine oriatur, constanti tamen et publica trium annorum emendatione penitus tollitur: cap. *Testimonium*, 54, *de testib.*

et attest., et cap. *Numquam*, 4, Dist. 56, itemque S. C. in *Spoletana*, 19 ianuarii 1737.[1] Si igitur sublata infamia necesse est, ut omnis tollatur irregularitas, inficiari profecto nequit, Clericum Baldereschi nullo irregularitatis impedimento praepediri, ac proinde ad Sacros Ordines posse iuxta constitutas ab Ecclesia leges promoveri. Quaeritur:

I. *An Subdiaconus Baldereschi ordinari possit ab Collensi Episcopo absque literis dimissorialibus Episcopi S. Miniatis in casu?*

Die 20 martii 1830: Non proposita.

Die 24 aprilis 1830 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative, facto verbo cum SSmo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 76-86, 88].

4030.

S. C. C., *Lucana*, 24 apr. 1830.

Sacerdos Aloisius Bonifazi ex bonis Capellaniae, quae extabat in paroeciali ecclesia di *Montefegatesi*, probante Sede Apostolica septimum in Ecclesia S. Alexandri Lucensis Civitatis erexit Canonicatum anno 1823, *con dovere il detto settimo Canonico essere soggetto a tutte le leggi ed oneri, a cui sono sottoposti gli altri Canonici di detta Collegiata.* Atque nunc ex delato sibi privilegio nominare exoptat nepotem suum Antonium Bonifazi Parochum. Huic tamen nominationi obstat S. Alexandri Capitulum, suumque assensum denegat, nisi memoratus Antonius aut Paroeciam antea resignet, aut ad residendum et ad singula Canonicatus onera explenda sibi eligat Coadiutorem. Hic igitur supplicem Sacro huic Ordini offert libellum *pregandolo a dichiarare, che il fondatore è in diritto di nominare il Parroco esponente, protestando di essere pronto a rinunziare alla Parrocchia, se il possesso di questa formasse impedimento per conseguire il Canonicato.*

Archiepiscopus pro informatione et voto rogatus refert, plurimas extare in Dioecesi Paroecias pastore viduatas, ac proinde de causa canonica concessionis gratiae ab Oratore imploratae ambigi nullo modo posse. Quoad vero incompatibilitatem choralis servitii cum Parochiali Beneficio, cum praefati Canonici S. Alexandri nulla lege ad residentiam teneantur, Orator ad suam honestam tuitionem unum et alterum ex enunciatis Beneficiis obtinere posse videretur saltem pro interim, et usque dum cessante deficientia Sacerdotum idoneorum Paroeciae, cui nunc praeest, per alium Parochum provideri possit.

Exploratissimum in iure est, ea Beneficia, quae residentiae legem adiunctam habent, adeo inter se incompatibilia esse, ut uno eodemque tempore retineri a Clericis ullo modo possint: Conc. Trident., Sess. 7, cap. 4 et Sess. 24, cap. 17, *de ref.* Nisi igitur Collegiatae S. Alexandri Canonicatus ab omni residentiae onere prorsus eximerentur, non poterant certe Canonici et eiusdem Collegiatae Canonicatum, et aliud residentiale Beneficium uno eodemque tempore retinere. Iam vero Canonicos S. Alexandri vel

[1] Cf. N. 3467.

antiquissimis usque temporibus residentiale Beneficium in Lucensi Metropolitana saepius obtinuisse luculentissima exempla testantur. Quae quidem, inquit Bonifazi, cum inficiari Capitulum nequeat, fateatur necesse est, S. Alexandri Canonicos nulla prorsus ad residendum lege obligari.

Verum Canonici censent aliter rem esse diiudicandam. Primum enim, inquiunt, revocari in dubium nullo modo potest, Ecclesiam S. Alexandri insignem esse Collegiatam. Iam vero Collegialium Ecclesiarum Canonicos ad residentiam omnimode obligari sancitum est a Tridentinis Patribus, Sess. 24, *de ref.*, cap. 12. Neque porro a residentia in Capitulis insignibus consuetudo excusat, uti declaravit S. C. in causa *Burgos*, a. 1573, Lib. 1 Decret., p. 35, apud Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 107, n. 2, neque satis habetur tenuitas redituum. Eo vel magis, quia revera S. Alexandri Canonici saepius pro absentiae indulto Sacram hanc exorasse Congregationem. Praeterea Canonicatum Bonifazi incompatibilem esse cum Paroecia, quam possidet Orator, vel ex eo patet, quod Parochus nequeat animarum curae incumbere, simulque munia choralia obire. Si vero EE. VV. Beneficia, de quibus agitur, incompatibilia iudicaverint, decernant, an saltem ad tempus sit Oratori concedenda dispensatio. Dubia sunt:

1. *An constet de incompatibilitate Paroeciae cum Canonicatu in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An sit supplicandum SSmo pro dispensatione in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative ad triennium, impletis oneribus Canonicatus per temporarium Coadiutorem.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 110-117].

4031.

S. C. C., *Asculana*, 26 iun. 1830.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Asculanae statuerunt *di adottare il sistema del Rmo Capitolo di Sinigaglia cioè di continuare l'assistenza del Coro con due terzi dei Coristi, ma di dividere per turno i nove mesi di servizio estraendoli a sorte, e colla facoltà della sostituzione, eccettuate però sempre le feste solenniori e le processioni pubbliche, nonchè il tempo quadragesimale e dell'avvento.* Antequam vero huiusmodi inserviendi rationem executioni committant, supplices huic S. Congregationi preces offerunt Canonici, ut tres conciliarium vacationum menses sibi denuo impertiantur.

Asculanus Episcopus pro informatione et voto rogatus hactenus exposita confirmat, Capitularesque Oratores voti compotes esse ipsi digni videntur. Quod vero spectat ad conditiones, quibus Canonici intendunt perficere substitutiones, refert: « solent vicissim, quando quavis de causa interesse nequeant, rogare eos, qui Chorum adire non tenentur ob vacationes conciliares, ut eorum vices expleant. Tali substitutione et ipsi tamquam praesentes exi-

[1] Cf. N. 4034.

stimantur, quin illorum repraesentantes ullum adipiscantur ius, et divinus cultus ullum patiatur detrimentum, cum eo modo requisitus Canonicorum numerus choro semper intersit. Sed huiusmodi substitutiones in Canonicos extra Dioecesim se conferentes minime admittendas putarem, ne generalium decretorum praescriptionibus quoad personalem residentiam officiatur; qui vero intra Dioecesim abeunt, sed extra suburbia, de licentia Episcopi tantummodo substitutiones facere possint ».

S. Concilium Tridentinum, Sess. 24, cap. 12, *de ref.* tres vacationum menses singulis annis concessit iis Ecclesiis, in quibus longius servitii tempus ex Capitularibus Constitutionibus aut peculiari consuetudine non requiritur. Itaque quum in Asculana Cathedrali nonnisi duo circiter vacationum menses centum amplius abhinc annis soleant existere, Canonicorum precibus indulgendum non esse videretur ex contraria inducta consuetudine. Porro, quum decreverit Tridentina Synodus in cit. cap., ut omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia, relicta hac severitate, Sac. Congregatio facilem se praebere coepit, ut in chorali praestando servitio sese invicem Capitulares substituerent hisce obstricti conditionibus, quae prostant apud Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, 107, n. 17, nimirum: 1. ne Substitutus ipse ad chorum venire debeat illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; 2. ne id frequenter contingat; 3. ut subrogentur Canonici solum vel Mansionarii praesentes in civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur; 4. demum, ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant, nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum Coadiutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt. Itaque proponuntur dubia:

1. *An, et quomodo ampliandae sint chorales vacationes in casu?*

2. *An Canonici intra Civitatem eiusque territorium degentes possint sese invicem in chorali servitio substituere in casu?*

3. *An sustineatur consuetudo, ut Canonici a territorio Civitatis absentes, sed intra Dioecesim commorantes, gaudeant substitutionis beneficio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative, dummodo substitutiones nimium frequentes non sint, nec ipse Substitutus eodem die in chorum venire debeat.*

Ad 3. *Negative.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 182-189].

4032.

S. C. C., *Faventina*, 26 iun. 1830.

Die 11 iunii 1825 dilata,[1] die vero 3 septembris eiusdem anni[2] resoluta fuit haec causa. Nunc vero Parochus Emiliani EE. VV. obtestatur, ut memoratam transactionem apostolico beneplacito roborare dignentur, atque insuper veniam impertiantur, ut ipse sextam terrulam

[1] Cf. N. 3995.
[2] Cf. N. 3998.

Le Larghe vendere possit heredibus Marci Magnani. Rogatus Episcopus, ut auditis iis, quorum interest, votum suum aperiret: censuit, memoratam transactionem cum Zambrinio initam in evidentem redundare Paroeciae utilitatem, ideoque Apostolicae Sedis approbatione dignam existimat. Similiter concedendam iudicat veniam alienandi praediolum *Le Larghe* ob evidentem utilitatem. Erit igitur EE. Patrum definire:

1. *An sit supplicandum SSmo pro approbatione transactionis in casu?*

2. *An sit concedendum apostolicum beneplacitum pro alienatione fundi* Le Larghe *in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *et* 2. *Affirmative iuxta votum Episcopi.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 189-192].

4033.

S. C. C., *Auximana*, 20 nov. 1830.

In ecclesia SSmae Trinitatis intra limites Praepositurali Paroeciae Philoptrani posita sub die 17 martii 1823 auctoritate Ordinarii erecta est Sodalitas Sacrorum Stigmatum S. Francisci, quae die 12 decembris eiusdem anni Archiconfraternitati Urbis aggregari meruit. Postulantibus sodalibus die 23 augusti 1826 Vicarius Apostolicus veniam memoratae Sodalitati concessit *di convertire il sotterraneo esistente sotto l'area della chiesa di SS. Trinità in due sepolcri soltanto per i defonti fratelli e sorelle della medesima Confraternita... osservate le leggi ecclesiastiche generali e sinodali, ed in particolare modo quelle, che si leggono nel Rituale Romano nel titolo* de sepulturis et exequiis, *e salvi altresì i diritti parrocchiali, e la quarta funerale ai Parrochi dovuta anche per lodevole consuetudine di Città.* Ubi alicuius dein Confratris vel Consororis accidit obitus, Praepositus ecclesiae matricis iusta persolvit in ecclesia SSmae Trinitatis, ac omnia sibi quaesivit funerum emolumenta; at demum Sodales, rati iuribus Confraternitatis hac ratione iacturam inferri, quartam dumtaxat emolumentorum pro funeribus quatuor Confratrum, qui anno 1829 ex hac vita migraverant, Parocho solvere nisi sunt. Confratrum conatibus vehementer restiterunt tum Praepositus, tum reliqui Parochi. Tunc annuente etiam Emo Episcopo Sodales ad hunc Sacrum Ordinem confugiendum putarunt.

Emus Episcopus pro informatione et voto rogatus pro Parochis sententiam suam pronunciavit. Verum ad exortam controversiam dirimendam illud inquirere oportet, utrum Vicarius Apostolicus, qui episcopalibus fruebatur iuribus, ius tumulandi et funerandi concesserit ecclesiae SS. Trinitatis, seu potius veniam solum tribuerit Sodalibus Sacrorum Stigmatum, ut eorum cadavera post exequiales ritus in sepulcris Confraternitatis potius, quam in publico coemeterio vel in parochiali sepultura tumulo traderentur. Ius quidem sepeliendi et funerandi impertitum fuisse acriter inficiantur Parochi. Etenim Sodales, nulla iuris tumulandi vel funerandi facta mentione, illud unum a Vicario Apostolico postulasse constat, ut sibi facultatem indulgeret

di *convertire in sepolcri* conclave ecclesiae SS. Trinitatis subiectum. Precibus consonum prodiit rescriptum, ac venia tributa est *di convertire il sotterraneo suddetto in due sepolcri soltando per i defonti Fratelli e Sorelle.* Praeterea adeo a veritate alienum existimant Parochi, Vicarium Apostolicum ecclesiae tribuere voluisse ius tumulandi, ut Parochorum iura sarta tecta aperte servaverit. At Confratres sustinent, se illud a Vicario Apostolico rogasse constat, ut eadem ecclesia frueretur iure tumulandi, non quidem pro omnibus, sed pro Sodalibus ibidem sepulturam sibi eligentibus. Quod sane perspicue elici autumant, si vis ac ratio decreti perpendatur: ea enim sub lege Vicarius Apostolicus privilegium sepulturae Confratribus impertitus est, ut iidem quartam funeralem Parocho defuncti solverent. Quartam autem persolvere nequit ecclesia, quae non polleat iure sepeliendi seu funerandi, cum quarta funeralis sit portio quaedam emolumentorum, quae occasione funeris obveniunt ecclesiae tumulanti seu exponenti: Benedictus XIII, const. *Romanus Pontifex*, [1] S.C. in *Asculana*, 29 augusti 1733. [2] Igitur si Vicarius Apostolicus quartam dumtaxat emolumentorum partem Parochis incolumem voluit, si reliqua emolumenta non ad Parochum, sed ad ecclesiam SS. Trinitatis pertinere edixit, certum exinde exploratumque est, eamdem Confratrum ecclesiam iure sepeliendi et funerandi gaudere. Erit nunc Eñorum Patrum definire dubia:

I. *An ecclesia Societatis Sacrorum Stigmatum Philoptrani gaudeat iure sepeliendi seu funerandi pro Confratribus et Consororibus sepulturam ibidem sibi eligentibus in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et quae funerum emolumenta spectent ad eamdem ecclesiam in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, excepta quarta pro Parochi defuncti ad formam consuetudinis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 90, p. 277-285].

4034.

S. C. C., *Lucana*, 14 maii 1831.

Resoluta fuit haec causa die 24 aprilis 1830. [3] Cum vero ad 2. temporaria tantum dispensatio daretur, nunc eadem causa iterum proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. et 2. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 91, p. 107].

4035.

S. C. C., *Reatina et Nursina*, 14 maii 1831.

Clericus Bernardinus Giuliani ex oppido Albaneti Reatinae Dioecesis, cum tribus circiter abhinc annis in Reatino Seminario studiis operam daret, ita convulsionibus affici coepit, ut morbum comitialem contraxisse putaretur.

[1] Cf. N. 284.
[2] Cf. N. 3406.
[3] Cf. N. 4030.

At postquam in Seminarium Nursinae Civitatis se contulit, ita convaluit, ut a mense ianuario anni 1830 in eundem morbum vix incidisse videatur. Cumque vigesimum secundum iam exegerit aetatis annum, dispensationem ab irregularitate, quatenus opus sit, enixis precibus efflagitat, ut Sacris valeat initiari Ordinibus.

Reatis non minus, quam Nursiae Episcopus pluribus prosequuntur laudibus Clericum Oratorem, eiusque commendant integritatem morum atque etiam studium in sacris addiscendis disciplinis, adeo ut Nursinus Antistes regimini Seminarii eum praeficere non dubitaverit. Quod vero pertinet ad morbum, haec refert Episcopus Reatinus: « Cum Orator in Seminario moraretur, quater vel quinquies in ultimo domicilii sui anno tali fuit affectus morbo, quem *convulsiones* appellant, ita ut extra sensus per quadrantem circiter maneret, eoque currente ululatus, salivam ex ore spumantem et subobscurum in vultu colorem emitteret. Professores physici vocati eum in se reversum inveniebant, nihilque eorum, quae acciderant, recordantem. Qui Iulianum noverant, praesentesque accessibus morbi aderant, convulsiones supradictas epilepticas iudicant. A biennio autem, ex quo Clericus Iuliani in Seminario Nursino moratur, de vicissitudinibus morbi huius ignarus sum ». Nursinus autem Episcopus eundem Clericum a convulsionibus convaluisse narrat: « Abhinc fere duobus annis, quibus Orator in hoc meo Seminario versatur, per duas tantum vices, et quidem noctu, leves quasdam convulsiones passus est, quas a primis diebus mensis ianuarii praeteriti anni 1830 amplius expertus non est. Et physicus Professor medio iuramento asserit, ab aliis causis, nimirum ab indigestione potius, quam ab epilepsia praedictos motus emanasse, easque contractiones non esse Oratorem in posterum vexaturas, prudenter ipse sperat ». Quamobrem uterque Episcopus censet Oratorem dignum esse gratia, quam instanter petit, praevia dispensatione ab irregularitate ex epileptico morbo proveniente, si motus elapsis annis quandoque experti ex dicta causa originem fortasse habuerint. Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis ab irregularitate, dummodo ante promotionem ad Subdiaconatum in morbum non inciderit, et firma eadem conditione pro susceptione reliquorum Ordinum, citra dispensationem ab interstitiis, arbitrio et conscientia Episcopi Reatini, facto verbo cum SSmo.

[Liber 174 Decretorum, p. 307].

4036.

S. C. C., *Suessana*, 30 iul., 27 aug. 1831.

Peregrinorum hospitium, cui adhaeret ecclesia a S. Iacobo nuncupata, Suessae a vetustis temporibus suo aere fundaverunt plures familiae, ex quibus etiam nunc eius gaudent patronatu familiae di Trauso e di Paolo. Ex his alternatim a conpatronis singulis bienniis eligitur Hospitii Magister,

qui expleto biennio rationem gestae administrationis Syndico reddere cogitur ex Statutis anno 1776 conditis. Huius legis custodiam intermittere coeperunt nuperrimi Administratores, quo factum est, ut Nicolaus di Paolo, qui Magistri munere pluribus functus est bienniis, in proprios converterit usus Hospitii reditus, eiusdemque evaserit debitor in ducatis 2400. Nicolao heredes extiterunt eius filii, quos inter Antonius et Iacobus. His in patriam a militia reducibus statim paternum innotuit debitum; at cum frequenti familia sint gravati, inopia premantur, ac militari, qua donati sunt, pensione vitam traducere adigantur: preces huic Sacro Ordini porrexerunt, ac debiti condonationem expostularunt.

Episcopus pro informatione et voto rogatus retulit, annuas Hospitii vires pertingere ad ducata 500, expensas vero ad ducata 400. Cum debitum contractum sit ex male gesta Nicolai di Paolo administratione, cuncti eius heredes pro viribus hereditatis damnum pio loco illatum rependere tenentur. Verum gravis profecto obligati paupertas legitimam suppeditat debiti condonationis causam. Perpendere quoque dignentur EE. PP., utrum Oratoribus tantummodo, quos gravi laborare inopia ex Episcopi relatione perspicue elicitur, sit debiti impertienda condonatio, vel etiam ad reliquos fructuum debitores certis legibus protrahenda. Videant etiam, an ad rectam bonorum administrationem sit Hospitii Magistro inculcanda observantia Statutorum anni 1776 super rationum redditione. Imo cum in Hospitii fundatione aliter statutum non fuerit, etiam Episcopo redituum rationem exhibendam esse patet ex Tridentina Synodo, Sess. 22, cap. 9, *de ref.* Dubia sunt:

1. *An, et quomodo supplicandum SSmo pro condonatione favore Oratorum in casu?*

2. *An, et quae condonatio sit concedenda aliis Hospitii debitoribus in casu?*

3. *An Magister Hospitii teneatur reddere rationem administrationis in casu?*

Die 30 iulii 1831: Non proposita.

Die 27 augusti 1831 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, impertita Episcopo facultate transigendi iuxta vires Oratorum, auditis reliquis compatronis.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative ad formam Statutorum, et Episcopus utatur iure suo ad praescriptum Concilii Tridentini, Sess. 22, cap. 9, de ref.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 91, p. 219-222, 224].

4037.

S. C. C., *Platien.*, 28 ian. 1832.

Hodiernus Platiensis Episcopus Hieronymus Aprile et Benzo in Sicilia adeo in utriusque genibus podagrico morbo laborat, ut prae summa et assidua ipsius morbi vi nequeat pedibus erectus consistere. Quapropter a Sacrosancto Missae Sacrificio in praesentiarum abstinere coactus, supplex SSmo Dño Nostro obtulit preces, quibus flagitat, ut, ne diutius spirituali Eucharistici ministerii fructu ac solatio careat, sibi liceat sedenti Sacrum ad altare celebrare. Huiusmodi postulatio supremo Pontificis iussu ad hunc

S. Ordinem delata est, ut ea de re, quid EE. VV. senserint, palam comperiatur.

Ea iamdudum disciplina invaluit, ut corpore vitiati tamquam irregulares ab altaris ministerio repellantur, si nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem sacra munia obire queant: cap. *Presbyterum*, 1, *de cleric. aegrot.*, et cap. *Thomas*, *de corp. vitiat.* Porro S. Congregatio super ea, quae modo occurrit, irregularitatis specie dispensationem denegandum censuit in *Carpen.*, 24 novembris 1827 inter supplices libellos relata Sacerdoti Gelasio Pio, qui fracti cruris amputationi obnoxius facultatem petierat celebrandi Missam in sella eo artificio confecta, ut suis stare pedibus videretur. Verum illud praecipua animadversione dignum perspicitur, rem in casu esse de Episcopo, qui prae caeteris simplicibus Presbyteris tanto ratione Ordinis effulget gradu dignitatis, ut veluti in specula constitutus superintendat et custodiat populum. Huic autem christiani populi custodiae maxime conducit, ut ipse populus ad eos potissimum spiritualis alimoniae fructus communicet, qui ab Eucharistico Pastoris Sacrificio in totum gregem quotidie derivantur. Quapropter, ubi pro Missae celebratione agitur de irregularitatis dispensatione alicui Episcopo ex defectu corporis concedenda, videtur sane evidens adesse Ecclesiae utilitas. Caeterum, quod propius spectat petitum ab Episcopo Platiensi indultum, ut Missam sedendo litare valeat, id per Summum Pontificem concedi posse spectabilioribus Ecclesiasticis et Episcopis sanctitate conspicuis, docet haec S. Congregatio in *Sarsinaten.*, 21 aprilis 1792.[1] Denique vel alios sanctoris vitae Pontifices praenarratis exemplis erga Episcopos inhaesisse refert Bened. XIV in ep. ad Apostolicum Caeremoniarum Magistrum Reali.[2] Erit igitur dubium:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in privato sacello tantum, et adhibita sella ad usum Sacrificii affabre elaborata, per Breve.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 92, p. 36-38].

4038.

S. C. C., *Imolen.*, 14 apr. 1832.

Ioachimus Cerchiari Imolensis filium habet Bartholomaeum nomine unum et triginta annos natum, qui studiorum curriculo in Dioecesano Seminario perfunctus, se vel a prima pueritia in sortem Domini divinitus vocari testatur. Hic tamen, uti in supplici libello exponitur, *ebbe la disgrazia di nascere con un difetto di pronuncia in causa di avere l'ugola divisa, onde la sua vociferazione non è schietta, ma nasale, a modo però di essere inteso sul momento da chi abbia un poco di abitudine con lui, come costa dai certificati di due suoi Precettori.* Itaque Ioachim genitor, dum se novem masculorum

[1] Cf. N. 3879.
[2] Cf. N. 445.

prole oneratum refert, humillime flagitat, ut ab eiusmodi irregularitate apostolica dispensatio filio suo ad Sacros Ordines suscipiendos tribuatur.

Oratoris precibus ad Ordinarium pro informatione et voto remissis, Vicarius Generalis Imolensis haec ad rem rescripsit: « Bartholomaeus Cerchiari verba omnia sufficienter proferre valet, ita tamen, ut qui nunquam ipsi familiares fuere, quive ignorant, quae recitet, nullo fere modo percipere possint, quae pronuntiat verba, sed vocis tantum sonum audiant. Uno verbo supradictus Clericus balbutiens notabiliter censendus est. Porro Caeremoniarius in hac Ecclesia Cathedrali, quum experimentum specialiter commissum peregerit, aperte mihi fassus est, *che il pregiudizio organico nella schiettezza e chiarezza di pronuncia, di cui è affetto il Sig. Cerchiari, potrebbe ingerire ammirazione nel popolo, ma non notabile*. De reliquo non ad Sacramenta administranda, nec ad iuventutem erudiendam, nec ad aliud ecclesiasticum ministerium praeter Missae celebrationem satis aptum futurum adserere audeo ».

Etsi Orator ex recensito gutturis vitio summopere balbutire deprehendatur, non adeo tamen aut deformis aut debilis est, ut magnam de se admirationem in populo excitare vel parum decenter sacras cuiusque Ordinis caeremonias obire censeatur. Quodsi EE. VV. exploratis Doctorum sententiis Oratorem irregularitatis vinculo obstringi censeant, illud decernant oportet, utrum petita eidem dispensatio sit concedenda, vel potius deneganda. Equidem animadvertendum est, Saram hanc Congregationem facilius promoto, quam ad Ordines promovendo dispensationem tribuere consuevisse, ut in *Comen.*, 6 maii 1775,[1] in *Firmana*, 24 maii 1823,[2] etc. Dubium est:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 92, p. 175-178].

4039.

S. C. C., *Portuen. et Centumcellarum, 23 iun. 1832.*

Neocaesariensis Archiepiscopus et Lateranensis Canonicus Antonius Baldini, qui valetudinis curandae causa Centumcellas anno 1829 se contulerat, ibidem in aedibus Praesidis Apostolici, nimirum intra fines Paroeciae S. Mariae, et ab Dominicano eiusdem ecclesiae Parocho extremis Sacramentis refectus, insanabili apoplexis morbo correptus occubuit, ne elapso quidem die quadragesimo, ex quo ipse Centumcellis moraretur. Acerrima statim controversia de funeris et sepulturae iure inter Cathedralis Ecclesiae Capitulum et Parochum S. Mariae oborta est; ac postulante interea demortui Archiepiscopi herede fiduciario, Episcopalis Curiae decretum prodiit, ut tam exequiales ritus, quam cadaveris tumulatio in Cathedrali Ecclesia, tamquam digniori, peragerentur. Id aegre tulit Parochus S. Mariae, et licet semel

[1] Cf. N. 3792.
[2] Cf. N. 3980.

iterumque a Capitulo vocatus, renuit tamen associationi cadaveris interesse, atque ab eiusmodi sententia ad hunc S. Ordinem rite appellavit. Quare Emo ac Rmo Centumcellarum Episcopo literae de more datae sunt, ut ea omnia referret, quae ad rem maxime prodessent. Porro Emus ac Rmus Antistes rescripsit: « Rationes omnes, ob quas Episcopus Lerensis Pro-Vicarius Generalis sententiam tulit favore Capituli, in eadem sententia explicantur. Ea mihi sane iusta esse videntur, cum Episcopi, si extra suam Ecclesiam Cathedralem decedant, in digniori ecclesia condendi sint: dignior autem in Civitate Centumcellarum nunc profecto est Ecclesia Cathedralis. De hoc tamen EE. VV. iudicabunt ».

Ea est communis Doctorum et Canonistarum sententia, ut exteri, qui alicubi aut quasi-domicilium acquisierint, aut simplex habeant hospitium, nec sepulturam ante obitum elegerint, nec gentilitium adsit eorumdem sepulcrum, debeant in Parochiali tumulari ecclesia, cuius iurisdictioni subiecti decesserunt. Hisce perspectis rationum momentis, quum nemini ignotum sit, cl. me. Archiepiscopum Baldini a Parocho S. Mariae extrema suscepisse Sacramenta, atque intra eiusdem Paroecialis ecclesiae Centumcellis, ubi nullo fruebatur maiorum sepulcro, absque sepulturae electione obiisse: propugnat Parochi Defensor, dubitari nullo modo posse, quin defuncti illius cadaver ex parochiali in primis iure ad memoratam ecclesiam S. Mariae potius, quam in Cathedrale Templum pro funere et sepultura deferri oporteret, adeo ut sententiam Episcopalis Curiae censeat omnino infirmandam. Nec eiusmodi Paroeciae iuri putat quidquam obesse amplissimam Archiepiscopatus dignitatem, qua Baldinius praefulgebat. Si qui enim sunt Doctores, qui existimant, Episcopum extra propriae Dioecesis fines morientem esse sepeliendum in Cathedrali Ecclesia, tamquam digniori: id quidem concedit Parochi Patronus de iis tantummodo Episcopis sustineri posse, qui actu Dioecesim habeant actuque iurisdictionem exerceant, non autem de Episcopis mere titularibus, quos inter erat Archiepiscopus Baldinius. Idem tuetur etiam ex privilegio, quod apostolicis literis s. m. Pii VII eidem ecclesiae S. Mariae donatum est, nempe: *Tutti i forastieri di qualunque condizione, che non abbiano con la dimora di quaranta giorni acquistato particolare domicilio, spetteranno per l'amministrazione de' Sagramenti, esequie e sepoltura ecclesiastica alla chiesa matrice di S. Maria a tenore di quanto è stabilito nel Sinodo Diocesano*. Hoc scilicet privilegium, ait Parochi Defensor, per motum proprium s. m. Leonis XII anno 1825 fuisse eidem ecclesiae matrici imminutum pro iis tantum exteris, *che dentro il giro di quaranta giorni muoiano sotto la cura della nuova Cattedrale, che prima in vigore del citato Breve erano riservati alla Parrocchia di S. Maria*, sed hac ipsa expressa exceptione privilegium ipsum ecclesiae S. Mariae super caeterarum Paroeciarum finibus, et in suo praesertim ambitu sartum tectumque mansisse non dubitat. Igitur tum ex iure parochiali, tum ex privilegio, concludit Parochi Defensor, cadaver cl. mem. Archiepiscopi Baldini ad Parochialem ecclesiam S. Mariae potius, quam ad Cathedralem pro funere et tumulatione asportari debuisse; atque hinc Curiae Episcopalis sententiam ita infirmandam suadet, ut locum esse putet non modo emolumentorum funeris restitutioni, sed ipsius etiam exhu-

mationi cadaveris. Ad humanitatem autem pertinet, ut salvis iuribus et emolumentis, cui debentur, defunctorum ossa, quanto minus fieri possit, vexentur, ut eruitur ex S. C. resolutione in *Tudertina*, 4 iulii 1722, [1] et in *Ariminen.*, 18 decembris 1824. [2]

Capituli Cathedralis Patronus perbrevem detulit rationum summam, quibus pollicitus est, se fusiorem clientis sui defensionem elucubraturum. Quare proponuntur dubia:

I. *An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?* Et quatenus affirmative ad secundam partem:

II. *An, et quomodo sit locus restitutioni emolumentorum funeris, et exhumationi cadaveris in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et amplius.

Ad II. Affirmative in omnibus, et ad mentem. Mens est, ut exhumatio et translatio fiat nocturno tempore, privatim omnino et sine luminibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 92, p. 244-253].

4040.

S. C. C., *Nanneten.*, 21 iul. 1832.

Episcopus Nannetensis in Gallia supplicem SSmo Dño Nostro porrexit libellum, quo retulit, se ab altaris ministerio quemdam Presbyterum G. suae Dioecesis, Vicarium Curatum, iamdudum prohibuisse, quod duobus fere abhinc annis non modo nervorum contractione et capitis vertigine, sed comitiali propemodum morbo laborare videtur. Cum vero idem Presbyter ex adhibitis remediis tantum valetudinis fructum perceperit, ut iam plures essent menses, ex quo nunquam amplius in morbum recideret, ipse Episcopus humillime petiit favore memorati Presbyteri, quatenus liberet Sanctitati Suae apostolicam ab eiusmodi irregularitate concedere dispensationem.

Precibus ad hunc S. Ordinem ablegatis, idem Episcopus pro informatione et voto rogatus plura pandidit, quae ad rem maxime faciunt: 1. Presbyter G. duabus vicibus aggressiones passus est ante Missam, et una vice post Sacrum in sacristia, cum vestes sacerdotales deponeret, sed minus violenter; 2. Numquam in ipso actu celebrationis Missae cecidit; 3. Presbyter G. asserit, istas aggressiones semper praevisas fuisse, saepius unius horae intervallum existere inter casum et signum praecedens, et se quandoque malo occurrisse; 4. Medicus arbitratur, morbum non esse malum caducum saltem grave, sed potius defectionem cordis et nervorum agitationes, variaque enumerat mali caduci signa, quae in praedicto aegrotante non agnoscit; 5. Observandum est, annum iam elapsum esse a tempore, quo ultimas aggressiones aegrotus passus est.

Hisce delatis, Episcopus iterum enixe postulavit, ut praevia dispensatione ab irregularitate, sibi facultas tribuatur, qua possit pro sua prudentia Sacerdoti G. Missae celebrationem permittere, assistente tamen alio Presbytero, et dummodo de valetudine etiam meliori constet. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis et rehabilitationis arbitrio et conscientia, et iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo. [1]

[Liber 175 Decretorum, p. 491].

[1] Cf. N. 3244.
[2] Cf. N. 3990.

4041.

S. C. C., *Aturen.*, 24 sept. 1832.

Refert Episcopus Aturensis, Ioannem F. pluribus abhinc annis Parochum ad S. Liborium in sua Dioecesi sontico seu comitiali morbo corripi non stato tempore, sed sex, octo, vel decem circiter vicibus per annum. Cum vero Parochus iste, subdit Episcopus, dilectus sit Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est apud suos parochianos, cum ordinarie de invasione morbi praemonetur, et tempus supersit sufficiens, ut sacrarium repetere possit, si in altari sit constitutus, cum post quadrantem communiter animos suos reassumat, cum inde nullum oriatur fidelibus scandalum, utpote qui eum maximo prosequuntur affectu et singulari veneratione; cum Vicarius Missae possit interesse et illi occurrere, si opus sit, et multo tempore laborare possit, ut bonus Christi miles; cum denique multo pauciores sint Sacerdotes, quam necessarii forent saluti animarum: postulat Episcopus, ut dispensetur cum dicto Parocho ab ista irregularitate, et absolvatur a censuris, si quas incurrerit. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Consulendum SSmo pro dispensatione, dummodo celebret cum assistentia alterius Sacerdotis.

[Liber 175 Decretorum, p. 606].

4042.

S. C. C., *Fanen.*, 26 ian. 1833.

Postremis testamentariis tabulis conditis anno 1702 Ludovicus Braccius Fanensis, vir patricia nobilitate, « lasciò alla Confraternita di S. Rocco tutte le case comprate dal Sign. Nicola Latini... con due campi... con questo capitale essa Confraternita debba formarci due Cappelle con far celebrare le Messe in detta chiesa di S. Rocco all'altare della Beatissima Vergine Maria, e per Cappellani possa nominare i figli, fratelli e nipoti di essi Confrati in perpetuo ». Ordinaria igitur auctoritate ad iuris normam constitutae binae

[1] Cf. N. 4047, 4087.

Capellaniae semper delatae sunt ex Sodalitii nominatione, quin ulla unquam subierit de ipsis quaestio. Verum re publica universa misere in summum discrimen deducta, saeculo superiori exeunte una cum caeteris Sodalitatibus Societas etiam S. Rochi extincta est, quin tamen detrimenti quidpiam binae Capellaniae passae sint. Pontificio deinde Principatu restituto precibus Mathiae Parrii Parochi Fanensis ad S. Ioannis accedente Apostolicae Sedis consensu Episcopus univit bonis Paroeciae S. Ioannis bona spectantia suppressis Confraternitatibus Boni Iesu et S. Rochi in perpetuum. Verum anno 1824 mortuo altero ex Capellanis, censuit Aloysius Bracci, Ludovici testatoris pronepos, ius praesentandi Capellanum sibi obvenisse, quod extinctae Sodalitati datum fuerat, et in Episcopali Curia Clericum Petrum Mascium nominavit, moribus ac vitae ratione ipsi etiam Antistiti probatum.

Quaestione apud Auditorem SSmi proposita, iam inde a die 16 augusti 1825 causa ad hunc S. Ordinem demandata est. Rogatus de sententia Episcopus, opportuna transmisit monumenta. Contendit Parochus extincto Sodalitio, eos pariter deesse, qui et praesentationis iure pollebant, et adsciscendi ex testamenti lege ad Capellanias essent, quia suae Paroeciae cum ceteris Sodalitii bonis ea etiam addixerat Summus Pontifex, quae ipsi iam testamento relicta, licet deinceps in Capellaniarum censum fuerint assignata, adhuc tamen ad patrimonium autumat Sodalitii spectare. Eques autem Braccius Capellanias suo robore perstare arbitratur. Notat enim, Ludovicum testamento expresse iussisse, ut Capellaniae constituerentur, non vero liberum id reliquisse voluntati Sodalium. Et circa unionem praedictam animadvertit: In literis apostolicis bona tantum Sodalitii S. Rochi uniuntur illis Paroeciae; ast dos Capellaniarum non erat inter bona Confraternitatis; aliud est enim iuspatronatus, aliud bona Beneficii possidere. Quodsi tamen ex Sacri huius Ordinis decreto unio illa bonorum Capellaniarum reiicienda sit, postulat Parochus, ut ius praesentationis sibi, tamquam Sodalitii successori asseratur, petitione Equitis Braccii contempta, qui uti testatoris abnepos studet sibi illud vindicare.

Porro ex iuris dispositione cautum est, ut quando statum aliquod genus personarum deficiat, cui Beneficii nominatio iure legitimo adtributa fuerat, libera eius collatio in Episcopum Dioecesanum transferatur, uti declaravit S. C. in *Tiburtina*, 26 ianuarii 1828. [1] Unde discutienda videntur dubia:

I. *An, et quomodo constet de unione bonorum Capellaniarum Bracci favore Paroeciae S. Ioannis in casu?* Et quatenus negative:

II. *An, et ad quem spectet nominatio Capellaniarum Bracci in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative ad Episcopum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 93, p. 4-14].

[1] Cf. N. 4015.

4043.

S. C. C., *Forolivien.*, 26 ian. 1833.

Queruntur Fratres Minores Observantes Foroliviensis Coenobii ad Vallem Viridem, Canonicum Camerarium Ecclesiae Cathedralis contendere, ut illorum cadavera, quae vel in maiorum sepulcro, vel ex sepulturae electione sunt in ipsorum ecclesia condenda, ad eam non deferantur, nisi prius, elatis in Parochialem Cathedralem Ecclesiam, funebria ibidem iusta iisdem persolvantur. Ecclesiasticis de ea re praescriptionibus atque huius etiam S. Congregationis decretis sua iura tuentur Oratores, eaque ut immota sibi vindicentur, vehementer efflagitant. Verum post latas iam inde ab anno 1810 de coemeteriis leges eam invaluisse consuetudinem asserit Canonicus Camerarius, ut antequam defuncti ad coemeteria efferantur, Parochi iure potiantur *di volere, come hanno sempre fatto e fanno il trasporto de' cadaveri prima alle loro chiese parrocchiali per le esequie e funerali, consuetudine mai interrotta per tempo di anni 22, ma anzi canonizzata dalla Sac. Consulta fino dall'anno 1815*. Haec, quae Capituli etiam sententia est, arridet et Vicario Apostolico.

Sed Minoritae succlamant suum ius certo consistere ex pluribus huiusce S. Congregationis decretis, quibus cautum fuit, funus semper in ea ecclesia peragendum esse, ubi familiae sepulcrum extat, aut ubi se quis sepeliri elegerit: ac proinde mortuum esse recta efferendum ab domo in templum, ubi humandus est, quin debeat prius asportari ad Parochialem, ut ibi eius fiat expositio usque ad horam sepulturae. Ita sane censuit S. C. in *Lucana*, 14 martii 1722, [1] in *Civitatis Castellanae*, 28 ianuarii 1764. [2] Iura quidem Parochorum integra, rata, ac firma reliquit lex anni 1812, salvaque enunciavit *gli emolumenti parrocchiali, che sono o di stabilimento o di legitima consuetudine, sulli quali colle enunciate provvidenze non intendesi fatta alcuna innovazione.* Contrariam porro consuetudinem a Canonico Camerario invocatam ad sua iura labefactanda neutiquam vim habere inclamant Minoritae freti SS. CC. decisionibus, quae nulla habita ratione consuetudinum huiusmodi contrarium respondendum censuere, ut in *Sabinen.*, 29 ianuarii 1735, [3] et S. R. C., *Monopolitana*, 16 decembris 1679. [4] Hisce praenotatis proponuntur dubia:

I. *An cadavera tumulanda in ecclesia Minoritarum ad Vallem Viridem sint ad eam recto tramite deferenda, ibique funus peragendum in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et quae emolumenta funeris pertineant ad memoratam ecclesiam in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative in omnibus.

Ad II. Affirmative in omnibus, dempta portione canonica pro Parocho.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 93, p. 14-20].

[1] Cf. N. 3238.
[2] Cf. N. 3735.
[3] Cf. N. 3439.
[4] Cf. N. 5631.

4044.

S. C. C., *Reatina*, 26 ian. 1833.

Gaspar Britius a Monte Leone Reatinae Dioeceseos prima iam initiatus Tonsura a suo Antistite, atque inde inter alumnos Congregationis S. Vincentii a Paulo Romae cooptatus, minores ibidem et sacros Ordines rite suscepit, patrimonio fultus a parente sibi in Reatino agro adsignato. Annos aliquot in lectissima illa Familia vixit Britius, eam tamen deinceps deserendum iustis ex causis censuit, reversusque idcirco in patriam, erudiendae in ea iuventuti suffragio Municipum adlectus est. Hoc munere annos fere quinque in patria perfunctus Britius ad Archipresbyteratum Montis Boni in Sabinensi Dioecesi assequendum aleam examinis subiit, factoque feliciter suo periculo, Pastor viduatae illi ecclesiae datus est, atque per apostolicas litteras possessionem Archipresbyteratus illius suscepit, auctus deinde ab Eмо et Rмо Cardinali Episcopo Sabinensi officio Vicarii Foranei. Cum vero deserendae in eum finem Reatinae Dioecesis facultatem postulasset ab Antistite, restitit ipse votis Britii, quia et in sua Dioecesi praefici Paroeciae poterat, nisi obfirmato animo obstitisset.

Verum Antistitis repulsa neutiquam fractus Britius *nell'assertiva di essere stato ordinato Sacerdote alla missione di Monte Citorio, e di avere ottenuta dalla S. Sede la provista apostolica della Parrocchia di Monte Buono*, e Dioecesi arbitratu suo discessit *senza il permesso del Vescovo Oratore*, ac ad delatam sibi Paroeciam nihil haesitans properavit. Graves de ea re querelas ad S. hunc Ordinem episcopalium iurium assertorem et vindicem attulit Episcopus, reditumque Britii in suam Dioecesim postulat, e qua absque Antistitis placito abire sacri iuris praescripto vetabatur.

Eмus ac Rмus Card. Episcopus Sabinensis pro voto rogatus laudibus Britium prosequutus respondit, iudicium se expectare Sacri huiusce Ordinis. Promotor fiscalis Curiae Sabinensis edisserit: *Al Sacerdote Brizi nella sua ordinazione fu ammesso il patrimonio per titolo* simpliciter, *e non* dispensative pro utilitate vel necessitate ecclesiae suae Dioecesis, *dal che ne siegue, non aver alcun titolo il di lui Ordinario per costringerlo a risiedere in Diocesi; e se ha domandato una volta il discesso, ciò fece per mera riverenza, non già per obbligo alcuno.* Haud absimilia regerit Britius ad sua iura vindicanda. Porro etiam ex simplici Missarum legato, quod per ludimagistrum Montis Leonis explendum est, legem residentiae sibi iniectam negat. Nullo enim Beneficio donatus, quo lege residendi obstringatur, se putat iis Clericis accensendum esse, qui sui iuris sunt, ac libere pro lubitu, Episcopo etiam inconsulto, possunt a Dioecesi discedere, eo vel magis, quod apostolicis literis ad Archipresbyteratum Montis Boni adscitus sit.

Iam vero plura occurrunt, quibus sua iura tuetur Episcopus. Primo enim Reatinus Antistes Britium in Clerum sacra Tonsura cooptavit, eumque hoc ipso ad Ordines reliquos aditu cultui divino mancipatum ad clericalia officia in Ecclesia obeunda addixit: ex suscepta autem Tonsura et Clericus quis nuncupatur, et de foro Ecclesiae constituitur. Viguit autem vel a primis temporibus disciplina, ut Clericus Episcopo, a quo Ordinibus initiatus erat, per omnia subesset, eiusque Ecclesiae ministerio, cui in Ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo iure devinctus haberetur, quare Clericos districte prohiberi, ne invito Episcopo, alio secedant. Id sane et in Concilio Romano comprobatum est, tit. 6, cap. 6, atque ab hac S. C. sancitum in *Amerina*, 8 maii 1756.[1] Animadvertit etiam Episcopus, ex suscepti instituti S. Vincentii a Paulo dimissione desiit in Britio caussa, quae illum ab sui Episcopi potestate exemerat. Quae cum ita sint, confidit Reatinus Episcopus, decernendum esse de Sacerdote Britio: parendum esse Episcopo revocanti suum subditum, licet Paroeciam alibi assequutum, ut in *Nucerina*, 5 septembris 1818.[2] Decernant idcirco:

An, et quomodo Sacerdos Gaspar Brizi cogi possit, ut in Dioecesim Reatinam revertatur in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideatur.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 93, p. 28-35].

4045.

S. C. C., *Terracinen., Privernen. et Albanen.*, 26 ian. 1833.

Erasmus De Angelis ex Arce Gurga Privernatis Dioecesis, patriam, ubi fundis quibusdam rusticis et urbanis potitur, deseruit anno 1809, ut suam alibi operam chirurgicae arti commodaret. Hinc Tuscaniae degens, die 9 decembris anno 1820 filio auctus est, cui nomen Angeli. Albanum deinde cum familia et filio Angelo commigravit Erasmus anno 1823 ad suum ibi munus gerendum a reipublicae Praesidibus adscitus. Angelus interea in Dioecesanum Seminarium Setinum inter convictores cooptatus, ab R. P. D. Gratio, Episcopo Administratore Apostolico Terracinensium et Privernatium dignus habitus est anno 1829, qui prima Tonsura initiaretur, quam accepit ab Eмо et Rмо D. Card. Galleffio tunc temporis Episcopo Albanensi, ad quem litterae dimissoriae ab eodem Apostolico Administratore in eam rem datae fuerunt. Anno autem 1830 Albanum reversus, cum accessum ad alios minores Ordines efflagitet, neque id renuat Eмus et Rмus D. Card. Falzacappa, Episcopus Albanensium, dummodo litteras dimissorias ab suo Ordinario afferat: de iis laudatum Apostolicum Administratorem rogavit, qui tamen illum neutiquam inter sibi subditos recensens, se arbitratur iure carere litteras id genus dandi; atque idcirco ad omnem difficultatem praecidendam Erasmus ipsius pater postulat decerni: *a qual Vescovo debba il figlio domandare le dimissorie per le future ordinazioni, ed a quale Diocesi appartenga.*

Rogatus de sententia Privernatium Administrator, retulit, quae narrata sunt. Fatetur utique se anno 1825 litteras dimissoriales Angelo de Angelis,

[1] Cf. N. 3662.
[2] Cf. N. 3960.

chirurgi Erasmi filio, dedisse, ut Albani, ubi eius pater commorabatur, vel alibi Tonsura initiaretur. Nondum enim domicilium in Civitate Albanensi de iure contraxerat. Quo in casu, cum adolescens neque ratione originis, utpote alibi natus, neque ratione domicilii, meae subiiceretur iurisdictioni, attendendum existimavi patris originem et domicilium, ut monet constitutio Innocentiana. [1] At hoc anno, nimirum 1832, litteras dimissoriales pro recipiendis minoribus Ordinibus dare renui. Angelus enim una cum patre decennio iam Albani commoratur, sicque domicilium de iure acquisivit. Proindeque Eṁo ac Rṁo Principi Episcopo Albanensi subiicitur. Eṁus vero Card. Episcopus Albanensis rogatus animadvertit, praesens, quo Albani fungitur actualis Chirurgus, munus adeo incertum esse constat, ut ibi suum domicilium praesignasse dici omnino nequeat. Cum igitur in Arce Gurgae Terracinensis Dioecesis, unde suam ducit originem, bona adhuc possideat Erasmus De Angelis, suusque filius fuerit in Dioecesano Setino Seminario educatus, illum profecto huic Dioecesi ratione paternae originis addictum adhuc recenseri, certa cuique res erit.

Liquido patet, Clericum Angelum ex suo domicilio nequaquam posse in ditionem Antistitis cuiuspiam sese subiicere, eique ius inferre Ordines sibi ministrandi, cum nondum pubertatem excesserit. Dubitandi fortassis locus esset de domicilio patris ex decennali incolatu Albanensi. Verum explorati iuris est, satis non esse ad verum sibi aliquo in loco comparandum domicilium vitam ibidem degere annos decem, vel etiam plures, sed praeterea animum requiri perpetuo ibidem commorandi. Non ea autem Erasmus fuisse videtur mente, ut sedem certumque domicilium Albani collocare statuerit. Cum enim ipse eo se contulerit, non ut eam Civitatem sibi domicilium eligeret, sed ut Chirurgum ibidem ageret, eo animo censetur comparatus, ut illinc sit discessurus, ubi primum grandiori stipendio vel altera quapiam caussa alio ipsum eiusdem muneris caussa contigerit advocari. Huc accedit, revera nondum decem annos percenseri, quibus Albani incola est Erasmus, prout Municipalis Scribae testimonio evincitur; neque profecto ea ipsum novimus esse mente, ut iuratus testetur, se Albani perenne domicilium collocasse, quae sane conditio prae caeteris in allata constitutione est sancita. Si itaque Angelus impubes domicilium a patre seiunctum constituere nequibat, si nec pater ex simplici habitatione sui officii causa illud adeptus fuisse censendus est: patet ex Innocentianae constitutionis praescripto, veram tantum et naturalem patris originem esse attendendam, quae et ipsius parentis, imo et Familiae Angeliorum ex Arce Gurgae est. Illud demum animadvertendum, S. hunc Ordinem literas testimoniales ab iis etiam Episcopis afferendas mandasse, apud quos ii commorati sunt, de quorum ordinatione disceptatur. Rogantur interim EE. VV. decernere dubium:

An, et cui competat ordinatio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad Ordinarium Privernensem cum testimonialibus Eṁi Episcopi Albanensis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 93, p. 20-26].

[1] Cf. N. 258.

4046.

S. C. C., *Melphicten.*, 30 mart., 25 maii 1833.

Dominicus Rotundius Melphictensis in disciplinam Seminarii iam pridem traditus supplex dispensationem postulat ab irregularitate, qua a sacris arcetur, *per essere notabilmente zoppo*. Asserit quidem Episcopus, ipsum aliqua deformitate esse affectum; testatur attamen, et sibi videri, et ex fide Magistri caeremoniarum constare, sine ullo scandalo posse illum in divinis adesse. Hisce de corporis vitio relatis commendat Episcopus Oratorem, ac de eiusdem vita piisque moribus, necnon de idoneitate quoad scientiam, et de utilitate, quae ex eius habilitatione Ecclesiae adveniret, bonum testimonium afferre se posse ait eo vel magis, quod sub disciplina Episcopalis Seminarii regulariter vivit.

Quamvis ex S. Gregorii monitu animorum potius, quam corporum qualitates primis praesertim Ecclesiae temporibus expenderentur in iis, qui sacris curandis addicebantur: can. 1, Dist. 49, reiici tamen subinde coeperunt ab Ordinibus, imo et a prima Tonsura suscipiendis, qui distorto ore, deformi aut foedi atque insigniter claudi vel debilitati mutilative essent: can. *Non confidat*, Dist 50. Est quidem Orator *notabilmente zoppo*; est ex Episcopi testimonio *ab aliqua deformitate affectus:* sed potest sine ullo scandalo adesse in divinis. Stat proinde immota, quae in huiusmodi indultis imponitur necessaria conditio: *dummodo ex illo impedimento non proveniat deformitas, quae scandalum generet*, ut in cap. *Presbyterum, de cler. aegrot.* Vel itaque de vera Oratoris irregularitate dubitari fortassis posset, vel cum in dubiis sit pro irregularitate sentiendum (S. C. C., *Beneventana*, 18 novembris 1769): [1] iusta ad dispensandum causa adesse videtur. Cum porro ex probitate morum, atque ob Ecclesiae utilitatem facilius dispensationi annuendum duxerit Sacer hic Ordo, confidit Orator, secundum exitum preces habituras fore. Erit itaque decernendum dubium:

An sit consulendum SSṁo pro dispensatione in casu?

Die 30 martii 1833: Non proposita.

Die 25 maii 1833 Sacra, etc. respondit: Affirmative iudicio Episcopi, per Breve.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 93, p. 131-133, 180].

4047.

S. C. C., *Nanneten.*, 3 aug. 1833.

Resoluta fuit haec causa die 21 iulii 1832. [2] Nunc vero idem Episcopus scribit, ipsum morbi illius impetu iterum vehementer vexari, se proinde auctore a re sacra cessasse. At, pergit Episcopus: Sacerdos ipse multo commendabilis, zelo animarum flagrans aegritudine angitur, eo quod sit ad

[1] Cf. N. 3768.
[2] Cf. N. 4040.

inertiam damnatus, reveraque fidelibus utilis esse posset, si licentiam haberet praedicandi, catechizandi et fidelium confessiones excipiendi, quod quidem absque gravi incommodo fieri posse videtur.

Observat ipse aegrotus, se numquam a morbo improviso opprimi: duobus enim aut tribus diebus antequam casus adveniat, sopore et capitis gravedine monetur; nervorum commotiones incipiunt semihora ante crisim, quae illum in terram evertit et sensum tollit. Observat insuper, se casus inhibere posse vel vestes aperiendo et pectus dilatando, aut etiam se in lectum coniiciendo; tunc enim mentis suae compos remanet. Tandem observat, se, quando, uti dictum est, capitis gravedine monetur, sacra mysteria non celebravisse et abstinuisse a praedicatione et sacro Tribunali; una tantummodo vice his cautelis neglectis in ecclesia cecidit. Itaque Episcopus Nannetensis humiliter petit a SSmo D. N., ut perseverante prohibitione, ne ad altare ascendat Missam celebraturus, attamen possit alias Ordinis functiones ecclesiasticas exercere. Quaeritur:

An et quomodo annuendum sit pro dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Iuxta exposita non indigere. [1]

[Liber 176 Decretorum, p. 543 a tergo].

4048.

S. C. C., *Fabrianen.-Mathelicen.*, 7 sept. 1833.

Scribit Episcopus Fabrianensis, se pro criminalibus iudiciis sua in Curia habendis Iudicem, quem *processantem* dicunt, adscribere debere Clericum coelibem iuxta recens editas de ea re praescriptiones. In id muneris porro unice ea in civitate aptum nactus est Nicolaum Rigucci, annos natum 60, religione et optimis moribus commendatum et sufficienti scientia instructum, quia per multos annos officio Cancellarii functus est primo in civili, deinde in ecclesiastico Tribunali. « Sed cum lege cautum sit, ait Episcopus, illum Clericum esse debere coelibem, et dictus Nicolaus tonsuratus non sit, libenter ipsi Tonsuram conferrem, cum in ipso desiderium inveniam in Ecclesia fidelius et proximius Domino serviendi. At impedimentum obstat insuperabile, nisi illud removeat auctoritas apostolica iuxta sacrorum canonum sanctiones. Irregularis enim est ex defectu corporis: mutilatum enim habet pollicem et indicem sinistrae manus ex infausto eventu iuvenili aetate in venatione perpessum. His rerum adiunctis non possum, quin EE. VV. instanter rogem dispensationem a dicta irregularitate pro sola Tonsura, ut eo uti possim in praesenti et gravi necessitate ». Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia dispensationis et habilitationis pro prima Tonsura tantum absque spe progrediendi ad ceteros Ordines etiam minores, facto verbo cum Sanctissimo.

[Per summaria precum hac die].

[1] Cf. N. 4087.

4049.

S. C. C., *Triventina*, 7 sept. 1833.

Ph. A., Dioecesis Triventinae, sacro Presbyteratus Ordine vix suscepto, Neapolim secedens ad sacras ac iuris disciplinas felicius perdiscendas, blanditiis illectus cuiusdam feminae, procuratisque per mulieris propinquos falsis testimoniis, coram Parocho Virginianorum anno 1822 cum eadem puella matrimonium contraxit. Tanti vero criminis horrore illico perculsus aufugit, et post multa discrimina in ditionem Pontificiam se recepit, et in sacro S. Sosii recessu Clericorum Passionis 50 circiter dies spiritualibus exercitiis vacavit, ubi ex Rectoris testimonio monemur, facultate per Pontificem attributa illum absolutum fuisse.

Re interim apud Iudices Regni Neapolitani in examen deducta, cunctisque ex criminalium iudiciorum praescripto perpensis, haec mense maio 1824 sententia data fuit, ut « attenta iuvenili et inexperta Sacerdotis aetate et calliditate totius puellae familiae, quae dolosis artibus Sacerdotem et circumvenerat, et sola falsa testimonia paraverat, attenta quoque insigni emendatione delinquentis, quippe qui exercitia spiritualia peregit et Sanctae Sedi satis fecit, communi sententia condemnaretur ad domicilium in Communitate Triventina per quinque annos sub immediata et absoluta custodia proprii Ordinarii ».

Hinc Triventi subsistens, ad laicam dumtaxat communionem admissus, post trium annorum spatium remeare ex Regis permissu ad patrios lares datum eidem est. Alias quidem supplex adiit S. Sedem, postulans se ad Sacra procuranda iterum admitti; at maioribus semper poenitentiae signis exquisitis, nunc demum Episcopus, auditis Parocho et Municipibus loci, qui de constanti emendatione deposuerunt, et puella, quae iam alio matrimonio iuncta dote se contentam declaravit, dictum Sacerdotem quam maxime commendat ad redintegrationem accipiendam, praesertim cum ex ea nullum scandalum sit timendum, sed communi desiderio cum aedificatione satisfiat. Quaeritur:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione et rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore ab Episcopo designandis, pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis arbitrio et conscientia Episcopi, facto verbo cum SSmo.

[Liber 176 Decretorum, p. 599 a tergo].

4050.

S. C. C., *Praenestina*, 1 febr., 1834.

Praesentaverat Princeps Barberinus pro Canonicatu Ecclesiae Praenestinae primum Marinium Clericum. Cum vero ipsum, licet annos 22 natum iis dotibus carere dignoverit Emus Card. Episcopus, quae necessariae sunt ad Canonicatum Presbyteralem, qualis is erat, de quo agebatur, adeo ut

iure ipso se prohiberi testetur, quominus illum possit ad SS. Ordines promovere: certiorem de ea re fecit Patronum, qui statuto tempore alterum praesentavit sane idoneum Sacerdotem et in eadem Ecclesia Canonicum, ingenue declarans, se facti errore deceptum in Marinii nominationem consensisse.

Suas ideo peracerbas et acrius fortassis ac par erat, querelas proposuit Marinius, paratusque ad probandum documentis veritati iustitiaeque consonis, se non esse secundum leges canonicas incapacem ad recipiendam collationem et institutionem Beneficii ecclesiastici; institit, ut cum iam obtinuisset et praesentasset nominationem ad Canonicatum, proindeque ius haberet quaesitum ad institutionem, praevia accurata informatione super capacitate Oratoris daretur ei canonica institutio. Eñus Episcopus relationem misit Promotoris fiscalis, qui ex officio testatur, Clericum Marinium, quamvis irreprehensibilem quoad mores, omnino carere ingenio et scientia necessaria ad obtinendum Ordinem Sacerdotalem, et hanc qualitatem requiri in Canonicatu Castrucci; Marinium 22 annos natum nescire linguam latinam, et tantisper in studiis profecisse, ut vix ad Ordines minores posset promoveri; proinde eum esse reputandum irregularem ad Ordinem Presbyteralem ex defectu scientiae. Hoc Procuratoris fiscalis iudicium verum esse ex informata conscientia, et ex indubiis monumentis scribit Eñus Episcopus sibi constare; hinc literis ad Eñum Card. Praefectum datis haec addit: « Certe scio non solum ex relatione Archidiaconi Magistri Theologiae, sed etiam ex aliis relationibus secretis, Marinium nescire linguam latinam, et tam tardi esse ingenii, ut incapax sit ad scientiam necessariam, praecipue theologicam acquirendam, et ex defectu scientiae irregularis evadat ad Presbyteratum, qui requiritur in Praebenda Sacerdotali ». Quaeritur:

An, et quomodo sit precibus annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Lectum ad instantiam; et Eñus Episcopus utatur iure suo pro institutione favore secundi nominati.

[Liber 177 Decretorum, p. 259 a tergo].

4051.

S. C. C., *Ianuen.*, 19 apr. 1834.

Abbatialis ecclesia honori Virginis in Coelum Assumptae Genuae extructa, auctaque Collegio Canonicorum, paroecialibus etiam iuribus instructa deinceps fuit, quae cum Collegio ipso adtributa fuerint, bini Canonici rei sacrae ibidem procurandae ex praestituta norma praeficiuntur. Porro Genuatium Archiepiscopi identidem perscrutati sunt de consuetudine, quam ferunt a Paroeciae constitutione invaluisse, *che essendo in allora incominciato l'obbligo della Messa Parocchiale pro populo, questa non fu in seguito mai applicata in forza di un rescritto (che si conosce per sola tradizione) della s. m. di Benedetto XIV, che univa la Messa Parocchiale alla Conventuale, o piuttosto supplir facevasi alla Parocchiale, mediante la quotidiana applicazione de' Mansionari ad eccezzione di un giorno.* Auctores proinde fuerunt Canonicis, ut pontificium beneplacitum, quo consuetudo firma decerneretur, postularent.

Id ipsi praestiterunt, precibusque in eum finem delatis, de praetermisso parochiali Sacro pro populo asserunt, id contigisse: 1. perchè i Mansionari sono obbligati di applicare quotidianamente, eccettuata una Messa per ogni settimana; 2. perchè gli emolumenti parocchiali sono sì rari, che non si contano, che per nulla; 3. perchè i Canonici Curati, che sono due, ai quali sembrerebbe spettare particolarmente detta applicazione, occorrendo qualche parochiale emolumento, non hanno, se non parte eguale agli altri Canonici. Sed prae rationibus ceteris consuetudinem tuentur memorato Benedicti XIV rescripto, cuius tamen nullum extat in Ecclesiae Curiaeve Archiepiscopalis tabulariis monumentum. Hinc, ut animorum saluti rite consulant, postularunt *l'assoluzione della colpa, in cui sarebbero incorsi, se la surreferita tradizione sull'asserito rescritto di Benedetto XIV fosse stata male appoggiata, e la facoltà in seguito di continuare a supplire colla Conventuale all'obligo della Messa Parocchiale, come finora si è pratticato, non avendo i Canonici Curati, cui spetterebbe, alcun emolumento particolare per la loro carica.*

Testatur Archiepiscopus, vera haec esse. Nullum item de enunciato Benedicti XIV rescripto prae manibus documentum extat; eius tamen constans traditio apud Canonicos viget.

Verum de facultate, quam Canonici petunt, ut videlicet Missa Conventuali pro benefactoribus celebrata oneri Paroecialis Missae pro populo rite suppleri possit, prout usque in praesens actum est, occurrit illico ob oculos, nulla consuetudine, quam *abusum* potius nuncupandam duxit Bened. XIV, const. *Cum semper oblatas*, [1] eximi Collegia Canonicorum ab generali illa lege, qua ad Conventuale Sacrum *pro benefactoribus* peragendum obstringuntur, etiamsi minus amplo proventu potiantur, sicut pariter omnes animarum curam habentes, licet congruis reditibus destitutos, teneri ad applicationem Missae pro populo singulis diebus festis. Nec id oneris ullo unquam praetextu remitti consuevit. Quodsi placuerit EE. Patribus petitam ab Oratoribus facultatem denegare, animadvertent profecto, ex constanti de Benedicti Pontificis rescripto traditione atque ex diuturno tot annorum usu legitimam rationem portendi, ut praeterito tempore bonam eorumdem fidem agnoscant, dignosque eos denuncient, quibus de apostolica benignitate pro tempore praeterito succurratur. Quae cum ita sint, dirimenda proponuntur dubia:

2. *An, et quomodo concedendum sit indultum satisfaciendi unica Missa Conventuali applicationi pro benefactoribus in genere, et applicationi Missae pro populo Canonicorum curae commisso, seu potius sint adigendi Canonici Curati ad utrumque onus singillatim exsolvendum in casu?*

3. *An, et quomodo consulendum sit SSño pro absolutione quoad praeteritum super omissam applicationem Missae pro populo in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 3. Affirmative in omnibus, peracto anniversario cum assistentia totius Capituli.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 94, p. 122-129].

[1] Cf. N. 345.

4052.

S. C. C., *Caietana et Terracinen.*, 31 ian., 21 febr. 1835.

Franciscus Antonius Battisti ex oppido Sperlungae in Caietana Dioecesi ecclesiasticae militiae nomen dare cupiens, non posse tamen exequi hoc propositum exposuit, quia eius pater multis aliis filiis gravatus neque eum in Seminario Dioecesano instituere potest, neque ei iuxta decreta edita ab Exequutoribus Conventionis anno 1818 initae inter S. Sedem et Utriusque Siciliae Regem, patrimonium constituere, quod fere ad mille ducatos pertingit. Subdit, quemdam suum patruum Terracinae degentem ultro hoc onus suscipere, dummodo tamen huius Dioecesis Clero accenseatur, et in hac Civitate domicilium collocet. Quum tamen Caietanus Episcopus dimissoriales literas expedire detrectet, supplex orat EE. VV., ut facultatem tribuant Terracinensi Episcopo, qui eum primae Tonsurae ac omnibus Ordinibus initiare possit, quamvis sui Episcopi litterae desiderentur.

Caietanus Episcopus a S. Congregatione rogatus respondit, Franciscum Antonium Battisti annum agere decimum septimum, abesse a sua Dioecesi a tribus annis; patrem impotem esse ad patrimonium illi constituendum iuxta recentissimas leges, sed aliquot eius affines promptos esse paratosque ad corrogandum, quod deest. Addit: « numquam se rogatum illi dimissoriales litteras denegasse, neque ut in Seminario Dioecesano studiis vacaret, dura omnino voluntate expoposcisse, quin etiam (prosequitur Episcopus) benigne indulsi, ut studii causa extra Clericorum Collegium in hac Civitate pro suo arbitrio moram duxisset. Sed quum ex Parocho, sub cuius custodia et iurisdictione per annum et sex menses hic vitam degit, suam haud laudabilem vivendi rationem cognovissem, ipsum ad propria redire coegi ». Subdit, eumdem Battisti non acri ingenio praeditum esse, ita ut digne Ecclesiae Dei inservire possit, atque hac de causa autumat suam refugere iurisdictionem.

Vicarius et Visitator Apostolicus Terracinensis et ipse rogatus veritatem confirmat eorum, quae ab Oratore exposita fuerunt de abiecta sui patris fortuna, ac de eius patruo Francisco Toscana, qui una cum patre non detrectat patrimonium ei assignare iuxta praescriptum Synodi Terracinensis. De Oratoris moribus haec subdit: « Est vero optimae spei, bonisque moribus praeditus, studioque pro viribus incumbit, et usque ad praesentem diem vocationis ecclesiasticae non aequivoca argumenta praebuit. Quapropter eum esse indulgendum censeo ».

Ad preces Battisti quod attinet, eae inconsulto oblatae S. Congregationi videntur. Advertit enim Bened. XIV, *De Synodo Dioecesana*, lib. 12, cap. 8, num. 4, posse Episcopum ex causa sibi nota Clericum interdicere tam Sacrorum exercitio, quam ascensu ad altioris Ordinis gradum, ut neque teneatur causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, si suspensus ad eam recursum habuerit, ut legimus in *Vercellen.*, 21 martii 1643.[1] Episcopus autem Caietanus nitide profitetur: « Mihi conscius sum, numquam me rogatum illi dimissoriales litteras denegasse ». Extra rem itaque et inutilis recursus ad S. Congregationem *a degnarsi di autorizzare il Vescovo di Terracina a poterlo ordinare senza che sia necessitato ad implorare la dimissoria dal suo Vescovo naturale*. Originis enim Episcopus ex sac. canonibus est adeundus, isque in themate a dimissorialibus litteris expediendis alienus non est, ubi rogetur, iustamque concedendi causam habeat.

[1] Cf. N. 2642.

At urget Battistius, et profitetur haud indubiam esse suam vocationem, quam roboratam dicit bonis moribus ac sedula diligentia in disciplinis addiscendis. Subdit etiam, quasi-domicilium per absentiam triennalem a propria Dioecesi contraxisse Terracinae in domo sui patrui, qui ei patrimonium reapse constituere promittit, dummodo apud eum morari non detrectet; e contra alios consanguineos in oppido Sperlungae degentes animum suum ac voluntatem ostendisse pro hoc patrimonio constituendo, cuius tamen voluntatis executionem aliqua forsan rerum adiuncta praepedire possint. Addit, Episcopum Terracinensem eius precibus annuere proindeque nihil aliud praestandum, quam haec omnia EE. VV. iudicio submittere.

Videant tamen EE. VV., num in hac causa locum sibi vindicet const. s. m. Innocentii XII, *Speculatores*,[1] quae § 5 haec habet: « Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet ». Hinc dirimere dignentur sequens dubium:

An, et quomodo annuendum sit precibus Francisci Antonii Battisti in casu?

Die 31 ianuarii 1835: Non proposita.

Die 21 februarii 1835 Sacra, etc. respondit: Affirmative, electo tamen domicilio in Dioecesi Terracinensi auctorante patre, ac praestito iuramento ad formam constitutionis Speculatores *s. m. Innocentii XII, servatis de iure servandis.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 95, p. 30-34, 41].

4053.

S. C. C., *Adrien.*, 30 maii 1835.

Defuncto Episcopo Adriensi Canonici Cathedralis Ecclesiae in capitularibus comitiis ante electionem Vicarii Capitularis sibi sartam servant facultatem excipiendi confessiones fidelium, atque hos absolvendi ab omnibus reservatis. Idque dum vacet Ecclesia, Ioseph Braga, Canonicus illius Cathedralis et Vicarius Capitularis nuper hac ratione electus, supremo S. Congregationis iudicio duo dubia dirimenda submittit: 1. utrum haec facultatum

[1] Cf. N. 258.

reservatio a Canonicis sui ipsorum favore facta valida habenda sit; 2. quod si valida, utrum Vicarius Capitularis possit huiusmodi facultates a Canonicis ita approbatas abrogare aut moderari.

Tota haec controversia pendet a disputatione olim apud Doctores teste Bened. XIV, *De Synod Dioeces.*, lib. 3, cap. 8, n. 10 excitata: utrum nempe Capitulum vi decreti Tridentini, Sess. 24, cap. 16, *de ref.*, teneretur ita universam suam iurisdictionem huic Officiali suo committere, ut nullam sibi relinquere posset facultatem. Paucis profecto post absolutum Concilium annis non una eademque erat hac super re Doctorum hominum sententia; ea tamen opinio communiter invaluit, quae tenet, Capitulum nihil posse de iurisdictione sua sibi relinquere, sed omnem suo Vicario committere debere, uti S. C. Episcoporum in *Caietana*, 20 octobris 1587. [1] Quoad facultatem absolvendi a reservatis, quam sibi sumere studet Capitulum forsan ex huius S. C. resolutione in *Camenecen.*, 4 dec. 1632, [2] animadvertendum: in ea quaestio agebatur, num Vicario Capitulari sine speciali mandato sui Capituli ea esset facultas, quae Episcopis per Tridentinum, cap. 6, Sess. 24, *de ref.* competit *in casibus occultis Romano Pontifici reservatis*, quod longe distat a themate. Porro ab hac S. C. in *Derthonen.*, 21 decembris 1691 editum fuit rescriptum: *Congregatio Concilii censuit, scribendum ad Vicarium Capituli sede vacante deputatum, iurisdictionem Episcopi defuncti ipsi nunc competere nedum spiritualem, sed universam.* [3] Similiter et in *Elven.*, 1 decembris 1736. [4]

Quoad secundum dubium praestat animadvertere, S. Congregationem Episcoporum et Regularium negotiis praepositam iam declarasse in *Salernitana*, 16 iulii 1618, Vicarium electum cum aliquibus conditionibus posse nihilominus uti sua iurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum. Hinc Vestrum erit iudicium reddere sequentibus dubiis:

1. *Utrum reservatio facta Capitulo in Vicarii Capitularis electione, prout in casu, sit valida?* Et quatenus affirmative:

2. *Utrum Vicarius Capitularis possit facultatem a Capitulo sibi reservatam, prout in casu, revocare aut restringere?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative in omnibus.

Ad 2. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 95, p. 213-218, 241-248].

4054.

S. C. C., *Ventimilien.*, 19 dec. 1835.

In pago Albintimiliensis Dioeceseos Buggio vulgo nuncupato populi numerus ad sexcentum supra quinquaginta pertingit, qui per longe lateque patentem regionem dispersi una tantum Paroecia continentur, uno dumtaxat Vicario Pastore reguntur. Cum vero propter locorum distantiam viarumque asperitatem diebus festis non omnes simul ad ecclesiam accedere valerent, sed successive tantum: Episcopus ex delegata auctoritate sub die 18 iunii anni 1821 potestatem fecit Buggensis Paroeciae Rectori, iis diebus Sacrum iterandi, quibus ex Ecclesiae praecepto Christifideles illi interesse iubentur. Sed temporaneum iam expiravit indultum: et licet geminorum Sacerdotum copiam conquisierint parochiani, ea est tamen locorum asperitas, ille est difficultatum numerus, ut haud spes nunc ulla effulgeat, posse eos consolari. Idcirco supplicem huic Ordini porrexere libellum, efflagitantes vehementissime, ut proprio Parocho iterandi Missae Sacrificium quolibet die festo ad eorum levamen indulgeatur.

[1] Cf. N. 1415.
[2] Cf. N. 2548.
[3] Liber 7 Decretorum, p. 31.
[4] Cf. N. 3465.

Rogatus pro informatione Episcopus praeter hucusque narrata refert: «mihi constitit ex accuratis sumptis notitiis, vera omnino esse, quae in supplici libello exponi fecerunt homines loci Buggio... Et ea qua decet reverentia affirmo, me censere, concedi posse Parocho dicti loci Buggio, cuius animae sunt 650 petitam facultatem Sacrum reiterandi omnibus diebus festis, ut incolae praecepto Ecclesiae de audienda Missa satisfacere possint. Etenim ibidem nec adest aliquis praeter Parochum Sacerdos, neque spes affulget, quempiam ex indigenis de Presbyteratu capessendo esse cogitaturum, cum plerumque custodes pecudum sint, ideoque pauperes ac miserabiles. Ad haec locus ipse sex milliariis distat circumquaque a finitimis oppidis et ipsis Sacerdotum penuria laborantibus. Pascua nonnulla a pago spatio duodecim milliariorum dividuntur, quo fit, ut nonnisi summo mane ad Missam, audiendumque Dei Verbum accurrere possint, quicumque gregibus advigilant, qua eadem hora caeteram gentem pluribus de causis in templo interesse haud expediret, quin imo impossibile foret... Ex accuratis notitiis mihi constitit, tertiam partem parochianorum ex Missae unius celebratione divino carere Sacrificio», iterumque preces adiunxit, ut in populi vota concedatur.

Ad facultatem bis in die festo celebrandi obtinendam haud qualemcumque sufficere necessitatem, sed eam requiri compertum est, cui aliunde succurri nequeat. Verum ex Episcopi litteris praesumendum, Antistitem omnem in antecessum movisse lapidem, ut aliquomodo malis mederetur. At cum insuperabilia esse deprehenderit, consultius duxit Sacram adire Congregationem, ut remedium aliquod tanto malo praeberetur. Quamobrem cum constet, parochianos omnes diebus festis Sacro interesse non posse; gravi huic necessitati nec per indigenas neque per extraneos succurri ministros; redituum summam eam non esse, quae valeat ad Sacerdotem alterum sustentandum, si inveniretur fortassis: erit EE. VV. in re maximi momenti, loci, temporum et necessitatis circumstantias perpendere, et dirimere dubium:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad decennium; ita tamen, ut Parochus non recipiat eleemosynam pro secunda Missa.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 95, p. 468-476].

4055.

S. C. C., *Bononien.*, 30 ian., 27 febr. 1836.

Nobili Viro Marco Antonio ex Comitibus Chiarelliis nubebat Bononiensis puella Maria Marchionissa Anna De Buoi die 19 maii 1829. Expletis nuptiarum solemniis coniuges rus adeuntes matrimonio consummando sedulam operam navarunt, inauspicato tamen irritoque accessu dolentes, rusticam mansionem pertaesi, aliquot post dies patrios Viri Comitis lares petentes Centum profecti sunt. Integrum inibi transegere triennium, et licet communi tecto degerent, ac eadem mensa et thoro cubarent, numquam tamen extitere pares, ut optatum consequerentur matrimonii finem. Clarellius enim « fino dai primi giorni del suo matrimonio si avvide di una impotenza negli uffici matrimoniali, e le sue nozze tanto desiderate riuscirono infelicissime ». Subdit praeterea: « Non ho consumato il matrimonio nel primo giorno colla medesima, nè in tutto il tempo, che ho procurato di consumarlo... benchè siami forzato di consumare il matrimonio facendo uso di tutti i mezzi leciti per conseguirlo ». Concinit hisce omnibus Marchionissa, quae nedum de viri sui impotentia testatur, sed iureiurando deponit adhuc virginem esse, cum nunquam valuerit eam comprimere maritus. Neve putandum, id accidisse ex eo, quod uxor abnuerit mariti desiderio respondere: omnem enim animum ac blanditias omnes viro praebuit uxor, quae tamen in irritum abiere. Quare accersitos viros peritos est adhortatus Clarellius, ut remedia suppeterent, queis posset maritalia munia exercere, sed neque *i bagni di Riolo*, neque cetera huius generis per Comitem pertentata idoneum ipsum reddiderunt, ut posset cum effectu maritali thoro cubare.

Quare anno 1832 primum quoad thorum, dein vero quoad habitationem coniuges diverterunt, et mulier Bononiam reversa ad declinandum incontinentiae periculum Eñum adiit illius Urbis Archiepiscopum, ut *a seconda le circostanze* aliquid decerneret, enixe efflagitabat. Quod Anna sub die 29 augusti perfecit, iamdiu et ab die 23 iulii et 2 augusti egerat Clarellius. Unico decreto geminarum partium preces excepit Archiepiscopus, dum separatione coniugum indulta, mandavit, ut prosequeretur in causa ad formam Benedictinae constitutionis *Dei miseratione*, [1] ac Defensorem matrimonii nominavit. Septima hinc inde manus ab unoquoque coniugum adducta formali examini subiecta extitit, ex quo patuit apertissime, et quanta religione, fide ac pietate fulgeant coniuges ipsi, et quam incassum abierint modi millies ab eis pertentati ut matrimonium consummarent, idemque apprime innotuit, cum calculum accessit postremum processus confectioni, et Marchionissae corpore diligenter inviso obstetrices ad id opus adhibitae eius virginitatem iureiurando declararunt. Viri inspectionem perficiendam esse mulier autumabat; vir ex opposito nitebatur, ne fieret, eamque haud necessariam esse affirmabat, ut tuto ad matrimonii dissolutionem procederetur. Viro curante res delata fuit ad SSmum, qui mandavit, ut viri quoque

[1] Cf. N. 318.

inspectio fieret, atque ad exitum perducto processu usque ad sententiam exclusive, acta omnia ad S. Congregationem transmitterentur. Adamussim haec omnia servata fuerunt; perfectaque per viros in arte peritos Comitis inspectione, S. huic Ordini controversia hodie ablegatur et EE. VV. de sententia rogantur.

Coniugum depositioni iuramento firmatae plurimum deferendum esse statuunt ss. canones: cap. *Accepisti, de frigid. et malefic.* Porro ex utriusque partis confessione perbelle eruitur, integrum in thalamo coniuges absumpsisse triennium, quin unquam optatam arripere metam potuerint: *in fatto la consumazione non è seguita*, subditque mulier: *io mi trovo nello stato di verginità, come era prima del matrimonio.* Quas quidem coniungum confessiones inniti veritate quatuor supra decem adducti testes omnique exceptione maiores in iudicio iureiurando edixerunt. Porro Marchionissae virginitatem confirmant in arte medica periti, qui ex obstetricum relatione concludunt: *esservi tutti i segni, che dichiarano la Signora Marchesa Anna in istato di verginità.* Insuper Ioseph Barili, qui Comitem inspexit, *non iscorse alcuna erezione;* demum Baronius celebratissimus Comitem invisens, *fece uso di vino caldo, ove immerse le parti genitali, e nonostante non ottenne alcuna erezione.* Quae omnia collimare videntur iis omnibus, quae ab Clarellio adducebantur, dum testatus, se adhuc dubitare, *che quest'impotenza precedesse il matrimonio,* quapropter Pontificem deprecatus est, *affinchè si degni scioglierlo benignamente dal suo matrimonio rato e non consumato in via di dispensa,* cui concinit Marchionissa: *unisco le mie preghiere a quelle di mio marito, onde Sua Santità si degni di sciogliere il nostro matrimonio realmente rato e non consumato.* Maxime praeterea nullitati declarandae obtinendaeque dispensationi locum esse posse Marchionissa contendit: et quia incontinentiae periculum subest, et quia difficillimum est pie ac sancte cum marito diversari, postquam tot evenere rerum eventus.

Non tamen ita sentit eruditus matrimonii Defensor, qui difficillimum trepidumque esse huiusmodi iudicium numquam satis commendans, extructam ex adverso molem quaqueversum adoritur, ut pro Sacramenti indissolubilitate decisiva sententia ab EE. Patribus proferatur, praecipue quia viri impotentiam absolutam nemo medicorum testatur. Hiscein iure firmatis EE. VV. dignabuntur dirimere dubia:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die 30 ianuarii 1836: Non proposita.

Die 27 februarii 1836 Sacra, etc. respondit ad I. Provisum in secundo. Ad II. Affirmative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 14-29, 67].

[1] Cf. N. 4057, 4077.

4056.

S. C. C., *Bononien.*, 27 febr., 26 mart. 1836.

Antonius Franciscus Belloni in praedio *il Portone* aediculam construxit, in eaque Capellaniam instituit. Interim Capellani obligationes recensuit: « sarà obbligato tenere il suo domicilio, ed abitare continuamente in detta casa come sopra edificata in poca distanza di detto oratorio nel sito nominato *La Stella* o *Borghetti*, e dovrà nel medesimo oratorio secondo l'intenzione del fondatore celebrare ogni giorno sì festivo che feriale la Santa Messa, a riserva di quattro giorni ogni mese non mai festivi. Detto Sacerdote Capellano dovrà pure fare continuamente scuola in detta casa senza che possa pretendere nè esiggere per detta scuola alcun pagamento ». Anno autem 1820 Summi Pontificis auctoritate Missae cohibitae fuerunt ad 172 in singulos annos, ex redituum imminutione obventa ob Locorum Montium deficientiam. Postmodum anno 1830 vacante Capellania, nec quopiam extante de fundatoris familia, Bononiensis Generalis Vicarius in vim facultatis sibi in publicis tabulis ab ipso fundatore tributae in Capellanum nominavit Angelum Bartoloni, postmodum vero die 31 augusti 1832 eidem suffecit Sacerdotem Dominicum Angeli, Archipresbyterum Ponticuli.

Hanc nominationem aequis auribus non excepit Petrus Cellini, qui die 6 decembris 1820 emerat bona, quae transierant in Marchionem Alexandrum, ultimum praeclarissimae gentis Belloniae. In tabulis porro venditionis expresse cautum fuit de gratuita cessione iurispatronatus. Quare putans Ceilinius devolutum sibi nominandi ius, supplicem de ea re obtulit Pontifici Maximo libellum, in quo asserebat, non potuisse *l'Illm̃o e Rm̃o Monsig. Vicario arrogarsi un diritto di nominare, che non gli compete, e che non poteva ignorare essere stato ceduto ad appartenere all'oratore; in secondo luogo, che non dovevasi mai nominare a Capellano il Rev. Sig. Arciprete di Pontecchio, sì perchè non possono riunirsi in una sola persona sì fatte due rappresentanze, sì perchè non è possibile, che il Signor Arciprete possa abitare la casa destinata al Capellano ed ivi disimpegnare gli obblighi annessi a questa qualità.*

Pro sententia rogatus Em̃us Archiepiscopus respondit: *ipsum Cellini nullo penitus iure super dicta Capellania gaudere; porro*, subdit, *praefinitis iam a Leone XII scholis communualibus, supervacaneum videtur, quod recensitus Capellanus debeat adhuc substinere onus a testatore iniunctum exercendi nempe munus Magistri.*

Porro praetendit Archipresbyter, incompatibilem haud esse Capellaniam cum Archipresbyteratu, cum agatur de Capellania mere laicali cum onere Missarum. Neque adest residentiae lex, quippe quam Em̃us Archiepiscopus decreto suo abrogavit simul cum obligatione docendi pueros. Nec sibi vetitum esse contendit, *che possa per mezzo d'altro Sacerdote soddisfare all'unico obbligo a quello inerente della celebrazione di quel dato numero di Messe.* Neque enim ex eo, quod fundator dixerit, Capellanum debere *continuamente* in aedicula illa celebrare, inde sequitur, quod non possit per

alium muneri illi satisfacere, nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur, cap. *Qui per alium, de Reg. Iur.*, in 6.

Ast Cellinius e contra imprimis contendit, ideo nullam pronunciandam in themate esse Sacerdotis Angeli nominationem, quod ea, de qua agitur, Capellania incompatibilis omnino sit cum Parochi officio, quo ipse insignitus reperitur. Unicuique enim vetitum est plura simul incompatibilia Beneficia retinere, quemadmodum aperte statutum legitur a Trid. Conc., Sess. 24, cap. 17, *de ref.* Iam vero ex duplici potissimum capite incompatibilia dicuntur ecclesiastica Beneficia: vel quia scilicet id aperte colligitur ex ipsa institutoris voluntate: cap. *Ad haec*, 13, cap. *Praeterea*, 14, cap. *De multa*, 28, *de praebend*, vel quia alterum ex iis satis est ad honestam Beneficiati sustentationem: Trid., cit. sess. 24, cap. 17, *de ref.* Cum ergo Capellanus plura debeat ex fundatoris voluntate adimplere munera, quae nullo pacto is potest, nisi in loco resideat et domo a fundatore designata, ac nisi insuper ab iis vacet officiis, quae Parochus praestare omnino debet, clamat Cellinius, Capellaniam huiusmodi ex primo capite incompatibilem esse cum Paroecia Ponticuli. Nam haec omnia ab Archipresbytero Angeli peragi non posse exinde patet, quod parochialem domum sesquimilliario distantem ex sui muneris instituto incolere is debeat, et onus praeterea eidem incumbat singulis diebus festis Missam pro ovibus sibi creditis celebrandi, ac alia Pastoris munia teneatur obire, quae quum per seipsa gravissimis curarum molibus plena sint, a reliquis omnibus quietum tranquillumque Parochum esse iubent. Pergit deinde Cellinius ad demonstrandam incompatibilitatem ex alio capite: ex eo scilicet, quod Ponticuli Paroecia satis sit ad honestam Beneficiati sustentationem. Hoc autem inde probat, quod secus vigilantissimus Bononiae Antistes opportunum huic incommodo obtulisset remedium, atque rem ad sacrorum canonum praescriptum transegisset. Dubia sunt:

I. *An substineatur collatio Capellaniae facta Archipresbytero Dominico Angeli in casu?*

II. *An Capellanus teneatur inhabitare domum a fundatore extructam in casu?*

III. *An Capellanus teneatur docere pueros iuxta fundatoris iussum in casu?*

Die 27 februarii 1836: Non proposita.

Die 26 martii 1836 Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. et III. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 86-96, 100].

4057.

S. C. C., *Bononien.*, 30 apr., 25 iun. 1836.

Resoluta hac causa die 27 februarii proximi, [1] nunc instat matrimonii Defensor, ut iterum proponatur sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 30 aprilis 1836 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[1] Cf. N. 4055.

Repropositis vero postmodum duobus dubiis die 27 februarii proximi iam decisis:

Die 25 iunii 1836 Sacra, etc. respondit ad I. et II. Ita constare de nullitate, ut sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, et non concedendam licentiam viro Marco Antonio Clarelli transeundi ad alia vota, nisi consulta S. C. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 164-295].

4058.

S. C. C., *Asculana*, 25 iun. 1836.

In Ophidae civitate suppressit Pius IV Benedictinorum Coenobium, qui S. Mariae de Arce Veteri ecclesiam colebant, ibique Collegiatam instituit anno 1563. Duodeni fuerunt initio Canonici praeter Priorem et Beneficiatos nonnullos. Penes Canonicorum Collegium animarum cura residebat, quam per Vicarium ad nutum amovibilem tum intra Civitatis ambitum, tum per finitimos agros gerebat. Mox aucto incolarum numero Episcopus Marana decreto sacrae visitationis diei 17 maii 1755 eidem Vicario tres adiecit Capellanos Coadiutores, quorum singulis peculiares terrae regiones adsignavit. Post notas temporum calamitates Leo XII Collegiatae statum aliter circumscripsit, atque constituit: non solum Parochia S. Mariae intra oppidi ambitum constituta, sed rurales etiam Parochiae S. Venantii ac Lazari oneri erunt ac curae omnimodae Ophidano Collegio Canonicorum, ita ut earum Parochiarum cura perpetua in posterum a Canonicorum aliquo per se geratur, non autem, quod antea contigit, per Vicarios ad nutum amovibiles. Verum mox controversiae exortae sunt inter Canonicos Curatos cum reliquis Collegiatae Ecclesiae Canonicis, quae hodierna die a sapientissimo EE. PP. senatu dirimendae sunt.

Sub *prima dubii* formula definienda venit quaestio exorta inter Canonicos curam animarum exercentes ac Canonicos non curatos relate ad congruam. Contendunt primi de sufficienti reditu ad honestam et decentem sui exhibitionem secundum Tridentinae Synodi placitum, Sess. 24, cap. 13, *de ref.* et S. Pii V, const. *Ad exequendum*, 1 nov. 1567 [2] non esse provisos. Reponunt tamen Canonici adversarii, tantam non esse Canonicalium Praebendarum tenuitatem, qualem modo praedicant Canonici Curati, quandoquidem ipsi scutata circiter 80 a Canonicatibus percipiunt, comprehensis scutatis 21 de decimis, quas Communale Municipium Capitulo persolvit, quaeque loco distributionum cuique Canonico cedunt. Nihilo tamen minus favorabilem sententiam dum sibi blandiuntur ab EE. VV. Canonici Oratores: remedia proponunt in *secundo dubio*, queis facili negotio suarum Praebendarum tenuitati consulere possunt Emi Patres. Et quidem ex ipsis ap. litteris Leonis XII luculentissimum depromunt pro augenda suae congruae quantitate argumentum. Quandoquidem inquit Summus Pontifex: *novis earum ecclesiarum Pastoribus satis prospectum est Praebendis, quae ad illos deferuntur iis Canonicatibus qui rectores veteres amiserunt, nec novis sunt traditi.* Ex quibus verbis arguunt Curati Canonici, quod si sex extabant Canonicatus vacantes, quum novis iniunctus pro Paroeciis a Pontifice ordo fuit: omnes eae Praebendae tribus Canonicis-Parochis addicendae sunt: nam Summus Pontifex eamdem desiderasse videtur novorum Parochorum conditionem, ac ea antea erat veterum Capellanorum. Quodsi Canonicatus isti conlati in praesentiarum reperiuntur, eorumdem expoliandi erunt possessores, quos illegitime et contra Pontificis voluntatem possidere manifestum est. Verumtamen Canonici non curati demonstrare satagunt, nunquam Summi Pontificis intentionem fuisse, ut Canonici Curati in ternario numero designati sex illis Canonicalibus Praebendis in universum potirentur. Quum enim Summus Pontifex tres ex iis adlegit ad animarum curam obeundam, tres reliquos iis contulit, qui *Canonici Honorarii* titulo, loco defunctorum Canonicorum Ecclesiae inserviebant. Elusoria porro est petita ab eis ratio de optata per Summum Pontificem aequalitate inter novos Parochos et veteres Capellanos, quandoquidem Summus Pontifex dum tres eos selegit Canonicos, qui curam animarum exercerent, iis satis prospectum esse sola Canonicali Praebenda affirmavit. Dubia sunt:

1. *An Canonici Curati congruis gaudeant Praebendis in casu?* Et quatenus negative:

2. *An iis deferendae sint tres aliae Praebendae Canonicales, quae tempore restaurationis Collegiatae vacabant in casu?*

Die 25 iunii 1836: Non proposita. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 325-341].

4059.

S. C. C., *Nullius*, 16 iul., 13 aug. 1836.

Vir coniugatus uxore posthabita extraneam mulierem cognovit, ex eaque tres filios suscepit, ac mortua uxore, cum illa muliere matrimonium iniit et vehementer adlaboravit, ut regali decreto suscepta adulterina proles pro omni effectu legitima evaderet. Voti compos factus supplex petiit, ut in Seminarium Clericorum illi cooptarentur. Verumtamen huic petitioni refragari Tridentinum Concilium quum senserit Episcopus, quin in Oratoris vota concederet, adiit Pontificem Maximum, ab eoque sollicite expetivit, ut dispensationis veniam elargiretur. Ipse tamen exhibitas preces Sacro Vestro Ordini remisit.

Ex Tridentinae Synodi sanctione, Sess. 23, cap. 18, *de ref.* ii tantum pueri in Seminarium recipi debent, qui ex legitimo matrimonio nati sunt. Oratoris autem filii in adulterio nati sunt; nequeunt idcirco in Seminarium

[1] Cf. N. 4077.

[2] Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401, 402.

[1] Resolutio tandem data fuit die 20 ianuarii 1838, et quidem *ad 1. Affirmative; ad 2. Negative.* – Thesaurus Resolutionum, tom. 98, p. 2.

admitti, nisi apertissime pessumdetur hac in re Tridentini Concilii dispositio. Ratio autem potissima, ob quam nequeunt illegitimi in Seminarium recipi, ea esse videtur, quod ex Tridentinae Synodi dispositione ii tantum pueri admitti debent, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros fore. Atqui illegitimi omnes tum ab Ordine, tum a Beneficiis ex apertissima iuris dispositione arcentur: ratio ergo isthaec prohibet, quominus iidem in Seminarium recipiantur. Ab Ordinibus autem et Beneficiis sive nothi, sive spurii, sive reliqui omnes illegitimi arcentur praeprimis propter Ordinis dignitatem et praestantiam, quae turpibus et infamibus committi non debet: cap. *Inter dilectos, de excess. Praelat.*; arcentur praeterea ob motum paternae incontinentiae, cum soleant filii parentum imitatores esse: cap. *Si gens Angelorum*, *10*, Dist. 56; tandem propter scandalum eorum, inter quos promoventur. Et quamvis Oratoris filii a Principe legitimati fuerint, non ideo ab irregularitate dispensati et ad Ordines habilitati censentur: cap. *Per Venerabilem, qui filii sint legit.* Dirimendum itaque proponitur dubium:

An sit consulendum SSmo pro gratia dispensationis in casu?

Die 16 iulii 1836: Non proposita.

Die 13 augusti 1836 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 354-360, 392].

4060.

S. C. C., *Massen.*, 17 dec. 1836.

Tria in Massensi Dioecesi erecta sunt Seminaria ecclesiastica: primum in ipsa Civitate Massae, alterum in Civitate Castri novi, tertium in oppido Pontebosii. Propter redituum autem tenuitatem, tribus Seminariis in unum reductis, cum alia remedia non suppeterent, cumque aliter ob summam Dioecesis paupertatem numerum Clericorum eidem necessarium alere nequiret, id unum superesse facile intellexit Episcopus, ut ad taxae saltem minimae super Beneficiis imponendae remedium confugeret. Hinc duobus ex Cathedralis Ecclesiae Canonicis totidemque ex Clero Civitatis spectatis viris ad consilium accitis edixit, ut taxa scutatorum trium pro singulis centenis et annis ab omnibus Dioeceseos Beneficiariis penderetur. Ceteros suo exemplo praeivit ipsemet Antistes, qui ex mensae episcopalis fructibus illico persolvit scutata quatuor in singula centena, ea tamen lege, ut nullum exinde suis Successoribus illatum censeretur praeiudicium. Episcopi vestigia aemulati sunt Canonici Cathedralis Ecclesiae et nonnulli ex probatioribus Parochis ac Beneficiariis; reliqui autem, tametsi initio ne verbum quidem obiecissent, nonnulli vero etiam plausissent: postea tamen plures obtrudere coeperunt difficultates et quaestiones, quae taxae exactionem omnino interciperent, sin minus valde imminuerent. Quum ita res se haberent, Antistes Zoppi obiectas quaestiones ad S. Concilii Congregationem deferendas censuit.

Verum quocumque se vertant Massenses Beneficiarii, taxae praestationem effugere nequeunt, donec Seminarium Dioecesanum eo augeatur censu, qui nedum ad fabricae tuitionem et ad Magistrorum famulorumque mercedem, sed etiam ad egentium alumnorum alimoniam sufficere deprehendatur. Si autem Beneficiarii hanc praestationem exhibere renuerent, eos adigere posset Episcopus per censuras ecclesiasticas ex Trident., Sess. 23, cap. 18, *de ref.* Ad Capellanias quod attinet, videtur Capellanias ecclesiasticas taxae praestationi esse omnino obnoxias, Capellanias autem laicales, quae nulla intercedente Episcopi auctoritate sunt institutae, ab eiusmodi onere esse plane exemptas: S. C. in *Sabinen.*, 23 iunii 1640.[1] Ut autem taxa maiore, qua possit securitate imponatur, quilibet Ordinarius taxae obnoxiis iubere debet, ut exhibeant notulam iuratam annuorum fructuum, deductis expensis necessariis, quae quaerendorum, uti in arando, colligendorum, ut in triturando, conservandorumque, ut in conducendis in horrea, eorum gratia fiunt. Dirimenda itaque veniunt dubia:

II. *An taxam (pro Seminario) solvere teneantur Beneficia iurispatronatus etiamsi laicalis in casu?*

VII. *An ex fructibus Beneficiorum sint prius deducenda impendia nedum pro agro colendo et fructibus colligendis, sed etiam pro frugibus in horreum, vel domum Beneficiarii exportandis in casu?*

XI. *An detrahendum stipendium famuli, si suam impendat operam in agris quoque Beneficii colendis fructibusque colligendis in casu?*

XII. *An sit detrahendum lucrum cessans seminum, pecoris et aliarum rerum vulgo* delle corte *in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad II. Affirmative.

Ad VII. Affirmative.

Ad XI. Affirmative, quatenus occupet locum alterius operarii.

Ad XII. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 509-529].

4061.

S. C. C., *Ventimilien.*, 17 dec. 1836.

Ut res sacra decentius in eius Cathedrali Ecclesia procuraretur, Episcopus Ventimiliensis exiguo inservientium numero quatuor addidit Canonicos Honorarios seu potius Supranumerarios, petiitque a Capitulo, ut in Fratres reciperentur. Praesulis votum lubenti animo excepit Capitulum, atque ita rescripsit: « Il Capitolo accetta in Fratelli i Canonici Onorari, purchè non abbiano alcuna voce nè attiva, nè passiva in Capitolo ». Ast quum paulo post habita fuerint capitularia comitia ad novos Canonicos aggregandos coram ipso Antistite, is protestatus est, « che non intendeva accettare quelle eccezioni della posta Capitolare ». Ac postmodum, die 28 martii 1833 decretum protulit, in quo praeter cetera edixit: « stabiliamo che i ridetti Canonici sopranumerari e Onorari abbiano voce in Capitolo, come qualunque altro Canonico prebendato ed antiquiore, restando solo esclusi da tutto ciò, che unicamente riguarda gl'interessi pecuniarii del

[1] Cf. N. 2617.

Capitolo ». Quare Canonici Supernumerarii Sacrum hunc Ordinem adierunt, ut dubia circa praecedentiam in stallo ac vocem in Capitulo definire dignaretur.

Episcopus pro informatione rogatus praenarrata confirmat, ac subdit: « Il mio parere e desiderio... sarebbe, che i Canonici supernumerarii venissero, quant'è possibile, favoriti, e ciò anche in premio dei servigi, ch'essi prestano alla Cattedrale ».

Episcopi decretum omnino servandum esse inclamant Canonici supernumerarii ex ss. canonum et S. C. disciplina. Enimvero Episcopum posse novos addere Capitulo Canonicos supernumerarios cum Capituli consensu, exploratum est ex S. C. in *Fulginaten.*, 26 februarii 1639,[1] necnon in *Eistetten.*, 1 decembris 1731.[2] Canonici autem ab Episcopo instituti habent stallum in choro et vocem in Capitulo. Quoad demum exceptiones a Capitulo appositas, dum in Fratres receperunt Canonicos supernumerarios, iis renunciasse Capitulum visum est.

Verumtamen aliter rem diudicatum iri propugnat Cathedralis Aedis Capitulum duplici ex capite: ex pacto, quo inter Fratres recepti sunt Canonici in casu, et ex ipsa Canonicatus supernumerarii indole et natura. Profecto nullam admittere ait dubitandi rationem verba, quibus suum Episcopo dedere consensum Capitulares: conditionatum nimirum dederunt consensum, quare conditiones illas servandas esse inclamant. De talium porro Canonicorum iuribus docent Doctores, eos illa tantum iura et honores obtinere posse, quae in illorum Canonicatuum erectione concessa sint. Demum Honorarios Canonicos in themate, quum nulla sane potiantur Praebenda, nullimode posse capitularibus adesse comitiis addit Capitulum, utpote qui Canonia destituantur, quae ita cohaeret Praebendae, ut una sine altera stare nequeat. Unde quaeritur:

1. *An, et quomodo decretum Episcopi Ventimiliensis diei 26 martii 1833 servandum sit in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 96, p. 543-550].

4062.

S. C. C., *Ferentina*, 16 sept. 1837.

Terminis generalibus resolutum fuit huiusmodi dubium, die 20 aprilis 1782.[3] Nunc vero a Communi Proxedis eiusdem Ferentinae Dioecesis reproponitur sub hac forma:

An, et quomodo Commune Proxedis teneatur procurationem suppeditare Episcopo occasione ministrationis Sacramenti Confirmationis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Provisum resolutione S. Congregationis diei 20 aprilis 1782.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 97, p. 298-306].

[1] Cf. N. 2602.
[2] Cf. N. 3379.
[3] Cf. N. 3820.

4063.

S. C. C., *Signina*, 20 ian., 17 febr. 1838.

Novam in oppido Vallis Montanae Signinae Dioeceseos Collegiatam Ecclesiam litteris diei 5 martii 1638 Urbanus VIII Pontifex constituit, cuius servitio novem Canonicos cum Archipresbytero praeter alios sive Mansionarios sive Beneficiatos adscripsit. Septem modo Capitularium servitio chorus satisfit. Quare diuturno chori servitio imminutisque praebendarum reditibus prospicientes Capitulares efflagitant, ut dum caeteri choro intersunt, duobus per turnum frui liceat trium mensium vacatione, quam Tridentini Patres unicuique Capitulo indulserunt, donec omnes hoc beneficio potiantur.

Episcopus de sententia rogatus votum suum aperit his verbis: « Quoniam exiguus admodum est Canonicorum numerus, expedire mihi non videtur, ut ipsorum preces totaliter exaudiantur, sed aequum, ut exaudiantur ex parte. Bonum scilicet mihi videtur, ut in qualibet hebdomada nonnisi unus ex Canonicis per turnum et alternatim dispensetur a choro, incipiendo ab Archipresbytero usque ad novissimum. Caeterum impossibile videtur, quod gaudeant singuli vacatione a choro per tres menses in singulis annis, quin Ecclesiae servitium maximum patiatur detrimentum ».

Quod a Canonicis profertur, duabus potissimum causis inniti videtur: quarum altera in diuturnitate choralis servitii consistit, altera in imminuto Praebendarum reditu versatur. Prior causa ab ipsis Tridentinis Patribus probata videtur: Sess. 24, cap. 12, *de ref.* Verum ponderanda Concilii verba: *salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Adest in casu consuetudo, quae constitutiones Capituli Vallis Montanae ita est interpretata, ut illud singulis diebus absque ulla intermissione choro obligaret. Illud tantum adiiciendum, esse ad duos menses indultum vacationis concessum in simili casu *Farfen.*, 13 novembris 1655.[1] Alteram vero causam, quae redituum imminutione fundatur, legitimam apparere quaedam ostendunt S. C. decreta. Ast in his rebus divini cultus ratio probe habenda est, qui eo magis promovetur, quo plures in choro divinae psalmodiae assistunt: cap. 12, *de const.*, quique in pessum iret, si e septem choro addictis vel unus quotidie Canonicus dematur, praecipue cum Missae Conventualis aliorumque cum cantu Sacrorum urget celebratio. Itaque quaeritur:

1. *An, et quomodo, et ad quod tempus Vallis Montanae Canonicis concedenda sit a choro vacatio in casu?*

Die 16 decembris 1837: Non proposita.

Die 20 ianuarii 1838: Non proposita.

Die 17 februarii 1838 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad duos menses sive continuos, sive interpolatos, exceptis diebus festis solemnioribus, tempore Adventus et Quadragesimae, de licentia Episcopi, et dummodo non absint ultra tertiam partem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 97, p. 400-406, tom. 98, p. 5, 14].

[1] Cf. N. 2744.

4064.

S. C. C., *Assisien.*, 17 febr., 24 mart. 1838.

Anno 1832 terraemotu e fundamentis eversa est Curionalis ecclesia D. Vitali sacra in Assisiensi Civitate, quae deinde Episcopo auctorante coepit restitui. Fabricae, quae parochianos 504 contineret, expensas vim argenteorum 3607 aequaturas iri ex peritorum iudicio constat. Quae ut praesto essent, ex eleemosynis in tota Dioecesi collectis et Parochi contributione in totum scut. 1136.23 corrogata sunt. Ast quum iam hactenus erogata fuissent in eamdem fabricam scutata 1486, debitrix eadem fabrica inventa est in argenteis nummis 349.97 usque ad diem 21 iunii anni superioris. Iam vero, licet aeris huius alieni dimissionem sibi assumant Episcopus et Parochus: multa tamen desiderantur adhuc, ut ad exitum fabrica queat perduci. Quare supplex Pontificem O. M. adiit Parochus, *onde si degni di prendere analoghi provvedimenti su i beni ecclesiastici nei limiti di detta Parrocchia esistenti*, videlicet taxam super iisdem imponendo, cui primus ipse sese subiicit Orator.

Unicum hoc superesse medium in sua relatione ostendit Episcopus, qui refert, patres familias quoque Paroeciae professos fuisse contributioni sese subiicere, dummodo omnes, qui praediis intra Paroeciae fines potiuntur, tantundem praestiterint. Atque concludit necessitatem celerrimae reparationis extollens, ne mala aliqua tum novis substructionibus imperfectis atque tegmine destitutis, tum parochianis veteres inter ruinas ac nova caementa male inter se cohaerentia ad Sacra convenientibus imminerent.

Profecto quam sedulo curandum sit, ut parochialia templa vel temporum iniuria, vel vetustate labentia reficiantur, docet Conc. Trid., Sess. 21, cap. 7, *de ref.* Quapropter quidam veluti gradus sunt constituti, quibus Doctores existimant paroecialium ecclesiarum restaurationi ad mentem Patrum Trident. esse providendum. Primitus nimirum ex fructibus et proventibus ecclesiae; deinde sumptibus familiarum, quae statutis vel consuetudine ad id tenentur; postea vero Parochi impensis, si satis amplo donetur censu, deductisque necessariis ad sui ipsius conservationem; hinc legatorum quoque piorum, si quae fuerint in causam onerum Missarum relicta, suspensione; demum omnium, qui beneficia etiam simplicia in ecclesia reaedificanda possident, congruis praestationibus; quae omnia si desint, ad patronorum, et tandem ad populi ipsius taxationem deveniendum est: Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 100, *n.* 10, 11. Et quoniam, qui sub populi nomine in hoc onere ferendo veniirent, ambigi poterat, declaratum id est ab hac S. C. in simillima causa *Imolen.*, 6 septembris 1783.[1] Facta sane, quae huic nostrae causae originem dederunt, talia sunt, ut cunctis aliis deficientibus mediis, parochianis ac possidentibus onus reparationis devolvant. Dubium est:

An, et quomodo providendum sit reparationi ecclesiae Paroecialis S. Vitalis in casu?

[1] Cf. N. 3833.

Die 17 februarii 1838: Non proposita.

Die 24 martii 1838 Sacra, etc. respondit: Affirmative, et teneri populum et possidentes in districtu Paroeciae per aes et libram iuxta votum Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 98, p. 33-38, 44].

4065.

S. C. C., *Soanen.*, 28 iul., 15 sept. 1838.

Ioannes Baptista Torlai ex Soanensi Dioecesi singulis minoribus Ordinibus iam insignitus ad Sacros Maiores Ordines accedere desiderat. Quum vero nullum ipse in praesentiarum obtineat ecclesiasticum Beneficium, et bonis careat patrimonialibus ad necessarium iuxta ss. canones titulum sibi constituendum: Caelestinus Menichetti Plebanus loco *Sforsesca* in Soanensi pariter Dioecesi, qui praeter Paroeciam Beneficio quodam simplici potitur, quod eidem scutatos nummos 42 quotannis reddit ab omni onere puros, indigenti Clerico, ut Sacris queat Ordinibus initiari, sequenti ratione succurrere proponit, videlicet: *praevia Ordinarii obtinenda licentia, memorati simplicis Beneficii annuos fructus eidem Clerico perfruendos libere concedendo, ea quantitate, quae ad constituendam pro Sacris Ordinibus congruam iuxta respectivae Dioecesis Statuta requiritur, donec aliter provideatur; hac tamen adiuncta conditione, quod interim ipse Plebanus simplicis Beneficii constanter sibi retineat titulum, eiusque tenuem congruam, imo fructuum portionem ad sui obitum usque percipere semper valeat.*

Veretur vero Clericus Torlai, ne satis Ecclesiae legibus faciat eam sibi praestationem in ordinationis sacrae titulum constituendo. Quare a S. hoc Ordine percontatur, an licite ac valide se gerere possit Episcopus in titulum sacrae ordinationis admittendo fructus eiusdem Beneficii, cuius realis possessio est penes alium, qui pro Rectore illius erit semper habendus. Rogatus de sua sententia Episcopus singulis S. Congregationis quaesitis satisfecit, haec remittens: « 1. Che la congrua prescritta per i promovendi ai Sacri Ordini è stabilita nella Diocesi di Sovana a scudi 30 romani; 2. che la rendita annua del Benefizio, di cui si tratta, ascende al netto degli oneri a scudi 42 e baj. 7 romani; 3. che il Benefizio è semplice e non prescrive l'obbligo di residenza. Esternando quindi la propria opinione, sembra alla tenuità de' suoi lumi, che il divisamento vada ad implicare una contrattazione sulla libera collazione dei Benefizii, ad effettuar la quale, niun preventivo annunzio o patto ei crede avvenir potesse ».

Ex Conc. Trid., Sess. 21, cap. 2, *de ref.* colligunt Doctores, trinum esse ordinationis titulum: videlicet Beneficium principaliter et proprie; per viam vero dispensationis patrimonium; aut pensionem; quemcumque vero titulum eius naturae esse debere, ut necessaria ad vitam stabiliter substentandam Ordinando suppeditet. Et quoniam de Beneficiis in themate non est, cur loquamur, iuvat nonnulla praelibare quoad titulum pensionis et patrimonii, quae pressius rem nostram attingunt. Et quoad pensionem, eam nedum ad congruam Clerici alimoniam sufficere debere, sed et perpetuam requiri, ut

validum tribuat ordinationis titulum, ad vitam nempe ipsius pensionarii promovendi duraturam tradunt Doctores. Atque ideo inferunt, quod pensio ab Episcopo favore Clerici super aliquo Beneficio reservata pro canonico ordinationis titulo non sufficiat: quia nimirum ea nequeat esse perpetua, sed pendeat illius duratio a vita titularis, qui pensionario praecedere potest. Quoad patrimonium fuse eruditeque agit Bened. XIV, in *Instit.* 26, § 7, sq., ac in *Synod. Dioeces.*, lib. 11, cap. 2, lib. 12, cap. 9. Et haec S. C. in *Florentina*, 28 iunii 1704 [1] declaravit Ordinationem fuisse illicitam ad titulum mensae, quo Ordinato honesta sustentatio secura reddebatur, quousque de sufficienti Beneficio provideretur. Similiter in *Tolentina*, 2 octobris 1717. [2] Iam vero hactenus dicta viderentur opponi sententiae Oratoris: eam namque praestationem, quam eidem pollicetur Parochus Menichetti, Beneficii nomine donari non posse nec ipse dubitat, quando Beneficii titulus penes ipsum Parochum manere debeat. Porro ubi illam pensionis loco habeat, perpetuitas illa ad vitam pensionati deest, quae ad validum ordinationis titulum desideratur. Ubi vero patrimonii vice consideret, iam semper ad praestationem illam personalem redigitur, quae parem ordinationi sacrae titulum non praesefert. Unde quaeritur:

I. *An admittendus sit titulus ordinationis in casu?*

Die 28 iulii 1838: Non proposita.

Die 15 septembris 1838 Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 98, p. 198-204, 207].

4066.

S. C. C., *Bononien.*, 2 mart. 1839.

Ditissimum opus pium, Bononiae a laicis Curatoribus perpetuo moderatum, nec ulla ecclesiastica auctoritate erectum, cui praecipua cura est pauperibus verecundis (vulgo *vergognosi*) opem suppeditare, hereditate sua donavit paucis abhinc annis supremo elogio suo Franciscus Pisarri Bononiensis hisce terminis: « Scrivo eredi universali i Sig. Procuratori e Governatori pro tempore dell'Opera pia de' Poveri Vergognosi di questa Città di Bologna coll'obbligo di erogare senza render conto a chicchesia, benchè tale fosse, di cui si dovesse nominatamente far menzione, tutte le rendite della mia eredità, come inferiormente prescriverò ». Quare hodiernus Emus Archiepiscopus, ne muneri suo deesse forte videatur, vel alienam ingredi provinciam, EE. VV. definitioni proponit: *Se nei termini dell'enunciata disposizione in forza delle facoltà attribuite ai Vescovi dal S. Concilio di Trento possa l'Arcivescovo oratore chiedere ragione e conoscere l'entità dell'asse ereditario Pisarri, e consecutivamente la nomina dei Patrimoniali.*

Super redditione rationum ab pii Operis Curatoribus exigenda aperta est dispositio Tridentini, Sess. 22, cap. 9, *de ref.* In quo cum et laici Admini-

[1] Cf. N. 3023.
[2] Cf. N. 3165.

stratores etiam locorum simpliciter piorum expresse comprehendantur, et neque privilegia suffragari Administratoribus, neque consuetudines oppido tradatur: nullum effugium in casu pii Operis Verecundorum Curatoribus arbitratur Emus Archiepiscopus superesse ad formam etiam resol. S. C. in *Forolivien.*, 21 augusti 1784. [1] Excipitur quidem in praedicta Sessione Trident., *nisi secus forte in institutione et fundatione... expresse cautum sit.* Ast nihil in huius pii Operis fundatione deprehendere est, quod Episcopum excludat. Neque pariter prodesse Administratoribus testatoris voluntatem Episcopum excludentis Emus Archiepiscopus contendit, huiusmodi enim conditiones appositae ipso iure vitiantur et pro non adiectis habentur, quum ius publicum privatorum voluntatibus immutari non valeat.

Contra haec vero paucis sese expedit Curatorum pii Operis Defensor. Quidquid namque iure communi constitutum sit, standum esse in themate testatoris voluntati contendit: quod exequutio pii relicti non alias ad Episcopum devolvatur, quam si nullos testator dederit Exequutores, vel hi negligentes inveniantur, et moniti fuerint, ut eruitur ex Trident., Sess. 22, cap. 9, *de ref.*, itemque Bened. XIV, *De Synod. Dioec.*, lib. 3, cap. ult., maxime vero ex S. C. in *Civitatis Plebis*, a. 1696, Lib. 45 Decr., ubi Episcopum, utpote exequutorem piorum legatorum, dicitur uti posse iure suo *non obstante expressa lege testatorum, quod Episcopus nullo pacto se ingerat in eorum legatis, data tamen suspicione negligentiae Administratorum et Exequutorum in adimplenda testatorum voluntate.* Itaque quaeritur:

I. *An et quomodo Administratores pii Operis Verecundorum teneantur rationem reddere hereditatis Pisarri Bononiensi Archiepiscopo in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, salvo iure Emi Archiepiscopi in casu negligentiae Administratorum in adimplenda testatoris voluntate.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 99, p. 51-56].

4067.

S. C. C., *Reatina*, 4 apr. 1840.

Angelus Silvaggi Reatinus in supremo elogio suo die 20 augusti 1827 ex hereditate sua erigendam iussit perpetuam Capellaniam sub invocatione B. Columbae ad aedem S. Petro Martyri sacram. Mandavit insuper Capellanum ab Antistite pro tempore eligendum esse Clericum. Eidem vero Capellano onus imposuit *di celebrare annualmente 200 Messe in un'altare da scegliersi e destinarsi da Monsig. Vescovo.* Humanis rebus exempto die ultima maii 1838 testatore, eiusdem voluntati exequutioni committendae manus admota est. Ast quum Episcopus existimaverit in bulla erectionis collationisque conditionem apponere, ut a Capellano *ex biscentis Missis quindecim ita in unoquoque mense celebrentur, ut in unoquoque die festo, et in omnibus diebus, in quibus ab ecclesia, in qua est erecta Capellania, fit Defunctorum commemoratio, Missa non desit,* fortiter obstitere testatoris heredes, et huic

[1] Cf. N. 3842.

S. Ordini dirimendam definiendamque proposuerunt quaestionem, num videlicet fas sit Episcopo Missarum celebrationem, quas testator ad libitum Capellani infra annum litandas reliquit, ad certos dies festos, statumque tempus coarctare.

Episcopus interrogatus respondit, sibi in eadem sententia, quam Silvaggi heredibus significavit, perseverandum; quod Ecclesiae utilitas, populique commodum privato sane et praesertim Sacerdotis praeferendum, ac testatoris voluntas etiam per exequutores testamentarios explanata ita expostulat. Enimvero in themate non substantialia, sed accidentalia tantum in Capellae erectione Episcopus immutare velle videtur. Hoc autem praestare posse Episcopum tamquam Ordinarium in limine erectionis alicuius Beneficii sentiunt complures Doctores, eo vel magis, quod accedat Ecclesiae utilitas populique commodum.

Ex adverso heredes Silvaggi inclamant, testatorem nullam dedisse facultatem novi oneris adiiciendi, quin immo potius expressim prohibuisse per ea verba praeceptiva: *voglio che il Cappellano abbia soltanto l'obbligo di celebrare*. Nec minimum attendendam esse urgent praesumptam populi utilitatem, siquidem non hanc, sed animae suae suffragium et Capellani commodum dumtaxat prae oculis habuisse satis ostendit, dum pensum testamento iniunctum sacris functionibus adessendi codicillo diei 27 octobris 1836 ademit. Adsertas heredum rationes canonicae sanctiones et Doctorum sententiae protueri videntur. Ita nova onera Beneficiis imponenda non esse iubet cap. *Dilectus, de consuet.*, cap. *Prohibemus, de censib.*, et cap. *Porro, de privileg.* Consonant Canonistae; nec aliena videtur S. Ordinis sententia, praesertim quum agitur de Capellaniis, ut in *Tudertina*, 12 martii 1718.[1] Perpendant vero singula haec EE. VV. et dirimant dubium:

An liceat Reatino Antistiti adiicere onera, de quibus agitur, Capellaniae Silvaggi in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 100, p. 84-89].

4068.

S. C. C., *Spoletana*, 11 iul. 1840.

Spoletani Seminarii Praesides ad consilium acciti propter redituum tenuitatem die 22 aprilis 1839 unanimi consensione statuerunt *di devenire alla chiusura del Seminario Diocesano per qualche anno, affine di togliere colle rendite la passività*. Antequam vero haec propositio exequutioni committeretur, Archipraesul Spoletanus hunc S. O. supplex adiit, ut quid consilii hac super re esset capiendum, certo innotesceret suumque pandere dignaretur oraculum.

Missis eidem Archiepiscopo litteris, ut datis documentis doceret, cur mediis a Conc. Trid. praescriptis suppleri non possit annuae redituum deficientiae, ille duplex redituum et onerum speculum exhibuit, ex quibus apparuit adesse defectum in scut. 1396.60.2, quare Seminarium et ipse per triennium suspendendum censet.

[1] Cf. N. 3167.

Iam si Trid. Synodi sanctioni in themate standum est, duplex in Sess. 23, cap. 18, *de ref.* indigitatur remedium ad necessarios Seminario sumptus suppeditandos, videlicet vel ut Beneficia simplicia eidem uniantur, vel ut ex reditibus mensae episcopalis et Capituli et quorumcumque Beneficiorum Dioecesis certa pecuniae summa detrahatur quotannis Seminario pensitanda, quae taxa Seminarii appellari solet, et quae ex s. m. Bened. XIII constitutione *Creditae Nobis*[1] iuxta locorum qualitatem respondere debet summae scut. trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, et si necessitas urgeat, augeri potest etiam usque ad summam quinque pro centenario. Verumtamen ordinaria haec remedia obtinere non posse in themate arbitratur Archiepiscopus, quod omnia Dioecesis loca pia exiguis potiantur reditibus, et quod impositio in eo loco numquam adhibita rumores excitaret. Quodsi ab iis placuerit abstinere, provocanda erunt ad trutinam extraordinaria, quae innuuntur: iuvenum et inservientium ac Magistrorum imminutio, quae tamen praesenti necessitati forsitan non satisfaceret, ut asserunt Deputati. Dubia sunt:

1. *An, et quomodo sit permittenda suspensio Seminarii in casu?* Et quatenus negative:

2. *An, et quomodo sit providendum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative, adhibitis mediis a Sac. Concilio Tridentino et a constit. s. m. Benedicti XIII, Creditae Nobis, *anni 1725 propositis, et ad mentem; mens est, ut Archiepiscopus audito Capitulo certioret de resultantibus ex taxa imponenda iuxta Sacrum Concilium Tridentinum et enunciatam constitutionem, ac proponat alia media iuxta literas seorsim scribendas.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 100, p. 194-202].

4069.

S. C. C., instr. 22 aug. 1840.

Cum moneat Glossa (*in cap. fin., de frig. et malef.*) in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (*de matrim., lib. 7, disp. 107*) et Card. Argenvilliers (*in dissert. matrimonii rel. inter vota Constantini P. 5, vol. ult., n. 16*), plura hinc a sacris canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV (in constit. *Dei miseratione*[2]) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis huiusmodi om-

[1] Cf. N. 288.
[2] Cf. N. 318.

nium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius, instructiones edidit, ac normam praescripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta ss. canones, citatam s. m. Bened. XIV constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a S. Conc. Trid. (*sess. 24, cap. 20, de ref.*, § Ad haec), ac etiam a s. m. Bened. XIV (in cit. Constit. *Dei miseratione*, § 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus citari mandabit defensorem matrimonii, quatenus in curia episcopali iam deputatus existat: sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata constitutio s. m. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda illo postulante ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus; quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus caeteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario; iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate di-

cenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio*; et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferet iuramentum eidem coniugi se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et, si fuerit illiteratus, per signum crucis; dein iudex et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis; quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis vel novis confectis, prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. in Cap. *Litterae Vestrae, de frig. et malef.* Ut id facilius exequi iudex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem, sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus, septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui, ut supra dictum est, deponant; seorsim erunt hi quatuordecim, conflantes septimam manum, examini subiiciendi, designatis diebus et horis,

delato prius iuramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant, etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata san. mem. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium, utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo, vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea, quatenus querela super nullitate ex iis sit ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus, ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent iudex, defensor matrimonii, cancellarius, ac periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis, ac praecedens matrimonium; an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens; iudex, defensor validitatis matrimonii, et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit quae a duobus saltem peritis, uno medico et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis, a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi, utrum mulier virgo sit an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, defensor matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni, et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii, et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta constitut. saepius citatam *Dei miseratione*.

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferat Episcopus. Si hac matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare iuxta citatam constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

[Liber Litterarum 1834-47, p. 298-311. — Cf. etiam Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 911].

4070.

S. C. C., *Romana*, 22 aug., 21 nov. 1840.

Celebrabatur in Urbe coram facie Ecclesiae sub die 4 octobris 1835 Sacramentum inter Romanam puellam Angelam Cagiati et Caietanum Ferri annos natum septem supra trigesimum, hominem Pedemontanum. At vero foedus inauspicatum et infirmum patefecerunt mox maritales amplexus. Nec enim mutuus amor, nec florens virginis aetas, nec longa in eodem lecto trium ultra semestre annorum condormitio, initique conatus, nec repetita medicamina, aut parthenopeium balneum, aut nativus hominis aer, quem consulto una cum uxore est expertus, potis extitisse feruntur, ut coniuges optatum assequerentur matrimonii consummandi successum. Tantam hominis impotentiam auditi haud servandam ulterius diutinae vitae consuetudinem utriusque coniugum Confessarii suaserunt, reveraque patrios remeavit lares ad diem 1 maii superioris anni dolens puella, et nuper adstitit coram Tribunali Urbis Vicariatus, postulavitque iurata instantia, ut ex impotentia viri nullum matrimonium ediceretur.

Ex actis processus prostat formalis declaratio a Caietano Ferri emissa, qua fatetur suam, etiam dum matrimonium contrahebatur, coeundi impotentiam protestaturque, se nihil habere quod opponat, nec sese opponere instantiae adversae etiam ad effectum *di non soggiacere a veruna rifazione di spese di detta contraria istanza contro di me richiesta*. Prostant utriusque coniugis de non consummato per irritos conatus matrimonio, prostant iurata testimonia et responsiones deputatorum medici et chirurgi super inspectione corporis viri, quibus eiusdem inpotentiam veterem, absolutam et perpetuam deponunt; necnon eorumdem peritorum et obstetricis depositiones post legitimam corporis inspectionem debitis cum cautelis peractam exaratae super evidentibus signis de originali claustro mulieris numquam reserato. Prostat demum iurata etiam et examini subiecta fides trium medicorum, idem ex certa scientia firmantium, qui vel coniugum sanitatem curare sueverunt, vel a parentibus mulieris appellati ad inspectionem fuerunt.

Hisce autem omnibus inspectis post diuturnum certamen instantis Angelae cum Sacramenti vindice quoad vinculum, sententiam ita protulit suam sub die 6 martii 1840 Emi Urbis Vicarii Vicesgerens, ut compensatis hinc inde expensis, instantiam admiserit.

Provocatum est ex officio per matrimonii Adsertorem ad S. hanc Congregationem; singulaque iam praestita sunt, quae fert Sac. Ordinis disciplina, videlicet Emus Urbis Vicarius pro informatione et voto rogatus est, qui totus fuit, ut sententiam a suo Tribunali prolatam tueretur; excitatae partes ad deducenda iura sua; dubia concinnata; Matrimonii Defensor accersitus. Confirmari Vicariatus sententiam postulat Angela mulier quoad nullitatem, de qua nihil sollicitus est Ferrius.

Coniuges utrique iurisiurandi fide contestati sunt longo temporis intervallo matrimonio consummando sedulam dedisse operam post nuptias vix celebratas, at incassum ob viri frigiditatem. Quibus consonat trium medicae disciplinae Professorum extraiudicialis assertio. Periti vero ex officio deputati iuxta Benedictinam constitutionem *Dei miseratione* [1] haud secus retulerunt. Accedit constantis et praecedentis impotentiae probatio deprompta ex recognita per peritos et obstetricem coniugis virginitate.

At matrimonii Adsertor animadvertit, plura deesse in processu, quae supplenda essent ante definitivum iudicium; ea vero quae prostant, talia non esse, quae adsertam absolutam perpetuamque viri impotentiam evincant. Adnotat igitur deesse in actibus septimam propinquorum manum; desunt citationes testium; adhibiti sunt ad inspectionem corporis mulieris Medici et una tantum obstetrix; medicae artis periti accesserunt ad corporum inspectionem simul cum magno collusionis periculo, absolutoque munere octo post dies coram Iudice advocati sunt, ut animadversa deponerent. Pergit subinde ad intrinseca vitia enucleanda, substinetque adductas ex adverso rationes impotentiam viri non evincere. Ex triennali enim et amplius cohabitatione valida exurgit de consummatione expleta praesumptio; medici porro nec praecedentem, nec perpetuam viri impotentiam certo tradunt. Sed erit EE. VV. sapientiae dirimere:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

Die 22 augusti 1840 Sacra, etc. respondit ad I. Praevia sanatione processus,

[1] Cf. N. 318.

facto verbo cum SSmo, dilata et suppleantur acta iuxta instructionem, et ad mentem.

Expletum postmodum est ad praestitutam normam ab ecclesiastico viro per R. P. D. Vicesgerentem rite subdelegato septimae manus examen: testesque omnes iureiurando firmarunt de coniugis utriusque honestate ipsis certo constare, eosque omnino dignos esse, quibus plena fides habeatur in his, quae circa matrimonium nunquam consummatum declararunt. Hinc hisce peractis causa redit definienda.

Die 21 novembris 1840 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 100, p. 206-214, 251].

4071.

S. C. C., *Venetiarum et Ceneten.*, 19 dec. 1840.

Praesentem inter eos ortam controversiam definiendam EE. VV. iudicio submittunt Emus Venetus Patriarcha et Episcopus Cenetensis. Sub an. 1818 s. m. Pius VII novam decrevit nonnullarum Dioecesium in Austriaco Imperio constitutionem; nonnullasque Paroecias a Veneto Patriarchatu in Cenetensem transtulit Episcopatum, atque in litteris apostolicis de re editis edixit: « Illud vero expresse declaramus, hisce nostris litteris sancita Paroeciarum distributione nihil omnino detrimenti inferendum esse in episcopalem censum, quem intra earum fines Episcopi habuerint, e quorum regimine easdem seiunximus, quos in eorumdem bonorum possessione plane tuendos conservandosque esse mandamus ». Quum autem paucis abhinc annis vacare contigerit bina Beneficia simplicia in Paroecia S. Laurentii posita, quae olim sicut et caetera Beneficia etiam cum animarum cura ita subiiciebantur Venetorum Patriarchae, ut nedum iurisdictionem suam episcopalem in eadem exerceret, sed etiam iurepatronatus super ipsis frueretur: dubium excitatum est, an, et qua ratione Beneficia illa providenda essent post apostolicas litteras superius memoratas.

Contendit autem hodiernus Venetiarum Emus Patriarcha, illorum Beneficiorum iuspatronatus non obstante praedicta ap. constitutione ad semetipsum adhuc pertinere, atque ipsius proinde attendendam esse nominationem, ut inde nominatus a Cenetensi Episcopo instituatur. Cenetensis Antistes vero defendit, vigore laudatae constitutionis ius illud patronatus Veneto Patriarchae ablatum in Cenetensem transiisse, adeoque liberam sibi hodie superesse eorum Beneficiorum provisionem. Haec examussim controversia est, de qua consulitur EE. VV. sapientia.

Certum in facto est, inquit Cenetensis Antistes, iuspatronatus, quo ante Pianam constitutionem Patriarcha Venetus fruebatur, fuisse semper ecclesiasticum, non autem laicale. Ecclesiastico vero patronatui derogari potest etiam per simplicem unionem, concessionem aut reservationem. Cum itaque Pontifex absolute prorsus et absque ulla exceptione Beneficia praedicta a iurisdictione Patriarchae exemerit et Dioecesi Cenetensi univerit: illorum etiam iuspatronatus, infert, fuisse, perpetuo a Patriarchatu ablatum et in

Cenetensem Episcopatum pervenisse; eo vel magis, quia nihil aliud in praedicta constitutione expresse favore Patriarchae exceptum est, quam census episcopalis, et adiecta fuit clausula derogatoria.

Contra vero Emus Patriarcha Venetiarum contendit, decessores suos habuisse semper ius eiusmodi ab aetate pervetusta ex iustitia et iure, scilicet ex dotatione, illudque sibi etiam post Pianam constitutionem integrum permanere. Testantur enim tabulae fundationum, Beneficia, de quibus agitur, ex patriarchalis mensae fructibus alimoniam sumere; collationum vero series docet, de illis Venetos Patriarchas disposuisse tamquam de Beneficiis Patriarchali eorum mensae unitis. Omnes porro, qui Beneficio dotem constituerint, patronos esse de iure firmat cap. *Significavit, de testib.* Porro per litteras apostolicas sola *iurisdictione* Pontifex Cenetensem Antistitem auxit, qua sola Venetum spoliavit. Iam vero patronatus ius esse a iurisdictione discretum omnino, adeo ut alterum ab altero nullimode dependeat, negabit nemo. Quae omnia cribrabunt EE. VV. et dirimere dignabuntur dubia:

I. *An, et quae et iura competant Patriarchae Venetiarum super Beneficiis in casu?*

II. *An, et quae iura competant Episcopo Cenetensi quoad provisionem Beneficiorum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative quoad iura patronatus.

Ad II. Affirmative quoad ius instituendi praesentatos.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 100, p. 304-311].

4072.

S. C. C., *Oppiden.*, 13 febr. 1841.

Sex iam praeterlapsi sunt anni, ex quibus Sacerdos R. in Dioecesi B. ortus et ad Sacros Ordines promotus in Dioecesi O. suspensus ab Episcopo ob deflorationem cuiusdam honestae puellae, censuram violavit celebratione Missae. Dein absolutione et dispensatione obtenta, iterum pristinam perditam vitam ludis ac illicitis amicitiis indulgens cum duceret, divinique Officii recitationem negligeret, rursus suspensus iterum censuram violare non dubitavit. Cumque multoties pro absolutione et dispensatione ad S. hunc Ordinem recursum habuisset, semper preces eius reiectae fuerunt, quod et die 9 maii anni proxime praeteriti factum est, etsi testaretur Episcopus de poenitentia et constantis emendationis signis, ea tamen clausula apposita, ut post sex menses iterum recurrat commendatus ab Episcopo.

Redeunt hinc Sacerdotis R. preces. Meum vero est Episcopi literas ad S. Ordinem sub die 8 augusti elapsi anni in medium proferre: « Iuxta relationem Archipresbyteri Curati Oratoris possum nuntiare, dictum R. publice et constanter poenitentiae signa dedisse, cum fuerit assiduus in servitio ecclesiae, et saepius ad S. Eucharistiae Sacramentum accesserit; pro-

pterea puto illum posse absolvi ad S. Missae Sacrificium celebrandum ». Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione et dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore Episcopi arbitrio definiendis, pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis arbitrio et conscientia Episcopi, qui collocet Sacerdotem R. sub directione et vigilantia idonei et probi Sacerdotis, illumque iterum suspendat, nisi vitam in omnibus vere sacerdotalem duxerit, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 184 Decretorum, p. 262 a tergo].

4073.

S. C. C., *Spoletana et Reatina*, 3 apr. 1841.

Iubilationis indulto auctus est per hunc S. Ordinem sub anno 1833 Franciscus Ettorre, Canonicus in insigni Collegiata S. Mariae de Populo Leonissae, appositis consuetis clausulis, praesertim: *ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro personaliter interesset.* Nihil in rescripti tenore de fallentiis, quas alii Capitulares in poenam negligentiae amittunt, expresse cautum invenientes Marialis illius Ecclesiae Canonici, haud semel adnisi sunt Collegam Ettorrium ab earumdem perceptione repellere: eos tamen temperarunt decreta Antistitis. Tandem supplices provocarunt *alla saviezza ed equità inalterabile delle Eminenze Loro, e le supplicano compiacersi dirimere tal questione, e decidere, se debbansi percepire o no le più volte nominate fallenze o puntature del menzionato Signor Canonico Ettorre.*

Ex litteris datis tam ab Archiepiscopo Spoletano, quam ab Reatino Episcopo, quamvis super iure in diversam abierint sententiam (nam ille Oratoris opinionem defendit, iste opinionem Capitularium), tamen citra statum ac consuetudinem Collegiatae praestat haurire « in Bulla erectionis Praebendarum Canonicalium de anno 1731 tertiam fructuum partem tenore praescripti S. Trident. Synodi, Sess. 21, cap. 3, *de ref.* decretam quidem pro distributionibus quotidianis, attamen reapse, attenta eorum tenuitate, huius tertiae partis segregationem neque aggressam, neque applicatam unquam fuisse, ita ut suos quisque Canonicorum reditus integros perceperit, atque dein fallentias seu punctaturas aere proprio quisque luere inoleverit », nullum hucusque extitisse exemplum iubilationis. De Statutis Capitularibus ad rem facientibus nihil uterque Episcopus meminit.

Sane quoties punctaturae subrogatae sint in locum distributionum, consequens est, ut in omnibus earum naturam et conditionem induant: S. C. in *Nullius Farfen.*, 20 decembris 1738. [1] Porro S. C. resolutiones hac de re haud concordes visae sunt: nam aliae positivam, aliae negativam praeseferunt

[1] Cf. N. 3496.

responsionem. Resolutionum vero discrimen non aliunde repetendum est, quam ex variis casuum circumstantiis, et ex peculiaribus cuiusque Ecclesiae Statutis et consuetudine. Post haec erit EE. VV. ad examen revocatis quae in facto relata sunt, disquirere de natura fallentiarum in themate, an eae scilicet indolem assumant distributionum quotidianarum, et dirimere dubium:

An Canonicus Franciscus Ettorre participare debeat de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum, si choro non intersit in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, cum nihil obstat vel ex Statutis vel ex consuetudine.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 101, p. 66-70].

4074.

S. C. C., *Fulginaten.*, 22 maii 1841.

Prolapsa maximo terraemotu, quo Fulginium anno 1832 misere concussum fuit, Curionali aede S. Mariae Magdalenae, Fulginatenses Canonici per Apostolicam Datariam postularunt, ut perpetuo extincta illa Paroecia, de cuius ecclesia restituenda omnis plane adempta spes est, Cathedrali uniatur per eius Vicarios Curatos administranda. Placuit Apostolicae Datariae preces ad S. hunc Ordinem remittere.

Id quidem impense postulat Episcopus, qui datis sibi de re litteris respondet, id et ab Magdalenae paroecianis exoptari. Additque Antistes, ex architecti testimonio impendium scutorum 1225 in dirutae aedis fabricam vix sufficere, praeter caetera quae ad ecclesiam licet parvam, cultu necessario ornandam requiruntur, nec plane extare, unde isthaec pecuniae vis corrogetur.

Constat quidem a canonum iure summopere abhorrere Beneficiorum praesertim parochialium extinctionem: cap. *Maioribus*, 8, *de praebend.*, cap. *Cum accessisset* et cap. *Cum ex parte, de constit.;* non inde tamen cautum censetur, quod si aliquando necessitatis vel utilitatis ratio accesserit, reiicienda ipsa plane sit, neque honestis conditionibus admittenda. Decreverunt quippe Tridentini Patres, Sess. 21, cap. 7, *de ref.*, ut si parochiales ecclesiae collapsae sint, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, ubi praestituti ibidem ad eas reficiendas modi non suppetant. Id porro et de Magdalenae ecclesia pronunciandum significat Episcopus, cum ad eam aedificandam nec pertenuis census vires satis sint, nec reditus in fabricae tuitionem extent, nec Beneficiarii eidem addicti recenseantur, qui pro portione in id adigantur, nec demum nisi perexigua summa ex plebis conlatione haberetur. Quodsi ob curionalis ecclesiae ruinam mediorumque inopiam, quibus renovari ea possit, unienda necessario esset Paroecia, id maxime salutare, animorumque utilitati plurimum inservire ostendit Episcopus, quod Cathedralis Ecclesia undique domibus eorum, qui ad Magdalenae Curiam spectant, septa ac fere inclusa est. Nihil proinde iisdem commodius, quam illam supplicatum adire, ibique Sacramentis sese expiare, quod sane

unanimi eorumdem in unionem consensui, immo et votis, ut ea firme decernatur, causam dedisse videtur. Uniones vero viciniori ecclesiae iure ss. canonum probari norunt omnes, ubi praesertim de utilitate et de parochianorum consensu liqueat: cap. *Exposuisti*, 33, *de praebend.*, Conc. Trid., Sess. 21, cap. 5, *de ref.*

Quodsi placuerit de suppressione ac unione iuxta preces pronunciare, animadvertendum est, a Tridentinis Patribus praefinitum fuisse, ut in huiusmodi unionibus exequendis erigant Episcopi in ecclesiis, ad quas translata Paroecia est, altaria vel capellas sub eisdem invocationibus, cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Illud proinde et in Fulginatensi templo praesertim ad altare honori Mariae Magdalenae dicandum, ne tituli extinctae Paroeciae memoria plane conticescat; erit EE. PP. definire:

An, et quomodo sit locus suppressioni Paroeciae S. Mariae Magdalenae eiusque unioni Ecclesiae Cathedrali in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus, erecto in Cathedrali altari cum icone S. Mariae Magdalenae, translatis oneribus, et addita celebratione Missae solemnis in festo S. Mariae Magdalenae cum adsistentia totius Capituli iuxta votum Episcopi, et per Breve.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 101, p. 123-126].

4075.

S. C. C., *Montis Falisci*, 7 aug. 1841.

In Ecclesia Collegiata Gradularum Montis Falisci Dioecesis duo extant Canonicatus uniformes et sub eodem tecto, quorum utriusque iuspatronatus tam passivum, quam activum ad masculinam familiae Galeotti progeniem pertinet. Anno 1828, die 23 martii, cum unus ex istis vacaret, Montis Falisci Episcopus ad patronorum praesentationem Clericum Raphaelem Galeotti in eiusdem possessionem immisit. Anno 1833 die 19 iunii altero etiam vacante Canonicatu Emus Velzi successor eumdem eidem Raphaeli legitime a patronis praesentato contulit, quin ullam in litteris suis de primo Canonicatu mentionem faceret. Nihilominus Raphael in utriusque possessione cumulative remansit, quin imo in patrimonii sacri titulum sub anno 1837 priorem assecutum sibi constituit. Ast Episcopo vita functo Vicarius Capitularis ad Promotoris fiscalis instantiam iuxta sacros canones ab utroque Canonicatu Raphaelem decidisse perpendens, utpote cumulative duorum Beneficiorum incompatibilium possessorem, solemniter decrevit sub die 5 augusti 1837 « che si prefigga al Sig. Canonico Galeotti il termine di giorni 5 a produrre la dispensa apostolica per ritenere i due Canonicati incompatibili, passato il quale inutilmente dopo la notifica, ha dichiarato e fin d'adesso dichiara, doversi ritenere il medesimo decaduto da ogni diritto di possederli, e doversi in conseguenza averli per vacanti ». Raphael autem nullam dispensationem unquam exhibuit et nihilominus nullum ex Canonicatibus hactenus dimisit.

Interim Raphael apud hunc S. O. supplex extiterat, ut per assertam illorum Beneficiorum unionem ab Emo Velzi patratam et pacificam ultra triennium possessionem, necnon ordinationem eorum Beneficiorum titulo subsequutam sua iura defensitaret, simulque obsecraret, *a volerlo mantenere in pacifico possesso dei due Canonicati riuniti, col dichiararlo vero e legittimo possessore, e la riunione secondo le leggi canoniche validissimamente eseguita.*

Ordinarius iterum percontatus remisit acta Capituli: ex quibus patet Canonicos unioni consensum nec praestitisse, nec praestituros fuisse, si rogati fuissent. Deinde testimonium dedit patronorum, qui perhibent, rogatos quidem se dedisse consensum pro unione, de qua agitur, sed tamen ideo dedisse, quia rem iuxta sacros canones absolvi arbitrabantur; cum tamen praeter opinionem res acciderit, consensum omnem retractare non dubitarunt. Quoad assertam autem unionem retulit, in actis Cancellariae nullum instrumentum hac super re inveniri, nullumque a Raphaele exhibitum fuisse dispensationis diploma. Porro Dominicus Galeotti, qui alterum ex dictis Canonicatibus obtinere nititur, totus in eo est, ut iactatam unionem destruat et Raphaelem ab utroque Canonicatu decidisse propugnet. Siquidem ait ille, certum exploratumque esse, duos hosce Canonicatus chori servitio in eadem Ecclesia esse obnoxios, quin imo onere gravari coadiuvandi Parochum in cura animarum, adeoque nihil dubii, quin sint incompatibiles. Certum etiam est, hosce ipsos Canonicatus ab una eademque persona possideri. Iam vero Ecclesia semper vetuit Beneficiorum plurium, maxime incompatibilium, retentionem, nisi apostolica dispensatio intercesserit: cap. *Referente*, 7, cap. *Praeterea*, 14, *de praebend.*, S. C. in *Comen.*, 14 decembris 1822.[1] Quod vero Raphael nulla dispensatione fuerit instructus, testatur Ordinarius. Neque quidquam movet assertae unionis obiectio. Cum enim unio sit quid facti, non praesumitur, sed probanda est ab eo, qui factum asserit. Iam vero nihil ad eam demonstrandam adducitur. Praeterea ut unio Beneficiorum legitima habeatur, praeter competentem auctoritatem requiritur consensus eorum, quorum interest: can. 43, Caus. 26, qu. 1; Conc. Trid., Sess. 7, cap. 4, *de ref.*, et Sess. 24, cap. 15, *de ref.*, necnon Capituli ipsius ecclesiae, in qua facienda est unio: Conc. Trid., Sess. 7, cap. 6, *de ref.*, tandem causa necessitatis et utilitatis: cap. *Exposuisti*, *de praebend.*, Conc. Trid., Sess. 7, cap. 6, *de ref.* At vero nulla ex hisce conditionibus occurrit in themate: non dispensatio apostolica, non patronorum consensus, non consensus Capituli, non utilitas et necessitas Ecclesiae; quin imo, auctore Capitulo, maximum haec quoad chori servitium totumque Dei cultum detrimentum caperet, si Beneficia diminuerentur. Neque vero confugiat Raphael ad triennalem possessionem. Huiusmodi enim regulam in Beneficiorum incompatibilitate locum habere non posse testes sunt Doctores.

Contra haec Raphael Galeotti, quamvis autographum pontificii rescripti vel episcopalis decreti exhibere nequeat, quippe deperditum, ostendit tamen ex testimonio Benedicti Marsiliani, qui in Urbe Canonicatum gerit ad

[1] Cf. N. 3977.

Ecclesiam S. Spiritus in Saxia, ipsum obtulisse preces Summo Pontifici pro obtinenda Canonicatuum unione, ac propitium retulisse rescriptum, quod ad praedefunctum Cardinalem remisit. Quod vero idem Cardinalis Episcopus exequutioni illud mandaverit, aliquibus probare nititur testimoniis. Quaeritur:

1. *An, et quomodo constet de legitima unione Canonicatuum, ita ut sit manutenendus Raphael in eorum possessione in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 101, p. 210-216].

4076.

S. C. C., *Agrigentina*, 20 nov., 18 dec. 1841.

Iosue Licata, Canonicus Decanus in Agrigentina Cathedrali, ea detinetur enterocelis infirmitate, ut urinam compescere nequeat, gravibusque inde vexetur doloribus, qui languidum ita eum faciunt, ut pedibus diu consistere non possit. Hoc in rerum statu postulat EE. VV. benignitatem, ut veniam elargiri dignentur *di celebrar la Messa seduto nel suo oratorio privato, stando solamente in piedi nell'atto della s. consacrazione e comunione, non potendo più di questo giusta la dottrina, che sostiene l'immortale Benedetto XIV*.

Constat Oratorem 76 annos natum vitam fere insumpsisse suam in Ecclesiae servitio, ac plures per annos Vicarii Generalis necnon et Capitularis munia gessisse. Peracto autem experimento coram Magistro Caeremoniarum, ut refert Episcopus, celebrationem Missae in oratorio privato nullum scandalum generare in populo. Oratorisque preces commendat.

Oratoris petitio tota nititur in ea doctrina, quam scite more suo evolvit Bened. XIV in epistola ad Ap. Caeremoniarum Magistrum Reali, [1] ubi scilicet adnotat, concedi posse a Summo Pontifice veniam celebrandi Missam sedendo. Huiusmodi vero indulta concedi solent dumtaxat spectabilioribus viris ecclesiasticis et speciali virtute praeclaris, ut S. hic Ordo concessit Episcopo Platien. die 28 ianuarii 1832. [2] His praelibatis dirimere EE. VV. dignabuntur dubium:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro indulto celebrandi Missam in casu?

Die 20 novembris 1841: Non proposita.

Die 18 decembris 1841 Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 101, p. 320-322, 324].

[1] Cf. N. 445.
[2] Cf. N. 4037.

4077.

S. C. C., *Bononien.*, 26 febr., 23 apr. 1842.

Resoluta fuit haec causa die 27 februarii 1836, [1] ac die 25 iunii eiusdem anni. [2] Hoc edito iudicio Marchionissa alteri viro nupsit, idque et sibi dandum efflagitat Comes Clarellius, qui ea cessasse testatur, quibus ad nuptias minime aptus tunc habitus fuit; auctoritatemque Sacrae huius Congregationis in eam rem supplex postulat. Bini idcirco ex Bononiensi Lycaeo salutaris artis Doctores seorsim ac singulatim corpus Clarelli accurate inspexerunt, factaque remotione defectus procedentis ex difficultate frenuli nuper recisi, indubiam probationem coeundi attestari minime potuerunt. Dubium est:

An, et quomodo liceat Comiti Clarellio matrimonium inire in casu?

Die 26 februarii 1842 Sacra, etc. respondit. Dilata, et Emus Archiepiscopus iterum referat, deputatis duobus aliis peritis, qui servatis servandis novam inspectionem conficiant corporis viri, et iurati deponant super ipsius potentia saltem cum vidua.

In executionem Archiepiscopalis decreti de hac re lati bini medici corpus Comitis Clarelli inspexerunt, qui ambo iudicarunt eum habilem esse ad coeundum saltem cum vidua. Subinde animi sui sententiam aperuit Emus Archiepiscopus, qui peritorum iudicio nixus sine errandi formidine arbitratur, Oratorem posse ad alias nuptias rite recteque convolare cum vidua tamen ineundas. Unde reproposito eodem dubio:

Die 23 aprilis 1842 Sacra, etc. respondit: Affirmative cum vidua, iuxta votum Emi Archiepiscopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 102, p. 42-46, 100-102].

4078.

S. C. C., *Puteolana*, 26 febr., 23 apr., 4 iun. 1842.

Cathedralis Puteolanae Ecclesiae Capituli Rector Canonicus Antonius Fraja supplici libello sui ac Canonicorum nomine oblato narrat, eos quotidiano chorali servitio devinctos per septem annos et ultra alternis vicibus illud praestitisse Episcopi accedente consensu, qui veniam ab Apostolica Sede se imploraturum spoponderat. At cum ipse morti proximus datam fidem nunquam exolvisse declaraverit, mandasse, ut quotidianum pensum restitueretur, donec ab eadem Apostolica Sede alternativae indultum impetratum fuisset; quapropter enixis precibus efflagitat, ut EE. VV. benignitas illud impertiatur.

Ex literis Vicarii Capitularis, cui preces de more remissae sunt, haec habentur: Capitularium numerus ad 30 assurgit: 14 Canonicos et 16 Heb-

[1] Cf. N. 4055
[2] Cf. N. 4057.

domadarios; hi omnes ad divinas diurnas ac nocturnas laudes explendas choro quotidie interesse tenentur: quod onus quoad Hebdomadarios eruitur ex fundationis instrumento in eorum tabulario asservato; quoad Canonicos vero consuetudini dumtaxat innititur, quippe etsi nemo dubitet, quin ali- quando Capitulares Constitutiones extiterint, in praesentiarum nullae sane proferri possunt. Canonicorum ac Hebdomadariorum reditus, demptis one- ribus, valde tenues sunt; loco quotidianarum distributionum stant emolu- menta, quae a Canonicorum absentium fallentiis derivant.

Iam vero Canonicos aliosque Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis mancipatos singulis diebus Choro interesse ac canonicas Horas psallere debere docet textus in cap. *Licet, de praebend.*, cap. *Inter quatuor* et cap. fin., *de cleric. non resid.*, idemque onus imponit renovatque Tridentina Synodus, Sess. 24, cap. 12, *de ref.* Erit itaque ab EE. VV. iudicandum, an iactata redituum tenuitas adsit in themate, et num ex concessione gratiae aliquod divino cultui detrimentum obveniret. Unum porro heic animadver- tendum: Puteolanum nempe Capitulum Constitutionibus carere. In Romana Synodo habita anno 1725, tit. 2, cap. 4 Ecclesiarum Capitulis praecipitur, ut antiqua, si qua habent, Statuta et Capitulares Constitutiones depromant; et ubi non adsint, sex infra saltem menses post Synodi publicationem omnino conficiant, et utraque, antiqua scilicet et nova Episcopo examinanda, corri- genda atque approbanda praesentent. Haec vero sanctio ad universas Ec- clesias producta est. Et S. hic Ordo, quoties Capitularia Statuta mendis scatentia deprehendit, vel abrogavit omnino, vel eorum reformationem iuxta ss. canonum leges praescripsit. Quaeritur:

3. *An, et quomodo iniungendum sit Capitularibus, ut Constitutiones con- ficiant in casu?*

Die 26 februarii 1842: Non proposita.
Die 23 aprilis 1842: Non proposita.
Die 4 iunii 1842 Sacra, etc. respondit ad 3. Affirmative, et Capitulum conficiat intra sex menses Constitutiones a novo Episcopo approbandas.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 102, p. 69-72, 86, 103].

4079.

S. C. C., *Ianuen.*, 17 sept. 1842.

Die 26 novembris anni 1801 Anna Bruzo iustis adhibitis solemniis matri- monium iniit cum Carolo Paganini. Breve post tempus, maritali domo reli- cta, apud Franciscum Ronco, cuius utebatur familiaritate, eadem Anna confugit eiusque contubernalis evasit. Ex hoc contubernio quatuor filios peperit illa ad annum usque 1816. Tunc enim in Curia Archiepiscopali actionem nullitatis matrimonii cum Paganinio initi proposuit ob gravem metum sibi a matris auctoritate incussum: et die 31 ianuarii 1817 propitio marte a iudiciali aula recessit. A decreta nullitate matrimonii ad Apostolicam Sedem appellavit matrimonii Defensor, a qua delegati Iudices sub die 28 iunii 1817 Curiae Metropolitanae sententiam super nullitate editam defi-

nitiva sententia undequaque confirmarunt. Tunc Anna die 4 iulii insequentis cum Francisco Ronco coniugium solemniter contraxit. Verum hi coniuges immediate ante huius matrimonii celebrationem ad effectum legitimandi prolem iam ab ipsis natam per subsequens matrimonium, notam Parocho tradiderunt coram testibus, in qua nomina eorum filiorum continentur una cum epocha singulorum nativitatis, et confessi et testati sunt, hos filios ab ipsismet esse genitos et natos tempore, quo ambo erant liberi et soluti ab omni matrimonio. Ex his quatuor erant nati, antequam nullitatis querela proponeretur, quintus vero pendente iudicio; quibus duo alii super accesse- runt annis 1819 et 1825. Carolus Paganini et ipse post alteram editam de nullitate sententiam ad alia vota transivit, et die 15 octobris 1830 decessit, ac proinde ipso sospite omnes filios Anna peperit.

Cum Franciscus Ronco divitiis affluens nullo condito testamento ex hac vita migraverit die 4 aprilis 1841, eius nepotes ex fratre, qui heredes legitimi forent, si excluderentur filii, quos habuit cum Anna sive ante, sive post nuptias, utpote adulterini: supplices exorarunt facultatem probandi, vali- dum fuisse coniugium, quod Anna Bruzo Paganinio contraxerat anno 1801, irritum proinde fuisse alterum cum ipsorum patruo initum, ideoque adul- terinos fuisse filios omnes ab ipsis vivente Paganinio editos. Placuit SS̃mo rem ad S. C. Concilii ablegare, mandavitque, ut exquisito prius voto Defen- soris matrimonii EE. VV. iudicio subiiceretur.

Neminem latet Alexandrum III in cap. 7, *de sent. et re iud.* privilegium tribuisse causis matrimonialibus, ne unquam in rem iudicatam transirent, sed rursus in iudicalem controversiam revocari possent, cum constaret de errore. Idem sanxit Bened. XIV in const. *Dei miseratione.*[1] Illud etiam fuit ab Ecclesiae canonibus constitutum, qui possint contra matrimonium audiri, quique et quibus ex causis repellendi. Repellendi nempe sunt accu- santes matrimonium propter quaestum: cap. 5, *qui matrim. accusare possint vel contra illud testari*; item repellitur, qui denunciationis tempore tacuit, nisi denunciationem probabiliter ignoraverit, vel iuret de novo didicisse, et quod non obiicit illam malitiose: cap. 6, eod. tit. Illud etiam animadvertere praestat, diligenter perquisitas fuisse Sac. huius Ordinis resolutiones, nul- lumque reperiri potuisse exemplum, quo ob quaestum et civiles effectus admissa fuerit instantia accusantis matrimonium, postquam fuerant priores nuptiae iudicialiter dissolutae; nec repertum fuisse exemplum introductae nullitatis post obitum alterutrius coniugis. Hisce praehabitis dirimendum proponitur dubium:

An, et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu?
Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 102, p. 256-259].

[1] Cf. N. 318.

4080.

S. C. C., *Civitatis Castelli*, 17 dec. 1842.

Rosatus Silvestri anno 1708 ultimo, cum quo decessit, elogio mandavit, ut ex suis bonis erigeretur Capellania cum onere trium Missarum in singulas hebdomadas, reservato iurepatronatus activo mere laicali Marchionibus del Monte in S. Maria et eorum descendentibus in infinitum. Anno 1818 vacante Capellania per renunciationem, per patronos nulla facta legitima praesentatione, sed tantum privata scheda ab ipsis obsignata, ad hanc vacantem Capellaniam Aloysius filius Iosephi Marchionis Bourbon de Monte nominatus est, qui numquam canonicam institutionem accepit, sed eius pater Capellaniae reditibus, posthabito onerum adimplemento, fundorum cultura, tamquam re propria fruebatur. Qui ab Antistite monitus tandem huic S. Ordini supplicavit pro gratia condonationis Missarum non celebratarum quoad praeteritum, pro reductione quoad futurum, tandem pro suspensione onerum quousque viveret Rectoris pater iam senio confectus. Negativo obtento responso, intra praefinitum tempus Marchio Andreas alter patronus, cui bonorum administratio auctoritate ordinaria commissa est, praesentavit in Episcopali Cancellaria filium suum minime clericum et aetate canonica ad beneficia assequenda destitutum; eo vero repulso devenit ad nominationem nepotis Aloysii, qui ab anno 1818 Capellaniae fructus, nulla obtenta institutione, plures annos perceperat et adhuc laicalem vitam agebat. Quare cum transacti essent plusquam quatuor menses, Iosephum Sacerdotem Macchioni Episcopus nominavit, ut Capellaniam assequeretur.

Quod vix factum est, statim Marchio Andreas suo ac aliorum Patronorum nomine ad S. hunc Ordinem confugit adprecatusque est, ut reiecta collatione ab Antistite facta integrum adhuc nominandi ius ipsi reservetur. Confugit autem eodem tempore Sacerdos Macchioni, flagitavitque, ut apposítum collationi *Nihil transeat* lacerari a S. Ordine demandetur.

Capellaniam, de qua agitur, innuunt primo patroni, censendam esse mere laicalem, quia nullibi in testamenti tabulis ecclesiastica vel Beneficium nuncupetur, imo dicatur cum mera celebratione Missarum, quae vox laicalem qualitatem indicat. Iam vero ad Capellaniam laicalem, concludunt, quemlibet quovis tempore nominari potuisse: adeoque Episcopum attendere debuisse nominationes vel Andreae patroni filii, vel Aloysii nepotis favore expletas. Quodsi etiam ecclesiastica censeri velit in themate Capellania, adhuc propugnant patroni, sese rite Aloysium praesentasse: is enim Tonsuram iamdiu recepit ac canonica aetate non caret, ac proinde reiici non potuisset, etsi in habitu clericali non incederet, qui requiritur non tempore praesentationis, sed tantum collationis. Demum dato etiam, neminem ex nominatis idoneum fuisse ad Capellaniam, novus terminus dandus fuisset patronis ad nominandum, priusquam Episcopus procederet ad liberam Beneficii collationem.

Macchionius vero una cum Episcopo pugnant acriter Capellaniam esse ecclesiasticam etiam ex ipsa voluntate testatoris, qui iussit, quod nemo eam assequi posset, nisi clericali addictus militiae. Hoc autem posito perperam fuisse nominatum inferunt usque ab anno 1818 Aloysium: nominatio enim absque praesentatione nullum ius tribuit nominato. Quare usque ab eodem anno post elapsum quadrimestre devolutum fuisse in Episcopo ius nominandi citra ullam iniuriam patronorum. At quoniam Episcopus ex nimia indulgentia voluit superiori anno terminum iterum concedere patronis, praesentari debuissent idoneum, nempe clericum aetate annorum saltem quatuordecim ad Trid., Sess. 23, cap. 6, *de ref.*, in habitu et Tonsura incedentem ac nullo detentum impedimento; neminem vero ex praesentatis huiusmodi qualitates habuisse: non Andreae filiolum; non Aloysium, quia licet is Clericus fuisset, vestes tamen clericales iamdiu dimiserat, nec unquam reassumpsit, ut saltem in actu collationis dici potuisset incedere in habitu et Tonsura; praeterea inhabilis et ipse erat ad assequendum Beneficium, cuius fructus mala fide consumpserat ac bona dilapidaverat ad Trident., Sess. 22, cap. 11, *de ref.*; incredibile enim est eum factum ignorasse patris, qui filii nomine bona administrabat. Elapso autem inutiliter termino, in Episcopum ius nominandi omnino devolvitur. Porro etiam in hypothesi laicitatis Capellaniae Episcopi factum substineri posse contenditur: ne enim ob patronorum negligentiam defunctorum voluntates praetermissae remaneant, Episcopus inutiliter elapso termino eisdem praefixo Capellanias ipse idoneo Rectore providere potest. Dubium est:

An, et quomodo infirmanda sit collatio Capellaniae ab Episcopo facta favore Iosephi Macchioni, ita ut sit locus novae nominationi a Patronis explendae in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 102, p. 343-348].

4081.

S. C. C., *Ferrarien.*, 4 febr. 1843.

Erecta est a Leone X in Ecclesia Ferrariensi Thesauraria, quae tertia Dignitas est, ac de iurepatronatus familiae de Ioculis. Cum itaque anno 1839 eadem Thesauraria vacasset, Maria Baruffi iuspatronatus ad se dovulutum rata ad eam nominavit Ioannem Maccapane, qui in praesentiarum Archipresbyteratum cum cura animarum gerit in Ecclesia S. Martini della Pontenera, quae ab Urbe Ferraria distat quinque circiter milliarios lapides. At vero Eñus Archiepiscopus ratus residentialem esse Thesaurariam, ac a Parocho iam satis proviso retineri haud posse existimans, necnon de iurispatronatus in Baruffiam transitu paulisper anxius, institutioni restitit, donec nominatus opportunas assequeretur dispensationes. Hinc ad Principem Sacratissimum preces porrexit Maccapanius ad S. hunc Ordinem postea remissas, quibus contendit, nullo se impedimento teneri, quominus prefatam dignitatem adipiscatur, quatenus vero opus esset, adprecatus est, *che voglia coll'apostolica sua autorità autorizzare l'Oratore ad accettare assieme all'Arcipretura, che ritiene, detta dignità.*

Super his precibus rogati per Archiepiscopum ex Sacri Ordinis mandato Cathedralis Ecclesiae Canonici collegialiter deliberarunt: « Il Capitolo non rileva da alcun monumento del proprio Archivio, che alla Dignità del Tesoriere sia stato mai annesso obbligo di residenza, e quindi per questo capo non reputa incompatibile di sua natura una cotal dignità nella persona del nominato, benchè stretto dal vincolo di residenza perpetua nella sua Pieve: ma riflette peraltro, che il Tesoriere per forza di una consuetudine è tenuto di assistere alle primarie funzioni e specialmente ai Pontificali... e perciò non può il Capitolo a meno di bramare, che il Canonico Tesoriere si trovi sciolto da quanti impedimenti potessero mai trattenerlo dell'intervenire alle anzidette funzioni ». Emus vero Archiepiscopus nunc iam satis probatum fatetur ex nuperis monumentis transitum iuris patronatus in Mariam; dubitare autem de residentiali Thesaurariae qualitate ac aliis eiusdem obligationibus; sese insuper alienum ostendit a dispensationis venia, quam flagitat Orator.

Iam ad I. quod attinet, extra controversiam est, Thesaurariam, de qua agitur, esse Dignitatem. Iuris autem non dubii est, Dignitates et Canonicatus ex iure ecclesiastico ad residentiam omnino teneri, adeo ut ne consuetudo quidem immemorabilis vel tenuitas, imo et totalis defectus redituum excusare a residentia valeant: cap. *Execrandae, de praebend.*, Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 107, n. 2. Demum haud spernenda est observantia quaedam Archiepiscopi: nedum enim certum est solemnioribus festis Thesaurarios Cathedralem accedere perpetuo consuevisse, sed nec impugnatur, praeteritos Thesaurarios resedisse. E contrario pro non residendi onere militare videtur, Thesaurariam, de qua agitur, esse quidem Dignitatem, sed improprie et late talem, cui de iure non incumbit onus residentiae. Immo quum nulla residentiae mentio occurrat in Bulla erectionis, eruit Orator, Pontificem instituere voluisse Dignitatem potius honorariam et impropriam, quod maxime declaravit, quando Thesaurario pro tempore permisit Paroeciam unitam vel per se gerere. Obligatio vero adsistendi in maioribus solemnitatibus et praesertim in Pontificalibus ex consuetudine introducta importare quidem potest residentiam *causativam* at non residentiam *veram et praecisam*.

Quoad II. dubium, nimirum compatibilitatem vel incompatibilitatem Thesaurariae cum alio beneficio sub eodem tecto secundum Card. De Luca, disc. 57, *de Beneficiis* duo Beneficia eiusdem nominis et ministerii sunt incompatibilia; duo Beneficia eiusdem nominis, non tamen ordinata ad idem ministerium, probabilius sunt compatibilia; duo Beneficia difformia, quorum utrumque sit residentiale ex residentia vera et praecisa, certo sunt incompatibilia; demum duo Beneficia difformia, quorum unum sit vere ac praecise residentiale, alterum autem nullam habeat residentiam sive istam causativam, verius censentur compatibilia.

Quoad III. non est cur loquamur de Beneficiis, quae voluntariam gerunt residentiam, de his enim nec dubium, quin incompatibilia esse possint. Quoad ea vero, quae necessario residentiam requirunt, distinguunt Doctores inter residentiam *praecisam et simplicem* et alteram *causativam:* si Beneficiatus non resideat, in priore casu perdit titulum, in altero artem solum

fructus. Porro de his quae continuam exigunt residentiam, non ambigitur, a nemine retineri posse sive de duobus agatur, quae utraque id oneris praeseferunt, sive etiam si unum continuam, alterum discontinuam. Dubia sunt:

I. *An Thesauraria sit residentialis in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et quomodo eadem Thesauraria sit incompatibilis cum aliis Beneficiis sub eodem tecto in casu?*

III. *An, et quomodo sit incompatibilis cum aliis Beneficiis residentialibus in eadem Civitate Ferrariae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative ad tramites iuris, servata tamen consuetudine quoad chori servitium.

Ad II. Providebitur in singulis casibus.

Ad III. Affirmative quoad ea Beneficia, quae continuam exigunt residentiam, negative quoad caetera, quae chori servitium et onera Thesaurariae non impediunt.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 103, p. 18-34].

4082.

S. C. C., *Civitatis Castelli*, 11 mart. 1843.

De re cum nupta muliere habita ab illius viro deprehensus, de sollicitationibus nonnullarum tum nuptarum, tum innuptarum suae Paroeciae mulierum convictus et publici iudicii sententia mense augusti 1837 in carcerem detrusus et Episcopi decreto irregularis declaratus fuit Sacerdos C. C., cuius preces pro rehabilitate, etsi ab Episcopo commendatas, non solum quater reiecit hic S. Ordo, verum constitutionem Gregorii XV, *Universi*,[1] suam, S. Poenitentiariae ac Supremae Inquisitionis prae oculis praxim habens, dimissionem Paroeciae illico ei imposuit, quod reapse iamdudum factum est. Modo vero facti poenitens, inopia pressus, triennio cum dimidio iam praeterlapso, quinto pro eadem gratia exorat C. C.

Hinc Episcopus, qui ultroneam mense octobris proxime praeteriti ad Emum S. Congregationis Praefectum dedit epistolam, de more auditus ait: « Possum referre, praedictum Sacerdotem revera egisse poenitentiam per tres annos cum dimidio, partim penes PP. Cappuccinos, partim penes Parochos; eius emendationem fuisse constantem, cum semper hoc tempore rectam vitae rationem duxerit. Attenta autem eius emendatione et miserabili statu, oro, ut rehabilitetur ad Sacrum faciendum, ad animae suae iuvamen, et etiam ad sublevandam eius paupertatem, quae maxime nunc aucta est morte sui patris ». Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio Episcopi praefiniendis, pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis ad S. Missae Sacrificium arbitrio eiusdem Episcopi, excluso tamen loco patrati criminis, necnon firma inhabilitate perpetua ad assequenda Beneficia curata, necnon ad Sacramentales Confessiones excipiendas, facto verbo cum SSmo.

[Per summaria precum a. 1843].

[1] Cf. N. 201.

4083.

S. C. C., *Silvaeducis*, 11 mart. 1843.

R. P. a Secretis S. Congregationis de Propaganda Fide, Sacri huius Ordinis definitioni subiecit de mandato SSm̃i facultatem expetitam a Vicario Apostolico Sylvae Ducis (Bois le Duc), nimirum indulgendi aliquoties parochis Vicariatus, ut per sacellanos suos implere possint onus applicationis Missae pro populo. Praenotandum in facto est non leves exortas esse in Belgio praesertim controversias, utrum Missae illius applicatio sit onus personale, ita ut per sacellanos seu vice-parochos impleri non possit. Huic controversiae causam dedit opus in lucem editum a sacerdote Varhoesen, qui onus illud personale esse demonstravit tum doctrina S. Alphonsi de Ligorio, tum Sacri huius Ordinis resolutionibus. Praemittendum etiam est, in facto, iuxta statuta synodalia praesertim mechliniensia, Missam parochialem, quae dicitur *summa*, cum cantu expleri statis horis, et ad eam concurrere plebem quae pro certo tenet eam Missam pro se applicari. Ex his factum est, ut parochi sive ob legitimum impedimentum, sive etiam absque iusta causa, Missae illius celebrationem et applicationem pro populo sacellanis suis committere consueverint. Nec praetereundum est Vicarium Apostolicum oratorem, de hac re consultum, responsum dedisse *non posse parochos absque iusta causa* per sacellanos applicare Missam pro populo. Ex his factum est ut quamplurimae excitarentur controversiae, utrum onus revera sit personale, et quae esse possit iusta causa ut per alium adimpleatur. Haec erant EE. VV. patefacienda ut verba concessionis librare possint; agitur enim de rescripto, quod firmat regulam praesertim in iis ditionibus.

Die, etc. Sacra, etc. censuit rescribendum: Pro facultate indulgendi parochis Vicariatus, ut per sacellanos Missam pro populo applicare possint in casibus verae necessitatis, et dummodo ex canonica causa fiat, facto verbo cum SSm̃o. Factaque de praemissis per Subsecretarium S. Congregationis... relatione SSm̃o Domino Nostro, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis in omnibus benigne approbavit et confirmavit. Propendereaque eadem Sacra Congregatio supradictam facultatem, superius descriptae resolutionis forma ac tenore in omnibus et per omnia adamussim servatis, memorato Vicario Apostolico benigne impertita est.

[Liber 186 Decretorum, p. 270].

4084.

S. C. C., *Firmana*, 29 iul., 12 aug. 1843.

In ecclesia extra sed prope moenia oppidi Campi Pheudoni Divo Patritio dicata reperitur erecta Sacerdotalis Capellania sub titulo S. Antonii Patavini, cuius iuspatronatus favore descendentium quondam Gregorii Egidj de Monte Florum fundator reservavit, onusque imposuit Capellano

pro tempore litandi per seipsum duas Missas qualibet hebdomada, conditione apposita, quod si Capellanus per seipsum non celebraret, excepta infirmitatis causa, dare teneretur alii Sacerdoti celebranti integram portionem omnium Capellaniae fructuum, quae proportionaliter corresponderet diei, qua Sacrum per seipsum facere omisisset. Huiusmodi fuit fundatoris voluntas. Ast ab anno 1691 usque ad annum 1831 in litteris institutionum neque verbum neque vola invenitur de enunciata conditione, sed tantum dictum fuit, Capellano onus inesse duarum Missarum in suffragium animarum Sacripantis Pancaldi et suorum antenatorum celebrandarum. Capellaniae possessionem iniit anno 1831 Sacerdos Franciscus Bastoni, Asculanae Ecclesiae Cathedralis Canonicus, qui habita cognitione dispositionis testamentariae usque ad annum 1839 veniam a Summo Pontifice petiit et obtinuit per alium Sacerdotem Capellaniae Missas celebrandi. Anno autem 1839 S. C. Ep. et Reg. rescripsit, ut in futurum testamentaria dispositio fideliter observaretur. Quare anno 1841 in actu s. visitationis Em̃us Archiepiscopus decrevit: « 1. Qualora il Cappellano non celebri di persona le due messe in ogni settimana, dovrà rilasciare il corrispondente fruttato giornaliero al Celebrante, che avrà supplito. 2. Ad evitare ogni inconveniente ed ogni questione tra il Cappellano ed il Celebrante, il Cappellano esibirà in ogni anno al Nostro Vicario Foraneo lo stato attivo e passivo giurato del reddito della Cappellania. 3. Non sia lecito di anticipare, nè posticipare le Messe, ma si celebrino nelle singole settimane a forma del testamento ».

Decreto non acquievit Capellanus Bastoni, quapropter huic S. Ordini exposuit, *che trovandosi enormemente gravato da tal decreto, umilmente implora la revoca ed annullamento dello stesso, poichè per lo spazio di un secolo e mezzo le Messe non sono state mai celebrate dai Rettori pro tempore, ma sempre e costantemente soddisfatte dai Sostituti celebranti. I Rettori adunque della Cappellania hanno il miglior titolo d'un osservanza di circa 143 anni.*

Instantia Capellani de more remissa fuit Archiepiscopo, qui praenarrata confirmans retulit sanctionem appositam a fundatore in desuetudinem cessisse; patronorum vota expostulatis favere; reditus Capellaniae in annuis scutatis circiter 300 ab omni onere liberos supputari.

Iam conditiones in dispositione testamentaria positae adamussim adimplendae sunt, praesertim si respiciant causas pias: Clem., *Quia contingit 2, de relig. domib.* Atqui Capellanus Bastoni per voluntatem testatoris pinguem reditum ex Capellania habet: onerosae igitur conditioni ab testatore appositae aequissimum est, ut satisfaciat. Cum tamen litterae institutoriales Ordinariorum et Bullae apostolicae expeditae favore Capellanorum ab anno 1691 usque ad annum 1831 conditionem onerosam, de qua agitur, non expressissent, iusta Capellanis adfuit ratio praesumendi, per apostolicum beneplacitum sanctionem fundatoris esse sublatam. Gravis quidem agitur controversia inter Doctores, utrum onera Missarum ac fundationum Beneficiorum et Capellaniarum perimi possint saltem centenaria praescriptione. Qui negant, Tridentinae praecipue Synodi nituntur Sess. 25, cap. 5, *de ref.* Iamvero Tridentinae Synodi sanctiones fuerunt munitae decreto irritanti et

clausula *sublata*. Huic sententiae potius, quam alteri adhaesisse S. Congregationem plura eiusdem testantur folia. Dubium est:

An infirmandum, vel confirmandum sit sacrae visitationis decretum in casu?

Die 29 iulii 1843: Non proposita.

Die 12 augusti 1843 Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 103, p. 266-274, 297].

4085.

S. C. C., litt. (ad Ep. Cameracen.), 14 oct. 1843.

S. Congregatio inter alia rescripsit:

Ordinariorum esse de re cognoscere et perpendere, num revera necessitas urgeat, ut sacerdos duas Missas celebrare cogatur, nec aliter utendum concessa hac iteratione, quam iuxta conditiones ab ipsis apponendas, habita locorum, populorum et paucitatis sacerdotum, ac proinde verae necessitatis ratione, de qua legatur Benedicti XIV constit. *Declarasti*, ad Ep. Oscensem anni 1746 [2] et in eius opere *De Sacrificio Missae*, lib. 3, cap. 5 et 6. Ipsorum vero conscientia oneratur stricte, nec permissio concedatur generaliter, quasi privilegium alicui sacerdoti, sed ob peculiares casus, et necessitatis causa ab ipso (Ordinario) examinata, qui praeterea moneat parochos, quibus facultatem iterum, eadem die, secundam Missam celebrari concesserit, ne eleemosynam vel stipendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea percipiant, iuxta decreta alias edita a S. C., sed eam pro populo sibi commisso gratis applicent.

[Liber Litterarum 1834-47, p. 457, sq.].

4086.

S. C. C., *Senogallien.*, 24 aug. 1844.

Cum in eo statu sit Capellania instituta a Catharina Comitissa Bonafede in Civitate Senogalliensi, ut aere alieno gravetur, hodiernus illius possessor Felix e Comitibus Bonafede a S. hoc Ordine postulavit veniam alienandi bina rustica praedia ad eamdem Capellam spectantia, quorum alterum positum est in regione *Rosello* o *Casebianche* valoris peritialis scut. 739.54, alterum in regione *S. Rocco* valoris scut. 769.41.5, ita scilicet, ut ex prioris fundi pretio potioribus saltem Capellaniae creditoribus satisfaciat, erogato, quod superest, in sui utilitatem, altero vero in solutum cesso Sacerdoti Pacifico Lauri, qui nomen habet executivum contra Cappellaniam solemni re iudicata firmatum, et cum quo iam inita est conventio, cuius hodie petitur approbatio.

[1] Cf. N. 4095.
[2] Cf. N. 365.

Rogatus Emus Episcopus, auditis interesse habentibus retulit: « Il Consiglio (interesse habentium) ha trovata ragionevole l'una e l'altra domanda dell'Oratore e vi ha acconsentito con questa modificazione però, che in quanto alla prima, la proposta vendita si faccia possibilmente a prezzo di stima, ma sotto l'espressa condizione che il prezzo medesimo venga impiegato nella dimissione de' debiti ed investito l'avanzo a favore della Cappellania; ed in quanto alla seconda, che si premetta un nuovo avviso di asta per avere, se fosse possibile, un prezzo maggiore di quello offerto dal Lauri medesimo. Anche il Difensore della Cappellania ha riconosciuto necessaria l'alienazione degli indicati due fondi pel solo fine però di soddisfarne la passività. Per la qual cosa son di subordinato parere, che meritino le promosse due istanze di essere accolte ne' modi e termini espressi dal Difensore deputato ».

Res itaque est de laicalis Capellaniae bonis alienandis, qua in re, quidquid sit de praecisa necessitate apostolici beneplaciti, tutius esse illud exquirere videtur. Porro, attenta necessitate, permitti, ut bona ad pia opera destinata alienari possint, non dubitatur ex Conc. Trid., Sess. 22, cap. 11, *de ref.*, quare inspicere erit in themate, num asserta necessitas demonstretur. His breviter degustatis dignabuntur EE. VV. dirimere dubia:

I. *An, et quomodo sit permittenda alienatio fundi vulgo* Rosello *o* Casebianche *in casu?*

II. *An, et quomodo sit permittenda cessio fundi vulgo* S. Rocco *in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Affirmative, praevia affixione edictorum favore maioris et melioris oblatoris, adstante Defensore Capellaniae, et cum onere investiendi, quidquid supererit post aeris alieni dimissionem, iuxta votum Emi Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 104, p. 213-218].

4087.

S. C. C., *Nanneten.*, 19 apr. 1845.

Bis iam resoluta fuit haec causa, diebus nimirum 21 iulii 1832 [1] et 3 augusti 1833. [2] Post haec quotidie morbo ingravescente idem Presbyter per annos decem bis aut ter fere in hebdomade vehementer agitatus ab omnibus ecclesiasticis functionibus sese interdixit. Nunc vero quindecim abhinc mensibus adhibitis remediis a medico in his curandis morbis perito acceptis fere pristinam recuperavit sanitatem: hoc enim temporis intervallo tres tantummodo easque leves passus est nervorum agitationes nocturno tempore. Supplices perinde huic S. Ordini preces porrexit, ut dignetur EE. VV. clementia ipsum ab irregularitate dispensare, et ad Sacrificium offerendum habilitare. Precibus iuncta est medici et Episcopi amplissima testatio de moribus Sacerdotis Oratoris, qua dicitur eum esse multo commendandum,

[1] Cf. N. 4040.
[2] Cf. N. 4047.

zelo animarum flagrantem, ipsumque aegritudine angi eo, quod ad inertiam sit damnatus. Unde quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSm̃o pro dispensatione et rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad SS. Missae Sacrificium cum assistentia alterius Sacerdotis, et cum reincidentia, si in morbum relabatur, arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSm̃o.

[Liber 188 Decretorum, p. 334 a tergo, sq.].

4088.

S. C. C., *Neapolitana*, 2 aug. 1845.

Caietanus De Hieronymo Civis Neapolitanus cum Clara Imar degente in suburbio Neapolis, quod audit *Real Villa di Portici*, solemne coram Ecclesia celebraverat matrimonium; deducta in domum suam puella, nuptiali cum ipsa thalamo per integrum biennium cubaverat. Hoc tempore exacto paternos uxor remeavit lares infirmitatem causata, septem tamen post menses graviorem accessisse causam patefecit, quum coram Metropolitana se sistens Curia petiit: *che non essendo bastati due anni di costante consorzio col marito, si dichiari risoluto di niun vigore il matrimonio a motivo della causa dirimente d'impotenza.* Vicarius autem Generalis rite absolutis quaestionis actis, sententia sua legitime prolata declaravit: *Constare de naturali, perpetua et antecedenti impotentia Caietani De Gironimo, ac proinde matrimonium inter eum et Claram Imar initum ab initio fuisse et esse nullum.* Causa in vim appellationis hodie proponitur S. Ordini dirimenda.

Dispositioni insistens capitis 2, *de frigid. et malefic.* et can. 19, Caus. 27, quaest. 2, quibus statuitur, nullum reddi matrimonium, si vir nunquam coiverit nec coire possit cum muliere; utrumque in Caietano De Hieronymo verificari contendit mulieris Defensor. Et primum omnino constat ex concordi utriusque coniugis confessione in iudicio solemniter emissa, licet coire nequivisse vir obtestatus fuerit ex physica vel ex morali temporanea indispositione, mulier vero pro causa allegavit partium virilium debilitatem; praecipue vero ex probata per corporis inspectionem mulieris virginitate, eo vel magis, quod obstetricum depositioni coram medicis et chirurgicae artis peritis manifestatae ipsorum unanime accessit iudicium: *che la fisica virginità esiste nella Sig. Imar, giacchè tutte le parti, che ne menano alla conoscenza di siffatta virginità, sono nello stato stabilito dalla natura.* Ita probata Clarae virginitate post biennalem condormitionem cum viro, huius impotentiam deducit necessario illius Adsertor, et quidem naturalem ac antecedentem ita ut coire amplius nequeat. Hac autem demonstrata impotentia, nihili faciendas esse regerit mariti iactationes lite pendente factas de veteri coeundi potentia, de filiis susceptis, ac morbo venereo coitu quaesito, hunc enim contrahere potuit simplicibus tactibus. Quodsi de matrimonii nullitate non plene constaret, eas tamen urgere causas vindicat, quae matrimonii rati et non consummati dispensationem postulant, videlicet aegritudo animi, et

odium inter Claram et Caietanum, qui ad venalia adulteria non erubuit uxorem excitare. Ceterum ad dispensationem indulgendam sufficere videtur etiam impotentia probabilis tantum.

Contra vero deputatus Sacramenti Vindex omnes fere peritos viri potentiam admisisse imo etiam relativam ac temporariam exclusisse affirmat. Hoc autem posito universas mole sua ruere probationes a muliere ex adverso adductas protuetur. Porro iurata mulieris assertio de non consummato matrimonio nimis laconica fuit, quam quod exigat Benedictina constitutio *Dei miseratione*;[1] seroque oblata querela, quae reiicienda est: cap. 1, *de frigid. et malefic.*; ac demum viro matrimonii consummationem asserenti potius credendum est, Hisce hinc inde relatis EE. VV. sapientissimo iudicio dirimenda proponuntur dubia:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

II. *An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione a matrimonio rato, et non consummato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Dilata, et scribatur Vicario Capitulari pro nova inspectione corporis tam viri per tres novos peritos, quam mulieris per alias tres obstetrices a peritis instruendas, servata forma constitutionis s. m. Benedicti XIV, Dei miseratione, *ac exhibitis per Defensorem matrimonii Curiae Archiepiscopalis interrogatoriis.*[2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 105, p. 257-264].

4089.

S. C. C., *Compsana*, 2 et 30 aug. 1845.

Sacerdos Antonius Berrilli ex oppido Caletri Compsanae Dioecesis omnia bona sua in divini cultus incrementum tota impendere statuit. Hinc in matrici eiusdem oppidi ecclesia e solo excitato sacello S. Annae etiam beneficium instituit, activae et passivae nominationis iure in Nicolaum et Leonardum Berrilli eorumque successores in infinitum collato.

Sed nuperis temporibus ad aures unius ex Patronis Iosephi Nicolai Berrilli pervenit, Cappellanum totum distraxisse boum armentum, permutasse fundum *Fontana del Milo*, nullamque habuisse curam reficiendi collabentes ac pene dirutas aedes, quae exurgunt in *contrada il Vacalo.* Agente tunc Patrono coram Archiepiscopali Compsana Curia, Iudex suspensionis tantum poena mulctavit Cappellanum, atque ex beneficii reditibus annuam 36 ducatorum pensionem eidem concessit. Beneficii vero gestionem Dioecesanae administrationi concredidit, ut redditus, qui detractis oneribus reliqui essent quotannis, in aedium sarcitionem et bovilis gregis emptionem impenderentur.

Verum Patronus ab hac sententia ad S. hunc Ordinem appellavit. Archiepiscopus interrogatus retulit, Patronum nonnisi duo probasse: armenti

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. N. 4093.

distractionem atquae aedium ruinam. Deficiente vero dolo sibi visum esse aequitati potius quam stricto iuri adhaerere.

Utriusque igitur litigatoris iuribus ad trutinam revocatis sequens EE. PP. proponitur dubium:

An, et quomodo sententia Curiae Archiepiscopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die 2 augusti 1845: Non proposita.

Die 30 augusti 1845 Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Archiepiscopus curet omnino redintegrationem beneficii ex reditibus superextantibus, detractis oneribus, et pensione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 105, p. 303-311, 314].

4090.

S. C. C., *Treien.*, 30 aug. 1845.

Pius VII anni 1818 Civitatem Treiensem et aliquot Villas eius territorium constituentes ab Archidioecesi Camerinensi perpetuo dismembravit, instituitque inibi Episcopalem Exedram in perinsigni Ecclesia B. Mariae Virgini ab Angelo salutatae dicata. Primus autem, qui huiusmodi administratione frueretur una cum Camerinensi Archiepiscopatu, extitit Praesul Nicolaus Mattei, qui mox ad Montisfalisci et Corneti Dioeceses translatus, anno 1843 diem obiit supremum. Unde Treiense Capitulum constitutioni S. Pii V [1] innixum suam et ipsum partem e sacris utensilibus, quae defuncto Archiepiscopo inservierant, pro rata fructuum et temporis, quo administrationem Treiensis Ecclesiae retinuerat, postulavit.

At Capitulum Camerinense contendit, sibi uni spolia pro eo tempore universa competere, cum sustineret, Administratores, etsi perpetuos, nedum explicite, prout legenti patebat, sed nec implicite fuisse in Piana dispositione comprehensos. Proposito itaque dubio:

An, et quomodo spectet ad Treiensem Cathedralem Ecclesiam ius ad sacra utensilia defuncti Archiepiscopi Mattei in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, et spectare proportionaliter ratione fructuum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 105, p. 330-340].

4091.

S. C. C., *Ordinis Praedicatorum*, 24 ian. 1846.

Inter Dominicanam Familiam Tarenti degentem ac Metropolitanum Capitulum (penes quod totius Civitatis animarum cura inest) anno 1841 de Religiosorum cadaverum ad coemeterium delatione controversia exorta

[1] Cf. N. 123.

est: cum enim cuiusdam Religiosi defuncti exuvias, iustis in ecclesia solutis, ad sepulchrum efferre constituerint Dominicani Patres absque Parochi interventu, ac Conventuali Cruce elevata, obstitit Capitulum, a Parocho cum Cruce Capitulari seu Paroeciali funus deducendum esse contendens. Edita protestatione tunc cessit Conventus Praeses. Verumtamen postmodum uterque contendens ad Apostolicam Sedem provocavit; et causa ad hunc S. Ordinem a Sacratissimo Principe ablegata, tum Archipraesulis, tum Praedicatorum Ordinis Procuratoris Generalis votum conquisitum fuit.

Procurator Generalis insistendo cuidam decisioni S. C. diei 2 iulii 1620 sustinet, « che il Superiore Regolare può trasportarsi il cadavere del suo Religioso in qualunque ora di giorno o di notte, ed anche solennemente, benchè il Card. Petra ed il Pignatelli dicono, che il trasporto dovrebbe farsi *sine pompa, sine cruce et sine processione*, poichè: *Ubi iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus*. Inoltre per la Bolla di Leone X [1] e per i decreti della S. C. per passare da una ad un'altra Parrocchia non si deve dimandare il permesso di quel Parroco, da dove il cadavere si deve passare. Or da tale ordinazione... si deve conchiudere, che — essendo il Superiore Regolare il vero Parroco di quel Religioso defunto — per trasportare il cadavere del Religioso per la Parrocchia degli opponenti, non è necessario, che v'intervenga l'assistenza di quel Parroco ». Quod confirmat etiam ex S. C. Ep. et Reg. in *Placentina*, 24 nov. 1713. [2]

Capituli vero Defensor ex Parochi iurisdictione arguit, ipsius esse iurisdictionis signa: stolam, crucem elevatam in Paroecia deferre. Cumque duo haec insignia in cadaverum associatione deferenda sint iuxta praescriptum Ritualis Romani, tit. *de exequiis*, consequi contendit, Cathedralis Parochum vocandum esse, ut stola ornatus et parochialem crucem elevans defuncti Religiosi exuvias ad coemeterium per suae Paroeciae territorium evehendas comitetur; minime vero idipsum licitum esse Regularibus, ne aliena iura invadere videantur. Superiorum enim Regularium potestas intra Monasterii septa circumscribitur, extra autem in alterius iuris praeiudicium exercere vetitum est. Igitur enodanda sunt dubia:

1. *An expleto officio super Regularis cadavere Parochus Metropolitanae Ecclesiae vocari, et interesse debeat cum stola in solemni associatione eiusdem Regularis ad publicum coemeterium in casu?*

2. *An ista funeris processio ordinanda sit sub, et praeeunte Cruce Metropolitanae seu Parochialis Ecclesiae in casu?* Et quatenus affirmative ad primum et secundum:

3. *An Parochus debeat deponere stolam prope sepulcrum Regularium, vel potius officium iam incoeptum perficere in casu?* Et quatenus negative ad primum et secundum:

4. *An sine Parochi interventu possint Regulares ordinare processionem cum stola, et Cruce Conventuali usque ad sepulchrum, vel potius utrumque signum deponere debeant in transitu per Paroeciam, resumendum postea in coemeterio in casu?*

[1] Cf. N. 72.
[2] Cf. N. 1829.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. et 2. Negative in omnibus, dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite ad coemeterium a Familia Regulari proprii Conventus tantum.

Ad 3. Provisum in praecedentibus.

Ad 4. Affirmative ad primam partem cum conditionibus, uti in praecedentibus, et cum stola ac Cruce Conventuali tantum; negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 106, p. 35-44].

4092.

S. C. C., *Veronen.*, 30 maii 1846.

Veronensis Cathedralis Ecclesiae, cui praeerat anno 1805 Marcus Corner S. R. E. Cardinalis, chorale servitium penitus antea neglectum in pleno sui vigore restituit, mensam de novo instituendo, eique plures Anniversariorum, piorum legatorum ac portionum *di varie Pievi Chiericali* reditus in unum copulatos adiungendo. Mensa haec a Corner fundatore appellata fuit *Cornelia*, et satis tunc erat ad congruam 70 Clericorum (sive Capellani fuerint sive Mansionarii) substentationem. Verum temporis lapsu atque iniuria, vel negligentia Administratorum tales subiit deinde vicissitudines circa reditus, ut vix duobus Mansionariis et 14 Capellanis *centesimi 38 al giorno* praeberet. Quare alter Veronensis Antistes Grosser praedictae *Mensae Corneliae* alia univit Beneficia, ita ut uniuscuiusque portio pertingat ad *centesimi 55 al giorno*. Verum animadvertit hodiernus Episcopus imparem adhuc esse reditum ad Beneficiatorum alimoniam, et arduam rem esse post aliquorum obitum, et praecise 12 Beneficiatorum, qui annos ultra 70 nati sunt, alios invenire successores; insuper animadvertit, quod 16 Beneficiati satis non sint ad plenius chorale servitium peragendum: ideoque proponit constituere alia 8 Beneficia, scilicet in totum 24 Beneficiatos, quos sufficientes esse ait. Ad haec obtinenda supplex adiit Sacratissimum Principem, et precibus ad S. Concilii Congregationem ablegatis, ad 24 Beneficia constituenda Veronensis Episcopus proponit reditus desumere ex praedicta *Mensa Cornelia;* ex Beneficiis in eodem Cathedrali Templo existentibus, illis non exceptis iam prius ab Episcopo Grosser eidem mensae adiunctis; ex Beneficiis ad alias Civitatis Veronensis Ecclesias pertinentibus. Pro Beneficiis vero, quae sunt de iure patronatus, libenter patroni iam praebuerunt assensum.

Species praesentis controversiae cum opportunis animadversionibus exhibetur in voto, quod exaravit Em̃us D. Card. Serafini Relator. Quamquam autem Ecclesia a plurium Beneficiorum unione abhorreat, tamen ex ss. canonibus potest unio fieri, cum Ecclesiae sit necessitas, et iusta adsit ac rationabilis causa, necnon legitimi Superioris accedat auctoritas. At in themate de omnibus hisce apprime constat, prout Episcopus exponit. Ne autem Beneficiorum uniendorum reditus propter adnexa onera Missarum impares sint ad Beneficiatorum substentationem, etiam Missarum reductio concedenda videtur, quia secus chorale servitium in Ecclesia Cathedrali penitus deficeret. Dubia sunt:

I. *An, et quomodo sit locus unioni Beneficiorum in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An, et quomodo, et super quibus Beneficiis sit locus reductioni Missarum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Affirmative in omnibus iuxta votum Em̃i Relatoris et Episcopi Veronensis, demptis Capellaniis aliisque piis relictis, quae in aliis ecclesiis instituta referuntur in schemate sub litt. D., per Breve, facto verbo cum SSm̃o.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 106, p. 202-259].

4093.

S. C. C., *Neapolitana*, 5 dec. 1846.

Dilata fuit resolutio huius causae die 2 augusti 1845.[1] Verum vir De Geronimo iterum atque tertio monitus ac terminis peremptoriis compulsus praescriptioni S. Ordinis minime obtemperavit declarans: *di non poter più progredire in giudizio, perchè le sue strette finanze non glielo permettono, così si rimette a quanto verrà deciso all'uopo.* Clara autem ad praestitutam normam sese inspiciendam obstetricibus ac matronis dedit. Quae cum peritis mulierem uno ore intactam se invenisse declararunt. Repropositis itaque iisdem dubiis:

Die etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, ita tamen, ut vir ad alias nuptias non transeat inconsulta S. Congregatione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 106, p. 445-449].

4094.

S. C. C., *Volaterrana*, 5 dec. 1846, 23 ian. 1847.

Succrescenti in dies Canonicorum inopiae et divino cultui reparare cupiens ex animo hodiernus Volaterranus Antistes fretus S. Concilii Trident., Sess. 24, cap. 15, *de ref.*, sanctione in id consilii venit, ut duo Beneficia supprimeret, eorumque reditus, supportatis oneribus, mensae Capitulari incorporaret. Quorum primum S. Bartholomaei ordinariae collationis reditum annuum Libell. 1479.9.4 suppeditat; alterum S. Mariae Magdalenae de iure patronatus Canonicorum annuas Libell. 210.6.5 praebet. Accedente itaque Capitularium suffragio, solemni decreto sub die 6 septembris elapsi anni res tota confecta remansit. Exinde Antistes ipse preces opportunas adiecit hanc S. Congregationem enixe postulans, ut unionem a se factam ad maius robur, et successorum quietem, dubiaque avertenda Sanctitas Sua benigne confirmare dignetur.

[1] Cf. N. 4088.

Res itaque est de Beneficiorum unione, a qua generatim loquendo ss. canones abhorrent quam maxime: cap. *Ex parte*, 12, *de constit.* Ast perpendendum occurrit, quod si legitima intercedat necessitatis vel utilitatis causa, unio concedi identidem solet: can. 49, Caus. 26, quaest. 1. Porro inter causas legitimas recenseri a iure novissimo Conc. Trid., Sess. 24, cap. 15, *de ref.* etiam illam, quando scilicet in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata insigni adeo tenues Praebendae sunt, ut cum distributionibus quotidianis non sufficiant decenter Canonicis pro loci et personarum qualitate sustentandis, nemo ibit inficias, atque S. Congregationis praxis demonstrat, ut in *Veronen.*, 30 maii elapsi.[1] Tota itaque disquisitio ad factum cohibenda, scilicet num a legitima auctoritate unio in themate patrata fuerit, num reapse legitima necessitatis vel utilitatis causa subsistat, num adnexa onera integra remanserint, num demum ad formam iuris, videlicet Capituli et interesse habentium consensus accesserit. Iam vero ex cit. cap. Conc. Trid. constat, Episcopos pollere facultate uniendi Beneficia Ecclesiis Cathedralibus. Necessitatis ac utilitatis ratione adactum Episcopum, insuper et iuris censuram observatam fuisse ex unionis decreto deprehenditur. Dubium est:

An, et quomodo confirmanda sit unio Beneficiorum in casu?

Die 5 decembris 1846: Non proposita.

Die 23 ianuarii 1847 Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 106, p. 472-476, tom. 107, p. 11.]

4095.

S. C. C., *Firmana*, 23 ian., 6 febr. 1847.

Resoluta fuit haec causa die 12 augusti 1843.[2] Huic vero resolutioni minime acquievit Bastonius, qui iteratis precibus nova causae propositione impetrata, praeter repetita quaedam et alia contra laudatum decretum profert argumenta. Itaque quaeritur:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?*

Die 23 ianuarii 1847: Non proposita.

Die 6 februarii 1847 Sacra, etc. respondit ad I. In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 107, p. 52-56, 84].

4096.

S. C. C., *Viglevanen.*, 27 mart. 1847.

Episcopus Viglevanensis exponit, anno 1809 Viglevani ab Equite Commendatario Presbytero Ioanne Merula fundatum fuisse orphanotrophium, in quo hodie aluntur 16 orphani et tot senes valetudinarii, quot redditus patiuntur. Illius administratores rogarunt Episcopum, ut auctoritate ordi-

[1] Cf. N. 4092.
[2] Cf. N. 4084.

naria parvam ecclesiam pro celebratione Missae et Eucharistiae administratione, Paschate excepto, senibus et orphanis ibi receptis concederet. Hanc concessionem non excedere autumat Episcopus suam ordinariam facultatem. Verum nihil proprio marte vult statuere, quapropter EE. VV. Reverendissimas supplex orat, ut ipsum docere dignentur, num oratorium in dicto orphanotrophio decenter extructum, ab omni alio usu segregatum, necessariisque provisum comprehendatur in prohibitione SS. Concilii Tridentini, Sess. 22, *de observ. et evit. in celebr. missar.*

Potestatem, qua olim Episcopi utebantur, concedendi per modum habitus usum oratorii a Conc. Trident., Sess. cit. revocatam fuisse ambigi non potest. Idem confirmatur Pauli V ep. encycl. a. 1615.[1] Similem declarationem nobis exhibet constitutio s. m. Benedicti XIV, *Magno cum.*[2] Utrum vero huiusmodi prohibitio ea etiam ad loca, praeter domos privatorum, protendatur, quae religiosa vel pia sunt et nuncupantur: monasteria videlicet, hospitalia, orphanotrophia, gerontotrophia et similia, in hoc tota, quae hodie proponitur, quaestio versatur. Et quamvis alii distinguendo inter loca *religiosa*, quae Episcopi aut alterius Ecclesiastici Praesulis auctoritate fuerint erecta, et loca *pia* sine tali auctoritate erecta, et priora in Tridentini prohibitione non comprehendi, posteriora comprehendi censeant: nihilominus valido etiam niti videtur fundamento contraria sententia, quod nimirum, etsi loca mere pia sint et absque Episcopi auctoritate fundata, adhuc in Tridentinae Synodi prohibitione minime comprehendantur; sed in hoc tantum differentiam inter *religiosa* ac *mere pia* loca versari retinendum est, quod oratorium in illis extructum illico sit Missarum celebrationi idoneum, minime vero id habere locum in iis, quae *mere pia* sunt, nisi praevia Episcopi licentia: Clem., cap. 2, *de praebend.*, cap. 1, *de eccl. aedif.* Hisce maximum videtur robur adiicere resolutio, quae prodiit a S. C. Ep. et Reg., die 18 februarii 1628, quam refert Gattico, *de orator. domest.*, cap. 16: *S. C. Cardinalium negotiis regularium praeposita censuit, prohibitionem hac de re editam ad oratoria in hospitalibus constituta non pertinere, ac proinde esse in facultate Ordinarii, ubi illa visitaverit, ac divino cultui peragendo apta et decentia, ac cuiuscumque usu libera esse compererit, licentiam impertiri, ut in eis Sacrum Missae Sacrificium celebrari valeat.* Quae profecto resolutio, cum nullam contineat erectionis episcopalis conditionem, de omnibus, tum hospitalibus, tum similibus piis locis sive Episcopi auctoritate fundatis sive absque illa, accipienda est ex ea potissimum ratione, quod huiusmodi loca quomodocumque erecta sint, numquam privatarum domorum appellatione venire soleant, ac proinde Tridentinae sanctionis censurae minime subiacere videntur.

Quodsi *pia* loca, quae *religiosa* non sunt, Tridentini censurae obnoxia reputaverint EE. VV., expendendum erit, num sub eadem prohibitione orphanotrophium, de quo quaeritur, comprehendatur. Hoc enim, quamvis de ipsius erectione episcopale decretum desideretur, eos tamen exhibet characteres, quos locis *mere piis*, seu absque Episcopi auctoritate fundatis

[1] Cf. N. 2396.
[2] Cf. N. 413.

minime convenire compertum est. Siquidem in illo plenam habere Episcopum iurisdictionem clare demonstrat ius, quod habet Ordinarius illud visitandi, legata eidem obvenientia acceptandi, ab administratoribus, quorum Praeses reputatur, rationes exigendi, et una cum iis orphanotrophii negotia pertractandi. Post haec erit EE. VV. ea, qua praefulgent, doctrina dirimere dubia:

I. *An oratoria in Hospitalibus ceterisque piis locis absque Episcopi auctoritate erectis constituta in prohibitione Concilii Tridentini comprehendantur?*

Et quatenus affirmative:

II. *An sub eadem prohibitione contineatur Orphanotrophium in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 107, p. 227-233].

4097.

S. C. C., *Cotronen.*, 26 iun., 7 aug. 1847.

Cotronensis Episcopus in sua relatione, quam ex Sixtina lege [1] ad hanc S. C. transmisit, exponit: « Dignitates et Canonici non solum, sed et participantes et quatuor Parochi simul efformant constituuntque Capitulum, et in eo ex antiqua consuetudine habent vocem activam et passivam. Haec consuetudo praestandi suffragium praesertim in electione Vicarii Capitularis in viduitate Ecclesiae nonnullas excitat dissentiones et magna dissidia cum scandalo fidelium. Cuperem... ut suffragia in electione Vicarii Capitularis tantum a Dignitatibus et Canonicis praestarentur ».

Rogatus Episcopus, ut de huiusmodi consuetudine Statutorum Capitularium particulam transmitteret, respondit: « Statuti Capitolari formati colle debite regole non ha avuto mai questo Capitolo Cattedrale a memoria d'uomo ».

Porro Benedictus XIII, Conc. Roman. anni 1725, cap. 4, tit. 2 definite praecipit, ut Capitula quaeque, si qua habent Statuta et Capitulares Constitutiones, depromant; et ubi non adsint, sex intra saltem menses... sub ecclesiastici interdicti poena omnino conficiant. Cum itaque in *Puteolana*, 4 iunii 1842 [2] perspectum fuisset, eodem defectu laborare Capitulum Puteolanum, eidem iniunctum fuit ut intra sex menses conficeret Constitutiones ab Episcopo inde approbandas. Quaeritur:

3. *An, et quomodo iniungendum sit Capitularibus Cotronensibus, ut Constitutiones conficiant in casu?*

Die 26 iunii 1847: Non proposita.

Die 7 augusti 1847 Sacra, etc. respondit ad 3. Affirmative, et Capitulum conficiat intra sex menses Constitutiones ab Episcopo approbandas.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 107, p. 385-397, 462].

[1] Cf. N. 156.
[2] Cf. N. 4078.

4098.

S. C. C., *Neocastren. et Catacen.*, 7 aug. 1847.

Antonius C. R. ex incestuoso progenitus concubitu Michaelis Angeli R. et Angelae C. in Neocastrensi Dioecesi, dum ambo erant soluti ac in tertio et quarto consanguinitatis gradu inter se copulati, ad Ordines promoveri peroptans duo ab hoc S. Ordine expostulat: dispensationem nimirum super huiusmodi natalium defectu ad cautelam, quia propter subsecutum ex apostolica dispensatione inter eius progenitores matrimonium se legitimationem fuisse consecutum arbitratur; et aggregationem inter Clerum Cathacensem, ubi teneris abhinc annis assidue est commoratus, et adscitus nuper ab Episcopo Cathacensi in Clericorum Seminario, magna cum ingenii et virtutum laude versatur.

Audito utroque Episcopo Neocastrensi et Cathacensi, retulit primus, res processisse, prout sunt enarratae, ast Oratoris parentes eum nunquam coram competenti auctoritate uti legitimum agnovisse, ita ut in statu civili adhuc sit illegitimus; illius vero promotionem ad Ordines maximo futuram scandalo in sua Dioecesi, in qua memoratus natalium defectus neminem latet, quod fortasse apud Cathacenses ob eiusdem defectus ignorantiam non habere locum concludit. Episcopus Cathacensis e contra postquam de certa et constanti Oratoris vocatione ad statum ecclesiasticum ac deliberato eius animo in illa Dioecesi perpetuo manendi, necnon de praestantibus ipsius dotibus tum quoad scientiam, tum quoad mores fuerit testatus, preces cum ipso Oratore ingeminat pro eius tum dispensatione, tum aggregatione inter Clerum suae Dioecesis, in qua reipsa ipsius natales penitus ignorantur.

Nullum dubium, quin Orator dici debeat filius incestuosus et proinde irregularis: certum est enim ipsius parentes eo inter se consanguinitatis vinculo fuisse coniunctos, ut nec licite, nec valide absque pontificia dispensatione matrimonium inter ipsos posset consistere. Tota igitur quaestio in eo profecto est, num per subsequens matrimonium Pontificis dispensatione contractum legitimus Antonius evaserit, ita ut nulla indigeat dispensatione ad Ordines suscipiendos. Negativam sententiam tuetur Gonzalez, lib. 4 decret., tit. 17, *Qui filii sint legitimi*, cap. 1, num. 11 et 12. Contra autem sentire videtur Thesaurus, *De poenis eccles.* cum *Giraldi*, part. 2, *de poenis incestus*, § 7. Ipse enim advertit ex auctoritate cap. *Tanta*, *Qui filii sint legitimi* et Bened. XIV, ep. *Redditae Nobis*, § 39, [1] eos solos a legitimatione per subsequens matrimonium excludi, qui ex adulterio sunt procreati: ceteros proinde omnes, incestuosis non exceptis, legitimationis capaces reputari. In hoc vero Doctorum et Canonistarum conflictu prior sententia verior ac tutior in praxi videtur. Hinc cum ex una parte de optimis Oratoris moribus et ceteris requisitis ad formam ss. canonum in eo concurrentibus ac de vitio absque illius culpa contracto non sit ambigendum, ex altera autem parte

[1] Cf. N. 350.

agatur de remotiori consanguinitatis gradu, quo ipsius parentes iungebantur, et in quo solet Pontifex dispensare, videant EE. VV., num legitima adsit petitae dispensationis causa. Aggregatio vero Oratoris inter Clerum Cathacensem, cum Neocastrensis Episcopus minime dissentiat, necessaria videtur, si dispensatio concedatur. In ea siquidem nulla habetur damnatorum natalium cognitio, dum e contra in Dioecesi Neocastrensi eam publicam esse testatur Antistes, ac proinde praeter eam, quae iuris est, facti etiam exurgeret infamia. Quibus positis quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione et aggregatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Esse consulendum SSmo pro dispensatione ad cautelam et habilitatione Oratoris ad Sacros Ordines suscipiendos usque ad Presbyteratum inclusive. Quoad aggregationem vero Dioecesi Cathacensi pro gratia.

[Liber 190 Decretorum, p. 601].

4099.

S. C. C., *Tolentinaten.*, 28 aug. 1847.

Sacerdos Alexander Angelici anno 1737, die 29 octobris in Concathedrali Ecclesia Tolentinatensi Canonicatum instituerat, reservato iure patronatus activo masculis omnibus ex sorore sua in familiam Ruiti nupta descendentibus.

Exortis nuper circa praesentationem ad hunc Canonicatum controversiis, Episcopus easdem iudicio huius S. Congregationis subiecit una cum dubio, an, et quomodo succurrendum esset miserrimo Patrono Ruiti, qui cum beneplacito apostolico pensionem 25 scutorum perceperat a defuncto Rectore supradicti Canonicatus.

Atque illud in quaestionem adduci posse non videtur, quod nimirum Patrono ad inopiam vergenti ex patronato Beneficio alimenta debeantur, sicut in sacris est canonibus institutum: cap. *Nobis*, 15, *de iurepatron.* Qua in re concordes omnes habemus Doctores, nec secus censet S. C., quae Patrono egestate laboranti de fructibus Beneficii succurrere perpetuo consuevit, idque haud raro ex causa dumtaxat *relativae paupertatis* indulsit. Attamen non minus sollicita est de congrua fructum portione Beneficiariis sarta tecta tuenda: ideoque nonnisi de iis, quae honestae Beneficiariorum sustentationi supersunt, Patronorum alimenta deducenda sunt: arg. ex cap. *Ita nos*, 25, Caus. 25, quaest. 2. Ut haec subductio in themate iniri queat, cognoscendum est, universos Canonicatus reditus conflari ex una annua emphyteutica pensione scutatorum 142.10, onera vero esse annua scut. 22.50 eroganda quotannis in satisfactionem Sacrorum 180. Demptis igitur oneribus adhuc reliqua forent Canonico scut. 119.60, quorum tertiam partem alimentorum loco sibi ex consuetudine asserit Patronus, etsi velit Episcopus annua tantum scut. 25 illi de more fuisse tributa. Haec autem alimentaria pensio, quae de mente Episcopi esset iterum decernenda Patrono, adeo

tenuis est, ut Beneficiarius nullum ex ea incommodum pati posse videatur. Unde quaeritur:

3. *An, et in qua summa debeantur alimenta Patrono in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 3. Dilata. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 107, p. 534-550].

4100.

S. C. C., *Faventina*, 29 ian. 1848.

Postremo suae voluntatis elogio, quod die 5 maii 1709 signaverat, Michael Sangiorgi Faventinus, perpetuo legato scutator. 140 heredes suos oneravit, illudque trifariam distribuendum edixit: scilicet scutat. 50 pro tot Missarum suffragiis eleemosynae manuali respondentibus; alia scutat. 50 pro duobus subsidiis dotalibus binis pauperrimis puellis Paroeciarum SS. Salvatoris et S. Bartholomaei ex aequa parte tribuendis; reliqua demum scutat. 50 in pauperum eleemosynas eroganda. Huiusce voluntatis exequutores dixit « li RR. Signori Parrochi e Rettori, che sempre in avvenire fino alla durazione del mondo saranno pro tempore delle VV. Chiese Parrocchiali di San Salvatore e San Bartolomeo », quibus, ut impensius creditum exercerent officium, reliquit iure legati « scudi 12 per ogni anno in perpetuo ». Vita functo testatore, dicti Parochi illius mentem religiose exequutioni commiserunt usque ad annum 1790. Nam ex eo anno Summi Pontificis venia pii relicti suspensa distributio fuit. Reddita Romae ac Italiae pace, die 26 septembris 1821 per Emum ab arcanis status decernebatur, quod « col giorno primo di novembre 1821 questi due stabilimenti (di S. Gregorio e di S. Giovanni decollato) saranno riuniti sotto una sola amministrazione, che sarà chiamata Amministrazione di Beneficenza ». Porro haec Pontificis sanctionum Parochos sua in iura redintegrare, vel executionem legati Sangiorgi praedictae Administrationi *di Beneficenza* committere voluerit, a Parochis atque et ab Administratoribus ipsis disceptatum utrinque fuit coram Antistite Faventino. Sed is, quin rem dirimeret, Oratoribus iniunxit, ut potius sapientissimum oraculum Vestrum sciscitarentur; quare Beneficentiae Administratores suo supplici libello postulant: « a volersi degnare di decidere, a chi spettar debba l'esecuzione del legato pio Sangiorgi ».

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, ipse scitu opportuna transmisit, animi vero sui sensum aperire superfluum arbitratus est. Porro administratores innixi can. *Ultima voluntas*, Caus. 13, quaest. 2 et Clement. *Contingit*, 2, *de relig. domib.* iuris regulam esse dixerunt, supremas testantium voluntates modis omnibus servandas, nec inficiati sunt legitimis ac necessariis de causis eas quandoque commutari: arg. ex cap. 6 Conc. Trid., Sess. 24, *de ref.*, toti in eo sunt, ut adstruant Parochos validum adiumentum sibi mutuari non posse ex sanctione Emi Cardinalis ab arcanis status anni 1821, siquidem in ea illud tantum stabilitum fuit, ut duo pia loca in unum copu-

[1] Cf. N. 4105.

larentur, quin assignari causa queat, cur legati Sangiorgi administratio huic novo instituto aggregata remanserit. E contra Parochi contendunt, Caritatis Congregationem, postquam necessarias notiones super Sangiorgi relicto collegerat, disertis verbis eamdem administrationem ad se avocasse ac rite suscepisse. Postremo animadvertunt, ipsis facultatem inesse dimittendi onus administrationis eiusdem legati in vim testamenti, in quo legitur: « e se mai in alcun tempo si desse il caso, che i detti Parrochi si ricusassero... allora sostituisco li RR. Signori Decano e Sotto-Decano pro tempore del Ven. Collegio de' Parrochi », ex quibus sane eruitur, quocumque ipsis libuerit tempore munus impositum dimittere posse. Viderint modo EE. PP., uter ex contendentibus sit ab onere legati pii administrandi liber dimittendus. Animadvertendum tamen est, non facile S. Congregationem sperni testatorum voluntatem hac super re sivisse. Dubia sunt:

1. *An, et ad quem spectet onus administrandi legatum pium Sangiorgi in casu?* Seu potius:

2. *An, et quomodo providendum sit in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *Providebitur in secundo.*

Ad 2. *Affirmative, et Episcopus utatur iure suo ad formam sacrorum canonum, reservato in posterum iure Parochorum iuxta mentem testatoris.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 108, p. 30-39].

4101.

S. C. C., *Taurinen.*, 29 ian. 1848.

Archiepiscopus Taurinensis sequens dubium proponit. « In Clero meo est Clericus Caietanus D., qui in aetate 24 annorum adeo parvae est staturae, ut vix altitudinem unius metri et 33 centimetrorum attingat; praeterea cruribus varus est et aliquantulum gibbosus, capite grosso et debilissimae visivae facultatis. Misi eum ad domum Missionis Taurinensem, ut experimentum ad altare subiret; et iudicatus fuit irregularis et ad celebrandum inhabilis, nisi privatim et in altari expresse pro eo constructo. Pater eius, qui multum exoptat filium in Sacris Ordinibus constitutum videre, non alienus est a petitione privilegii oratorii privati et a constructione altaris, ut requiritur perficienda, et a petitione dispensationis super irregularitate. At concediturne ista dispensatio? »

Precibus ad eumdem Archiepiscopum remissis, ut referret de enunciati Clerici qualitate, moribus, idoneitate quoad scientiam, necnon peracto experimento referret, utrum Missale rite legere valeat et cruces efformare absque periculo effusionis calicis, referret tandem ex iurata peritorum physicorum fide de statu visivae potentiae, et utrum probabile periculum adsit illius immutationis, ita respondit: « Clericus Caietanus D. die 3 octobris h. a. 24 annos aetatis complevit; semper bonis moribus praeditus fuit et scientiae sufficientia dedit specimina. Ad quaestiones a S. Congr. Concilii propositas: 1. utrum in Clerico Caietano adsit deformitas, quae scandalum generet in populo, vel divinis praestet impedimentum; 2. utrum Missale

legere valeat, et cruces efformare absque periculo effusionis calicis? peracto experimento respondemus ad 1. Negative, ad 2. Affirmative ». Quoad visivam potentiam duo physici periti haec de illo seorsim retulerunt; alter nimirum: *Oculos physiologice perfecte dispositos habet, et normalem visivam potentiam;* alter vero: *Acies oculorum incolumis et bona est, neque in forma aut constructione eorum quidquam reperi, quod signum praeberet, eum oculorum malis umquam affectum iri.*

Imprimis certum est, homines staturae parvae nullo textu iuris irregulares declarari; sed datur pro regula generali ex iure deducta, quod ille corporis defectus irregularitatem inducit, qui congruum Ordinis exercitium impedit, aut qui notabilem deformitatem horrorem prae se ferentem aut ad risum moventem affert, de quibus iudicium pertinet ad Episcopum, ut uno consensu tenent Canonistae et cum ipsis haec S. Congregatio. Iam vero in casu Archiepiscopus Taurinen. suum Clericum ex defectu praesertim staturae ita irregularem habet, ut dispensationem, si dari posse contingat, petendam unice velit in oratorio privato ad altare notabiliter minus altum. Praeterea nulla neque utilitas, neque necessitas Ecclesiae procedit ex Caietani promotione, praesertim si Missa ab eo in privato oratorio esset celebranda, ac proinde finis promotionis deficere videtur. Attamen pro dispensatione facit causa *Mexicana*, 12 iulii 1721, [1] in qua arbitrio Archiepiscopi relictum est dispensare cum Clerico, qui staturam 5 palmorum ac duorum tertiorum alterius palmi mensurae Romanae non excedebat, dum Clericus Caietanus 6 palmorum altitudinem fere attingit, et solum petit facultatem celebrandi in oratorio privato, quo etiam modo praecaverentur illa incommoda, propter quae irregularitas inducta est: nam ibi nullum scandalum, nulla admiratio, nulla irrisio populi formidanda, et Sacrum congrue perficere posset Orator. Accedit ardens patris desiderium et Archiepiscopi Taurinen. bonum testimonium de Clerici scientia et moribus. Quibus habitis dispensatio simpliciter et absolute posset concedi, ut factum est in simillimo irregularitatis casu in *Acheruntina et Matheranen.*, relata die 8 augusti 1846 per summaria precum: in ea siquidem Oratoris statura non excedebat 5 palmos cum tribus alterius palmi partibus, ita ut saltem aequalis sit Clerici D. statura. Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Consulendum SSmo, ut concedatur facultas Archiepiscopo pro suo arbitrio et conscientia dispensandi et habilitandi Clericum Caietanum D. ad omnes Ordines usque ad Presbyteratum inclusive, servatis servandis, dummodo celebret in oratorio privato vel in ecclesia hora minus frequentata.

[Liber 191 Decretorum, p. 259].

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 2, p. 52, 53.

4102.

S. C. C., *Capuana*, 26 febr. 1848.

Ad simplex Beneficium S. Paulini in Cathedrali Ecclesia Capuana erectum Thesaurariam nuncupatum, cuius iurepatronatus activo Civitatis Capuanae Communitas potitur, e vivis erepto ultimo eius Rectore, comitiis indictis delectus die 10 februarii 1842 fuit nobilis vir Sebastianus Boccardius ex eadem Civitate Sacerdos. Quare ad Emum Antistitem electum praesentantes Municipes petierunt, ut ille canonica Beneficii institutione donaretur. Verum antequam de praesentati idoneitate iudicium ederet, Emus Archipraesul sibi in animo esse pandit et de pertinentia iurispatronatus ad Capuanam Civitatem deque Beneficii indole disquirere. Tandem vir ille Emus die 15 februarii 1847 decrevit: *Sacerdotem Sebastianum Boccardi nominatum et praesentatum ad Beneficium... utpote minime idoneum esse repellendum ac reiiciendum, prout tenore praesentium ipsum reiicit ac repellit*. Unde Boccardius ad hunc S. Ordinem appellavit.

In iure exploratum est, neminem ad Beneficium praesentari posse, qui praesentationis tempore habilis atque dignus non sit; quare sancitur a Tridentina Synodo, Sess. 25, cap. 9, *de ref*. Episcopum posse quidem et teneri praesentato a patrono laico institutionem denegare, si idoneus et dignus repertus non fuerit, cui consonat universa Canonistarum caterva. Num autem Emus Archipraesul iure meritoque Boccardium minime idoneum ad Beneficium decreverit, ex ore ipsius erui poterit: « Petitioni, inquit, obstabat intimus conscientiae meae sensus, qui optime informatus pluribus abhinc annis de illius pessima vitae ratione, de nulla rerum sacrarum peritia, de supina imo etiam litterarum ignorantia, pingui hoc Beneficio (annuorum 548 aureorum et 76 assium Regni Neapolis) indignum existimavi, et canonicam idcirco institutionem denegavi, tamquam non idoneo... Verum nonnulla acta mitto, quae insuspecto tempore colligere potuit huius meae Curiae Fiscalis Promotor... Mihi videtur abunde satis ex iis actis constare meam haud me fefellisse sententiam quoad Sebastianum... Totos porro dies noctesque ludis aleatoriis cunctisque legibus vetitis ducere Sebastianum haud ignorat universa Civitas Capuana ».

At vero Boccardii Defensor decretum Archiepiscopalis Curiae necessario infirmandum esse, utpote nullo valido fundamento sustentatum, mordicus contendit. Et imprimis praesumptionem iuris pro sui clientis habilitate affert, qua sancitum est, quemlibet bonum vel idoneum haberi ad Beneficium, nisi malus probetur vel contrarium luculenter appareat: Cap. *Dudum* 16 et ult., *de praesumpt*. Atqui Archiepiscopale decretum hominis praesumptioni tantum nitebatur, ergo haec, utpote minus fortis praesumptio, a fortiori necessario eliminatur. Quamquam et supervacaneum existimat de habilitate quaestionem in themate instituere, ubi non de ecclesiastico, sed de mero laico Beneficio res est; attamen etsi de Beneficio ecclesiastico ageretur, nec leviter causa immutaretur. Nam singularem Boccardi morum integri-

tatem laudabilemque vitae rationem satis in aprico esse ait ex amplissimo spectatissimorum virorum cuiuscumque Ordinis testimonio, tum ipsius Emi Archiepiscopi facto, qui eum et pingui ecclesiastico Beneficio et animarum ministerio dignum putavit, Adiutoremque Parocho Ventriglia designavit: indeque arguit, quod qui semel aptus gravioribus officiis obeundis religione, scientia atque honestate perficiendis habitus fuit, iniuria dein a simplici clavium servandarum officio (quod unicum in casu Beneficiati munus est) repellatur. Neque aures praebendas esse monet iis, quae a testibus de Boccardii prava consuetudine cum femina quadam, necnon de sua incomparabili ludendi libidine enarrantur. Illos nempe singulatim expendens ostendit, nullam sibi ipsis conciliare posse fidem. Dubium est:

An decretum Emi Archiepiscopi diei 15 februarii 1847 sit confirmandum, vel infirmandum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 108, p. 52-61].

4103.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 26 febr. 1848.

Extat in Cathedrali Ecclesia Sarzanen. Beneficium simplex S. Thomae, annuorum redituum scutat. fere 600, eiusque iuspatronatus migratum hodie reperitur in Marchiones De Fornari, ius autem instituendi manet penes Capitulum praefatae Ecclesiae, in quod fundator ipse contulerat. Extat item in ecclesia S. Mariae d'Albaro ex Dioecesi Ianuensi Beneficium simplex ab anno 1816 titulo abbatiali auctum, cuius iuspatronatus spectat pariter ad eosdem Marchiones De Fornari. Unum et alterum Beneficium vi Brevis apostolici insimul subiective uniri obtinuit anno 1818 eorum patronus Ioannes De Fornari una cum Rectore Presbytero Martini, qui tum temporis utriusque Beneficii possessor reperiebatur. Qua de re acris exarsit controversia, quae a S. Pontifice rescripto diei 13 aprilis superioris anni ad hunc S. Ordinem ablegata fuit.

Antistes Sarzanensis de more rogatus voto acriter protuetur Capituli partes affirmans nullam adesse causam petitae unionis absolvendae, quae et Capitulo et Dioecesi gravis praeterea foret detrimenti.

Iam vero instant patronus et Franciscus Poggi nuper ad utrumque Beneficium nominatus, nihil refragante Synod. Trident., Sess. 14, cap. 9, *de ref*. Summum Pontificem posse unire praedicta Beneficia in distinctis Dioecesibus posita ex iusta causa, quam ab anno 1818 perseverare adhuc contendunt, tum quod abbatialis ecclesia S. Mariae d'Albaro congrua aliunde sustentatione deficiens ita provideretur, tum quod divinus cultus in praefata ecclesia valde augeretur. Nec ullum exinde damnum capellae aut Ecclesiae Sarzanensi obventurum erit, quia Ecclesia ipsa assignato semper idoneo tutoque fundo ad sustinenda onera omnia, quibus antehac Beneficiatus tenebatur, ac sine ambage consequeretur id, quod Beneficiatus ipse vel quandoque non

praestitisset, si pecuniae cupidus, vel sero, et quandoque etiam nonnisi coacte per iudiciales actus. Nullam pariter iacturam illatam iri iuribus Capituli, cui institutio ad Sarzanense Beneficium nullius sane est emolumenti.

Contra vero vehementer instat Sarzanense Capitulum, multas easque pergraves rationes petitae gratiae obstare, nullamque legitimam causam eam suadere. Sane clamant textus in cap. *Cum accepissent* et cap. *Ex parte, de constit.* uniones esse omnino odiosas; uniones vero Beneficiorum, quae sita sint in distinctis Dioecesibus, apertissimis verbis prohibet Tridentina Synodus, Sess. 14, cap. 9, *de ref.* Quare etsi in Pontificis potestate sit huiusmodi gratias elargiri, tenendum tamen est, nonnisi gravissimis urgentibus causis eum hac potestate uti debere. Idem dicas, si petita unio ex parte voluntatis fundatoris spectetur. Porro nullam prorsus contendit Capitulum sese exerere in themate causam nec urgentem nec adaequatam. Si necessitas inspiciatur consulendi congruae Abbatialis Ecclesiae d'Albaro, Beneficium illud nec paroeciale esse nec canonicale, sed simplex dumtaxat: nulla autem lex est, quae congruam praefiniat pro simplicibus Beneficiis. Quod si patroni assertioni fides adhiberi vellet, summam scutator. 70 congruam omnino putat sustentationi Rectoris simplicis et filialis ecclesiae. Rursus etiam in hypothesi, quod Rectori Abbatiae congrua aliqua tribuenda foret, sustinet adhuc Capitulum, eam supplendam esse a patrono, nisi iuspatronatus amittere velit: S. C. in *Tiburtina*, 15 decembris 1827. [1] De asserta autem utilitate perpendit Capitulum eam in themate aequivalere debere necessitati. His disputatis dignentur EE. PP. dirimere dubium:

An sit annuendum precibus quoad unionem Beneficiorum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 108, p. 74-84].

4104.

S. C. C., *Lucionen.*, 8 apr. 1848.

Lucionensis Episcopus, quum graves undique accepit questus de prava vivendi ratione corruptisque moribus Sacerdotis Piveteau, qui iam a 18 annis quamdam ex praecipuis illius Dioecesis Paroeciis perpetuo titulo in oppido Roche-Serviere administrabat, nec eum tum primitus in vitia flecti audivit, sed in hisce iamdudum sordescere: tamen omnia perinde ac penitus ignoraret, adeunte se reum benigne excipere visus est eumque hoc pacto ad bonam frugem studuit revocare. Sed Piveteau patriam nequior, quam discesserat remeavit. Nam omnis improbitatis exempla ipsum haud puduit instaurare. Quod cum diu optimum patrem et pastorem latere nequiverit, mox in eum agi iussit secretam inquisitionem, ex qua ingens scelerum congeries emersit. Qui testes in ea veniunt inquisitione, omnes fere ab ipso Episcopo fuerunt interrogati, omnes erant viri gravitate et pietate spectabiles. Hoc autem sub testando sibi cautum voluerunt, ut quod ipsi essent iureiurando affirmaturi,

[1] Cf. N. 4013.

alto silentio conderetur, idque tum, ne ulla infamiae nota accusato Parocho inureretur, tum, ne in eius odium et vexationes incurrerent, qui sibi cunctos propemodum oppidanos aere alieno devinctos retinebat. Hisce igitur testimoniis adhaerens Episcopus omnimodam sibi induxit persuasionem de accusati Parochi improbitate, atque ideo re sedulo perpensa, ususque facultate Episcopis tributa a Conc. Trid., Sess. 14, cap. 1, *de ref.*, die 25 maii 1846 sacram inter visitationem adstantibus suo a secretis Presbytero et Vicario Generali, criminoso Parocho *ex informata conscientia* suspensionem indixit ab omnibus eius functionibus sive sacerdotalibus sive paroecialibus. Et quoniam aequam iustamque quodammodo habuit Episcopi deliberationem, seque ipsum recepisse videbatur inquiens: *que s'il avait quelques torts, tout ce qui venait de passer, était propre à le faire rentrer en lui même*, Episcopus decreti illius exequutionem ad Calendas Iulii suspendit ea confisus spe, ut hoc temporis intervallo reus vitae suae consuetudinem penitus immutaret. Verum biduo post Episcopo nuntiatum est, in omni genere scelerum et flagitiorum rursum sese Parochum volutasse. Quamobrem facti veritate comperta decretum suspensionis die 15 iunii exequi mandavit.

Quoniam vero hoc altero Episcopi decreto primum ante tempus praestitutum immatura fuerat executione donatum, suas idcirco querelas Piveteau absque mora obmovit Metropolitano Burdigalensi per epistolam ad eumdem datam die 16 iunii cum inserto decreto suspensionis a die 25 maii comminatae. Ac interim sub speciem interpositae appellationis autumavit impune se posse violare suspensionem, quemadmodum re vera violavit tum se a divinis nequaquam abstinendo, tum nonnullis libere fungendo Parochi muneribus. Quo factum est, ut Episcopus die 24 iunii tertium condiderit decretum, quo duo priora confirmavit, eumque irregularem ex delicto pronunciavit, reservata sibi facultate sive suspensum absolvendi, sive irregularem gratia dispensationis afficiendi; simulque egit, ut novum decretum in parochiali ecclesia publice denunciaretur. Ut autem et huius sanctionis viribus se posset subtrahere Piveteau, die 26 iunii Episcopum convenit secum afferens medici cuiusdam testimonium, quo probans Episcopo, se morbo fuisse correptum iam inde a die 28 maii, fieri omnino non potuisse inferebat, ut ipse recentiora flagitia queis fuerat insimulatus, valuerit perpetrare. At animadvertens Episcopus eum pridie, quam in morbum incidisset, suas libidines repetiisse, continuo in hisce agnovit posuitque infirmitatis causam, eamque improperavit Parocho, qui nullo se tueri posse noscens mutus abivit, atque ab eo eiusque triplici decreto die 29 iulii ad Archiepiscopum Burdigalensem provocavit. Primo absonum ait episcopale suspensionis iudicium, utpote quod se nec monito, nec audito, omnique via suae defensionis prohibito fuerit pronunciatum; deinde magnopere queritur, quod neque prolata in se ipsum testimonia, neque nomina testium detegere potuerit; demum nova sibi illata crimina penes Archiepiscopum nititur excusare; finemque imponit minitando se quoddam typis mandaturum detestabile volumen.

Archiepiscopus, ut primum Parochi epistolam eiusque querelas accepit, continuo mancum nullumque ob praetermissas canonicas monitiones et alias solemnitates decretum suspensionis agnovit, idque Episcopo significare

properavit. Cumque hic, quidquid in Parochum egerat, rite egisse respondisset tum S. huius Congregationis, tum immortalis memoriae Bened. XIV auctoritate (const. *Ad militantis*) fretus, [1] ipse hortari coepit Episcopum, ut illi ex bono et aequo errati veniam concederet poenasque remitteret. Recusante vero Episcopo, ipse decretum Episcopi nec confirmandum, nec infirmandum censuit, sed temporarium illud esse pronunciavit. Tunc Episcopus rem universam supremo arbitrio Pontificis Maximi detulit. Huiusce rei paulo post conscius Piveteau et ipse ad Principem Sanctissimum dabat supplicem libellum, in quo instat, ut canonica in se instituatur inquisitio, qua suam demum innocentiam ostendere valeat.

Quae contra suspensionis sententiam facere videntur, sunt: 1. facultatem Episcopis a Tridentina Synodo tributam in cap. 1, Sess. 14, *de ref.* interdicendi clericis ascensum ad Ordines ex quacumque causa etiam ob crimen occultum, quomodolibet etiam extraiudicialiter, non esse protendendum ad secundam illius capitis partem, ubi agitur de suspensione ab Ordinibus et gradibus iam susceptis, nisi observetur forma iudiciaria a ss. canonibus praescripta; 2. etsi amplissima facultas Episcopis per Tridentinum attributa in cap. 1, Sess. 14, *de ref.* locum sibi vindicet etiam in Ordinum susceptorum suspensione, in casu tamen Archiepiscopus illam Episcopis minime concessam opinatur, cum non modo de criminibus occultis, sed de publicis etiam agatur; 3. quamvis etiam de occultis tantum criminibus ageretur, non ideo tamen sustinenda esse videtur lata suspensio ex defectu iudicii summarii et secreti: Clem. *Saepe contingit, de verb. signif.*, et cap. *Statuta*, 20, *de haeret.*, in 6.

Ex adverso autem opponuntur: 1. Si excipias Gibert ac Van-Espen, reliqui ss. canonum interpretes unanimiter sentiunt, ex dispositione cap. 1, Sess. 14, *de ref.* Episcopis licere suspensionem etiam a susceptis Ordinibus decernere ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet extraiudicialiter, ut disertissime docet Bened. XIV, *De Synod. Dioeces.*, cap. 8, n. 3; 2. exceptionem autem ex eo petitam, quod in concursu criminum publicorum cum occultis haud liceat Episcopo uti facultate per Tridentinum concessa, subtilitatis potius argumentum exhibet, cum data facultas per clausulam ex *quacumque causa*, nulli prorsus limitationi subsit; 3. argumentum demum de summario processu a iure antiquo proficiscitur, quod post Tridentinum quanti sit faciendum, facile quisque videt, praesertim cum S. C. declaraverit, Episcopum in huiusmodi poenis decernendis non teneri dicere causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, si reus ad eam recursum habuerit: in *Vercellen.*, 21 martii 1643. [2]

Porro in cap. 1, Sess. 14, *de ref.* nulla datur appellatio nec in devolutivo, nec in suspensivo, sed tantum recursus ad Apostolicam Sedem, uti colligitur ex cit. const. Bened. XIV, *Ad militantis*, § 38, cui deinde Episcopus tenetur suspensionis causas aperire: ac proinde huiusmodi recursus abunde supplet appellationis defectum, nec reo intercluditur aditus de sua sibi defensione comparanda.

[1] Cf. N. 326.
[2] Cf. N. 2642.

Demum, quamvis non desint nonnulli ss. canonum Doctores, qui existimant, irregularitatem non contrahi ex violatione suspensionis, quoties haec mere poenalis agnoscatur, ea tamen est sententia universaliter admissa, ut absque ulla distinctione irregularitas incurratur ob spretam suspensionem, sive haec proprie censura sit, sive poena: arg. ex cap. 1, *de sent. et re iudic.*, in 6, cap. 1, *de sent. excom.*, ibid. Placeat itaque EE. VV. quae sequuntur dirimere dubia:

1. *An suspensio lata ex informata conscientia sustineatur in casu?*
2. *An ab huiusmodi suspensionis decreto detur appellatio ad Metropolitanum, seu potius sit tantum locus recursui ad S. Sedem in casu?* Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam:
3. *An constet de legitimo iudicato Metropolitani Burdigalensis in casu?*
4. *An Parochus ob violatam suspensionem contraxerit irregularitatem in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad formam cap. 1, Sess. 14 Concil. Trid., de reform.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3. Provisum in praecedenti.

Ad 4. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 108, p. 135-165].

4105.

S. C. C., *Tolentinaten.*, 8 apr. 1848.

Dilata fuit resolutio huius causae die 28 augusti 1847; [1] modo vero reproponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 3. Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 108, p. 175].

4106.

S. C. C., *Fanen.*, 10 iun. 1848.

Erecta fuit in ecclesia parochiali S. Georgii Fanensis Dioecesis capella SS. Crucifixi, cuius iuspatronatus gravabat bona ad hoc devincta Familiae Lavarelli Ravennatensis, quodque postmodum simul cum dictis bonis devolutum est ad Rev. Cameram Apostolicam, quae usque ad annum 1837 onera iuripatronatus adnexa fideliter implevit. Quoniam vero ob temporum iniuriam non modo altaria et capellas vetustate collabentes, sed totum S. Georgii ecclesiae aedificium iamdiu fatiscens ruinam minitare compererit Episcopus, anno 1840 interdicto praefatam ecclesiam supposuit. Et cum nulla prorsus reparatio sufficiens aptaque videretur, sed nova funditus requireretur

[1] Cf. N. 4099.

aedificatio: Parochus capellarum patronos monuit, Familiam scilicet Leonelliam Senogalliensem, quae capellae alterius patronatu fruebatur, et Rev. Cameram Ap., ut pro rata ad respectivae capellae reaedificationem contribuerent. Dum vero Familia Leonelli propriam agnovit obligationem libenterque professa est, se quotam expensarum subituram, onus e contra Rev. Camera Ap. suscipere recusavit.

Preces tunc dedit Parochus SSm̃o D. N., ut summa scut. 205 in constructione capellae SS. Crucifixi collata a R. C. A. sibi solveretur; quae cum fuerint a SSm̃o ad S. C. remissae, informatio tum a R.P.D. Pro-Thesaurario, tum ab Episcopo exquisita est. Respondit ille, iam inde ab anno 1841 Parochi petitionem a R. C. A. fuisse reiectam, familia enim Albani, a qua praedictum iuspatronatus in Rev. Cameram Ap. devolutum est, prout in actu publico habetur, ad nihil aliud teneri, quam ad solvendum quolibet anno ecclesiae duos modios frumenti altari SS. Crucifixi ecclesiae S. Georgii et ad sustentandam supellectilem istius altaris: ab hac obligatione vero legitime non posse deduci illam restaurandi ecclesiam et capellam, imo quaestionem posse moveri, num sit obligata hereditas Albani ad expensas conservationis vel altaris tantummodo. Hinc Parochi iura ad illud unum constringi, ut ad conservationem altaris cogere posset hereditatem Albani, omnino autem in hoc praetergressum esse illum limites, quod non patronum rogasset, ut quomodo magis conveniret, ad restaurandam capellam patronatam concurreret, sed expensas suo arbitrio in restauratione iam peracta factas resarciret.

Episcopus autem confirmata factorum historia testatur obligationem manutentionis altaris et supellectilium tum ex actis s. visitationis, tum ex tabulis illius Curiae abunde constare. Dein addit: « R. C. A. eadem, qua ceteri, adstringi obligatione mihi plane videtur, utpote quia, cum ad perpetuam altaris manutentionem teneatur, quod indubium est, eodem iure ad illud de novo exstruendum teneri eam arbitror, si iniuria temporum vel alia quacumque de causa in eum casum adductum sit, ut Missae ibidem iuxta fundationis legem celebrari amplius nequeant ».

Duo in hac controversia inquirenda sunt: 1. num R. C. A. uti cessionaria bonorum, quibus iuspatronatus inhaeret, ad altaris manutentionem obligetur; 2. utrum ad eam teneatur expensarum summam, quam Parochus postulat. Primum autem a R. C. A. reiiciendum censet R. P. D. Pro-Thesaurarius, quia nullo pacto in instrumento emptionis venditionis de altaris manutentione cautum est, neque ab onere refectionis supellectilium legitime posse deduci onus manutenendi altare. Posita vero obligatione nunquam tamen patronam teneri tuetur ad solutionem summae petitae, quia non modo excedens apparet, sed insuper arbitrarie insumpta fuisse videtur. Parochus econtra in exhibita iurium allegatione statuit primum indolem iurispatronatus in casu esse vere realem, ceu probant facta eloquentissima transitus iurispatronatus cum bonorum universitate ad quoscumque possessores, ex quo infert, R. C. A. non modo ex generalis iuris regula teneri ad altaris dispositionem, sed etiam ex speciali fundationis lege. Hinc observat, nullo in pretio habendam esse onerum restrictionem in instrumento venditionis favore Em̃i Card. Albani cum Ecclesiae praeiudicio peractam, praesertim cum non liceat

patrono conditiones et onera fundationis immutare. Quod autem patronus exsequi teneatur novam ecclesiae structuram, pluribus Parochus demonstrat. Et primum ordo symmetricus plurimum in ecclesiis per ss. canones commendatur et comprobat usus universalis: ac proinde patronum teneri se conformare formae et structurae ecclesiae in casu identico firmat Card. de Luca, *De iurepatr.*, disc. 84. Neque diversa S. Congregationis praxis. In casu porro competens terminus nec potuit, nec debuit ab Ordinario praefigi, nam cum R. C. A. respectu Episcopi habenda sit velut Superior, nequit inferior legem dicere Superiori, et propterea sola interpellatio, quae eidem facta est, plus quam sufficiens reputatur. Unde nullus ambigendi locus relinquitur, quin R. C. A. non solum ad expensas peractae reaedificationis teneatur, sed etiam integram debeat persolvere summam scut. 205, quam vere in capellae patronalis reaedificationem fuisse insumptam accurata et fidelis periti relatio testatur ab Episcopo transmissa, eo vel magis, quia reaedificatio ecclesiae non iam arbitrarie, sed ex necessitate peracta est, ut monet Episcopus, et quia summa scut. 205 minime censenda est excedens, si attendatur ad ingentem et conspicuam summam scut. 2400, quam Parochus pro totius ecclesiae reaedificatione corrogavit. Unde quaeritur:

An, et ad quid teneatur Rev. Camera Apostolica in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Rev. Cameram Apostolicam teneri ad refectionem expensarum pro capellae, de qua in precibus, reaedificatione iuxta petita, et notificetur eidem Rev. Camerae Apostolicae.

[Liber 191 Decretorum, p. 472].

4107.

S. C. C., *Capuana*, 15 iul. 1848.

Capitulum Collegialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Oppidi Martianisii Capuanae Archidioecesis unius agri prope viam *militarem seu regiam* dominium habet. In hoc autem quum praeterito anno Procuratoris seu Camerarii munere in ea Collegiata fungeretur Canonicus Benedictus Petruoli, duas supra viginti populos excidi curavit, hisque divenditis pretium recepit 29 ducatorum ac granorum 50 in Capituli utilitatem impendendum. Accidit proinde ut comitia a Capitularibus Martianisiensibus haberentur, in quae cum convenire noluissent Capituli Dignitates, ad quas convocatio et praesidentia comitiorum spectabat, quidam Canonicus Thomas Santoro, qui inter Canonicos primae erectionis haud recensebatur, eadem convocavit iisdemque praefuit, ubi Canonicus Petruolius Procuratoris munere fuit orbatus tum quia iniussu Capituli populos abscidisset, tum quia trimestres rationes haud reddidisset. Item Petruolio per apparitorem archiepiscopales literae traditae fuerunt, quibus edicebatur: *Ella col taglio arbitrario degli alberi del fondo di proprietà di questa Collegiata senza autorizzazione e le solennità volute dalle leggi è andata contro la decretale di Paolo II*, Ambitiosae. [1]

[1] C. un., *de rebus ecclesiae non alienandis*, III, 4, in Extravag. com.,

Io perciò la dichiaro decaduta dalla procura della stessa Collegiata, e sospeta a divinis, e le ordino di ritirarsi nel Monastero di S. Pietro a Cesarano sino a novella disposizione. Poenae gravitate perculsus Canonicus Petruolius seque eam haud merentem persentiens apud hunc S. Ordinem recursum habuit, ac supplex petiit, ut archiepiscopale decretum, tamquam omni iustitiae adversum, revocaretur. Facultate interim ex Summi Pontificis indulgentia facta Petruolio Sacrum litandi, huius supplex libellus ad Archiepiscopum Capuanum remissus fuit, ut auditis Martianisiensibus Capitularibus in scriptis referret de aetate, vita, moribus Oratoris, et causis sibi inflictae suspensionis ademptaeque eidem procurationis Capituli, necnon de caesarum arborum natura et pertinentia.

Petruolii Defensor praeprimis adducit strictissimum iuris criminalis principium, poenas videlicet ob crimen, censuras ob delicta irrogari; quinimo ad hoc, ut quis censuris ecclesiasticis, praesertim suspensione, ceu interdicto a divinis possit plecti, grave a iure canonum facinus requiri. Hinc totus in eo est, ut criminis vel levem suspicionem a cliente eliminet, ac qualibet poena indignum ostendat. Non enim in excidendis populis Petruolius caruit Capituli mandato, cum duo Deputati, qui ex consuetudine capitularium negotiorum curam caeterorum etiam Canonicorum nomine gerunt, rem scirent, immo iuberent. Neque obstant non observatae iuris solemnitates. Nam arbores huiusmodi regiis expensis satae dono Martianisiensi Capitulo datae fuerunt tamquam domino fundi, in quo illae radices figebant, ea tamen sub conditione, ut novis succrescentibus populis, veteres inutiles succiderentur, ne viae aspectus deformaretur. Quare non arbores, sed pretium earumdem vetustate laborantium donatum fuisse videtur, ad quod assequendum nullus quidem sanae mentis assereret a Capitularibus praemittendas esse iuris solemnitates. Porro Petruolius nullum attulit Capitulo damnum per arborum incisionem, earumque alienationem, quinimo magnae eidem fuit utilitatis, nam loco ducatorum 22 per artis agrariae peritum statutorum in licitatione earum pretium ad ducata 29 et grana 50 excrescere fecit. Mox idem Defensor Petruoli vitae rationem ecclesiastico viro condignam semper fuisse contendit; quoad censuras vero a Capuano Archiepiscopo latas ait, eas nihili faciendas esse, quia easdem non antecessit canonica monitio a iure requisita; capitulare vero concilium, quo orbatus Procuratoris officio Petruolius fuit, haud legitimo more habitum erat.

E contra qui partes Capuanae Curiae patrocinandas suscepit, postquam pluribus exprobravit criminibus Petruolium, urget iuxta Extravagantis *Ambitiosae* sanctionem nemini licet res Ecclesiae distrahere, nisi duo simul concurrant: venia Summi Pontificis ac vehemens et praecisa Ecclesiae utilitas. Iam vero arbores, etsi simpliciter donatas, in Capituli dominium transierunt, atque ideo rerum ecclesiasticarum naturam induerunt. Neque res utilis erat Capitulo, arbores enim nullum damnum fundo afferre poterant, neque necessitas excidendi urgebat, quum essent *alberi a punta, non ancora maturi al taglio, potevano col tempo ingrandirsi e dare al Capitolo un provento maggiore.* Si igitur ad earum distractionem processit Petruolius sine Capituli assensu, sine Pontificis vel saltem Episcopi auctoritate, et quin rem utilem

Capituli gesserit: indubium erit in poenas eum incidisse latas per Extravagant. Pauli II, eo vel magis, quod secundum relationem decem Canonicorum pretium pro arboribus assecutum ex quinque colonorum artis agrariae peritorum iudicio nimis tenue est existimandum. Hisce breviter expositis dirimendum subiicitur dubium:

An sit locus remotioni a munere Procuratoris, suspensioni a divinis, et reclusioni in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative, salvo iure Capituli.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 108 p. 284-293].

4108.

S. C. C., *Panormitana*, 20 apr. 1850.

Iacobus Di Stefano, Sacerdos Dioecesis Panormitanae in praeteritis calamitosis Siciliae vicissitudinibus, dum domi sedebat, lethalia accepit vulnera, explosa in eum ab inimica manu ignea ballista. Ut autem vitam servaret totumque corpus a corruptione liberaret, unum oportuit membrum abscindi: brachium scilicet sinistrum usque ad cubitum eidem amputatum est. Postquam convaluit, deformitatem studuit abscondere ope brachii fictitii affabre elaborati, ita ut in omnibus coniuncturis flexibile se praebeat et oculum calamitatis ignarum facile decipiat. Quare supplicem dedit libellum, ut dispensationem a contracta irregularitate consequeretur. Facto experimento per caeremoniarum Magistrum constitit, deformitatem reapse velari per brachium fictitium, et eum in genere omnes caeremonias exacte exequi; in elevatione vero manus nonnisi usque ad frontem erigi; frationem hostiae in patena recte perfici, si ea antea per levem incisionem praeparata sit, neque periculum tunc dispersionis fragmentorum adesse.

Refert deinde Emus Archiepiscopus, Oratorem in aetate annorum 60 esse constitutum, necnon de optimis moribus, de assiduo ecclesiae parochialis servitio ab eodem praestito testatur. Eundemque demum enixe pro dispensatione commendat, ut vel summo mane celebret, vel portis clausis, et semper cum assistentia alterius Sacerdotis.

Non idem semper fuit stylus S. Congregationis in similibus dispensationibus concedendis. Plura enim referuntur exempla, in quibus ob amissum dexteri brachii usum vel flexibilitatem S. hic Ordo dispensationem elargitus est, ut in *Cosentina*, 13 iulii 1725;[1] alia e contra praesto sunt exempla, in quibus ex levioribus etiam defectibus, vel digitorum scilcet vel solius manus, vel demum debilitatis brachii denegata est dispensatio, ut in *Abellinen.*, 7 et 28 iulii 1770,[2] in *Firmana*, 24 maii 1823;[3] in *Tarnovien.* autem proposita 5 decembris 1845 per summaria precum Sacerdoti Marcello Zaremba, cui dexterum brachium usque ad humerum fuerat amputatum et brachium

[1] Cf. N. 3301.
[2] Cf. N. 3774.
[3] Cf. N. 3980.

fictitium eidem subrogatum, S. haec Congregatio quidem dispensationem denegavit, SSmus vero eam concessit, iniuncta tamen celebratione in oratorio privato et cum assistentia alterius Sacerdotis, quatenus ea iudicio Ordinarii indigeret. Cum igitur Oratoris defectus in brachio sinistro reperiatur, ac in ipso eadem adiuncta concurrant, quae in citata *Tarnovien.*, benigne cum eodem agi posse videtur. Quia vero ruri privatum minime reperitur oratorium, concedi etiam posset, ut in publica ecclesia, hora tamen minus frequentata celebrare queat, remissa alterius Sacerdotis assistentia Ordinarii iudicio. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione et rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro gratia dispensationis et rehabilitationis cum conditione celebrandi in oratorio privato digitalibus aureis vel argenteis, quae expleto Sacrificio reverenter reponantur, ac praeterea quolibet anno renovandi experimentum coram ss. caeremoniarum Magistro ab Emo Archiepiscopo vel Ordinario pro tempore deputando, ita ut, si Orator in aliquo deficiat, reincidat in irregularitatem, et ad S. Congregationem recurrere iterum teneatur, per Breve.

[Liber 193 Decretorum, p. 347].

4109.

S. C. C., *Camerinen.*, 27 iun. 1850.

Usque ab anno 1846 Sacerdos Ioseph Gennari ob diminutam notabiliter visivam potentiam obtinuerat facultatem celebrandi Missam votivam B. M. Virginis, vel Defunctorum iuxta ritus diversitatem; at postquam omnino caecus evasit, cessare debuit tum a celebratione Missae, tum a sacris audiendis confessionibus, accepta in id, uti oportuerat, Archiepiscopi prohibitione. Confugit exinde ad S. hunc Ordinem facultatem expostulans tam celebrandi divinum Sacrificium cum alio assistente Sacerdote, quam sacramentales audiendi confessiones.

Archiepiscopus pro informatione rogatus respondit, « verbatim et Vicarius foraneus loci et alii specabiles ecclesiastici viri denuntiarunt, effatum Gennari in Sacro peragendo substantialiter deficere, at haec in scriptis exponere renuerunt, ne Oratoris iam senio affecti excitarent iracundiam: ex his certo eruitur, periculum subsistere tum calicis delapsus, tum in tactu indecentiae, tum characterum defectus. Cum Orator ad familiam divitem pertineat, ex qua honestam obtinet sustentationem, ideo ad irreverentiam et scandalum praecavenda opinarer pro porrectae petitionis reiectione. Facultatem confessiones audiendi revocare iustis de causis coactus fui, nam ceteris omissis, etiam per viam deambulando ministerium aliquando exercebat ».

Irregularitas, quae ex absoluta caecitate derivat, ea est suapte natura, quae difficilius tollitur ad effectum permittendi celebrationem S. Missae Sacrificii ob summum irreverentiae periculum. Haud raro tamen contingit, ut ad hunc etiam effectum dispensetur: ubi scilicet talis est peritia Sacerdotis in divina actione peragenda et caeremoniis exercendis, ut, quamvis caecus, Sacrificii actiones absolvat, quasi videns ac sanus esset, et optime retineat memoria Missam votivam B. M. Virginis et caetera, quae ad Sacrificium pertinent. Luculentissimum huiusmodi dispensationis exemplum exhibet *Florentina*, 2 et 23 augusti 1727.[1] Neque aliter factum est temporibus insequentibus etiam proximioribus. Orator autem, quamquam memoriter recitet, quae ad Sacrificium sunt necessaria, haud tamen eas exhibet cautelas, attestante Archiepiscopo, quibus periculum irreverentiae et subversionis calicis arceatur. De poenitentiae autem Sacramento per viam deambulando interdum administrato arguere licet, Oratorem vel mentis sanitatem amisisse, vel testimonio integrae et probatae vitae carere. Utraque autem in hypothesi haud expedire videretur gratia ab eodem expetita, eoque etiam minus, quia nec indigentia laborat. Dubium est:

An, et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro nunc non expedire.

[Liber 193 Decretorum, p. 450].

4110.

S. C. C., *Montis Falisci*, 27 iul. 1850.

Iubente Maria Fetti, ut de bonis suis in Collegiata Ecclesia loci Marthae Dioecesis Montisfaliscorum Canonicatus erigeretur cum reservatione iurepatronatus favore Capitani Christophori eiusque familiae, Canonicatus anno 1660 revera erectus fuit. Christophorus morti proximus suo testamento illud una cum universis bonis reliquit filiae suae Camillae, cui si improlis decessisset, substituit *li Signori Odoardo e Francesco Maria Fontana di Soriano suoi nipoti per egual porzione;* cum vero Camilla postremum clausisset diem in coelibatu, una cum hereditate universa iuspatronatus etiam super dicto Canonicatu migravit ad Familiam Fontana, in cuius exercitio fratres Nicolaus, Ioseph et Silverius Fontana usque ad annum 1841 pacifice versati sunt. Cum vero vacata Praebenda dicti Fratres Fontana praesentassent Clericum Iosephum Ferruzzi 13 annorum, et si dispensationem non obtineret, eidem substituissent Sacerdotem Nicolaum Fontana: Rosa Fiammetta quoque Valeri patronatus ius sibi asserens, nominavit natum suum Franciscum quinquennem.

Quocirca datis Emo Episcopo literis pro informatione, remisit ille documenta a partibus exhibita, et postquam edixerat Canonicatus fructus omni onere detracto pertingere ad scutata 76, praeferendum censet Clericum Ferruzzi, et in eius defectu Sacerdotem Nicolaum Fontana.

Quidquid sit de controverso iure patronatus inter fratres Fontana et Rosam Fiammettam Valeri, certum est eosdem fratres Fontana in postrema nominatione praeter proprii auctoris trium etiam patruorum iura exhibere atque exercere merito valuisse, ita ut veluti quatuor patronorum vocibus

[1] Cf. N. 3333.

nominatus agnoscatur Clericus Ferruzzi; contra quum unica Dominici senioris vox dividenda aeque veniat inter illius filios Dominicum, Bernardinam et Theresiam, cuius hodie iura repraesentantur a filia Rosa Fiammetta, sequitur unius vocis quadrante filium ab ipsa Rosa nominatum iuvari posse, siquidem Dominicus et Bernardina utrum nominandi iure usi fuerint, ex actis non deprehenditur. Insuper Franciscus Valeri nominatus fuit post lapsum quadrimestrale tempus patronis laicis praestitutum, ac modo nonum tantum aetatis suae annum agit, dum Clericus Ferruzzi interim ad 18 aetatis suae annum pervenit, ita ut dispensatione non amplius indigeat. Unde quaeritur:

1. *An constet de iurepatronatus activo favore Rosae Fiammetta Valeri ad Canonicatum in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione favore Francisci Valeri, seu potius danda sit institutio Iosepho Ferruzzi in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 109, p. 276-281].

4111.

S. C. C., *Placentina*, 24 aug. 1850.

Magdalena Gnocchi-Grillenzoni suo utens iurepatronatus, die 28 februarii 1845 nominavit ad Beneficium residentiale S. Laurentii in Cathedrali Placentina erectum Sacerdotem Ioannem Modonesi addictum olim Familiae Cappuccinorum, qui die 11 aprilis praesentatus fuit Capitulo eiusdem Cathedralis Placentinae, ut eidem canonicam institutionem impertiretur. Capitulum praesentationem admisit. Cumque nemo contradictor comparuisset, ipsum Capitulum institutionis ac possessionis actum exequendum esse decrevit, reportata tamen prius per eumdem Modonesi declaratione idoneitatis ab Excellentia Sua Rma. Adiit Modonesius Vicarium Generalem; ast illico admonitus fuit, testimonium ipsum nefas esse concedi, nisi prius edocuisset, sibi per saecularizationis rescriptum etiam ad obtinenda Beneficia ecclesiastica fuisse factam facultatem.

Dum Sacerdos Modonesius ad S. Sedem recurreret, lapsum est quadrimestre laicis patronis ad praesentationem ss. canonibus concessum, quare Capitulum, ad quod devolvebatur ius nominandi, die 1 iulii nominavit reapse Sacerdotem Aloisium Morsia. Nominationem hanc aegre tulerunt tum Modonesius, tum ipsemet patronus Ioannes Cattaneo, heres Magdalenae, quae fatis cesserat; proindeque ipsamet die 1 iulii Thesaurario Canonico protestationem obtulerunt contra quamcumque nominationem, imo Sacerdos Modonesi die 15 iulii haud erubuit in ius vocare Capitulum coram Tribunali civili Placentino.

Capituli iura nituntur Conc. Trid., Sess. 25, cap. 9, *de ref.* et Synodo Placentina celebrata a. 1589, unde praesentatum admittere et instituere nec potuit, nec debuit, priusquam ab Ordinario examinatus comprobaretur.

Effluxo autem legitimo tempore, quin nominatus idoneitatem suam ad formam iuris comprobaret, et quin aliquid Capitulo denunciaret, iure suo tandem usum est Capitulum, dum ad novam nominationem favore Sacerdotis Morsia processit. Incapacitatem porro Oratoris ad Beneficium sustinet ex eo, quod rescriptum, quo a S. C. Ep. et Reg. eidem indultum fuit, ut ipsi liceret non obstante professione religiosa Beneficium ecclesiasticum obtinere, adiectam habuit clausulam: *dummodo Orator aliunde dignus sit, super quo respectivi Ordinarii conscientia graviter onerata remaneat*, quare continuit gratiam non factam sed faciendam; neque tale rescriptum ad hanc usque diem exequutioni mandatum fuit. Concludit hinc legitimam renunciari non posse Modonesii nominationem.

At vero omnia refellere satagit Modonesii Defensor. Constabat enim de nominatione ac praesentatione iusto tempore a persona id iuris habente facta; constabat itidem Capitulum, cui instituendi ius inerat, accepto habuisse praesentationem. Supererat igitur, ut in realem possessionem Beneficii Modonesius immitteretur. Atqui quominus id assequeretur, haud per eum stetit, quandoquidem idoneitatis testimonium a Capitulo requisitum nonnisi per summam iniuriam ipsi a Curia fuisse denegatum urget. Iniuria itidem praesidium quaeri in verbis indulti, nimirum in clausula: *arbitrio et conscientia*, perinde ac si Episcopo fas sit abstinere ab indulti executione, ubi id minus expedire censuerit, ubi enim res est de negotio plene discusso, executor omnino parere tenetur praescriptionibus in eodem indulto comprehensis, et in his illa verba potius conventionalis formulae, quam substantialis et intrinsecae conditionis vim praeseferunt. Dubium est:

An, et cuius favore constet de legitima nominatione, ita ut, et cui sit danda institutio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 109, p. 283-294].

4112.

S. C. C., *Aquen.*, 24 aug. 1850.

Exposuit nuperrime Aquensium Archiepiscopus, sicut in caeteris Galliae provinciis partim iam sunt celebrata, partim quamprimum celebranda supersunt, in sua quoque Metropolitana Ecclesia sexto idus impendentis septembris cogendum esse provinciale concilium. Quia vero singularis casus occurrit, ut in memorata Metropoli commoretur Episcopus mere titularis, qui Episcopatui cessit, quem obtinuit iampridem in aliena provincia, antequam illuc conveniant Episcopi suffraganei, cum caeteris, qui sedem habent in Concilio, tria dubia S. huic Ordini dirimenda proposuit:

I. *Utrum Episcopus, de quo quaeritur, votum decisivum ferre in Concilio Provinciali possit ac valeat?*

[1] Cf. N. 4117, 4126.

II. *Utrum praecedentia frui debeat quoad caeteros Episcopos Suffraganeos, si prius consecrationem episcopalem receperit?*

III. *Utrum considerari possit tamquam Episcopus exemptus?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, nisi omnes et singuli Episcopi consentiant.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

[Liber 193 Decretorum, p. 501-504].

4113.

S. C. C., *Spalaten.*, 23 nov. 1850.

Capitulum Ecclesiae Makarskensis, quae Ecclesiae Spalatensi unita reperitur, ne urgente Capitularium Statutorum confectione quid in ipsis disceptationi obnoxium inde relinqueretur, e re sua duxit supplici libello hanc S. Congregationem percontari: num vi conservatae Episcopalis Sedis Makarskensis cum suo Capitulo uti Concathedralis Spalatensis Ecclesiae coniunctae Capitulum Makarskense in Statutis confirmandis ea debeat indicare, quae a ss. canonibus et decretis S. R. C. pro Capitulis Cathedralibus generatim decernuntur, praesertim cum nulla pro Capitulis Concathedralibus peculiariter notentur. Auditus Episcopus cum Capitulo Spalatensi inclinare videtur sententiae, quae unionem subiectivam tuetur; idem videtur Episcopis Parentino et Tergestino. Quaeritur:

1. *An, et quomodo a Capitulo Makarskensi conficienda sint Statuta Capitularia in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ad formam ss. canonum et decretorum S. Sedis pro Capitulis Cathedralium.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 109, p. 378-388].

4114.

S. C. C., *Tergestina*, 23 nov. 1850.

Nuper ex parte Episcopi Tergestini ac Iustinopolitani supplex SSmo D. N. oblatus fuit libellus, in quo inter alia exponit: « Capitulum Cathedrale Tergestinum Statuta mihi proposuit, quibus tam exigua officia Canonicorum adnotantur, ut magis Sacerdotibus quiescentibus, quam Presbyteris, qui reliquo Clero verbo et opere praelucere deberent, conveniant. Nimirum Canonici Tergestini dispensatos se autumant a recitatione *Matutini cum Laudibus* in choro, ita ut hoc officium per totum anni tempus privatim tantum persolvant; item *Vesperas cum Completorio* solis diebus Dominicis et festivis, ac quibusdam Vigiliis ante festa maiora in choro recitare teneantur; proinde solas *Horas diurnas* (Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam) publice in Ecclesia Cathedrali quotidie se recitare spondeant; atque ad corroborandam hanc consuetudinem rescriptum Episcopi Sigismundi de die 26 octobris 1792 exhibuerunt. Ego quidem lubenter concedo, accessum ad Ecclesiam Cathedralem Tergesti in colle sitam hieme quandoque ob tempestatis rigorem aut ob ventorum vim, ac aestate quibusdam diebus ob nimios calores non esse commodum, non tamen impervium, si rarissimum casum excipias, quo viae huius Urbis nive cooperiantur et gelu rigeant; simul vero observo eamdem viam ad Cathedralem tum ab ipsis Canonicis tum ab aliis civibus propter amoenitatem deambulationis praediligi. Quapropter statuendum esse censerem, ut Canonici Ecclesiae Cathedralis Tergestinae singulis diebus mane ante recitationem Horarum persolvant in choro Officium Matutinum cum Laudibus, ac privatae recitationi tantum relinquantur Vesperae cum Completorio omnibus diebus ferialibus, non tamen in Sabatis et in Vigiliis ante festa maiora, nec in diebus Dominicis, dum tamen certis anni temporibus viam nimis arduam, quae ducit ad Cathedralem, qua sufficientem caussam dispensationis a choro praecipue pro iis Canonicis consideraturus sim, qui ob provectam aetatem aut corporis infirmitatem illuc accedere sine gravi incommodo non valeant ».

Certum est, si dispositioni iuris canonici et Conc. Tridentini attendatur, quod Canonici singulis diebus ad integram divini officii recitationem in choro tenentur ex Clement., *de celebr. missar.*, Conc. Trid., Sess. 21 et 22, cap. 3, et Sess. 24, cap. 12, *de ref.* et ex innumeris S. Ordinis resolutionibus, ut in *Setina*, 21 ianuarii 1786, [1] maxime vero si agatur de Ecclesiis Cathedralibus, minime obstante contraria consuetudine, quam Concilium ipsum abusum ac corruptelam appellat. Nihilominus aeque receptum est, ut gravibus urgentibus causis aliquantisper iuris rigor temperetur. Legitimae autem causae plerumque vel in praebendarum tenuitate, vel in maxima ad Ecclesiam accedendi difficultate ob loci asperitatem ac distantiam vel nimiam aeris inclementiam vel etiam exiguo choralium numero insident. Verum dubitari posset, utrum inconsulta S. Sede in Episcopi facultate esset conciliarem legem relaxare. Profecto, quidquid sit de regionis more aliisque rerum adiunctis, post augmentum Praebendarum a Gubernio factam ratio tenuitatis evanuit. Unde quaeritur:

2. *An, et quam officii choralis partem teneatur Capitulum Tergestinum quotidie persolvere, ita ut, et quomodo sit consulendum SSmo in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 2. Affirmative, et teneri Capitulum ad integram officiaturam: attentis vero peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro facultate impartienda Episcopo dispensandi quoad horarium ad quinquennium.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 109, p. 364-377].

[1] Cf. N. 3849

4115.

S. C. C., *Comen.*, 14 dec. 1850.

Praeter Beneficium, quod possidet Augustinus Muratti in ecclesia praepositurali Asconae Comensis Dioecesis, cuius reditus ad annua scut. 100 assurgit, onera autem in quatuor Missis qualibet hebdomada diebus designatis, ac praesertim dominico celebrandis computantur et in omnibus praeterea festis solemnibus infra annum, adiecta etiam obligatione inserviendi choro et ecclesiasticis functionibus, si Beneficiatus in patria resideat, parochialem quoque administrat ecclesiam Mosonii in plebe Locarni, non tamquam titularis, sed uti mere delegatus et Parochi vices gerens. Unde non solum pro populo Sacrum facere diebus festis, sed omnibus, quae sunt muneris parochialis, adimplere tenetur, exindeque alia scut. 100, comprehensis incertis stolae, eidem quotannis obveniunt. Alterius ecclesiastici Beneficii in oratorio S. Michaelis Asconae fundati nominationem obtinuit Murattius. Illius reditus annua scut. circiter 70 conficiunt, onera vero haec habentur: bis in hebdomada Sacrum applicandi in praefato oratorio die Dominico non excepto et alio die festo, si recurrat in eadem hebdomada, nisi Capellani legitime fuerint impediti vel causa alicuius solemnitatis alio vocati, ac insuper assistendi choro diebus festis ac ceteris functionibus in ecclesia praepositurali praefata, nisi legitime fuerint impediti; si vero Capellanus aliud obtinuerit ecclesiasticum Beneficium vel titulum perpetuum, ipso facto caducitatem incurrat ipsaque vacet Capellania.

Hisce tamen repositis supplex adest Augustinus Muratti ad obtinendam super incompatibilitate et pluralitate Beneficiorum dispensationem, cuius ope ecclesiasticam capellaniam, ad quam recens nominatus fuit, consequi possit, quin aliud Beneficium dimittat et curam animarum Mosonii valeat insimul retinere, egestatem retexens familiae numerosae, quam alere et educare tenetur.

Episcopus autem desuper rogatus, postquam hactenus narrata confirmasset, propter impossibilitatem omnium adimplendi onera ob temporis coincidentiam, itemque ob dictam caducitatem ultimo nominatae capellaniae adiectam existimavit, supplicem libellum D. Muratti inexauditum esse remittendum: nulla enim est causa et nulla ratio concedendi dispensationem ab eo petitam.

Triplex est impedimentum, quo detinetur Orator, quominus Beneficium, cuius nominationem nuper obtinuit, consequatur: pluralitas Beneficiorum a ss. canonibus in uno eodemque subiecto regulariter vetita, ubi unum Beneficium reditus habeat ad sustentationem provisi necessarios; incompatibilitas eorumdem tam quoad onerum implementum, quam ratione residentiae, ac demum fundatoris prohibitio, proindeque triplici indiget dispensatione.

Licet pluralitas sit ss. canonibus adversa, non raro tamen dispensatio legitur concessa, ubi rationabiles accederent causae, ac praesertim alterutrius tenuitas Beneficii, Ecclesiae utilitas aut necessitas. Causae autem huiusmodi etiam disiunctive concurrentes dispensationem suaserunt non solum super pluralitate sed etiam super incompatibilitate, maxime si Episcopi votum et interesse habentium consensus accederet et onera per alium possent adimpleri. At vero frequentiora occurrunt denegatae dispensationis exempla, licet Episcopi haberetur favorabile votum ac de duobus tantum ageretur Beneficiis retinendis, eoque magis, si fundatoris, ut in casu, superadderetur prohibitio, ut in *Comen.*, 26 februarii 1707.[1] In casu autem praeter expressam testatoris prohibitionem animadvertendum est, unumquodque per se Beneficium ab Oratore possessum ad honestam sufficere sustentationem. Nulla praeterea accedit ex iustis ac legitimis causis ad dispensationem requisitis. Proposito itaque dubio:

An, et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Liber 193 Decretorum, p. 591].

4116.

S. C. C., *Ferrarien.*, 25 ian. 1851.

Ad simplex Beneficium S. Ludovici in Metropolitana Ecclesia Ferrariensi Rosalia Naselli Bertoni patrona nominavit Sacerdotem Antonium Guiorci, qui per Capitulum (cui ius est possessionem tribuendi) sub die 28 novembris 1849 in possessionem Beneficii immissus est. Inter iura autem Rectoris dicti Beneficii est etiam postulandi a Collegio Beneficiatorum illius Metropolitanae, ut in *Fratrem* recipiatur ad chori servitium et ad choralium distributionum participationem. Cum vero Sacerdos Guiorci literas possessionis praesentaret Beneficiatorum Collegio, ab illis repulsam passus est, eo quod non legitime a patrona praesentatus fuisset, et quod qualitatibus careret, quae necessario requiruntur in eo, qui se in *Fratrem* recipi desiderat. Quare supplici libello hunc S. Ordinem adivit, ut facta in sui favorem nominatio valida declararetur, aut saltem sanationis ope sustineretur, utque inde in Beneficiatorum Collegio cooptaretur. Exquisitus Emus Archiepiscopus quaestiones sententiae huius S. Congregationis omnino remittit; de vita vero et moribus Oratoris subiungit: « Vitam ipsam moresque Oratoris quinque circiter abhinc annis laudabiliter in melius commutatos esse constat, ita tamen, quod dum ad fructus redituum Beneficii quomodocumque bona fide a Capitulo collati admitti queat, minime vero, ut sentio, in *Fratrem* recipere eumdem Oratorem memoratum Collegium Beneficiatorum cogi possit ».

In Constitutionibus praedicti Collegii cavetur: *Nullus Cappellanus ad Collegium admitti poterit, nisi fuerit Sacerdos bonae vitae et famae, et quod admissio aliter facta nullius sit roboris vel momenti.* Huic articulo suffulti Beneficiati urgent se prohiberi, quominus in *Fratrem* Sacerdotem Guiorci

[1] Cf. N. 3050.

recipiant, utpote qui bonae vitae et famae requisito deficiat, quod duplici processu ipse inquisitus fuerit in Curia Archiepiscopali ex accusatione quarumdam mulierum, quae ad turpia extra confessionem ab ipso semel iterumque sollicitatas fuisse narrabant, unde intermissa licet ulteriore inquisitione, poena suspensionis ad tres menses Sacerdoti inflicta fuit. Ex his deducunt Beneficiati maculam haud levem inustam fuisse bonae famae ipsius Guiorci, qua persistente nec debere, nec posse eumdem in Fratrem recipere. Eiusdem sententiae est etiam Emus Archiepiscopus.

Bonae famae opponitur infamia sive iuris, sive facti. Atqui infamia iuris notatum Guiorcium nemo dixerit, cum nulla in eum condemnationis sententia intercesserit. Hoc itaque respectu haud videretur a Beneficio arcendus. De infamia autem facti, licet ex enormi crimine exorta, id receptum habetur, ut ea ex posteriori poenitentia ac emendatione vitae omnino abluatur. Regula hinc traditur, ut si quis publice et per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit, et in loco, ubi antea delinquere consueverat, probitatis specimen praebuisse dignoscatur, nil prohibeat, quominus et ad Ordines promoveri, et ecclesiastica Beneficia consequi possit, ut colligitur ex can. *Numquam*, 14, Dist. 56, item ex S. C., *Spoletana*, 19 ianuarii et 16 martii 1737,[1] ex *Terulen.*, 3 iulii 1762,[2] ex *Sabinen.*, 20 maii 1786.[3] Atqui si trium annorum vitae emendatione dedecus et infamia ex enormi enata crimine penitus aboletur, et ad Beneficia habilitas recuperatur, fortius quaevis macula, quae ex accusatione et simplici processus confectione absque ulla sententia exorta est, deleta penitus dicenda videtur in Sacerdote Guiorci, cuius vivendi ratio in melius iamdudum immutata commendatur ab Emo Archipraesule: ipsi proinde nullum obicem superesse nedum si de assequendo Beneficio ageretur, sed eo minus, quia super mera distributionum choralium participatione quaestio coercetur. Dubia sunt:

1. *An sustineatur praesentatio ac institutio Antonii Guiorci, seu potius consulendum sit SSmo pro sanatione in casu?*

2. *An idem Guiorci admittendus sit in Collegium Beneficiatorum et ad participationem distributionum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative pro sanatione ad cautelam, facto verbo cum SSmo.

Ad 2. Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 110, p. 5-11].

4117.

S. C. C., *Placentina*, 5 apr. 1851.

Resoluta fuit haec causa die 24 augusti 1850.[4] Contra quam resolutionem et Sacerdos Modonesi et Sacerdos Morsia audiri postulavit. Capituli Defensor repetitis argumentis contra Sacerdotem Modonesi in praecedenti folio

[1] Cf. N. 3467, 3472.
[2] Cf. N. 3720.
[3] Cf. N. 3853.
[4] Cf. N. 4111.

relatis sustinendam esse contendit nominationem Sacerdotis Morsia, quam vindicare studet ab adversarii obiectione, quasi fuisset *attentatum lite pendente*. Modonesi vero repetit argumenta, quibus suam habilitatem ad dictum Beneficium in praecedenti folio vindicaverat. Unde quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom 110, p. 75-87].

4118.

S. C. C., *Romana*, 5 apr., 17 maii 1851.

Possidet pia Societas Presbyterorum in ecclesia S. Mariae de Pace instituta parvam domum in Urbe, cuius valor per peritum recognitus ad scut. 451 cohibetur, annuae vero mercedes ex conductione resultantes reapse scut. 18 minime praetergrediuntur, immo saepe nulla ratione exigi possunt. Cum insuper eadem domus ruinam fere minitaretur, in id unanimiter consenserunt, ut divendita domo pretium retrahendum utiliori collocaretur investimento. At semel et iterum per publica edicta facto experimento, nulloque comparente oblatore tertio tandem Ioseph quidam Transi oblationem dedit emptionis et venditionis contractu celebrato pretium scutat. 250 tribus distinctis ratis exsolvendi. Moderatores preces dederunt ad celebrandam enunciati contractus stipulationem. At licet precibus faveret Emus Urbis Vicarius, haud expedire visus est contractus, cum valor aestimativus 200 scutatis pretium oblatum excederet. Deinde novus apparuit oblator Ioannes Tortoni, qui pretium ad scut. 350 adauxit. Quoniam vero domus reparationes scut. 155 summam expostulantes eiusdem valorem ad scut. 295 tantummodo cohibent, praefati moderatores venditionem piae causae utilem existimantes, preces ingeminarunt pro implorata iam facultate obtinenda.

Alienationes bonorum ecclesiasticorum nonnisi concurrente necessitatis vel utilitatis causa permittendas esse sanxerunt Romani Pontifices. Quamvis autem venditionis utilitas suadeatur, omittendum non est, annuam domus locatae mercedem ad scut. 36 esse constitutam, licet vix medietatem illius exigi Superiores affirment. Ex quo dubium enascitur, utrum magis expediat piae Sodalitati propositam alienationem perficere pro scut. 350, quae ad rationem quincuncem ne 18 quidem scutata quotannis redderent, seu potius domum ipsam reficere mediante etiam aeris alieni creatione, cum domus ipsa reparata, licet in recondito vico posita sit, non difficile videretur annuum ex locatione fructum ad scut. 36 elevare. Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die 5 aprilis 1851 Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur.

Die 17 maii 1851 Sacra, etc. respondit: Quoad alienationem non expedire; sed potius contrahatur debitum pro summa vere necessaria, minori quo fieri potest interusurio, ad effectum explendi reparationes arbitrio Emi Urbis Vicarii,

[1] Cf. N. 4126.

et cum obligatione ultra civiles fructus persolvendos deponendi annua scutata pro debiti extinctione, sub poenis contra alienantes bona Ecclesiae latis, reductis interim Missis pro intranti quantitate.

[Liber 194 Decretorum, p. 350, 404].

4119.

S. C. C., *Baren.*, 17 maii 1851.

Quum ineunte anno 1848, quo tempore vesanae libertatis aestu populi iam fere undique auctoritatis vincula disrumpere conabantur, in Triviani etiam oppido Barensis Dioecesis ferverent animi, Sacerdos Vitus Nicolaus De-Toma, qui animarum curae eiusdem loci de anno 1834 praeerat, ut partium impetus ac conamina declinaret, tutius sibi consultum iri censuit, si aliquantisper a Paroecia recederet. Hanc porro nacti occasionem, qui male sentiebant de Parocho, tumultuose coeperunt ineunte mense martio ipsius perpetuam a Paroecia remotionem conclamare. Qui quum in dies ingravescerent, deterioraque minitarentur in Parochum, Archiepiscopus rei gravitate exterrefactus die 19 eiusdem mensis misit Vicarium suum cum Canonico Tansella ad Parochum De-Toma, ut scripto et verbis resignationem Paroeciae ipsi suaderent. Parochus audiens Archiepiscopum sibi in haec verba scribentem: *Ascoltate le mie istantissime preghiere, che vi trasmetto per mezzo del Vicario; salvate me, e salvate voi stesso*, Paroeciae resignationem dictavit suaque manu subscripsit, causas inibi innuens, *per provedere alla sua salute, e per altri ragionevoli motivi di famiglia*. Postridie Archiepiscopus resignationem acceptavit eamque per edicta publicari statim curavit.

Verum Parochus De-Toma ipsa resignationis die 19 martii veluti in se reversus apud Tabellionem formiter iam protestatus fuerat, ad resignationem firmandam se vi metuque fuisse coactum ab Archiepiscopo et Vicario ob terrorem laicorum, quam deinde protestationem repetiit coram Vicario Generali, novamque emisit in Curia, in qua recolens iterum terrores et minas, et causas nullitatis renunciationis, postulavit in integrum restitui. Idipsum die 3 iunii supplici libello declarari urgens coram S. hac Congregatione, litteras obtinuit, quibus Archiepiscopi votum exquirebatur super ipsius moribus aliisque scitu opportunis, suspensa interim collatione Paroeciae. Interim vero Archiepiscopus convolaverat ad S. C. Ep. et Reg. postulans, ut quatenus resignationis actus nullitate laborare dignosceretur, perpensis tamen rerum adiunctis dignaretur *concedere un'ampla sanatoria*. Verum S. Congregatio censuit rescribens die 20 martii 1849: *Attenta nullitate renunciationis, restituendos esse Oratori fructus omnes Praebendae Archipresbyteralis seu Parochialis una cum emolumentis incertis stolae a die praefatae resignationis, detractis expensis necessariis et congrua pro Oeconomo; attentis vero peculiaribus circumstantiis reditum eiusdem Oratoris ad residentiam pro nunc non expedire*. Verum qui Parochi reintegrationem adversantur, supplices coram Pontifice O. M. Communitatis Trivianensis nomine postulabant *una revisione della causa avanti la piena S. Congregazione*, votique compotes facti sunt.

Defensor De-Toma resignationis nullitatem et S. C. decretorum firmitatem tuetur. Et 1. vi et metus causa eam extortam dicit, atque intrinsece nullum actum eiusmodi palam esse arguit ex cap. *Ad audientiam*, cap. *Abbas*, cap. *Ad aures, de his quae vi metusve causa fiunt;* 2. ex defectu legitimae causae, quae taxative verificanda ab Ordinariis est ad tramites const. S. Pii V, *Quanta Ecclesiae;* [1] 3. educit insanabile vitium ob non factam mentionem, quod Beneficium resignandum fuisset in titulum S. Ordinationis constitutum, nec constito, quod resignans haberet aliunde, quo commode vivere posset ad tramites relatae Bullae S. Pii V et Conc. Trid. Sess. 21, cap. 2, *de ref.* In facto autem nullitates huiusmodi subsistere haud ambigendum esse propugnat. Proinde clamat Parochum restituendum esse Beneficio. Licet vero odium in facto verificaretur, cum tamen eidem nullam dederit causam Archipresbyter, de exercitio haud removeri posse contendit, longe autem minus Paroecia privari, nisi ex causa criminis in iure expressi et iusta sententia Iudicis formiter instructo processu praehabitisque monitionibus iuxta Trid. Conc., Sess. 21, cap. 6 et 14, *de ref.*

Contra Communitatis ac Curiae Patrocinator demonstrat, Communitatem et populum legitimum contradictorem haberi in hac causa nedum in facto sed etiam in iure, contendens parochianos legitime instare, ut Parochus male vivens e Paroecia deiiciatur. Vindicat deinde validitatem resignationis, utpote emissae in manibus Archiepiscopi. Neque a populo illatum metum pergit ostendere, quia tumultus et clamores ciebantur Triviani et Barii, non Valentani, quo aberat De-Toma. Pluribus insuper probat resignationem ab eodem ratihabitam fuisse. Porro quoad titulum s. ordinationis ostendit de anno 1823 patrimonium a patre eidem De-Toma fuisse constitutum, illudque et hodie ab eo possideri. Dubia sunt:

1. *An, et quomodo sit locus reportationi rescriptorum Sacrae Congregationis diei 20 martii 1849 ad effectum etiam declarandi nullitatem vel validitatem renunciationis in casu?*

2. *An sit locus reintegrationi Archipresbyteri De-Toma in libero exercitio parochiali in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative, et constare de nullitate renunciationis.

Ad 2. Ex deductis non esse locum redintegrationi, et ad mentem. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 110, p. 133-145].

4120.

S. C. C., *Civitatis Plebis*, 30 aug. 1851.

Iuspatronatus activum Beneficii S. Iosephi in ecclesia S. Augustini erecti die 20 februarii 1850 reservatam erat lineae masculinae Dominorum Duchi de Arcidoxo Ilcinen. Quoniam vero Ioannes Baptista, Aloysii Duchi filius, quem pater praesentare volebat, qui tamen necessariis dotibus

[1] Cf. N. 125.
[2] Cf. N. 4121, 4129, 4131.

carebat, a S. C. sine necessaria dispensatione dimissus fuit, duo fratres Duchi die 29 aprilis nominarunt Sacerdotem Franciscum Duchi, quae tamen nominatio effectu caruit, quia praesentatio reiecta fuit ab Episcopo die 26 iunii, postridie nimirum a lapso quadrimestri. Quare idem Franciscus suas ad hunc S. Ordinem detulit querelas, *onde si voglia degnare di ordinare a Monsig. Severa di accettare tal nomina, non essendovi ragione in contrario.*

Rogatus de more Episcopus retulit: « frustra cum fuisset exactum quadrimestre, quo gaudent patroni ad praesentandum Rectorem iuxta ecclesiasticos canones, iure devolutionis pluribus abhinc diebus ad illud se nominasse Clericum Alexandrum Arrigoni, eumque in realem et personalem possessionem illius fuisse legitime immissum ».

Farnciscus Duchi nominationem rite expletam fuisse per actum diei 29 aprilis 1850 a patronis Aloysio et Petro fratribus Duchi comprobat authentico testimonio a Tabellione conscripto. Itidem praesentationem die 1 maii ad iuris tramitem factam adstruit testimonio iurato alterius patroni Aloysii Duchi. Posita hinc legitima praesentatione in propatulo esse ait iniustitiam denegatae institutionis, quippe cum Episcopus non possit praesentationem rite factam reiicere, nisi quando persona instituenda vel criminosa vel incapax diiudicetur: cap. ultim., *de instit.*, in 6. Horum vero neutrum subsistit. Et si quid obloquendum supersit de vetita Beneficiorum pluralitate, id facili negotio refelli per documentum exhibitum, quo apparet reditus parochiales Francisci adeo exiguos haberi, ut vix congruam attingant.

Attamen spernenda haec omnia esse mordicus contendit, qui iura Clerici Alexandri Arrigoni tuetur, ob nullam praesentationem legitimo tempore ac rite de ipso factam. Ex iis enim, quae narrat Episcopus, colligere est, unum Parochum Franciscum ad ipsum accessisse patronorum voluntatem eummet nominandi panditurus; verum ad effectum impediendae devolutionis non sufficit patronum nominare seu eligere intra quadrimestre personam praesentandam, sed omnino requiri, ut re ipsa intra idem tempus coram Superiore praesentet. Porro etsi factum, uti narratur ab Aloysio, admitteretur, oppositio Episcopi, quatenus iniusta atque irrationabilis fuisset a patronis diiudicata, haud praepedire poterat, quominus ipsi sibi per legitimam protestationem caverent. Quod quum factum minime fuerit, imo per ultra bimestre acquieverint patroni, et tunc demum Franciscus ad S. Congregationem recursum habuerit, quum lapsum iam quadrimestre fuerat, et Episcopus devolutivo iure ad Beneficii collationem devenerat, iam fatuum prorsus esse concludit de veluti perperam reiecta praesentatione conqueri. Adversarii praetensa hac ratione explosa, nominationem de cliente ad Beneficium factam ab Episcopo quaquaversus substineri concludit. Dubium est:

An constet de legitima praesentatione Francisci Duchi, ita ut sit danda eidem institutio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 110, p. 264-271].

4121.

S. C. C., *Baren.*, 29 maii 1852.

Resoluta fuit haec causa die 17 maii 1851.[1] Adversus 2. dubium novae audientiae beneficium illico impetravit Archipresbyter De-Toma; rursus etiam audiri postularunt eius adversarii Triviani quoad rescriptum respiciens resignationis nullitatem, ac pariter voti compotes facti sunt.

Ad nullitatem resignationis quod attinet, novus Archipresbyteri Patrocinator contendit, non esse locum causae revisioni. Cum enim binae inter se conformes hac de re extent resolutiones, nempe diei 20 martii 1849 et 17 maii 1851, nefas est novam super his instaurare quaestionem; quas tamen ubi ad trutinam revocare lubeat, confirmari omnino debere asseverat propter extrinseca et intrinseca nullitatis vitia, quibus controversa renunciatio undique inficitur, praecipue si consideretur vis et metus Parocho incussus. Falso autem ab adversariis regeri dicit Trivianensis populi odium ex Archipresbyteri culpa eiusque mala agendi ratione ortum ducere, cum ex insuspectissimis et gravissimis testimoniis eiusdem fama et existimatio vindicetur. Quatenus itaque EE. PP. resignationis nullitatem declaraverint, et petitam reintegrationem ad parochialis muneris exercitium concedendam esse suadet.

Contra haec plura habet populi Triviani Patrocinator: primo quidem reportanda dicit decreta 20 martii 1849 tamquam obreptitia et subreptitia, ea enim falsis testimoniis nituntur, ac falso supposito, metum fuisse iniuste incussum. Iustitiam inde rescripti dati ad 2. dubium, etiam nullitate resignationis declarata, ex iure vindicat: si enim odium et inimicitiae parochianorum iustae et rationabiles sint, ex praxi S. Congregationis sustinet Parochum esse *privandum*, si vero iniustae et irrationabiles, quia Parochus nullam eis causam dederit, tunc *remotionis* remedio consulendum esse, ut in *Eistetten.*, 21 iulii 1742.[2] Quare dirimenda sunt dubia:

1. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*
2. *An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. In decisis.

Ad 2. Praevio recessu a decisis, esse locum redintegrationi ad possessionem Paroeciae.[3]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 111, p. 166-181].

[1] Cf. N. 4119.
[2] Cf. N. 3538.
[3] Cf. N. 4129, 4131.

4122.

S. C. C., *Bononien.*, 29 maii 1852.

Cum Paroecia S. Georgii in Civitate Bononien. anno 1782 ob nimiam extensionem subsidiali quadam ecclesia indigere videretur, Rector Franciscus Cristofori domunculam in remotiori Paroeciae parte adquisivit, eamque sub invocatione B. M. V. de Gratia a Card. Archipraesule Giovannetti in sacellum erigi curavit. Suppressa deinde S. Georgii Paroecia praedictum sacellum in usum profanum reductum fratribus Stanzani venditum fuit, qui mox ab Ordinario facultatem obtenuerunt oratorium pro divino cultu iterum aperiendi. Tunc iidem fratres in favorem cuiusdam Luigione della Riccia cubiculum huic contiguum in propria domuncula aperuerunt, ubi dictus Luigione ex interna domo ingressus Sacrum per fenestram audire, ipsi vero porta quadam laterali in sacellum descendere poterant, manente interim ostio principali, quod viam publicam prospicit. Illo tamen defuncto anno 1830 statim aditus privatus ab ipsis clausus est, quin ullae propterea querelae ad annum usque 1844 excitatae fuerint. Verum exinde parochiani SS. Philippi et Iacobi, in quorum territorio nunc sacellum extat, anno 1850 ad hunc S. Ordinem convolantes definiendum proposuerunt: *Se debba ritornare in vigore il decreto di fondazione dell'Emo Arcivescovo Giovannetti* imprimis quoad Sacrum quolibet die festivo peragendum, et insuper, *se la camera accordata un giorno dai fratelli Stanzani ad uso di coretto e di sagrestia* (*essendo la sagrestia dell'impianto troppo ristretta*) *rimanga come un annesso e connesso dell'oratorio medesimo.*

Rogatus super his Emus Archipraesul hucusque narrata confirmat, verum negativam omnino sententiam Oratoribus pandit. Ius postliminii a parochianis invocatum reiiciendum censet, cum in casu non agatur de iniusta rei amissione, nam sicut extructio, ita etiam destructio sacelli publici et Sacra in eo faciendi licentia ex Episcopi auctoritate omnino pendent. Frustra etiam parochiani ostendere nituntur praedictum cubiculum a fratribus Stanzani sacello adiunctum fuisse in commodum publicum, nam id ex instrumentis minime conficitur, imo eiusmodi stipulatio accedente etiam longa consuetudine omnino nulla fuisset, quippe contra disciplinam legesque ecclesiasticas inita: cap. *Cum inter*, *de consuet*. Notissimi enim iuris est, neminem posse communicationis ianuam aperire, qua transitus in ecclesiam vel oratorium publicum habeatur, nisi munitus fuerit indulto apostolico, prout haec S. C. in *Placentina*, 14 novembris 1626, [1] necnon S. C. Ep. et Reg. pluries declaravit. His perpensis EE. VV. respondere dignabuntur ad dubia:

I. *An, et quomodo decretum erectionis oratorii anni 1782 sit servandum in casu?*

II. *An, et quomodo ad usum dicti oratorii restituendum sit cubiculum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Negative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 111, p. 209-214].

[1] Cf. N. 2475.

4123.

S. C. C., *Ortonen.*, 29 maii 1852.

Ad Capellaniam S. Mariae Constantinopolitanae in ecclesia S. Spiritus Ortunae die 30 iunii 1850 electus est a Confraternitate patrona Sacerdos Pascalis Basti. Sed iam paucos ante dies quidam Thomas Taffiorelli alter ex Confratribus dato in Curia libello peractam electionem nullitatis insimulaverat ob defectus in conficiendo iudiciali processu detegendos. Expletis vero processualibus actis a Curia Archiepiscopali lata sententia est, in qua simoniaca et nulla electio seu nominatio Sacerdotis Basti declaratur, et praecipitur: 1. *che il Sacerdote D. Pasquale Basti rimanga interdetto a concorrere al benefizio di patronato della Confraternita;* 2. *che la stessa Confraternita proceda a novella elezione nel termine e colle forme di legge.* Ab hac sententia Sacerdos Basti, tum Confraternitas ad hunc S. Ordinem continuo appellarunt, eamque nullam ac irritam declarari aut saltem revocari efflagitant.

Interrogatus Archiepiscopus transmisso processu plenam rei dedit notitiam. Super tribus potissimum accusationum capitibus inquirit iudicialis processus, et totidem argumenta ad sequutae electionis nullitatem declarandam a Curiae Archiepiscopalis sententia in medium afferuntur: simonia, conditiones iuris communis dispositionibus et fundatoris voluntati repugnantes in actu electionis appositae, ac postremum nonnullorum Confratrum exclusio a suffragio ferendo et admissio eorum, qui voce activa carebant. Bastius enim ante electionem teste Sacerdote Dominico Caccavone secum et cum Sacerdote D. Ferdinando Scaricaciottoli dixit: *Se i Confratelli nomineranno me Cappellano di Costantinopoli, io farò alla Madonna una pianeta di lama d'argento*; quoad conditiones appositas Camillus Cieri deposuit, eas in electionis actu omnium Confratrum consensu receptas fuisse, inter quas erat etiam, *che la scelta non dovesse cadere che sopra i Preti semplici, escludendo gli insigniti contro la volontà del testatore, che chiamava questi a preferenza*. Quoad exclusionem vero Confratrum a suffragio ferendo conveniunt testes, quatuor ab electionis loco fuisse expulsos. Verum querelam contemptus unus tantum confirmavit Thomas d'Adamo, cuius nomen in catalogo Confratrum numquam invenitur. Denique constat ex 42 Confratribus, qui votum tulerunt, Confratres professos, qui soli voce activa gaudent, denarium numerum vix attingere. Quae quidem ubi consistant, iustissima videtur Curiae Archiepiscopalis sententia, qua electionis nullitas declarata fuit.

Hisce tamen singillatim haud parvi momenti rationibus innixus obviam it Bastius. Et primo quidem quoad simoniam ait, illius existentiam probari debere ex antecedente conventione facta super re spirituali vel spirituali annexa pro temporali commodo. Iam vero nullam conventionem inter se et Confratres patronos locum habuisse ait de palla sacerdotali ecclesiae donanda sub conditione nominationis. Quoad conditiones electioni appositas observat Bastius eas, si sint legitimae, non vitiare electionem, si vero illegitimae ac simul deductae in pactum inter nominantes et nominatum, tunc utique

eam vitiare. Verum in casu omnes conditiones nominationi appositae ad bonum Ecclesiae directae fuerunt, neque inter nominantes et nominatum in pactum deductae. Demum quoad exclusionem Confratrum arguit: ex ipsis tres, ut omnes testantur, non fuerunt Confratres; quartus vero, nempe Caietanus D'Adamo expulsus quidem fuit, sed postea antequam nominatio fieret, revocatus, imo et suffragium dedit; quoad admissionem vero Confratrum non professorum probat, eosdem uti tales pluribus antecedentibus Confraternitatis resolutionibus intervenisse et uti tales semper ab omnibus fuisse habitos. Decernant igitur EE. PP. dubium:

An, et quomodo sit confirmanda vel infirmanda sententia Curiae Archiepiscopalis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 111, p. 191-209].

4124.

S. C. C., *Camerinen.*, 3 iul. 1852.

Ad tramites fundationis canonice erectus est anno 1744 Canonicatus Altini in Metropolitana Ecclesia Camerinensi, nonnullis tamen adiectis conditionibus, quas inter recensebatur, ut Canonicus pro tempore *debba pagare la mezza annata.* Porro triennio iam a capta Canonicatus possessione detrectanti Canonico Muzio solutionem, Capitulum vadimonium coram Archiepiscopali Curia indixit, ut eidem terminus praefiniretur ad exhibendam notulam omnium redituum perceptorum primo possessionis anno ad effectum dimetiendi quotam fabricae Ecclesiae Metropolitanae debitam pro *media annata;* eoque inutiliter elapso, Iudex instantiam admisit atque detractis vectigalibus ac expensis pro manutentione fundorum, definitiva sententia Muzium ad mediae annatae solutionem in summa scut. 122.92.2 condemnavit. Ob rite interpositam a Muzio appellationem controversia ad S. hunc Ordinem conscendit.

Capituli Patronus contendit, solutioni mediae annatae locum esse ex Benedicti XIII constitutione: *Pius et misericors;* [1] itemque ex pacto convento, quandoquidem in erectione Canonicatus Altini adiecta etiam fuit conditio, ut Canonicus pro tempore mediam annatam solveret. Quibus veluti fastigium imponit observantia plusquam centenaria.

Muzius e contra haud inficiari quidem audet Benedictinae constitutionis sanctionem, attamen plura sibi opitulari iura confidit, quae legis applicationem themati prohibent. Quum enim media annata ex reditibus primi anni sit supputanda, illud primum in facto investigandum esse insinuat, num reapse et quid dicto anno ipse a Canonicatu perceperit. Atqui nil prorsus emolumenti ab eodem accepisse quemquam suasum iri putat, qui animadvertat ad onera, quae vel invitus ferre per id temporis fuit adactus: sump-

[1] Cf. N. 285.

tuosam nempe litem anno 1847 contra Cathedralis Capitulum, quod iura patronatus attentaverat, eiusque nominationem ad Canonicatum irritam reddere conabatur. Insuper bona adeo neglecta fuerunt ab ultimo Rectore, ut ipso possessionis Canonicatus limine debuerit absque mora colonicae domui per ingentes reparationes prospicere aliasque expensas ad praedii culturam redintegrandam sustinere. Sed hisce etiam posthabitis graviora urgere asseverat; duo sibi fundatorem proposuisse inquit: primo, ut chorali servitio per novum Canonicatum decus augeretur, secundo, ut uberrima suffragia per Missas animae suae in aevum obvenirent. Quoad utramque institutionem distinctum respondere emolumentum observat: pro chori nempe servitio scutata 15, pro Missis, quidquid reliquum ex reditibus est, computata eleemosyna ad rationem obolorum 30. Quibus positis, quum ex Benedictina constitutione media annata detrahenda veniat super Praebendae fructibus, sequitur, nullam rationem habendam esse de fructibus ad Missarum implementum destinatis, sed eam coercendam ad quotam pro Praebenda Canonicali constitutam. Queritur proinde de iniustitia sententiae primi gradus, quae in decernenda mediae annatae solutione de integro reditu rationem habuit. Iam vero de reditibus in Missarum celebratione insumendis nullam rationem haberi posse probat, quia obstat testatoris voluntas, et quia obstat lex, secundum quam haud licet ab eleemosyna statuta partem aliquam detrahere, quam celebranti integram dandam praescripserat testator. Quare munus erit EE. VV. definire dubium:

An sententia Curiae Archiepiscopalis Camerti sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem iuxta modum, negative ad secundam. Modus est, ut detractis expensis pro ordinaria fundorum manutentione, solutionibus pensionis, publicorum vectigalium, et eleemosynae Missarum iuxta legem fundationis, calculandae tamen ad rationem synodalem, solvatur media annata favore Ecclesiae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 111, p. 220-227].

4125.

S. C. C., *Anglonen. et Tursien.*, 31 iul. 1852.

Diruta perantiqua Angloni civitate tribus abhinc saeculis et ultra Sedes Episcopalis cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae in civitatem Tursii, quae iampridem Episcopali cathedra erat insignita, fuit rite translata anno 1546, cumulativa tituli episcopalis *Anglonen. et Tursien.* nuncupatione retenta. Eodem anno Cathedralis Capitulum definitive sedem fixit in ecclesia B. M. Virgini ab Angelo salutatae dicata, ecclesia vero S. Mariae Maioris erecta fuit in Collegiatam. Variis deinde exortis controversiis inter Capitula Collegiatae et Cathedralis Ecclesiarum, quibus etiam Episcopus alterum dubium super exactione subsidii charitativi et cathedratrici adiecerat, causa ad hunc S. Ordinem devoluta est.

Pro certo tenendum est, Episcopum habere intentionem in iure funda-

tam exigendi tam subsidium charitativum, quam cathedraticum ab omnibus praesertim Beneficiatis suae Dioecesis, quare eosdem etiam compellere posse, Engel, *Ius canon.*, lib. 3, tit. 39, *de Censib. et exact.*, num. 8, 9. Verum reponit Collegiatae Capitulum: subsidium charitativum, quod Episcopus reposcit in primo ingressu ad Episcopatum, nulla alia inniti potest causa, quam expensarum electionis et consecrationis. At vero cum per solemnem conventionem anni 1818 quota fructuum vacationis futuris Episcopis reservata fuerit ad praefatum expensarum finem, causa exigendi subsidium charitativum cessavit omnino, et reapse nunquam post annum 1818 subsidium praedictum nec requisitum, nec persolutum est. Quoties autem causa et necessitas exigendi conticescit, subsidium charitativum exigi non posse resolvit S. C. in *Gerunden.*, 27 februarii 1663, ad II. [1] Cathedraticum vero solvere Capitulum Collegiatae non detrectat omnino, sed hoc tantum opponit, excessivam fuisse Episcopi petitionem, dum requisivit cathedraticum pro annis 1847-1849, licet electus fuerit Episcopus die 20 aprilis et Episcopatus possessionem acceperit die 23 iunii eiusdem anni 1849. Collegiata autem ad illius solutionem se teneri putat a die tantum captae possessionis Episcopatus iuxta resolutiones pluries editas a S. C., et praesertim in *Amalphitana*, 5 septembris 1705, ad I. [2] Unde quaeritur:

IV. *An, et quomodo Capitulum eiusdem Collegiatae teneatur ad solutionem tam subsidii charitativi, quam cathedratici in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad IV. Quoad cathedraticum affirmative a die captae possessionis, quo vero ad charitativum subsidium dilata, et ad mentem: mens est, ut scribatur Nuntio Apostolico, qui referat de consuetudine Dioecesium Regni circa exactionem subsidii charitativi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 111, p. 303-319].

4126.

S. C. C., *Placentina*, 31 iul. 1852.

Bis iam resoluta fuit haec causa, diebus videlicet 24 augusti 1850 [3] et 5 aprilis 1851. [4] Instantibus autem partibus iterum proponitur sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 111, p. 276-278].

[1] Cf. N. 2782.
[2] Cf. N. 3038.
[3] Cf. N. 4111.
[4] Cf. N. 4117.

4127.

S. C. C., *Moguntina*, 28 aug. 1852.

Exponit Officialis Curiae Episcopalis Moguntinae, quod in eadem Dioecesi circa matrimoniorum benedictiones extat statutum ab Antistite Iosepho Ludovico Colmar anno 1812 conditum et publicatum, cuius hic tenor est: « Matrimonii Sacramentum inter illa pertinet, quae recipi debent in statu gratiae. Hinc in omnibus Ritualibus, ubi de matrimoniorum benedictione est sermo, praescribitur, ut tam sponsus quam sponsa ante benedictionem peccata sua confiteantur. Quodsi igitur Parochus sacrilegio, quod forte sponsi per neglectum huius obligationis committerent, participare reformidet, omni opera niti debet, ut sponsos ad eamdam implendam moveat. Nihilominus in extremo casu, quando nempe sponsi pertinaciter insisterent recipere matrimonialem benedictionem, non praemissa confessione, Parochus strictae interpretationi verborum Concilii Tridentini (Sess. 24, cap. 1, *de ref. matrim.*). ubi tantum dicitur *hortamur*, inhaerendo, matrimonium benedicere poterit, quin conscientiam gravet ». Haec quidem per se in praxi satis tuta videri idem Officialis censet ob relata Tridentini verba. Verum, quum Dioeceses Treviren. et Spiren., quae Moguntinae adiacent finitimae, praxim plane oppositam teneant, ita ut sponsi ad confessionem et communionem non revera solum adhortatione excitentur, sed rigorosa etiam lege adstringantur, quae ne exceptionem quidem patiatur, dum una tantum parte reluctante, pro altera grave perversionis et matrimonii civiliter ineundi periculum immineat vel adsit: hinc metuendum esse praelaudatus Officialis monet, ne ex diversa Moguntinae Dioecesis observantia scandalo et gravamini ansa praebeatur. Quibus ductus dubium: *An instructionem supra expositam a Rmo Episcopo Moguntino Iosepho Ludovico Colmar Clero Civitatis Moguntinae communicatam in praxi tuto sequi liceat*, huic S. Congregationi supplex proponit.

Quum matrimonium inter fideles, ut docet Bened. XIV in *Synod. Dioeces.*, lib. 8, cap. 14, num. 5, unum sit e Sacramentis, quae *vivorum* dicuntur, nemo sine gravi sacrilegio illud celebrare potest in statu peccati mortalis. At vero Patres Tridentini hisce, licet sane verissima sint, permoti non fuere, ut confessionem, multoque minus communionem ante matrimonium a sponsis peragendam tamquam Sacramenti recipiendi conditionem positiva lege in foro externo praescriberent, sed S. Synodus, inquiunt, loc. cit. coniuges *hortatur*, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiae Sacramentum pie accedant. Quibus positis, si Episcopi id, quod ab Ecclesia consulto liberum relinquitur, in materia potissimum Sacramentorum definire et praescribere nimio rigore non debent: hoc vel magis cavendum erit, ubi vertitur de permissione celebrandi matrimonii; matrimonia namque omnimodam libertatem requirunt: cap. *Gemma, de sponsalib.* Quodsi denique auctoritas civilis, prout revera in Dioecesi Moguntina, non attenta Ecclesiae

benedictione, validitatem matrimonii ex solo contractu coram Magistratibus ineundo desumit, consultius undique videtur omnia in forma mitiori et magis privatim iuxta cuiusque casus et personarum indolem disponere. Praefata satis utique suadere videntur, adhibitam a Patribus Tridentinis formam adhortativam hac in re rectius cautiusque retinendam esse et consequenter instructionem illam Moguntinam in praxi servari tuto saltem valere, tanquam Concilii verbis consentaneam, multisque prudentiae rationibus innixam. Eo vel magis, quod peccati mortalis status, in quantum res mere interna, in foro externo diiudicari nequeat; at vero res omnino aliter se habet, ubi reatus lethalis ex actu quodam publico atque externo concludi non solum potest, sed et debet. Hic nimirum a Theologis quoad Sacramenta vivorum unanimi consensu axioma ponitur: *peccare graviter, qui ministret Sacramentum publico peccatori vel aliter publice indigno*. Unde S. Alphonsus ad dubium: An Parochus possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores? respondet (lib. 6, tr. 1, cap. 2, *de Sacram.*, dub. 2, num. 54): Parochum non teneri, nec posse assistere tali matrimonio. Si vero una pars ad poenitentiae Tribunal accessit, dari potest nuptiis benedictio, etiamsi altera pars confessionem non peregerit, dummodo locus sit metui, ne haec pars matrimonium potius civiliter ineat, quam confessioni se submittat. Itaque dubium est:

An ordinatio Episcopi Moguntini anno 1812 emissa sit servanda seu reformanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, exclusis tamen casibus a iure praevisis; negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. III, p. 378-385].

4128.

S. C. C., *Amerina*, 18 sept. 1852.

Tergemina funera, quae brevi locum habuere in Terra Iovis Amerinae Dioecesis, nova dederunt incitamenta discordiis Parochum inter ac PP. Reformatos eiusdem loci, quae data die 9 decembris 1848 a Curia Episcopali sententia paullulum quieverunt, sed fere biennio nova excitavit iurgia funus Annae Mariae Dezi, viduae Francisci Parca, quae decesserat die 4 iulii 1850. Haec quippe, cum sibi nullum elegisset sepulchrum, una cum praedefuncto viro, qui in praedictorum Patrum ecclesia tumulatus fuerat, frustra obsistente Parocho, condita est. Quare Parochus ad S. hunc Ordinem confugit, ut parochialia iura, quae laesa existimat, decreta cadaveris ac emolumentorum restitutione, reintegrentur. Rogatus pro informatione Episcopus desiderat, ut tandem aliquando vexationibus Patrum finis imponatur. Vix enim ulla adest occasio per quam Archipresbyter pacem non infringat, et iura PP. Reformatorum hostiliter non oppugnet.

Conqueritur Parochus Reformatos cadaver Annae Mariae Dezi in propriam ecclesiam deferendum censuisse ex falsa interpretatione can. 3, Caus. 13, quaest. 2, ubi ita legitur: *unaquaeque mulier sequatur virum sive in vita sive in morte*, huiusmodi enim verba ita intelligenda esse dicit, ut mulier demortua absque electione sepulchri condi debeat in gentilitio viri sepulchro, si habeat; non vero esse regulam ampliandam ad quodvis sepulchrum viri *etiam electionis*. Latior enim interpretatio ad illud absurdum duceret, quod semel a patrefamilias tumulo electo in ecclesia non parochiali, omnis eius descendentia una cum ipso ibidem esset condenda, quod profecto ecclesiam parochialem brevi omnium pene parochianorum tumulatione privaret. Nec iuvat recurrere ad huius S. C. declarationem die 13 februarii 1666 latam, [1] hanc siquidem eodem modo intelligendam esse censet, si maritus propriam habeat sepulturam, non vero, si sepulturam aliis communem sibi elegerit.

Patres e contra invocant canonici iuris dispositionem in can. 3, Caus. 13, quaest. 3, cuius dispositionis ratio redditur in can. 2 *Hebron*, hisce verbis: *quos coniunxit unum coniugium, coniungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, et quos Deus coniunxit, homo non separet*. Et spernendam omnino ac prorsus gratuitam dicunt Parochi interpretationem de propria viri seu gentilitia sepultura, utpote quod hoc tantum casu verificari queat unio illa, quam ss. canones desiderant: siquidem in sepulchro etiam gentilitio evenire potest ceu saepe fit, ut inter viri et mulieris decessum tam eiusdem familiae, quam extraneorum cadavera interea temporis ibidem tumulentur, quod unionem istam materialem, quam Parochus intelligit, omnino impedit. Quin sequatur absurdum, ut ex huiusmodi electionibus iure suos parochianos tumulandi privetur Parochus: non enim in calculo habendum, quod perraro contingit. Unde quaeritur:

2. *An tumulatio Annae Mariae Dezi viduae Parca sustineatur in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 2. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. III, p. 399-407].

4129.

S. C. C., *Baren.*, 18 sept. 1852.

Tertio redit causa haec de ea, quae Archipresbyterum inter ac populum Triviani Curiamque Barensem nonnullis abhinc annis exarsit controversia, quaeque diebus 17 maii 1851 [2] et 29 maii 1852 [3] resoluta fuit. Nunc vero utraque pars pro suo quaeque instaurato certamine novas exhibet super iam disputatis animadversiones.

Itaque Triviani populi Defensor probare contendit Vitum Nicolaum De-Toma exceptione *quod metus causa* ad nullitatem renunciationis comprobandam uti nullo pacto posse, quia Archiepiscopus non privato odio vel potestatis abusu eum ad renunciationem compulit, sed ut populi bono prospiceret et officii sui partes expleret. Porro ostendit, perperam ex adverso contendi reintegrationem, tamquam necessarium nullitatis renunciationis consectarium habendam esse, quandoquidem potissima deficit causa, ut huiusmodi provisioni locus fiat: spes scilicet, quod tandem aliquando vel

[1] Cf. N. 2799.
[2] Cf. N. 4119.
[3] Cf. N. 4121.

populi exasperatio ac odium finem habeat, vel quod ipse Vitus suae vitae institutum atque agendi rationem immutet. Reque vera, quum iam datum fuerit huiusmodi remedium usque a die 20 martii 1849, eius inutilitas patuit.

Qui vero partes agit Viti Nicolai De-Toma repetit rationum momenta de resignationis nullitate ac de redintegrationis necessitate, quae iam in praecedentibus huius causae foliis exposita fuerunt. Dantur dubia:

1. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

2. *An sit standum in primo, seu potius in secundo loco decisis in secundo dubio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *In decisis.*

Ad 2. *In primo loco decisis.* [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. III, p. 388-394].

4130.

S. C. C., *S. Agathae Gothorum*, 26 febr. 1853.

Episcopus sub die 13 octobris 1851 *causis sibi notis* ab Canonicatu, Dignitate Archipresbyterali, animarum cura, et Sacrorum Ordinum exercitio per decretum in epistolio obsignatum suspendit Sacerdotem Petrum D'Ambrosium Archipresbyterum in Ecclesia S. Andreae Apostoli terrae Argentii suae Dioecesis. Qui rei novitate perculsus illico eodem die litteras Episcopo mittens, ei significabat, haud esse in Episcopi facultate Parochum suspensionis poena mulctare *ex informata conscientia*, simulque postulabat, ut vel in publicam vocaretur disputationem crimen, cuius insimulabatur, vel potestas ei fieret e Dioecesi discedendi, ut Apostolicam Sedem sui laesa iura vindicaturus contenderet. Huiusmodi petitioni morem gerere visus est Episcopus, nam die 14 octobris discessus veniam reclamanti D'Ambrosio indulsit, at postero die eidem iniungebat, ut piam domum Patrum Alcantarinorum peteret, ibique usque ad novum ordinem spiritualibus exercitiis vacaret. Paruit D'Ambrosius, et 46 diebus in statuto Coenobio commoratus religioni operam dedit. Quoniam vero a die 14 octobris ipse D'Ambrosius posthabita suspensionis censura integrum sibi esse putavit Missam celebrare, confessiones audire, baptismatis Sacramentum administrare, Promotor fiscalis postulavit, ut ob suspensionis violationem irregularis declararetur, imo ob hanc et alias causas Beneficio Archipresbyterali curato definitiva sententia privaretur, ac die 20 ianuarii 1852 privationis sententia revera prolata fuit, a qua tamen sine mora die 27 ianuarii D'Ambrosius ad Curiam Metropolitanam appellationem interposuit. Cum vero haec suam incompetentiam declarasset, Sanctagathensis Curia ad Summum Pontificem appellavit.

Re itaque ad S. Congregationem delata Episcopus pro informatione et voto rogatus haec retulit: « L'Arciprete da più tempo veniva da me pater-

[1] Cf. N. 4131.

namente avvertito a correggere il suo costume; procedendo sempre a dar novelli motivi sul suo costume con discapito della cura delle anime, giudicai mezzo prudente di nominarlo Canonico della Chiesa Cattedrale, ma egli con modi orgogliosi rifiutò il Canonicato, mi restituì il biglietto, ed in un colloquio facendogli intendere, che altrimenti mi avrebbe messo nella necessità di sospenderlo per forti motivi di coscienza, mi rispose, che non poteva io sospenderlo, se non dopo un processo. Non potendo io pertanto acquietare la mia coscienza, perchè la cura delle anime andava male nelle sue mani, mi valsi della facoltà conceduta ai Vescovi dal Sacro Concilio di Trento, [1] e lo sospesi. Indispettito egli e più inorgoglito la mattina seguente corse alla Chiesa Collegiata, e celebrò, e poi al Confessionale ed udì le confessioni, ed amministrò il Battesimo... e proseguì a celebrare la Messa, ad esercitare gli Ordini... In conseguenza delle cose di sopra esposte il sentimento dell'animo mio è questo, che il ritorno del Signor D'Ambrosio alla cura delle anime riuscirebbe scandaloso, nocivo alle anime, e metterebbe in iscompiglio la povera mia coscienza ».

Duplici ex capite suspensionis decretum corruere propugnat D'Ambrosii Defensor: 1. ob violatum processus ordinem et monitiones omissas, 2. quia nullitate et falsitate causae laborabant. Contendit enim tunc tantum *causis sibi notis* hac facultate uti posse Episcopum, cum res est de crimine occulto, et in Clericis promovendis; in ceteris casibus monitione et iuris solemnitatibus opus esse, ut eruitur ex verbis Trid., Sess. 14, cap. 1, *de ref.* Sed dato etiam, quod Episcopus hanc exercere valeat potestatem etiam in promotos, duo concurrant oportet: 1. quod crimen seu causa suspensionis sit occulta et soli Episcopo nota, 2. quod nec ipsi reo eadem suspensionis causa manifestetur. Atqui neutrum in casu subsistit. Nam occultum dici nequibat stupri crimen, cuius insimulabatur D'Ambrosius, quodque suspensionis *ex informata conscientia* causam praebuit, quia testante Curia pluribus ante mensibus publica de eo loquebatur fama et scandali periculum in universa Dioecesi imminebat, et quia puella Giglio monita ob id ex officio fuerat. Suspensionis vero causae et in vulgi notitiam venerunt, et in publicam accusationem a Promotore fiscali deductae sunt, quae soli Episcopo notae dicebantur: unde aliud deficit extremum, ut Episcopus, posthabito iuris ordine, ex informata conscientia procedere possit. Ex altero autem capite causas falsitate laborare contendit. Consuetudo enim cum quadam Angela Maria Della Cave fieri locum habere non potuit, eo quod Angela in terra Argenti et in viciniis non extitit, ceu allata probant documenta; evanescit etiam stuprum cum Maria Carmela Giglio, huiusque abortus, eo quod Maria physicae peritorum inspectioni subiecta virgo reperta est. Ceteris vero generalibus accusationibus, quae ad inhonestam vitae rationem clientis sui referuntur, opponit Defensor plura documenta, testimonia ac depositiones totius ferme Cleri ac primorum ex populo Argentii, ex quibus integritatem, religionem, doctrinam atque zelum in multis, quibus perfunctus est, officiis in propatulo ponit. Quae cum ita se habeant, corruere subsumit posteriores omnes iudiciales

[1] Sess. XIV, *de ref.*, c. 1.

actus, seu sententias irregularitatis, ac privationis Beneficii. Quibus positis quaeritur:

1. *An constet de validitate suspensionis in casu?*

2. *An sint confirmandae vel infirmandae sententiae a Curia Episcopali latae tam super irregularitate, quam super privatione Beneficii in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative, salvo iure Episcopi procedendi, prout de iure.

Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 112, p. 46-58].

4131.

S. C. C., *Baren.*, 28 maii 1853.

Tribus iam vicibus resoluta fuit haec causa; [1] tribus sententiis iudicatum est constare de nullitate renunciationis; at quaestio reintegrationis ad munus parochiale varias habuit vices: secunda enim resolutio recessit a prima, tertia vero ad eandem rediit. Impetrato autem novae audientiae beneficio, Archipresbyteri Patrocinator urget clientis reintegrationem, quia non populus Triviani, sed factio potius paucorum Curiae Barensis patrocinio freta istiusmodi odium in Parochum usque fovit fovetque in praesens; itemque quia non ex publica causa, sed ex privata conspiratione partum odium numquam coactivae remotionis vel privationis, sed voluntariae tantum renunciationis titulum suppeditaret. Itaque rogantur EE. PP. definire dubia:

1. *An sit locus repropositioni primi dubii in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

3. *An sit standum in primo et tertio, seu potius in secundo loco decisis in secundo dubio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. In decisis, et amplius.

Ad 3. In secundo loco decisis, quatenus infra sex menses Parochus Nicolaus non provideatur de aequipollenti Beneficio, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 112, p. 202-209].

4132.

S. C. C., *Verulana*, 28 maii, 16 iul. 1853.

Ad Beneficium curatum abbatiale S. Petri in oppido Babuci ex iurepatronatus activo modo gens Philonardia, modo Petra alternative seu per turnum praesentavit. Cum itaque sub anno 1850 Abbatia vacasset, ius nominandi iuxta conventum turnum ad descendentes Philonardios pertinebat. Quatuor reapse aderant ex Iulio Caesare descendentes Philonardii: Marius et Pius cuiusdam Saturni filii, Alexander Liboriusque ab quodam Ioanne Baptista progeniti. Priores duo: Marius et Pius iure patronatus cecidisse dicuntur ob Verulani Antistitis sententiam, decreto confirmatam S. Congregationis Ep. et Reg., qua declarati fuere *depopulatores* agrorum ad Abbatiam ipsam pertinentium, *venditoresque sacrilegi* ac *reditus usurpantes*. Hinc reliqui duo: Alexander et Liborius nominationem suam stato tempore in Sacerdotem Thomam Benedicti contulere. Illico huic nominationi obstiterunt, tam Barones Aliprandii, qui in iura se gentis Petra successisse arbitrabantur, quam Iosephus Philonardi filius caducati Marii adhuc in humanis agentis per expletae nominationis tempus, qui eodem ferme tempore pro parte quisque sua impedimentum apposuere, quod audit: *Nihil transeat*. Imo Iosephus et ipse Canonicum Ulli nominavit. Quod ubi rescivit Thomas Benedicti, vadimonium adversariis indicere curavit coram Episcopali Curia ad iustam decernendam appositi impedimenti remotionem. Porro causa ab Aliprandiis derelicta, iudicio dumtaxat adstitit Philonardius, atque ab eo praesentatus Canonicus Ulli. Verum cum hic nominationi in sui favorem peractae ac iudicio nuncium misisset, Philonardius lite pendente alium iterato praesentavit Sacerdotem Philippum Annessa. Verulana autem Curia propitiam Thomae Benedicti sententiam tulit.

Re ad S. Congregationem delata, Thomae Patrocinator minime obstare advertit impedimentum *nihil transeat* ab Aliprandiorum parte interiectum, cum ii nullam probationem in medium attulerint ad suam in iura familiae Petra successionem comprobandam, quod etiamsi assequerentur, nihil proficerent, quippe hac vice non ad turnum gentis Petra nominatio pertinet. Inde lacerandum omnino est *nihil transeat*. Pariter lacerandum illud esse prosequitur ex parte Iosephi Philonardi, cum, in humanis adhuc agente Mario, eius parente, uti fundatori proximiore, nullum ille nominandi ius acquirere potuerit, nam pater, utpote proximior gradu vincere debet remotiorem filium. Id magis urget ex eo, quod ob sententiam, qua Marius patronorum iuribus privatus extitit, ius illud in eius filium haud migrare poterat, tralatitium cum sit, in reliquos compatronos illud suamet natura transferri. Cum igitur iis caducatis tantum Liborius atque Alexander in possessione iurispatronatus versarentur, nonnisi in ipsis ope iuris accrescendi illud coaluisse docet Card. De Luca, *de iurep.*, disc. 42, num. 6. Et etiamsi Ioseph vivo adhuc parente Mario potuisset activum patronatus ius exercere, id nominationi a Liborio atque Alexandro factae minime obesset, quia Thomas Benedicti a maiori parte praesentatus fuit, quare ipse instituendus est: cap. *Quoniam, de iurepatron.* Dubium igitur est:

An, et quomodo sit locus lacerationi nihil transeat, *ita ut, et cui sit danda institutio in casu?*

Die 28 maii 1853: Non proposita.

Die 16 iulii 1853 Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus, et institutionem dandam, esse Thomae Benedicti et amplius. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 112, p. 241-248, 293-302].

[1] Cf. N. 4119, 4121, 4129.

[1] Cf. N. 4144.

4133.

S. C. C., *Romana*, 27 aug. 1853.

Sodalitatis SSmae Trinitatis peregrinorum et convalescentium de Urbe praecipuae partes sunt tum pauperes peregrinos huc undique devotionis causa confluentes, tum convalescentes utriusque sexus ex Urbis valetudinariis excipere, alere et reficere. Leges ipsius lapsu duorum et amplius saeculorum pluries emendatae a Pio VII per apostolicas literas diei 27 novembris 1821 approbatae et confirmatae fuere, quibus omnibus etiam nunc legis vis inest ac robur. Ex hac statutaria lege aegrotorum cura sex Confratribus commissa est, qui vulgo *infermieri* nuncupantur. Qui nuper elapso triennio hoc munere fungebantur, rati sibi fas esse utriusque sexus diversoria indiscriminatim adire, ad illa etiam, quae mulieribus excipiendis sunt addicta, accedebant, quoties proprii officii exercendi sese praebebat occasio. Anno vero 1851 Archisodalitii *Guardiano* mandato suo cavit, quominus fratres aegrotorum curae praepositi mulierum sive convalescentium sive peregrinarum diversoria ingrederentur. Duo ex praedictis fratribus contra eiusmodi mandatum primo ad Emum Archisodalitii Protectorem, mox ad hanc S. Congregationem recurrerunt.

Emus Card. Protector de sua informatione et voto rogatus in ea erat sententia, quod *sarebbe cosa non attendibile, perchè immorale, se lo Statuto dell'Archiconfraternita dasse ai fratelli infermieri l'incombenza di andare a loro beneplacito nel locale delle donne.* Ut nullitatem mandati evincant, praedicti fratres toti in eo sunt, ut ostendant, facultatem adeundi loca feminis in hospitio addicta ipsis a Statuto tribui, cuius praescriptionibus a nemine ex Archisodalitii Superioribus derogare licet. Quum igitur decretum, de quo agitur, et statutariae legi adversetur, et solo Rectoris arbitrio, omissis solemnitatibus a Statutis praescriptis, datum sit, hinc omni destitutum robore esse concludunt. Qui autem ex adverso pro validitate decreti contendit, arguit ex eo, quod statutaria lege pro feminis distinctae sorores deputantur, unde concludit, legislatoris mentem fuisse, ut a mulierum hospitio curatores fratres excluderentur. Etiam consuetudinem pro exclusione curatorum stare contendit. Viderint igitur EE. PP., quomodo respondendum sit ad dubium:

An sit servandum pro exclusione curatorum convalescentium ab hospitio mulierum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: *Negative, salvo iure procedendi, quatenus opus fuerit, ad correctionem Statuti iuxta formam ab eodem Statuto praescriptam.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 112, p. 346-353].

4134.

S. C. C., *Florentina*, 10 sept. 1853, 28 ian., 18 mart. 1854.

Ex familiari consuetudine Marci Martelli Florentini cum puella Theresia Ristori e domo *a Viesca* Fesulanae Dioecesis suae domus servitio addicta, haec anno 1835 utero gestare coepit. Quae res cum plurimum eos affligeret, nil potius illico habuere, quam ut patrato facinori velamentum quaererent et aliquod, si fieri posset, remedium afferrent. Igitur e rure arcessito Theresiae patre ei persuadent, filiam a Marco secreto esse ductam uxorem, atque inculcant, ut id alto silentio premat, quod si iuvenis sponsi pater resciret, haud aequo pateretur animo ex indignis filii sui conditione nuptiis maculam inuri avitae nobilitati. Interim Theresiam ad suos lares restitueret et in vulgus disseminaret, eam brevi nupturam cuidam ex oppido Savineani Dioecesis Pistoriensis negotiatori; ei denique spondent, continuo sese quod ad pleniorem matrimonii validitatem deesset, coram Parocho *a Viesca* expleturos. In secreti inde conscientiae assumunt quemdam Paschalem Masini et Sacerdotem Dominicum Benelli, qui cum Parocho agerent, ut hic ad denunciationes fictitii propalandi matrimonii peragendas flecteretur, ceu narrat Martellius, vel ut eos in matrimonium occulto ac mandatariorum ope coniungeret, ceu Ristoria contendit.

Refert Masinius mandatum a Marco Martelli habuisse: *di andare per quattro o sei volte nella casa paterna della Ristori dicendo che io ero lo sposo della medesima. In seguito mi portai col Signor Domenico Benelli dal Priore* di Viesca, *ove il Signor Benelli mi fece passare per suo cugino e s'incombensò a fare le denuncie di Teresa Ristori e di me sotto il nome di Pasquale Resi.* Interrogatus autem Masinius: *Come è vero, che non avete mai inteso di rappresentare a nessun effetto Marco Martelli, se egli vi ha dato mai alcun mandato a questo proposito?* Respondit: *È verissimo.*

Aliter autem rem enarrat Sacerdos Benelli: « Il Sig. Marco Martelli dopo avermi narrato l'accaduto fra di esso e la Signora Teresa Ristori mi assicurò, che voleva agire da Signore onorato, da galantuomo e da cristiano con prendere in moglie la detta Signora Teresa Ristori. E m'incaricò di portarmi dal Priore *di Viesca* Parroco della Signora Ristori, onde avanti del Parroco già informato dell'accaduto e del giusto motivo di occultare al Signor Baly Martelli, quanto andava a farsi, fosse per detto Signor Marco da me eseguita la cosa moralmente, e cristianamente, ma nel modo precedentemente annunziato a detto Signor Priore. Dovevo perciò unirmi ad un certo Signor Pasquale Masini, che io punto conosceva e che il Signor Marco Martelli incaricò per lo scopo medesimo. Infatti in compagnia di detto Signor Masini, di Gaetano e Gioacchino padre e figlio Ristori la sera del 3 maggio 1823 mi portai al Signor Priore *di Viesca*, e gli dissi: *Signor Priore, lei sà di avere una popolana sposa, lei sà chi è lo sposo, lei sà a che oggetto sono venuto quassù*. Egli rispose: *So tutto, e va bene*. E dopo poche parole analoghe disse: *Evviva gli sposi*. E prese da me la mancia di lire 20 datemi dall'istesso Signor Marco Martelli, e partimmo ».

Parochus autem diebus 17, 24 et 28 maii 1833 denunciationes peregit matrimonii, *che Pasquale di Giuseppe Resi del popolo di Sant'Andrea a Savignano Diocesi di Pistoia voleva contrarre con la fanciulla Teresa di Gaetano Ristori*. Quibus peractis idem Masinius ob infirmam valetudinem sui patris postulavit et obtinuit facultatem ut matrimonium contraheretur coram *Giovanni Battista Evangelisti Parroco di Sant'Andrea a Savignano*. Paucis inde post diebus Theresia paternam deserens domum eodem comitante Masinio, specie quidem Savineanum petendi nuptura, re autem Florentiam paritura concessit, ubi successivis annis 1835, 1836, 1840 tres liberos edidit, qui omnes Sacerdote Benellio curante in registris parochialibus qua filii Paschalis Resi ac Theresiae Ristori descripti fuerunt.

Interim Marci erga Theresiam impensae curae ac liberalitas effusa, et amoris aestus anno 1841 defervescere coepit; tum quia Marcus, ut patrem a praeconcepta matrimonii opinione dimoveret, syngrapham a Theresia postulavit, qua haec declararet: *la verità è, che non esiste alcun vincolo di matrimonio nè di sponsali tra me ed il Signor Marchese Martelli*, tum quia Marcus Theresiae filios uti a se extra matrimonium progenitos palam agnoscere et apud acta profiteri non dubitavit. Quare Theresia die 14 maii 1845 supplicem libellum exhibuerat apud Curiam Florentinam pro declaranda existentia sponsalium per verba de futuro cum nobili viro Marco Martelli; verum die 22 iulii insequentis primo revocato libello alterum proposuit instans· *affinchè con sentenza da proferirsi a suo tempo siano dichiarati tutti quanti i diritti spirituali, che alla Signora Istante competono sopra il Signor Marco Martelli per il matrimonio tra loro avvenuto*.

Omnibus itaque iuxta praescriptum Benedictinae constitutionis [1] expletis die 3 maii 1850 Curiae Florentinae sententia prodiit: *Essere constato e constare che tra il nobile Signor Marco Martelli e la nobile Signora Teresa Ristori esiste vero e valido matrimonio contratto secondo le forme del Sacrosanto Concilio di Trento*. Ab hac sententia cum ad Pisanam Curiam a Marco esset appellatum, die 26 maii 1851 appellationis Tribunal pronunciavit: *Non essere constato, nè constare del matrimonio fra il Signor Marco Martelli e la Signora Teresa Ristori*. Hinc tandem provocatione per Ristoriam interiecta ad S. Ordinis iurisdictionem causa delata est.

Marci Defensor ex censura Tridentini, Sess. 24, cap. 1, *de ref. matr.* statuit, nullum consistere matrimonium, nisi constet, tum virum tum feminam per verba de praesenti in nuptias coram Parocho et testibus consensisse. At vero nec Marcus nec Theresia coram Parocho nuptias celebraturi unquam steterunt, nec per intermediam procuratorum personam nuptias celebrarunt. Gratuito enim supponitur Masinium Marci et Caietanum Ristori filiae suae personam egisse, praesertim quia ad matrimonium nomine alterius contrahendum mandatum speciale requiritur ex cap. ult., *de procurat.*, in 6: atqui huiusmodi mandatum Masinio traditum nec scriptis, neque testibus, neque mandatarii ipsius depositione probari, imo prorsus excludi evincit. Sed nec leviora subesse argumenta ad mandatum excludendum, quod Theresia

[1] Cf. N. 318.

patri suo dedisse asserit. Nemo enim de huiusmodi mandato mentionem fecit. Porro nec mandati collatio ad matrimonii existentiam evincendam sat est, nisi probetur etiam mandatum adimpletum atque explicatum fuisse. Atqui Masinium et Caietanum Ristori ne obmussitasse quidem coram Parocho, sed unum Benellium loquutum fuisse ex omnium testium examine constat. Porro Parochus, si die 3 maii matrimonium coram se celebratum fuisse credidisset, postea nec denunciationes perficere, ac multo minus Parocho Savineani delegationem concedere potuerat. Ipse quoque Benelli pluries ac pluribus fassus est nullum Marcum inter et Theresiam matrimonii vinculum existere. Idem eruitur etiam ex agendi ratione ipsius Theresiae.

Defensor vero Theresiae verbis Florentinae sententiae fretus matrimonii validitatem sustinet, quia res est de matrimonio, quod nisi iuxta conciliarem formam initum fuerit, ne quidem concipi vel existere valeat. Erit igitur EE. PP. dirimere dubium:

I. *An constet de matrimonio in casu?*

Die 10 septembris 1853 Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Impetrato a muliere beneficio novae audientiae, Marci Defensor repetit argumenta in praecedenti folio exposita, praecipue vero urget nec Marcum nec Theresiam sive per se, sive Procuratorum ope per verba *de praesenti* coram Parocho ac testibus in nuptias consensisse. Theresiae enim pater et Masinius, qui uti Procuratores traducuntur, antequam ad Parochum accederent, credebant matrimonium iam fuisse celebratum. Et ubi etiam mandatum ipsis datum consisteret, eo non sunt usi mandatarii, quippe qui coram Parocho nullum ad rem interposuere verbum. Quodsi Marcus professus, est *di voler agire da Signore onorato, da galantuomo, da Cristiano:* id non ad nubendam sed ad dotandam mulierem referri debere, quod quidem satis superque praestitit. Theresiae vero Defensor matrimonium valide contractum fuisse arguit ex eo, quod Parochus aliis duobus Parochis postea confidenter aperuit, *che la Ristori è moglie del Sig. Martelli, e che egli teneva questo segreto*. Parochi testimonio accedit diuturna coniugum cohabitatio, maritalis consuetudo et publica fama. Mandatum vero et Caietano a Theresia, et Masinio a Marco datum fuisse iterum affirmat atque ex praesumptionibus ac testibus demonstrare satagit. Dubium est:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

Die 28 ianuarii 1854 Sacra, etc. respondit Dilata ad primam post proximam.

Reproposita vero causa:

Die 18 martii 1854 Sacra, etc. respondit ad I. In decisis. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 112, p. 376-389, tom. 113, p. 1-10, 110].

[1] Cf. N. 4139.

4135.

S. C. C., *Fanen.*, 18 mart. 1854.

Iuspatronatus duorum Canonicatuum Balducci in Ecclesia Collegiata oppidi S. Constantii Fanen. Dioec. Amato, Leonardo ac Thomae Nicolai Balducci filiis atque Marco Aurelio Ioannis Baptistae filio competebat. Vacante itaque die 5 aprilis 1850 altera ex duabus praebendis, tres fratres Sacerdotem Brunonem Ambrosi nominaverunt, Marcus Aurelius autem Sacerdotem Dominicum Fronzi delegit. Hac in suffragiorum discrepantia Marcus et ab ipso praesentatus Fronzi apud Episcopalem Fanensem Curiam contenderunt, ut nulla et inefficax Ambrosi electio declararetur, quem omnino Canonicatu indignum aiebant. Cum vero die 24 aprilis 1852 Vicarius Generalis pronunciaret utrumque praesentatum *trovarsi in parità di diritto e ragioni, e che perciò ha luogo la gratificazione dell'Ordinario:* uterque ad hunc S. Ordinem appellavit.

Episcopus de more interrogatus sententiae Vicarii Generalis adhaeret, atque in paritate iuris Sacerdoti Ambrosi favendum esse censet tum quia morigeratae, religiosae et ecclesiasticae vitae ratione summopere commendatus existit, tum etiam quia alio Beneficio caret. E contra Fronzi praeter emolumenta scholae comunalis fruitur alio Beneficio ecclesiastico; et quoad morum bonitatem, devotionem et zelum longe superatur a Sacerdote Ambrosi.

Sacerdotis Fronzi Defensor ex triplici capite contendit nullam esse Ambrosi electionem: primo, quia praecessit vitiosum pactum futurae successionis, deinde quia extraneus est Fundatori, demum quia indignus.

Sacerdotis vero Ambrosi Defensor ostendit, nullum extitisse pactum futurae successionis vivente adhuc Canonico Ferretti, ultimo eiusdem Beneficii Rectore. Et etiamsi hoc pactum concederetur, id tamen nullo modo obstitisset, quominus Ambrosius a Patronis debito tempore praesentaretur. Porro ostendere conatur, potius Sacerdotem Fronzi esse Fundatori extraneum, quia neque ex masculo neque ex femina a Fundatore descendit. Praesentationem demum ex iure validam esse contendit, dummodo praesentatus malus non sit: can. 38, causa XVI, quaest. 7, cap. 4, *de iurepatronatus;* Sacerdotem vero Ambrosi non solum malum non esse, sed ob eius idoneitatem intrinsecam et extrinsecam dignum se praebuisse, qui praesentaretur. Neque ad rem facit, quod obiicitur, tres nempe Patronos, utpote de una eademque linea Caroli descendentes, unum tantum constituere suffragium: Fundator enim haud iuspatronatus reservavit duobus vel pluribus, *eorumque* descendentibus, verum generatim *suos* descendentes vocavit, ac propterea obtinet hic iuspatronatus gentilitium, in quo ius praesentationis per capita exercetur: De Luca, *De iurepatron.*, disc. 54, num, 5, 6. Dubium est:

An, et cuius favore constet de legitima nominatione, ita ut, et cui sit danda institutio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative favore Sacerdotis Ambrosi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 113, p. 138-146].

4136.

S. C. C., *Burgi S. Sepulcri*, 29 apr. 1854.

Exponit Episcopus, quod in Dioecesi Biturgensi ea iam invaluit consuetudo, ut Canonici de nova Praebenda et Parochi de nova Paroecia provisi post acceptam novi Beneficii realem possessionem adhuc per integrum bimestre redditus percipiant prioris Beneficii de iure vacati; atque illud etiam quandoque evenit, ut praedicti statim ac canonicam sive novae Praebendae, sive novae Paroeciae institutionem receperint, suos faciant fructus, etiamsi realem possessionem nondum adepti sint. Quamobrem exquirit: *Utrum eiusmodi consuetudo tolerari queat?* Et quatenus negative, expostulat, ut *quidquid vi praedictae consuetudinis ipsi Beneficiati indebite iam perceperint, benigne eis condonetur*.

Cautum in iure est, Beneficium incompatibile ipso iure vacare, cum aliud tale recipitur; nihilominus bimestris spatium conceditur, priusquam de altero Beneficio provisus primo renuntiare teneatur. Quamobrem et fructus tum primi, tum alterius Beneficii infra hoc tempus percipere posse videtur, aut saltem non ita irrationabilis huiusmodi consuetudo censenda forsan erit, ut tolerari nullo pacto queat.

Verum aperta est censura Conc. Trid., in Sess. 7, cap. 4, *de ref.*, unde consequi videtur, damnandam potius esse consuetudinem recipiendi fructus primi Beneficii bimestris spatio post assecutionem secundi. Nam subsecuta huius possessione vacat ipso iure primum, ac nullum proinde ad eius fructus ius Beneficiato manet, ac proinde nullum Beneficiato ius inest, ut utriusque Beneficii fructus interea temporis percipere possit. Haec quoad primam consuetudinem.

Ad alteram quod attinet, elementare in iure est, satis non esse aliquem Beneficium obtinuisse, nisi is etiam eius possessionem adipiscatur, ut fructus capiat suosque faciat. Ast perpendendum est, ex iure canonico fructus vacantium Beneficiorum aut impendi debere in utilitatem ecclesiarum, aut esse reservandos iis, qui Beneficia sunt assecuturi: cap. *Cum vos, de off. iud. ordin.*, et cap. *Quia saepe, de elect.*, in 6. Qua inspecta iuris dispositione tolerari posse videretur consuetudo, qua Beneficiatus ante adeptam possessionem praemature fructus sui Benficii percipit, quos ceteroquin ei reservatos lex voluit.

Quatenus vero utramque consuetudinem reprobandam ac eliminandam duxerint EE. PP., attenta praesertim bona fide Beneficiatos ad fructuum indebite in vim huius consuetudinis perceptorum restitutionem haud damnandos censerem. Quaeritur:

An, et quomodo sit providendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Quoad praeteritum supplicandum esse SSmo pro condonatione; quo vero ad futurum, consuetudinem, de qua agitur, non esse tolerandam.

[Liber 197 Decretorum, p. 895].

4137.

S. C. C., *Camenecen.*, 29 apr. 1854.

Odoardus Mochlinski et puella Elisabeth Novicka in oppido Niemirow Camenecen. Dioeceseos die 5 februarii 1846 in facie Ecclesiae matrimonium contraxerunt. Paterna relicta domo in viri manum convenit mulier; ast altero post nuptias mense nedum elapso, maritale consortium deserens, paternos repetiit lares. Continuo die 17 aprilis vir Consistorio Camenecensi supplicem exhibuit libellum, in quo matrimonii dissolutionem efflagitavit; cuius exemplum confestim mulier sequuta est, quae postulavit, ut matrimonium nullum ex defectu consensus, utpote ex vi metuque contractum, declararetur. Consistorium has preces per Vicarium Capitularem ad S. Sedem remitti curavit, qui die 22 ianuarii 1847 scribebat: « Isabella et ob adversam valetudinem et ob aversionem a viro per spatium duorum mensium cohabitationis nullo modo potuit adduci, ut debitum matrimoniale redderet; ideoque propter ingens periculum incontinentiae pro et cum Oratoribus enixas preces effundo Sanctitati Vestrae, ut eorum matrimonium ratum et non consummatum clementissime dissolvere dignemini ».

Remissis precibus ad S. Congregationem, Vicario Capitulari iniunctum fuit, ut praevia confectione processus ad formam const. *Dei miseratione* s. m. Bened. XIV [1] tam super causis adsertae nullitatis, quam super non sequuta consummatione, referret de canonicis causis dispensationis. Actis igitur processus ad S. Congregationem transmissis, de utroque dubio disceptandum erit.

Qui pro matrimonii nullitate ac dispensatione causam orat, arguit primo liberi consensus in muliere defectum. Omnes enim conveniunt testes de antecedenti mulieris aversione ac reluctantia ab huiusmodi matrimonio contrahendo. Parentes vero fatentur: *Essa non voleva maritarsi seco lui, ma... con i nostri autorevoli consigli e con la nostra costringente insistenza la inducemmo a tanto, che consentì a contrarre il da noi bramato coniugio.* Et ipsa puella deponit: *Mia madre con le sue lagrime... mi supplicava, che sposassi Mochlinski. Mio padre essendo di un carattere oltre modo impetuoso e violento... mi minacciava del suo perpetuo ed implacabile sdegno, e di negarmi le sue benedizioni, e mi aggiungeva, che mi priverebbe di tutto, perfino della sussistenza giornaliera... e in un momento di eccessivo spavento consentii contro la mia volontà.* Ubi vero de nullitate satis non constare videatur, dispensationem saltem a matrimonio rato haud in praesenti casu denegandam contendit secundo loco Defensor. Adsunt enim causae dispensationis: disparitas aetatis, odium ac dissociatio animorum, periculum scandali in violenta coniunctione; deest autem matrimonii consummatio, ut patet ex testibus et praesumptionibus.

Hisce omnibus ex sui officio muneris acriter obstat Defensor matrimonii.

[1] Cf. N. 318.

Ac primo de praetensa nullitate ex defectu liberi consensus agens animadvertit, hanc a Parocho, qui nuptiis adstitit, ex fiscali voto, a Consistorio Camenecensi et a Vicario Capitulari penitus excludi, cum hi de metu gravi non constare sentiant. Quoad dispensationem vero a rato et non consummato repellit causas a mulieris Defensore adductas, veluti non rationabiles. Et etiamsi causae pro dispensatione sufficerent, deest certa et evidens non consummationis probatio, quae tamen ei incumbit, qui pro dispensatione instat, praesertim cum validissima urgeat pro consummatione praesumptio iuris et de iure ob cohabitationem ac potentiam coeundi. Dubia sunt:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?* Et quatenus negative:

II. *An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione a matrimonio rato, et non consummato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 113, p. 154-164].

4138.

S. C. C., *Nucerina*, 29 apr. 1854.

Vetus extabat in Nucerina Dioecesi Abbatia S. Donati, cuius bona omnia ac iura a s. m. Pio VII anno 1814 Clericorum Seminario in dotem tributa et addicta sunt. Intra limites praedictae Abbatialis ecclesiae prope oppidum Rigali constructa olim fuit aedicula S. Petri, quae cum postmodum collapsa fuisset, suum titulum transmisit ad novam ecclesiam in medio Regalensis oppidi excitatam. Progressu temporis haec nova ecclesia S. Petri in Parochiam erecta est, reservato iure praesentandi Parochum favorem Abbati S. Donati. Saepius de huiusce ecclesiae manutentione inter Abbatem S. Donati et Regalensem populum disceptatum est. In controversia tamen, quam in Urbe sustinuit Abbas Franciscus Salvatori cum Regalensi populo, sententia declaratum est a. 1752: *teneri Abbatem ad manutentionem praedictae ecclesiae, salva tamen congrua;* deinde a. 1755 declaratum: *pro omissa restauratione ecclesiae S. Petri Villae Regalis condemnandum itidem esse* (dictum Abbatem) *ad solvendum scuta 10 et obol. 60.* Ex quo tamen Abbatia ad Nucerinum Seminarium pertransiit, huiusce Rectores onus manutentionis ecclesiae S. Petri hucusque declinarunt, quare eo squaloris devenit, ut divini cultus officia in praesens commode persolvi in ea non possint. Nihilominus Nucerinus Episcopus in actu s. visitationis decreto diei 8 maii 1841 statuit: *che il popolo di Rigali non possa per qualunque titolo pretendere, che la loro chiesa di S. Pietro circa la fabbrica ed utensili sia mantenuta e provveduta a carico della Abbazia di S. Donato.* Factum hinc est, ut Regalensis populus supplicem SSm̃o dederit libellum pro revocatione episcopalis decreti.

Remissis precibus ad hunc S. Ordinem, Episcopus de informatione ac voto rogatus, votum transmisit Promotoris fiscalis, cui et ipse cum Seminarii Praefectis adhaeret. Promotor fiscalis contendit, non Abbatem, sed Regalen-

ses incolas ad manutentionem teneri. Constat enim veterem aediculam a Regalensibus proprio aere extructam esse, quare congruum erat, ut et ipsi eius conservationi providerent, nec ullum exhiberi potest monumentum, quod tradat, participem in manutentionis sumptibus Abbatem S. Donati fuisse. Quum autem in novae ecclesiae aedificationis decreto constituerit Episcopus, hanc esse manutenendam ab iis, qui antiquam manutenere soliti fuerant: huiusmodi onus sane non potuit incumbere Abbati S. Donati. Nec obstare putat superius memoratas sententias, quia illae nitebantur partium concordia quae successores Abbates ligare non poterant.

Regalensium vero Defensor arguit, Seminarium Nucerinum, utpote suffectum iuribus Abbatiae S. Donati, patronum esse Parochialis ecclesiae S. Petri Regalensium. Hoc posito, certum in iure est, quando desunt in ecclesia reditus, quibus eiusdem reparationi provideatur, vel qui extant, non sufficiunt, ad id teneri patronos: Conc. Trid., Sess. 21, cap, 7 *de ref.* Hanc autem canonici iuris observantiam in ipsa Regalensi ecclesia obtinuisse documentis evincit. Quod autem de onere reparandae ecclesiae, idem iuxta ipsum tenendum est de obligatione supellectiles suppeditandi et manutenendi, quia sunt ecclesiae accessoria. Dubium est:

An, et cuius sumptu sit locus reparationi et manutentioni ecclesiae, necnon sacrarum supellectilium in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus super bonis Abbatiae S. Donati. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 113, p. 197-203].

4139.

S. C. C., *Florentina*, 29 iul. 1854.

Bis iam resoluta fuit haec causa, videlicet diebus 10 septembris 1853 et 18 martii 1854. [2] Verum concordibus hisce resolutionibus animo non fracta, impetrato novae audientiae beneficio, novum iuris sui periculum facit Thresia, ac novam exhibet defensionem, quam eius Defensor praecipue ex constitutione Procuratorum desumit. Contendit autem iniri posse connubia in facie Ecclesiae per Procuratores, nuncios, mandatarios unum aut plures, et per epistolas aut ex una, aut ex alterutra contrahentium parte, quin necesse sit, ut Parochus et testes videant mandatum, vel epistolam, vel facultates personae missae explicantis mandatum aut consensum, ut referre tuto valeant aut de identitate personae aut de realitate vel fictione consensus, si aliunde constet de mandato, de facultate missi aut de epistola et de consensu mittentis. Iam eiusmodi validum in forma conciliari matrimonium fuit celebratum die 3 maii 1835 coram Parocho Viescae, ut patet ex testimonio personarum ibi praesentium. Denunciationes vero in matrimoniis conscientiae, ut in casu,

[1] Cf. N. 4140.
[2] Cf. N. 4134.
[3] Cf. N. 319.

etiam postcipari vel etiam omitti potuerunt ex Trid., Sess. 24, cap. 1, *de ref. matr.* et Bened. XIV, const. *Satis Vobis.* [3] Dubium est:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. In decisis, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 113, p. 289-302].

4140.

S. C. C., *Nucerina*, 16 sept. 1854.

Resoluta fuit haec causa die 29 aprilis praeteriti. [1] Verum novam audientiam impetravit Abbatiae seu Seminarii Defensor, qui modo negat Abbatiam frui iurepatronatus super ecclesiam S. Petri, itemque hanc eandem ecclesiam Paroeciam esse constitutam. Patronum enim faciunt dos, aedificatio, fundus: can. *Piae mentis*, 26, caus. 16, quaest. 7; constat autem, Abbatem S. Donati non dedisse fundum sive veteris oratorii, sive novae ecclesiae; non aedificasse, cum conveniant partes, utramque ecclesiam sumptibus Regalensium extructam fuisse; demum non contulisse dotem, quia oratorium seu ecclesia S. Petri nullam habet dotem. Ex quibus consequitur, iuspatronatus super ecclesia non Abbati S. Donati, sed populo Regali competere: Abbatiae vero S. Donati sartum tectumque manere dumtaxat ius matricitatis. Unde in translatione iniunctum fuit Abbati S. Donati *di tenere un Cappellano curato a Rigali*, imo a S. C. die 19 ianuarii 1641 et hoc revocatum fuit, et solum praeceptum, ut idem Abbas in ecclesia eiusdem Villae omnibus diebus festis celebrari faceret Missam per Sacerdotem idoneum approbatum ad confessiones audiendas parochianorum. Atqui his verbis paroecialitas ecclesiae prorsus excluditur. Quapropter ecclesiae Rector amovibilis ad nutum, quem Abbates S. Donati nominare consueverunt, uti verus Parochus habendus non est. Cum itaque nec Abbatia iurepatronatus polleat, nec eadem ecclesia Paroecia constituta sit: Defensor dispositionem Conc. Trid., cap. 7, Sess. 21, *de ref.* retorquet in adversarios, quatenus ibi statuitur, deficientibus fructibus et proventibus ad fabricam destinatis, deberi ecclesias restaurari et manuteneri ab eorum patronis, et in horum defectu a parochianis. Quatenus ergo Regalenses ad matricem ecclesiam redire nolint, eos unos cogendos esse ad restaurationem ecclesiae S. Petri, quae in eorum commodum extructa est. Quod vero Abbas Mattiolius ecclesiam a terraemotu diei 26 iulii 1751 disiectam aere suo reaedificaverit, nullam facessit difficultatem, cum ex actu merae liberalitatis unius Abbatis nihil inferri possit in successorum praeiudicium. Procurator Regalensium nihil novi exhibet. Dubium est:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 113, p. 385-389].

[1] Cf. N. 4138.

4141.

S. C. C., *Acheruntina*, 31 mart. 1855.

Iosephus Iacobuzio Parochus loci Petragalla Acheruntinae Dioecesis accusatus penes Curiam Metropolitanam de socordia in parochiali obeundo munere, de inhonesta consuetudine cum muliere sibi consanguinea ac parochiana, de scandalosa totius vitae ratione ob turpia eloquia, obscoenaque facta, ob habitualem ebrietatem, ob sortilegia artemque sagam exercitam, de inflictis ex turpi causa vulnueribus cum vitae periculo alteri parochianae ac de illicito cum ea antea habito commercio, de publico sacrilegio ob sacrum immediate post patratum facinus peractum: formali eiusdem Curiae sententia die 17 septembris 1851 Paroecia privatus et ad recessum per anni spatium in religiosa domo damnatus est.

Ab hac sententia ad hunc S. Ordinem appellavit Iacobutius. Accepta sunt a Curia acta processus una cum suetis informationibus, in quibus sententiae confirmatio postulatur. Praemittit Curiae Defensor, poenam perpetuae privationis Paroeciae infligi vel *a iure* in casibus a iure expressis sola sententia declaratoria, criminis, vel *ab homine* lata sententia ob gravia crimina, licet in iure non expressa, dummodo concludenter probata. Utramque autem infligendae poenae rationem occurrere in casu. Cum enim ipso iure poena privationis incurratur ob sacrilegium ac sortilegium, ob tentatum homicidium, quando adest coniuncta qualitas proditionis in filiam parochialem, ob periurium: quippe ex instituto processu in his omnibus reus convictus est. Ast aeque iustam, uti *ab homine* inflictam renunciari oportere poenam privationis ob varia eaque gravissima crimina superius recensita, queis ipse reus convictus est, quae quidem singula per se satis forent ad poenae inflictae iustitiam vindicandam, eoque magis, si insimul sumpta spectentur, praesertim cum spretis monitionibus Parochus in prava consuetudine ac flagitiis insordescere non destiterit. Neque opponi potest, servandam fuisse in poenis formam graduatoriam, antequam ad privationem Curia deveniret, id enim valet de Beneficiatis ex Conc. Trid., Sess. 25, cap. 14, *de ref.*, non vero de Parochis, qui ex cap. 6, Sess. 21, *de ref.* recta via Paroecia privandi sunt, postquam moniti, in sua nequitia incorrigibiles perseveraverint.

Parochi vero Defensor primo agit de sententiae nullitate, deinde iniustitia. Nullitas probatur ex eo, quod Vicarius Generalis sine speciali Archiepiscopi mandato causam hanc criminalem cognoverit ac sententiam privationis pronunciaverit: cap. *Licet*, 2, *de officio Vicarii*, in 6, Conc. Trid., Sess. 24, cap. 10, *de ref.* Deinde etsi fuisset delegatus, nequibat ipse, ut processus instructor, ferre iudicium, eoque minus integrum ei erat ad testes examinandos Vicarium foraneum subdelegare, cum delegatus subdelegare non possit. Sententiae vero iniustitiam arguit ex omissa leviorum poenarum gradatione, et praecipue, quia Parocho obiecta crimina probata non sunt: alii enim testes ea confirmant, alii denegant. Porro nec odium populi subsistit, cum ex termille circiter Paroeciae incolis septuaginta tantum Parochi amotionem petierint. Dubium est:

An sententia Curiae Archiepiscopalis Acheruntinae sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse confirmandam iuxta modum; nempe assignata favore Sacerdotis Iacobutii pensione ad taxam synodalem pro titulo S. Ordinationis, facto verbo cum SSmo. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 114, p. 98-104].

4142.

S. C. C., *Arboren.*, 31 mart. 1855.

Archiepiscopus quoad intellectum cap. 18, Sess. 23, *de ref.* Concilii Tridentini duo proponit dubia resolvenda, alterum, quod respicit Deputatorum Seminarii electionem, alterum quod in casu absentiae eorum subrogationem.

Ex cap. cit. Concilii Episcopus tenetur consilium requirere circa res materiales Seminarii quatuor Deputatorum, quorum duo debent de Capitulo, ita quidem ut alter eligatur ab Episcopo, alter ab ipsomet Capitulo, duo vero de Civitatis Clero, ita ut eorum alter similiter ab Episcopo, alter a Clero eligendus sit. Cum autem in eodem capite praescribatur: *Rationes autem redituum huius Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo et totidem a Clero Civitatis deputatis*, existimant Capitulares, hisce verbis novam et cum superioribus non confundendam constitui Deputatorum speciem, qui ad redituum rationes excipiendas peculiariter addicti independenter ab Ordinario sive a Capitulo sive a Clero eligendi sunt; Archiepiscopus vero contendit, Deputatos, quorum hic mentio fit, eosdem omnino esse, de quibus agitur in vers. superiore: *Et quia*, quorum electio tum ad Episcopum, tum ad Capitulum et Clerum Civitatis respective pertinet.

Porro Capitulares suae sententiae adsertorem ac vindicem unum inter Canonistas habent Monacellium, tom 2, tit. 16, form. 10, num. 22. Archiepiscopus vero, cui videtur conveniens, ut redditioni rationum *assistano quegli stessi Deputati, che hanno avuto parte nella sistemazione materiale ed economica del Seminario*, habet pro se ceteros omnes iuris interpretes et Doctores, et praxim universalem Dioecesium, itemque resolutiones huius S. Congregationis in *Salernitana*, mense iulii 1589, [2] in *Caurien.*, 5 octobris 1594, [3] in *Nullius*, 19 ianuarii 1595. [4] Subrogationi vero Deputatorum absentium locum esse debere ex cit. cap. 18 Conc. Trid. inferri potest, ubi quatuor semper Deputatorum consilium adhibendum praescribitur. Ex quo consequitur, eamdem omnino in temporanea hac subrogatione facienda rationem sequi oportere, quae in electione adhibenda est, ut nimirum ab eo subrogatio fiat, a quo deficientis electio fiebat. Itaque proponuntur dubia:

1. *An, et quomodo eligendi sint Deputati ad excipiendam rationum redditionem Seminarii in casu?*

[1] Cf. N. 4145.
[2] Cf. N. 2211.
[3] Cf. N. 2274.
[4] Cf. N. 2279.

2. *An, et quomodo sit locus subrogationi Deputatorum absentium vel impeditorum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *Affirmative, et redditionem rationum excipiendam esse per quatuor Deputatos, quorum duo ex Capitulo, unus electus ab Episcopo, alter a Capitulo, et duo ex Clero, unus electus ab Episcopo, alter a Clero.*

Ad 2. *Affirmative, et subrogationem faciendam esse ab his, a quibus facta est electio Deputati absentis vel impediti.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 114, p. 120-125].

4143.

S. C. C., *Taurinen.*, 7 iul. 1855.

Archiepiscopus Taurinensis lato die 30 novembris 1845 decreto, ex facultate a Conc. Trid., Sess. 21, cap. 6, *de ref.* Episcopis concessa animarum curae exercitium interdixit Sacerdoti Iacobo Piazza Parocho ecclesiae B. M. V. in coelum assumptae et S. Petro in vinculis *Polungheriae* dicatae, cui Oeconomum seu Coadiutorem illius vice praefecit, « quum parvihabitis repetitis monitionibus, in iis, quae in recto Paroeciae regimine et proba agendi ratione versantur, prudentiae legibus et animarum sollicitudine neglectis ita subditorum aestimationem ac fidem omnino amisisset, ut Archiepiscopus omnibus expensis persuasum haberet ipsius Parochi officium magis magisque in fidelium scandalum et perniciem cessum ire ». Contra hoc decretum Parochus ad S. hanc Congregationem detulit querelas, ut suspensionis causae sibi patefierent, ut facta defensionis copia ac poenae iniustitia detecta, ad muneris parochialis exercitium redintegraretur.

Pro informatione et Archiepiscopus et Apostolicus in Sabaudi Regno Nuntius rogati sunt. Archiepiscopus refert: « Il Parroco è di buoni costumi, è fornito di più che mediocre teologica dottrina, ma privo di ogni educazione, riguardando come un insulto fatto a sè l'attaccamento, che la popolazione mostrava al Parroco e Vice-Parroco antecedente, immaginò, che il modo più adattato per farlo cessare, fosse quello di cambiare ogni uso, opporsi a qualunque domanda gli si facesse anche di funzioni con danno suo pecuniario, e trattando tutti duramente ed incivilmente. Ciò posto non è a dire, quanto invece non si spiegasse contro di lui la publica malevolenza ». Augebatur populi aversio propter malos mores Sacerdotis Coadiutoris fratris Parochi, praecipue vero, quia idem Parochus alium Sacerdotem Collaboratorem die 2 novembris 1845 manibus in capite percussit, ac postea summa cum populi admiratione Missas celebravit. Unde ab Archiepiscopo suspensus usque ad novum ordinem in Conventu quodam exercitia spiritualia peragere iussus fuit. « Mentre poi faceva procedere agli esami del fatto (prosequitur Archiepiscopus), ricevetti un dispaccio del Ministero, che comunicandomi le originali informazioni avute da persone veramente imparziali, mi rappresentava, che il ritorno del Parroco in Polonghera minacciava di compromettere la tranquillità di quella popolazione, così spiccai un decreto, con cui allontanando il Teologo Piazza dalla Parrocchia sudetta, gliene interdissi qualunque ingerenza tanto nello spirituale, quanto nel temporale ». Quae omnia etiam Nuntius Apostolicus confirmat, atque partim ex eiusdem infirmitate explicanda putat.

Defensor Parochi decretum suspensionis nullum ac iniustum renunciandum propugnat: nullum ob solemnitatum defectum, quia censura lata est nullo ordine iudiciali servato, non praemissis monitionibus, neque expressa in decreto suspensionis causa; iniustum, quia deest causa gravis eiusque concludens probatio. Difficilem autem, cuius insimulatur indolem, non iustam suspensionis causam constituere, et si quid hac ratione peccasset, parcendum homini erat hypocondriaco morbo iamdiu laboranti, ceu medici testantur. Denique imperata in PP. Cappuccinorum Coenobium reclusione, eum iam culpae, si quae fuisset, satis luisse poenam.

Archiepiscopus vero facultate a Tridentino Conc., Sess. 21, cap. 6, *de ref.* data uti se velle declaravit. In quo capite sub illitteratorum et imperitorum nomine venire videntur non solum qui *speculativa*, sed etiam, ex paritate rationis, qui *practica*, ut aiunt, scientia carent, qui nimirum ob experientiae aut culturae defectum aliamve ob causam habiles non sunt rebus ea qua par est prudentia et consilio gerendis. Quae si consistant, ubi Episcopo certo certius ex factis constat de Parochi imperitia seu inhabilitate in rebus gerendis, integrum ei erit eumdem a curae exercitio sive in temporalibus sive in spiritualibus suspendere, quin ulla opus sit iuris solemnitate, quam Tridentinum in eodem capite 6 exigit tantum pro Parochis turpiter et scandalose viventibus, ut Beneficiis priventur. Dubium est:

An decretum Curiae Archiepiscopalis sit confirmandum, vel infirmandum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam; et quoad reintegrationem, dilata, usquedum Orator doceat de peritia et idoneitate administrandi Paroeciam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 114, p. 227-238].

4144.

S. C. C., *Verulana*, 11 aug. 1855.

Resoluta fuit haec causa die 16 iulii 1853.[1] Verum Iosephus novis conquisitis documentis restitutionem in integrum petiit, tum scilicet quod nec Liborius et Alexander dici possunt legitimi descendentes ex stipite familiae Philonardiae, tum etiam quod, etsi legitimi descendentes essent, ob simoniacam labem nulla esset nominatio ab ipsis expleta. Sed neutrum valide probare potuit. Dubium itaque est:

An sit locus restitutioni in integrum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 114, p. 269-276].

[1] Cf. N. 4132.

4145.

S. C. C., *Acheruntina*, 22 sept. 1855.

Resoluta fuit haec causa die 31 martii proxime praeteriti. [1] Verum Sacerdos Iacobutius novae audientiae beneficium impetravit, uti etiam impetravit ipsa Curia quoad *modum* scilicet pro gravamine assignatae pensionis. Curiae defensor repetitis prioribus argumentis urget confirmationem privationis. Conqueritur autem de pensione Iacobutio addicta. Nullo enim iure pensione donatum iri putat Parochum, cui Paroecia minime collata fuit in titulum s. ordinationis; ordinatum enim eum probat familiaris titulo patrimonii. Quare revocandum esse censet additum resolutioni modum quoad pensionem, quae praeterquamquod nullo iure debeatur, in congruae paroecialis depauperationem vergeret. Procurator Iacobutii libellum dilationis circumfert. Datur itaque dubium:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 114, p. 328-331].

4146.

S. C. C., *S. Angeli in Vado*, 22 sept., 1 dec. 1855, 26 apr. 1856.

Ad vacantem Canonicatum Bartoli Cathedralis Ecclesiae S. Angeli in Vado Caietanus Gabellini Tudertinus, qua assertus patronus, die 1 iulii 1840 per privatam syngrapham nominavit Sacerdotem Angelum Dominici. Eadem die ab ipsomet Dominici apud Curiae acta exhibita fuit nominationis syngrapha; quae tamen nullius efficaciae habita est. Episcopus enim, qui antea praesumpto patrono suadere adnisus fuerat, ut priori nominatione revocata alteram favore Sacerdotis Aloysii Urbani perficeret, postea, cum in irritum eius cessissent officia, de iurepatronatus Gabellini veluti dubitans, die 18 augusti edi mandavit decretum: *doceat de iure patronatus*. Silente Gabellinio, unus comparuit nominatus Dominici, qui asserti patroni ius satis comprobari ratus ex tribus praecedentibus nominationibus, protestatus est de quocumque damno, quod ex Curiae oppositione ob temporis lapsum sibi ac patrono esset obventurum, sarta tecta volens iura, quae ex facta sibi nominatione competerunt. Nihilominus Episcopus, postahabitis Sacerdotis Dominici protestationibus, ad praefatum Canonicatum collationis litteras dedit Sacerdoti Aloysio Urbani, qui die 20 mensis octobris in eius possessionem immissus fuit. Illico Sacerdos Dominici recursum habuit ad hanc S. Congregationem.

Episcopus in sua relatione hucusque narrata confirmat, et subiungit: Nominatum per simplicem syngrapham Sacerdotem Dominici « comiter

[1] Cf. N. 4141.

excepi eique suadere conatus sum, ut spem dimitteret obtinendi praebendam Canonicalem, quae sibi in litteris imperito, natalibus obscuro, neque integrae probitatis et famae omnium sensu, et praesertim Capituli, non congruebat. Quamvis pro certo haberem numquam Sacerdotem Dominici assecuturam optatam Praebendam, carebat enim omnibus requisitis a fundatore praescriptis, consilio tamen evitandi lites, scripseram ad Episcopum Tudertinum, ut dehortaretur patronum Gabellini a praesentando Presbytero Dominici, qui nedum mihi, sed et Capitulo caeterisque honestioribus viris ingratissimus foret. Respondit Episcopus, Gabellinium iam nominasse Dominici commendatum ab illustribus personis et munitum ampla attestatione sui Parochi. Frustra certiorem feci Gabellinium de attestationum falsitate, ipse ne a data fide deficeret, audebat praesentare ad Beneficium ecclesiasticum *scienter indignum*. Tunc igitur iussi Promotorem fiscalem obsistere illius praesentationi. Quare eo instante contra Dominici et Gabellini editum fuit decretum: *doceat de iure patronatus*. Et quia Sacerdos Dominici afferens exempla duarum praecedentium nominationum praetendebat se immunem ab onere probandi, quod iuspatronatus competeret Gabellinio, notificata illi fuit scriptura fiscalis, in qua fuse probatur, non constare de iure asserti patroni Gabellini, et innuitur, neque nominatum instrui debitis requisitis, neque servatam fuisse formam praesentationis, et idcirco reiiciendam esse suam instantiam. Siluit Dominici, donec elapso quadrimestri, iterum instante Promotore fiscali publicatae et affixae fuerunt die 10 octobris edictales litterae, in quibus citabantur tum Dominici, tum patroni omnesque alii interesse habentes ad deducenda iura contra devolutionem ob lapsum quatuor mensium sine legitima praesentatione. Adversus praedictas litteras conquestus est quidem die 12 octobris. Quia vero protestatio non innuit litem, litteras collationis dari iussi favore optimi Presbyteri Aloysii Urbani, qui tamquam praeditus omnibus requisitis a fundatore statutis, immissus fuit in possessionem huius praebendae die 20 octobris anni 1840 ».

Promotor fiscalis quoque urget, institutionem ad Beneficium dari ab Ordinario non posse, nisi constet: 1. de iure nominantis; 2. de praesentatione legitime facta; 3. de nominati idoneitate. Atqui haec omnia longe abesse in themate. Ad 1. Patronus nil aliud exhibuit, quam tres praecedentes nominationes. Ad 2. Licet legitima ac valida habenda foret nominatio in casu, ea tamen nullius esse poterat efficaciae ad effectum obtinendae institutionis, ex quo ab eodem Patrono nominante vel ab altero cum speciali eius mandato exhibita intra quadrimestre non fuerit Ordinario. Ad 3. Sacerdotem Dominici qualitatibus in fundatione requisitis destitutum omnino compertum fuisse, quippe qui nec S. Angeli in Vado natus est, nec eius parentes ibi domicilium triginta annorum spatio habebant, nec honestae erant conditionis, et quod magis est, nec bonis ipse moribus ornatus dici poterat, ceu patet ex iis, quae Episcopus in suis litteris refert. Atqui leges fundationis religiose in Beneficiorum collatione impleri praecipit Conc. Trid., Sess. 25, cap. 5, *de ref.*, adeo ut nulla sit nominatio ac praesentatio eius, qui iuxta fundationem non sit qualificatus; quin imo Patronus inhabilem praesentans, nisi intra quadrimestre suam variaverit nominationem, amittit pro ea vice potestatem prae-

sentandi, quae devolvitur ad Superiorem, eoque magis quod assertus Patronus a nominatione recedere noluit eius, quem Episcopi testimonio nedum inhabilem, sed malum ac indignum esse novit. Ex quibus concludit, iure fuisse, posthabito Sacerdote Dominici, nominatum Sacerdotem Urbani.

Sacerdotis vero Dominici Patrocinator primo vindicat in Gabellinio ius patronatus activum ex eo, quod Gabellinius unicus erat, cum nominatio peracta est, ab familiis vocatis per lineam femininam descendens, in quem ideo exhausta iamdiu masculina vocatorum linea, coaluisse censendum est iuspatronatus iuxta legem fundationis, eo vel magis, cum patronus in quasi possessione nominandi versetur. Deinde perpendit, nominationis litteras intra utile tempus a nominato apud acta fuisse exhibitas; necesse autem non esse praesentationis actum fieri *corporaliter* a patrono, sed sat esse, ut ab nominato fiat, qui pro consequenda institutione constitutus censetur Procurator ad effectum exhibendi et praesentandi suam nominationem coram Ordinario. Posthabenda demum contendit, quae quoad qualitatum in nominato Dominici defectum obiiciuntur. Falsum enim est, quod ipse dicendus non sit *di legittimo e buon parentado*, quia eius parentes rusticani sunt. Falsum pariter, quod Sacerdos Dominici nativus Civitatis S. Angeli in Vado habendus non sit, quippe qui ruri, in eiusdem tamen Urbis territorio natus est. Cum porro Sacerdos Dominici natus in Urbis Paroecia fuerit anno 1809, ibique ad annum usque 1840 aetatem egerit, ex hoc ipso concludit eum eiusque familiam annis plus quam triginta in Urbe S. Angeli in Vado domicilium habuisse. Quoad bonos mores autem, non defuisse Sacerdoti Dominici probatorum virorum testimonia, quae Gabellinius comperta habuit; quibus addit actualem Episcopum, qui illum Confessarium et sacrarum caeremoniarum Magistrum elegit. Dubium est:

An constet de legitima nominatione Sacerdotis Angeli Dominici ita, ut sit ei danda institutio; seu potius sit manutenendus in possessione Canonicatus Sacerdos Aloysius Urbani in casu?

Die 22 septembris 1855 Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur.

Interea Sacerdotis Dominici Patrocinator novam exaravit allegationem, qua quamlibet indignitatis notam ab eo repellere satagit. Et quidem primo, cum Episcopus Gabellinium prima vice per interpositam personam ab edenda nominatione favore Dominici dehortari curasset, nullam de eius pravis moribus mentionem fecit. Imo ope alterius personae Gabellinio suadere adnisus est, ut tres saltem — non excluso Dominici — ad Canonicatum nominaret, ut ita integrum ipsi foret quem magis idoneum iudicasset, canonica institutione donare: quod quidem facere tuta conscientia nequibat Episcopus, si reapse illum indignum novisset. Gabellinius autem motus fuit ad Dominici nominationem ex plurium probatissimorum virorum testimonio, quapropter nullitatis redargui nequit nominatio, uti de *scienter indigno* peracta. Perperam quoque obiicitur criminale iudicium contra eumdem Dominici ob praetensum stupri crimen institutum, quandoquidem non solum nulla condemnationis sententia exinde orta est, sed imo Superiorum decreto iudicium ipsum consopitum fuit. Quodsi simplex accusatio ad bonam famam tollendam sufficeret, insons nemo ab infamia sese incolumem praestaret. At crimi-

nis etiam suspicio evanescit ex testimonio Capituli Cathedralis, Praefecti Municipii et Vicarii Generalis. His aliisque perpensis, ad dubium supra descriptum:

Die 1 decembris 1855 Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Facta vero Urbanio obloquendi venia, eius Defensor Sacerdotem Dominici indignum ad Canonicatum fuisse et esse contendit, quia a divinis iamdudum suspensus fuit, cum vacatio Beneficii contingeret, atque per biennium in suspensione permansit, quin notorietatem scandali deleret. Testatur enim Parochus: *Esser cosa pubblica e notoria, qualmente egli volle piuttosto restar sospeso per altri due anni dalla Messa con pubblico scandalo, che ubbidire.*

Nec tantum a divinis suspensum, sed insuper criminali inquisitioni obnoxium fuisse Dominici vacationis Canonicatus tempore, quia cum suis asseclis Episcopum et principes Curiae ministros de atrocissimis criminibus coram S. Inquisitione insimulavit, nullam intentionis suae partem in processu postmodum instituto probavit. Quare non licuit eum pendente accusatione ad Canonicatum promovere, accedente praesertim infamia, quam patitur, qui calumniatur in iudicio: can. *Infames*, 17 caus. 9, quaest. 1. Vadenses porro Sacerdotes de eodem Dominici testantur: *dava motivo di scandalo* per cohabitationem cum puellis *con ammirazione del pubblico, correndo sempre sinistre voci sul suo costume.* Quibus positis quaeritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 26 aprilis 1856 Sacra, etc. respondit: Recedendum a decisis. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 114, p. 334-345, 394-396, tom. 115, p. 244-248].

4147.

S. C. C., *Colonien.*, 26 apr., 5 iul 1856.

Sacerdos Ioannes Benedictus Pesch Archidioecesis Coloniensis, postquam in variis Paroeciis Vicarii et Parochi munere functus erat, die 16 aprilis 1836 per litteras ab Curia expeditas Paroeciam loci Hurtgen regendam obtinuit. Exeunte anno 1840 ac sequentibus annis plures querelae subinde in eum excitatae sunt, insimulatus praesertim, quod cauponas ad bibendum frequentaret obscoenasque ibi cantilenas ebrius caneret, officia paroecialia negligeret, pueros indutus casula vel etiam Sanctissimun in processione circumferens verberitasset, inter concionandum de querelis in se latis aliisque extraneis negotiis tractaret, plures iuvenes demum, quamvis 14 aut 19 annum excessissent, et in rudimentis fidei catholicae satis instructi essent, ad s. communionem admittere contumaciter renueret sub praetextu, quod scholas non ea diligentia, qua civiles praecipiunt ordinationes, frequentarent. Quamobrem criminales inquisitiones semel ac iterum in eumdem institutae sunt, ac saepe, ut asseritur, canonicae ac paternae monitiones datae, ut ad bonam frugem rediret. Tandem Emus Archiepiscopus die 7 maii 1849 causam iudicialiter

[1] Cf. N. 4148, 4150.

tractandam ac definiendam Officialatui suo tradere e re duxit, ac die 5 insequentis mensis iulii lato decreto Peschium monuit, ut causam suam coram eodem Officialatu, cui commissa fuerat, ageret, simulque illum *provisionis peragendaeque disciplinaris instructae inquisitionis causa* ab omni exercitio Ordinis et iurisdictionis suspendit. Expletis itaque processualibus actis die 17 novembris 1849 sententia in eum lata est, qua 1. a Benficio suo parochiali deponitur; 2. ad exercendam animarum curam pro tempore inhabilis declaratur; 3. celebratio exercitiorum spiritualium ei praescribitur; 4. ab exercitio Ordinis suspenditur; 5. ex cassa demeritorum congrua eidem sustentatio conceditur; 6. ad solvendas inquisitionis expensas damnatur.

Quoniam vero interim pluries Missam celebravit, concionem habuit, confessiones excepit et s. communionem distribuit, sententia diei 24 decembris in irregularitatem incidisse declaratus est. Quia vero exercitia spiritualia proprio marte interrupit, nec secus se emendavit, Archiepiscopus die 21 iunii 1851 ipsum in demeritorum statum deiecit. Hac perculsus sententia ad S. Sedem Peschius appellationem interposuit, postulans omnes in se latas sententias revocari ac damna emendari. Delegata rei cognitione huic S. Congregationi, rogatus Emus Archiepiscopus supra relatam facti seriem confirmavit adiectis documentis.

Ex parte Curiae contenditur Parochiam in Hurtgen Beneficium non esse, sed tantum Parochiae succursalis officium, a quo Parochus Pesch ad nutum erat et sine Iudicis sententia amovibilis. Deinde propugnat validitatem suspensionis inchoata inquisitione et nondum absoluta, die scilicet 5 iulii 1849 Peschio inflictae, ne inquisitionis libertas impediretur. Tandem quoad sententiam 17 novembris 1849, qua Peschius a Paroecia Hurtgen depositus et ad paroeciale officium exercendum ad tempus declaratus est inhabilis: ius appellationis eidem Peschio denegandum contendit, quia hoc iure suis litteris ad Archiepiscopum datis ipse nuncium se mittere declaravit ac reapse fatalia labi passus est. Pluribus deinde argumentis huius sententiae iustitiam Curia defendit: praeterquamquod in Germania Parochorum permutationes etiam ipsis invitis fieri solent, a fortiore id fieri potuit Peschio propter malam eiusdem agendi rationem et propter eius amovibilitatem ad nutum, eo vel magis quod communi paci et quieti ac spirituali saluti plebis nonnisi hac ratione prospici potuit.

Ex altera parte Peschius ante omnia Paroeciae amovibilitatem excludit ex eo, quod in ea *solemniter institutus* fuit et in omnibus Curiae actis semper *Parochus* appellatus. Deinde sententiam 5 iulii 1849 nullitatis redarguit, utpote latam absque praevia monitione et inquisitione: cap. *Si quis*, 2, et cap. 4, *de purg. canon.*, unde concidit etiam irregularitatis sententia. Tandem quoad sententiam diei 17 novembris 1849 defuisse ait gravem causam, quae privationem mereretur: can. *Inventum*, *38*, caus. 16, quaest. 7, concludentemque illius probationem: can. *Nos in quemquam*, *1*, caus. 2, quaest. 1, denique canonicam servatam formam: cap. *Conquerente*, *7*, *de restit. spoliat.* Ex hisce concludit, improbandas esse, uti nullas, sententias suspensionis, irregularitatis et depositionis seu privationis, seque proinde rehabilitandum. Hisce itaque utrimque expositis proponuntur dubia:

I. *An sustineantur sententiae Curiae Archiepiscopalis Colonien. in casu?* Seu potius:

II. *An sit locus dispensationi, rehabilitationi et reintegrationi in casu?*

Die 26 aprilis 1856 Sacra, etc. respondit: Dilata ad primam post proximam.

Die 5 iulii 1856 Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Consulendum SSmo pro absolutione et dispensatione ac rehabilitatione, peractis tamen a Sacerdote Peschio per octo dies spiritualibus exercitiis in domo religiosa a Secretario designanda; quo vero ad reintegrationem provisum in primo, sed Emus Archiepiscopus curet Peschium de aliquo idoneo Beneficio provideri, non retardata interim solutione annuae praestationis 150 talerorum tam decursae quam decurrendae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 115, p. 206-219, 300-305].

4148.

S. C. C., *S. Angeli in Vado*, 22 nov. 1856.

Duae difformes in hac causa resolutiones prodierunt, diebus nimirum 1 decembris 1855 et 26 aprilis 1856. [1] Rursus tamen Angelo Dominici redintegrandi certamini copia facta est; verum ipsius Defensor, quamquam mature monitus, iura sua hucusque deducere detrectavit. Qui vero Sacerdotis Urbani partes tuetur, dirimi postulat dubium:

An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In secundo loco decisis. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 115, p. 453].

4149.

S. C. C., *Calatayeronen.*, 20 dec. 1856.

Retulit Episcopus Calatayeronen. praxim in sua Dioecesi invaluisse, qua Decessores sui in casu necessitatis, et ea perdurante, celebrationem permittebant Sacrificii Missae in oratoriis domesticis; et etiam cessata causa celebrationes in iisdem haud prohiberi vigore, ut aiebant, Bullae Cruciatae, ita ut oratoria privata sic ad tempus erecta perpetua evadebant.

Post declarationem s. m. Pauli V per litteras huius S. Congregationis anno 1615 [3] nulla prorsus remansit dubitatio, a S. Concilio Trident. Episcopis ademptam fuisse facultatem concedendi licentias, ut in oratoriis privatis celebraretur, illasque nonnisi a Sede Apostolica concedi posse. Tota igitur fit praesens quaestio, an stante hac doctrina, possit Episcopus dispensare non per modum habitus, sed per modum actus et ad tempus, interveniente sci-

[1] Cf. N. 4146.
[2] Cf. N. 4150.
[3] Cf. N. 2396.

licet aliqua gravi causa. Et fatendum est, pro parte affirmativa plures esse et magni nominis Auctores, a quibus id fieri posse docetur. Qui autem ex adverso putant penitus ademptam esse et sublatam potestatem Episcoporum in hac materia a Tridentina Synodo, priorum retorquent argumentum: si enim ex gravissimis tantum causis celebratio in Oratoriis privatis ab Episcopo permitti potest, tunc talis pemissio superflua est, quia praeceptum audiendi Sacrum sub gravi incommodo non obligat. Quando igitur gravissima ista adsit causa, qua quis detinetur, ne in loco sacro et ab Ecclesiae lege permisso Missam audiat, praecepto, illam audiendi amplius non tenetur. Dubia sunt:

I. *An Episcopus possit iusta interveniente causa facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu?*

II. *An cessante causa episcopalis indulti, perseveret nihilominus facultas in vim Bullae Cruciatae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, nisi tamen magnae et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum.

Ad II. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 115, p. 516-522].

4150.

S. C. C., *S. Angeli in Vado*, 14 febr. 1857.

Quarto iam recurrit haec causa, in qua prima resolutio nempe die 1 decembris 1855 favore Angeli Dominici data fuit, reliquae vero duae diebus 26 aprilis et 22 novembris 1856 eidem adversabantur.[1] Impetrata vero ab eodem nova audientia, causa reproponitur sub forma:

An sit standum, in primo, seu potius in secundo et ultimo loco decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis ultimo loco et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 134].

4151.

S. C. C., *Aesina*, 28 mart. 1857.

Ad oppidum Majuleti Aesinae Dioecesis antiquissima extat Abbatia S. Sixto dicata, origine sua Beneficium regulare, cuius bona post varias temporum calamitates ad Rev. Cameram Ap. devoluta, tandem anno 1829 Ordini Monachorum Cisterciensium in dotationis supplementum a Pio VIII attributa sunt. Inter Abbatiae onera ex natura rei ac Antecessorum exemplo existimans hodiernus Emus Episcopus Aesinus recenseri etiam taxam in Seminarii Dioecesani subsidium et cathedraticum Episcopo Aesino persolvendum, non omisit utriusque oneris solutionem exposcere a Monachis Ord. Cisterciensis, qui tamen ab iis persolvendis sese immunes reputantes, quaestionem ad hanc S. Congregationem deferendam censuerunt. Rogati

[1] Cf. N. 4146, 4148.

de more Emus Episcopus et Procurator Generalis Ordinis, suas quisque transmiserunt relationes.

Emus Episcopus narrat Seminarii taxam ab Abbatia solutam fuisse usque ad annum 1655, ut eruitur ex Dioecesana Synodo anni 1695, et etiam postea, ut patet ex decreto defuncti Card. Ostini Episcopi Aesini. Cathedratici vero solutionem testatur mensae episcopalis Administer. Porro taxam Seminarii solvendam esse a Beneficiis etiam regularibus praescripsit Conc. Trid., Sess. 23, cap. 18, *de ref.*, cui concinit Bened. XIII, const. *Creditae Nobis.*[1] Unicum itaque Monachis Ord. Cist. effugium remanet in concessione bonorum huius Abbatiae ipsis facta a Pontificii Aerarii Praefecto, ex qua putant immunes ipsos esse debere ab huiusmodi taxae solutione. Verum demonstrandum ipsis esset, Summum Pontificem in praefata bonorum concessione vel ecclesiasticam huius Beneficii delevisse conditionem, vel saltem indulsisse, ut ipsius Beneficii bona a taxa Seminario persolvenda essent in posterum exempta. Iam vero neutrum demonstrant. Quod autem de taxa Seminario persolvenda dictum est, idem dicendum etiam de cathedratico, quod ex Concilii Romani, tit. VIII, cap. 4 ius est inter caetera episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab Episcopo in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo vel immemorabili consuetudine praescribi.

Procurator vero Generalis Ord. Cist. arguit Abbatiam quidem S. Sixti olim fuisse Beneficium *regulare*, postea vero in confiscationem dominii imperialis cum caeteris ecclesiasticis bonis pertransiit. Restituto vero Pontificio Regimine compensationis nomine *titulo oneroso* ipsis collata est nulla imposita neque retenta aut assignata bonis ipsis natura aut titulo *Beneficii*, ut eruitur ex instrumento Thesaurarii Generalis. Quoad cathedraticum vero ait, illud a Monachis Cisterciensibus ratione praedictae Abbatiae solvi non debere: non ratione *rei*, quia eius bona ipsis tradita sunt non titulo Beneficii extincti, sed titulo oneroso compensationis aliorum bonorum non beneficialium; et etiamsi data fuissent titulo Beneficii, hoc, utpote regulare, esset exemptum a solutione cathedratrici: can. *Inter caetera*, caus. 10, quaest. 3; non ratione *ecclesiae*, quia Conc. Rom., tit. 8, cap. 4 ecclesias regularium Monasteriis pleno iure unitas a cathedratici solutione eximit; demum non ratione *personarum*, quia regulares de iure sunt exempti a cathedratico. Circa taxam Seminarii urget, illam debere esse *subsidiariam*, ubi de pauperie Seminarii constat. Iam vero praeterquam quod a tot saeculis extitit Seminarium Aesinum sine extensione taxae ad Monachos, poterit existere et in posterum, eo vel magis, quod Abbatiae bona, utpote titulo *oneroso* Cisterciensibus data ab onere taxae pro Seminario exempta sunt ad normam cit. constitutionis Benedicti XIII. Quibus utrimque perpensis definient EE. PP. dubium:

An sit locus solutioni taxae Seminarii et Cathedratici in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 161-173].

[1] Cf. N. 288.

4152.

S. C. C., *Parisien.*, 28 mart. 1857.

Leo Maria De Grolée Virville Marchio origine Avenionensis et Maria Iosephina Caillard die 8 octobris 1852 Lutetiae Parisiorum matrimonium in faciem Ecclesiae rite contraxerunt. Post sex mensium cohabitationem extemplo vir apud civile Tribunal iure iudicioque egit pro separatione quoad torum, habitationem, bonorumque divisionem, ac muliere in contumacia manente voti compos factus est. Post haec supplicem Sacratissimo Principi obtulit libellum, in quo postulavit dispensationem super matrimonio, quod ratum et numquam consummatum asseruit, plures proferens ad dispensationem assequendam causas, quarum praecipua est invincibilis matrimonialibus praestandis obsequiis repugnantia mulieris. Ex SSm̃i mandato diei 21 maii an. 1855 preces ad Archiepiscopum remissae sunt, ut praevia confectione processus super non sequuta consummatione ac legitimis dispensationis causis, servata forma constit. Bened. XIV, *Dei miseratione*, [1] moneret mulierem ad deducendum iura sua coram S. Congregatione.

In processu coram Ordinario vir iuramento praestito negavit matrimonium ab se cum puella Caillard contractum unquam fuisse consummatum, asserens eam debiti coniugalis redditionem obstinate recussasse, ac ideo se praecipue intuitu salutis aeternae ac vitandae incontinentiae causa dispensationem postulare. Quoad mulierem primum pater eius respondit, filiam suam ad examen non esse venturam, eo quod nihil commune haberet cum Leone De Grolée Virville; tandem cum filia Curiam adivit. Haec iuramento interposito affirmavit, prout iam pater asseveraverat, matrimonii consummationem contigisse, declaravitque ideo petitae sese obstare dispensationi.

Itaque duo probari necesse est, ut dispensatio concedi possit: matrimonium esse simpliciter ratum et non consummatum, necnon iustas et canonicas intercedere ad dispensationem assequendam causas. Viri Defensor de primo *morali* constare *certitudine* ex omnibus factorum adiunctis demonstrat. Pandunt documenta vel ab ipsis puellae parentibus eo consilio hasce nuptias conciliatas fuisse, ut ipsa immunis esset a periculo conceptionis saltem per integrum triennium. Hinc pertinaci voluntate viro petenti debitum denegasse eumque ab se asperis ac iniuriosis saepe saepius repulisse verbis. Rem vel ipsa sponsae mater confirmat, quae literis diei 4 maii 1853 ad Leonem scribebat: *Non esigete in sei mesi quello che non può accadere che col tempo*, eique suadebat, ut pro nunc oblivisceretur, *che siete suo marito*. Et cum vir suo uti iure constituerit, e mulieris domo, quam interim incolebat, expulsus violenter fuit, et ne rediret, minis deterritus. Post quae actio ac sententia divortii contigit. Haec porro omnia moralem certitudinem gignunt, quae comprobatur etiam septimae manus examine. Causas vero pro dispensatione affert Defensor disparitatem qualitatum: nobilitatis, institutionis, pietatis, praecipue autem animorum aversionem et odium.

[1] Cf. N. 318.

Matrimonii e contra Defensor propugnat haud satis de non consummatione constare, cum deficiat concors coniugum confessio et quia non desunt praesumptionum argumenta, quae consummationem potius intercessisse suadent: literae amoris plenae, quas primo perdurante semestri a die initi coniugii in brevi sua absentia vir ad uxorem dirigebat, quae confirmant primum illud tempus in pacifica vitae consuetudine coniuges transegisse. Auget praesumptionem septimae manus testimonium, cum omnes a viro adhibiti testes fidem faciant, omnimodam coniuges habuisse facultatem consummandi matrimonium, quod in eadem domo et adhaerentibus mansionibus communicatione instructis ad sex menses fere continuos commorati fuerint. Causas vero pro dispensatione adductas matrimonii Defensor non iudicat adeo graves. Dubium est:

An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata; et scribatur Em̃o Archiepiscopo, ut mulieri congruum iuxta prudens suum arbitrium praestituat terminum ad inducendos testes pro septimae manus examine, quo termino inutiliter elapso Archiepiscopus ipse procedere debeat ex officio ad examen illorum, qui sive qua consanguinei aut amici, vel uti familiares domus mulieris ad testimonium ferendum idonei magis comperiantur iuxta instructiones dandas a R. P. D. Secretario una cum Defensore matrimonii. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 139-147].

4153.

S. C. C., *Anglonen.*, 2 maii 1857.

Philippus D'Alessandro, Praepositus Collegiatae et paroecialis ecclesiae Tursii, ad quem eiusdem Paroeciae cura principaliter pertinet, paternam incolebat domum in planitie Civitatis extra Paroeciae limites positam. Hodiernus vero Episcopus ab eodem exegit, ut intra Paroeciae fines domicilium transferret, aliter enim ab illo residentiae legibus haud esse satisfactum arbitratus.

Re ad S. C. delata, plura sui favore protulit Praepositus: praxim a praedecessoribus servatam a saeculo, proximitatem Paroeciae et parochialis ecclesiae, fixam Oeconomi a se deputati nocturno etiam tempore residentiam prope parochialem ecclesiam, permanentem plurium Canonicorum stationem intra Paroeciae ambitum, qui omnes populi necessitatibus praesto erant occurrere, nullam unquam extitisse parochianorum querelam, nullum lamentari spirituale detrimentum, redituum tenuitatem, ne gravi adigeretur incommodo ad conducendam domum intra Paroeciae fines, et infirmam valetudinem, cui valde esset infensus aer superioris regionis.

Quoniam vero S. Congregatio die 22 februarii 1851 Episcopi curae reliquit, ut saltem intra annum Orator habitationem transferret intra fines Pa-

[1] Cf. N. 4165.

roeciae, facto verbo cum SSmo, urgentibus Episcopi iussis Orator a mense octobris 1853 sese in conductitia domo intra Paroeciae fines recepit, ubi noctu quoque residebat. Cum autem insequenti mense maio 1854 paucis licet diebus in paternam domum iterum descendisset, ut maiora valetudinis incommoda ex residentia perpessa repararet: circa medium sequentem iunium a divinis et ab omni parochiali officio Episcopus illum indefinite suspendit, etsi iam habitationem intra Paroeciam iterum transtulisset. Tunc Parochus suspensus in paternam domum iterum se recepit. Verum die 12 septembris eiusdem anni novum accessit Episcopi monitorium, quo adigebatur absque praefixione termini ad residentiam intra Paroeciae limites stabiliter transferendam, additis minis de privatione fructuum et ipsius Beneficii curati, nisi paruisset. Ut suspensionis censuram e suo capite removeret, domum prope Parochialem ecclesiam a mense ianuario 1855 proprio aere Praepositus acquisiverat, eoque suum transtulerat domicilium. At suspensione non revocata, eumdem Episcopus semel et iterum spiritualibus exercitiis in domo religiosa peragendis addixit, nec aliter sese revocaturum suspensionem declaravit, quam si Praepositus pro reparatione Ecclesiae Collegiatae ducatos 400 persolveret et residentiam ita servaret, ut nec die nec noctu sibi liceret ad inferiora Civitatis extra suae Paroeciae fines descendere. Quare Praepositus ad finem properante anno 1855 ab hoc S. Ordine suam rehabilitationem postulavit, quam ab Episcopo obtinere nequibat, reiectis conditionibus sive summae solvendae, sive residentiae non solum *moraliter* sed *materialiter* continuae, quas exigit Episcopus.

Interrogatus Episcopus hucusque narratam facti seriem confirmat, explicando residentiam in Paroecia in eo consistere, ut ipse prope Paroecialem dormiat, integrum vero diem in propria domo extra Paroeciam curis domesticis impendat. Et subdit: « Avendosi ritenuto ostinatamente un fondo della Congregazione dei Signori della Missione di S. Vincenzo de' Paoli, lo dichiarai sospeso in forza del cap. 11, Sess. 22 del Tridentino. Egli lasciò il fondo, e subito ripigliò la celebrazione della Messa ».

Replicat Praepositus, se Episcopi mandatis paruisse translato intra fines Paroeciae domicilio in domo primum conducta, ac deinceps in alia proprio aere acquisita. Medicinalis autem cum sit suspensionis censura, cessata causa cessare debuisset. Conditiones vero ab Episcopo positas nec legitimas esse nec iustas. Nulla enim adest legitima causa, cur Parocho urbano, qui domum inhabitet in Paroeciae ambitu sitam, interdicatur e Parochiae finibus egredi, illuc facile reversuro, ut vel recreationis gratia vel domestica aut civilia gerendi negocia intra ipsam Civitatem diversetur, ubi actu parochiali muneri non alligetur. Quoad summam 400 ducatorum animadvertit, eam non deberi ex violata residentiae lege, quia ante motam contra eum litem excusabatur bona fide, postea vero ad tempus habuit S. huius Ordinis licentiam; fundum vero ecclesiae sibi locatum fuisse, tamquam maiori oblatori, fundum autem Congregationis Missionum a se itidem rite fuisse conductum syngrapha ostendit.

Certe ambigi nequit, quod Rector ecclesiae parochialis, licet habeat alios Concuratos, residentiam servare tenetur ad formam Conc. Trid., Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, et S. C. in *Nucerina Paganorum*, 19 maii 1708,[1] et quidem inhabitando domum prope ecclesiam, vel saltem intra fines Paroeciae sitam, modo quo describitur in *Fulginaten.*, 10 maii 1687.[2] An vero ob violatam residentiae legem ad restitutionem fructuum teneatur, definitum est in *Ravennaten.*, a. 1577;[3] ratione vero conducti fundi ecclesiae locus esse poterit compensationi, ex quo nimirum hodie pluris idem fundus locatur. Proponuntur igitur dubia:

I. *An residentia ita sit servanda a Praeposito, ut non liceat eidem Paroeciae fines egredi absque licentia Episcopi in casu?*

II. *An, et quomodo sit locus eiusdem Praepositi rehabilitationi, et solutioni summae ab Episcopo iniunctae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative, et serventur sanctiones canonicae super residentia Parochorum.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative in omnibus ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 229-241].

4154.

S. C. C., *Lauden.*, 2 maii 1857.

Intra fines Paroeciae SSmi Salvatoris Civitatis Laudensis erectum iam inde fuit ab anno 1457 Hospitale maius S. Spiritus cum sacello ab Episcopo Pallavicinio praevia suppressione aliorum Hospitalium bonorumque incorporatione. Illius Capellano pro tempore a Paulo II, et Sixto IV, anno 1479 commissa fuit omnium infirmorum cura: « qui omnium et singulorum utriusque sexus infirmorum ad ipsum Hospitale pro tempore confluentium vel in eo deservientium confessiones audire, nec non ipsis, quoties opus fuerit, ecclesiastica Sacramenta ministrare, ac in eodem Hospitali pro tempore decedentium corpora in capella praedicta ecclesiasticae sepulturae tradere libere et licite valeat, iure tamen Parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo ». Exortis vero inter Capellanum ac Deputatos Hospitalis et Praepositum SSmi Salvatoris controversiis, partes anno 1677 proprium Episcopum compromissarium elegerunt, qui arbitramentalem edidit sententiam, quod « respectu Sacramentorum paschalium, matrimoniorum et sepulturae extra dictum Hospitale salvum et reservatum sit ius Praeposito; adeo ut dictus Praepositus valeat impertiri ministris et deservientibus degentibus in eodem Hospitali Sacramenta paschalia in propria ecclesia SSmi Salvatoris, ad quam proinde teneantur praefati ministri et deservientes tempore Paschatis accedere; necnon iungere, servatis servandis vinculo matrimoniali expositos et alias personas degentes in Hospitali tempore earum nuptus, prout etiam elevare cadavera personarum et associare, quae in dicto Hospitali moriuntur, et deinde extra Hospitale ad alias eccle-

[1] Cf. N. 3065.
[2] Cf. N. 2899.
[3] Cf. N. 2130.

sias sepulturae causa deferuntur. Quo vero ad alias functiones parochiales liceat Capellano Hospitalis exercere, videlicet: respectu contentarum in indultis apostolicis Ven. Hospitali concessis, iure proprio; respectu aliarum iure permissivo Parochi, continuando tamen solutionem annui canonis librarum quinque praestari soliti per Hospitalis Praepositos, et hoc in recognitione iuris parochialis ». Post haec tamen pluries exarserunt quaestiones Capellanos inter et Praepositos SSmi Salvatoris. Quare Praepositus SSmi Salvatoris anno 1855 supplicem Sacratissimo Principi porrexit libellum, in quo lamentatur, ab Hospitali se fuisse omni iure spoliatum.

Causa vero ad hunc S. Ordinem delata auditus fuit Episcopus, qui refert in Ecclesia Hospitali Parochum nullum ius habere, quia censet eam esse iuris patronatus Hospitalis ex fundatione, aedificatione, ac dotatione ab eo facta, quod sufficere autumat ad excludendam Parochi iurisdictionem. Neque Capellanos a Parocho ulla in re pendere existimat. Hospitalis Capellanus ab omni imputatione se defendit fretus honorifico Episcopi testimonio. Deteriori consilio contendi, facultatem Sacramenta administrandi a Sixto IV tributam Capellanis cohiberi tantum ad aegrotos ac deservientes, vulgo *infermieri*, non item ad quascumque personas in Nosocomio comprehensas, nam verba eiusdem Bullae intelligenda veniunt ex precibus a Deputatis porrectis, quae Bullam praecesserunt, sive pro omnibus personis, quae in Hospitali infirmis opem impenderent, eo vel magis, quod dictio *deservientium* in praefata Bulla adhibita hunc sensum praeseferat.

E converso Praepositi SSmi Salvatoris Defensor adstruit eidem paroecialem iurisdictionem privative competere in Hospitali tum quoad Sacramentorum administrationem, si ea excipias, quae ex Bullis Pauli II et Sixti IV cumulative cum Praeposito Capellanus, tamquam eius Coadiutor administrare valet infirmis et deservientibus, Hospitale enim numquam in Paroeciam fuit erectum, imo in fundationis limine reservata in illud fuerunt Parochi SSmi Salvatoris iura omnia, plenissima videlicet iurisdictio. Porro perperam regeri Capellanos semper fuisse in pacifica possessione quoad Sacramentorum omnium administrationem relate ad quascumque personas in Hospitali degentes, nam contrarium eruitur ex sententiis Laudensis Curiae praecipue anni 1677. Dubia sunt:

1. *An privative spectet ad Praepositum SSmi Salvatoris exercitium omnium iurium parochialium quoad personas in Hospitali degentes, exceptis infirmis eisque deservientibus in casu?*

2. *An eidem Praeposito competat cumulative cum Capellano ius administrandi Sacramenta etiam infirmis et deservientibus in casu?*

Die 28 martii 1857 Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur.

Die 2 maii 1857 Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, exceptis iuribus Capellano tributis in Bulla Sixti IV anni 1479 et in sententia arbitramentali Episcopi anni 1677.

Ad 2. Negative, excepto casu, quo Praepositus ab infirmis vocetur.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 173-188, 199].

4155.

S. C. C., *Nepesina*, 2 maii 1857.

In parochiali ecclesia S. Ioannis Bapt. terrae Morlupo Nepesinae Dioecesis, capellania existit ad Confraternitatem SSmi Rosarii pertinens iamdiu ibi instituta cum variis oneribus Capellanum gravantibus, inter quae onus etiam habetur canendi in capella et altari proprio ibi sito unam Missam in festo SSmi Rosarii ac quatuor anniversaria primis diebus non impeditis post festa Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. Harum Missarum cantus hodie causa controversiae est. Sacerdos enim Carolus Venturini actualis Rector capellaniae ius esse sibi eas canendi contendit, quia et hoc onus fuit capellaniae Rectoribus impositum, uti alia omnia, quibus iam ipse sine ulla contradictione satisfecit. Nicolaus vero Archipresbyter Petrucci actualis Parochus dictae terrae Morlupo, ius idem sibi vindicat, quia putat Rectores Confraternitatum in parochialis ecclesiae functionibus sive parochialibus, sive non parochialibus haud se immiscere posse. Quare idem Rector capellaniae supplici oblato libello omnem hac de re controversiam sapientissimo EE. VV. iudicio definiri postulat.

Pro Episcopo interrogato Vicarius Generalis respondit, ac deperdito fundationis instrumento, ex actis s. visitationis ostendit, existere praedictam capellaniam et Capellano onus etiam inhaerere canendi memoratas Missas. Archipresbyter autem allegat consuetudinem, quam inductam putat ex eo, quod ab anno 1710 ad annum 1738, quo tempore Archipresbyteri capellaniam possederunt, Archipresbyter pro tempore Missas fere semper cecinit, uti et anniversaria.

Ad omnes huiusmodi controversias dirimendas ex S. R. C. decr. a. 1703 [1] triplex prae oculis habenda est functionum divisio: aliae enim sunt mere parochiales, et ad Parochos privative spectare dicuntur; aliae munera ecclesiastica appellantur, quae etsi de iuribus mere parochialibus non sint, attamen ad Parochos spectant, quia ipsis maxime conveniunt; aliae ecclesiasticae tantum, quae non modo a Parochis, sed et ab aliis Sacerdotibus exerceri possunt. Iam vero celebrationem eiusmodi Missarum, de quibus in casu, S. R. C. de iuribus parochialibus non esse resolvit. Eiusdem vero sententiae fuit etiam haec S. C. in *Thelesina*, 9 februarii 1732, [2] in *Hortana*, 5 iulii 1738, [3] et in *Firmana*, 2 decembris 1747. [4] Quaeritur:

An, et ad quem spectat celebratio praedictarum Missarum et anniversariorum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Spectare ad Capellanum iuxta votum Episcopi.

[Liber 200 Decretorum, p. 1151].

[1] Cf. N. 5733.
[2] Cf. N. 3382.
[3] Cf. N. 3487.
[4] Thesaurus Resolutionum, tom. 16, p. 45, 82.

4156.

S. C. C., *Limburgen.*, 27 iun. 1857.

Episcopus Limburgen. die 18 decembris 1851 ope Decani ruralis decretum Nicolao Saver Parocho loci Hoehr notificari mandavit, quo eius ab hac Paroecia amotio et in aliam translatio decernebatur propter tantam in Parochia adversus eum aversionem, ut iam non amplius expectandum sit, illum cum fructu ibidem operari posse, sed potius plebis depravatio imo nonneminis a fide apostasia timenda sit. *Ceterum, ait Episcopi decretum, cum non in poenam translocandus sit, dummodo monitioni Nostrae, uti decet, attendat: supplicis de se translocando ad Nos dirigendi libelli omnem quam possumus, rationem libentissime habebimus.* Cum vero Saver pluribus praeterlapsis mensibus nec contra decretum protestationem aut recursum interposuisset, nec permutare Paroeciam in animum sibi induceret: permutationem *ex officio* decernendam censuit Episcopus, ac Paroeciam Neudorfensem ei conferendam statuit, quod ipsi significatum est decreto diei 23 iulii 1852. Verum Saver litteris ad Episcopum datis die 4 augusti contra decretum protestatus, haud sibi vitio vertendum monebat, si causam ad legalem processum adduceret, ut sua, si quae sunt, delicta in loco Hoehr palam inquirerentur. Tunc Episcopus decreto 10 augusti sub poena suspensionis ab officio *ipso facto* incurrendae eidem mandavit, ut intra terminum octo dierum aut institutionem canonicam ad Paroeciam in Neudorf rogaret, aut aliam, quam mallet, quae ei in praesentia conferri posset, peteret, aut denique Paroeciam in Hoehr pure resignaret. Sed hoc termino inutiliter elapso die 21 augusti alio decreto Saver suspensus declaratus est, eique novus praefixus octo dierum terminus, ut iussis satisfaceret, indicta, si renueret, privationis Beneficii poena. Attamen quin pareret, provocavit ad Ducale Gubernium. Hinc Episcopus decreto 1 septembris 1852 privationis Beneficii poena in eum animadvertit, atque, silente Saver, post decem dies Beneficium Parochiale in Hoehr vacans declaravit aliumque Sacerdotem ad illud canonice instituit.

Tandem Saver supplici libello huic S. Congregationi oblato singula contra eum lata Curiae decreta nulla ac irrita declarari postulavit. Rogatus Episcopus pro informatione, praenarratam facti seriem confirmat. Porro in facultate Ordinari esse sustinet Parochum, tametsi irreprehensibilem ac innocentem, cogere, ut ab ecclesiae regimine se abdicet alioque congruo Beneficio in prioris vicem commutato contentus sit, si aliter bono pacis et spirituali ovium suarum periculo consuli nequeat: cap. 5, *de rer. permut.*, et cap. *Nisi cum pridem, de renunc.* Renuente autem Parocho sponte Paroeciam in Hoehr resignare, aliamque sibi conferendam exposcere, iure merito permutationem ex officio decretam fuisse insuper contendit; ob recursum vero ad laicam potestatem merito privationis Beneficii poenam latam in eum fuisse tuetur Episcopus ex cap. 8, *de restit. spoliat.*, et ex Trid., Sess. 22, cap. 1, *de ref.* Procurator autem Saver ex perpetuitate Beneficii Paroecialis arguit, eum ab eiusdem possessione exturbari nefas fuisse, nisi antea de eiusdem constitisset *consensu*, vel nisi *patrata crimina*, vel *publica causa:* evidens scilicet ac urgens Ecclesiae necessitas vel utilitas remotionem suasissent. Verum neque ipsius consensus adfuit, neque crimina, quod caeterum et ipse Episcopus concedit; superest igitur *publicae causae* momentum: populi aversio, depravatio, timor apostasiae. Ast, si paucos excipias, omnium potius impensum erga illum studium et egregia voluntas perpetuo sese prodidit, qui obiectam depravationem ac timorem apostasiae indignati penitus explodunt ac diluunt. Porro etiamsi praedicta subsisterent, amotionis decretum suis non consisteret viribus, quia latum non servato iudiciali ordine, quem exigit S. C. in *S. Severini*, 4 aprilis 1778.[1] Poenalia vero decreta, cum a decreto remotionis ortum habuerint, hoc everso et illa insimul concidere necesse est. Dubia sunt:

I. *An sustineatur decretum amotionis latum a Curia Episcopali Limburgensi die 18 decembris 1851?*

II. *An sint infirmandae poenae canonicae inflictae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Iterum proponatur. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 320-329].

4157.

S. C. C., *Civitatis Castelli*, 18 iul. 1857.

Inter pias Sodalitates in Civitate existentes illa recensetur sub titulo B̄mae Virginis Gratiarum in ecclesia Servorum B. M. V. erecta, quae a quavis Episcopi iurisdictione reputatur immunis. Administratio redituum et eleemosynarum Episcopo non exhibetur, nec simul cum Revisoribus, ut rationes perpendat, ullo modo vocatur contra ea, quae cap. 8 et 9, Sess. 22, Conc. Trid., *de ref.* decernuntur. Requisito tam Conventus, quam Sodalitatis Priore de privilegiis si quae forent edendis, quorum virtute Fraternitas tanta exemptione gauderet, invocata fuit consuetudo. Postulat igitur Episcopus, ut certa hac de re sibi norma tradatur.

Momenta rationum praecipua, quibus nititur Sodalitas ad exemptionem probandam, haec sunt: praeprimis consuetudo trium saeculorum et amplius, nimirum ab anno 1514 usque in praesens perpetuo vigens ac numquam intercepta, cum constet vel a suae fundationis initio Sodalitatem non quidem Episcopo, sed Generali Moderatori Ord. Servorum fuisse subiectam. Tam diuturna observantia privilegii apostolici praesumptionem secumfert; quamvis autem incenso tabulario tale privilegium exhiberi nequeat, illud tamen revera extitisse ex rescripto S. C. Ep. et Reg. memoriae proditum tradunt Confratres. Quodsi Episcopi aliquando in Sodalitii negotiis aliquam habuerint partem, id contigit non ex ordinaria eorum facultate, sed ex delegata ab S. C. Ep. et Reg., vel ex libero Sodalium placito. Addunt, Sodalitium unum idemque cum Religiosis corpus censeri, unde Sodales in

[1] Cf. N. 3804.
[2] Cf. N. 4158.

processione SSmi Corporis Domini non inter alias Sodalitates incedunt, sed inter Ordines Religiosos illum Servorum B. M. V., ad quem pertinent, immediate praeeundo.

E contra Promotor fiscalis contendit Episcopo, saltem qua Apostolicae Sedis Delegato, integrum ius inesse visitandi Sodalitium, necnon exigendi singulis annis (una saltem cum Revisoribus deputatis) redditionem rationum administrationis eiusdem. Ad utriusque assumpti probationem affert Concilii Tridentini sanctionem in cap. 8 et 9, Sess. 22, *de ref.* Ex quibus arguit, nec consuetudinem etiam immemorabilem, nec privilegium ab Ordinarii, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, visitatione ac iure exigendi rationes eximere Sodalitia, nisi privilegium concessum fuerit post Tridentini publicationem et cum expressa derogatione relatae sanctioni eiusdem Concilii: huiusmodi autem privilegium non praesumi, utpote laesivum iurisdictionis delegatae Episcopi, sed probandum omnino esse. Ceterum in praesenti casu haud denegari posse videtur Episcopi ordinaria quoque iurisdictio super Sodalitio Bmae Virginis Gratiarum ex cap. 7, *de off. ordin.*, nisi de exemptione ac privilegio evidenter constet; in dubio enim praevalet ordinaria Episcopi iurisdictio ex cap. 7, *de privil.*, et ex S. C. in *Nucerina Paganorum*, 23 iunii 1629.[1] Neque Sodalitium cum Religiosis unum idemque corpus constituere censendum est, cum Sodalitati omnia desint extrema, quae Regularium Institutorum propria sunt. Simplex autem aggregatio Ordini Regulari exemptionem ab Episcopi iurisdictione non tribuit, ceu declaravit Clemens VIII in const. *Quaecumque.* [2] Quibus expensis erit EE. PP. dirimere dubium:

An constet de exemptione; seu potius de bono iure Episcopi visitandi Sodalitium Beatissimae Virginis Gratiarum, ac exigendi administrationis rationes ab eiusdem Officialibus in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit. Negative ad primam partem, affirmative in omnibus ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 398-405].

4158.

S. C. C., *Limburgen.*, 19 dec. 1857.

Descripta fuit facti species huius causae in folio Congregationis diei 27 iunii praeteriti; [3] verum tunc responsum fuit: *Iterum proponatur.* Interim Episcopus in nova relatione argumentis ex auctoritate Doctorum desumptis urget, se etiam citra Parochi culpam ex causa publica eundem etiam invitum a Paroecia amovere potuisse. Parochi vero Saver Defensor falso insinuari contendit, imperatam translationem *provisionis* dumtaxat ob bonum publicum et non *poenae* rationem habere: siquidem compertum est Paroeciam

[1] Cf. N. 2511.
[2] Cf. N. 192.
[3] Cf. N. 4156.

Neudorfensem ob redituum tenuitatem et asperius plebis ingenium cum Paroecia Hoehr comparari nullo pacto posse. Quibus perpensis:

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Scribatur Episcopo, ut Sacerdotem Saver a censuris absolvat ac rehabilitet, eumque provideat de alia Paroecia seu Beneficio reditus aequivalentis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 572-581].

4159.

S. C. C., *Nullius Messanen.*, 19 dec. 1857.

In Dioecesi Nullius Archimandritali Messanensi occasione funeris cuiusdam adolescentis, cui in Regularium ecclesia parentes sepulturam decreverant, accidit, ut dum cadaver efferendum erat, perturbatorum opera Clerus, qui ad associationem convenerat, ad ecclesiam saecularem domui proximam perrexit. Consanguinei vero re cognita feretrum circumsteterunt prohibueruntque, ne inde cadaver tolleretur in aliud inferendum sepulchrum, ac ipsi destinaverant. Tunc de consilio Praesidis ecclesiae regularis tumulantis Iudicem adiverunt illius viciniae, ut res de bono et aequo componeretur. Qui cum reposuisset, ut Regulares, vocato aliquo Capellano, cadaver ad propriam ecclesiam deferrent, idem Praeses hora 2 p. m. cum alio Regulari Sacerdote et duobus testibus Parochum convenit eum rogans et monens per schedulam a se et a testibus subscriptam, ut hora 3 p. m. per se vel per suum Capellanum cadaveris associationi usque ad ecclesiam sui Coenobii tumulantem praesto esset. Parochus, cum se promississet adfuturum, praedicta hora et per duos alios horae quadrantes non comparuit. Tunc vero Coenobii Praeses benedicto per suum Presbyterum cadavere, illud elevavit, rituque consueto ad propriam ecclesiam detulit, atque absoluto funere, ibi sepulturae mandavit. Huiusmodi eventus quaestiones et clamores ex utraque parte excitavit: Parochus sua iura violata esse aiebat; Regulares censuris irretitum Clerum saecularem contendebant. Adeoque plura dubia desuper Vicarius Capitularis concinnavit, quibus cum allata facti serie Sacro huic Ordini ab ipso exhibitis, eorum solutionem postulat. Quae tamen dubia ad pauciora iuxta suetum stylum reducta sunt.

Sancitum in iure est, ubi legitima probetur electio sepulturae, non licere Parochis vel eorum Coadiutoribus defuncti cadaver ad parochialem ecclesiam deferre et exequias ibidem peragere, sed recta via deferri debere ad ecclesiam, in qua fuerit electa sepultura, uti decrevit S. R. C. die 19 decembris 1671, [1] et haec S. C. in *Volaterrana*, 16 martii 1726. [2] Hinc est, quod si cadaver alibi, quam in loco electae sepulturae fuerit asportatum vel tumulatum, ecclesiae designatae seu Regularibus debeat cum oblationibus et emolumentis omnino restitui. Poena vero, qua Parochus mulctatur, si violenter

[1] Cf. N. 5584.
[2] Cf. N. 3313.

rapiat vel spoliet funus, alia non est, quam amittendi ius ad quartam canonicam, cum obligatione restituendi cum corpore, quidquid accepit emolumenti, uti plures docent S. C. resolutiones. Ad Parochum vero exclusive spectat ingredi defuncti domum, eius cadaver benedicere, elevare, antiphonas et psalmos intonare: et si ad ecclesiam tumulantem a parochiali diversam, praesertim Regularium, sit funus ducendum, eius est usque ad ianuam ecclesiae praedictae cadaver associare et omnimodam iurisdictionem super illo privative exercere usque ad ultimum vale ad formam Ritualis. Hinc Regularibus non licet accedere ad domum defuncti, indeque cadaver educere et funus efferre, quoties de electa sepultura in eorum ecclesiis agatur, absque praesentia aut saltem consensu Parochi, ceu resolvit haec S. C. in *Tusculana*, 24 iulii 1734.[1] Non tamen exinde licet Parocho, ultra tempus consuetum impedire vel differre funus ducendum, seu cadaveris associationem, uti definivit Sacer hic Ordo in *Novarien.*, 15 martii 1704,[2] et S. R. C. in *Senogallien.*, 22 iunii 1675.[3] Neque aliter iudicavit S. C. Ep. et Reg. in *Calaritana*, 11 augusti 1659 confirmata ab Alexand. VII, const. *Alias pro parte*, 30 aprilis 1660.[4] Hisce ad rem animadversis resolvenda ponuntur dubia:

I. *An, et quomodo excommunicationem et irregularitatem contraxerint Parochi caeterique Presbyteri aut Procuratores ecclesiarum, seu potius alia poena plectendi sint in casu?*

II. *An, et quomodo Praeses Regularium iura parochialia violaverit in casu?*

III. *An, et quomodo, recusante vel non comparente Parocho hora ad associationem statuta, liceat Regularibus levare cadaver et ducere funus in casu?*

IV. *An, et cui competat monitio seu intimatio funeris ducendi et horae praefinitio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam, nempe amissione cuiuscumque lucri percepti vel percipiendi ex funere.

Ad II. Negative in omnibus.

Ad III. Affirmative, expectato tamen prius Parocho per discretum tempus, quod horae spatium non excedere debeat.

Ad IV. Affirmative favore Parochi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 116, p. 602-611].

4160.

S. C. C., *Rossanen.*, 30 ian. 1858.

In recognitione Statutorum Capituli Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Rossani Archiepiscopus moderari voluit num. 92, cap. 19, ubi ius exclusivum convocandi Capituli Archidiacono tribuitur, eoque impedito idem ius ad alias Dignitates proximiores gradatim devolvi statuitur. Cum enim in cit.

[1] Cf. N. 3430.
[2] Cf. N. 3015.
[3] Cf. N. 5605.
[4] Bull. Rom., tom. 6, V, p. 70.

numero de petenda pro convocatione Archiepiscopi licentia nihil habeatur, ipse eum per haec verba reformavit: « Capitulum ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo, *de Archiepiscopi vel illius Vicarii Generalis licentia*, per schedulam ad triduum ad valvas sacristiae affixam, in qua quae tractanda sunt, praenotentur, convocabit, pulsata de sero antecedenti campana, etc. ». Quamobrem ad S. hanc Congregationem confugere e re duxit Archidiaconus Vincentius Lefosse nomine etiam Decani, expostulans, ut ius, quod ipse uti prima Dignitas habet convocandi Capitulum, libere, et non impetrata venia Ordinarii exercere sibi ad normam iuris et consuetudinis Metropolitanae Ecclesiae liceat.

Rogatus Archiepiscopus pro informatione de praecedenti consuetudine ac pro voto, provocat ad Synodum Dioecesanam anni 1594, ubi sub tit. *De Capitulo*, cap. 11, statuitur: *Capitulum ubi congregari continget, qui dignior fuerit ex eo, de Nostra vel Vicarii generalis licentia, convocabit, subscripta prius a Nobis vel a Vicario Nostro schedula, in qua ea quae tractanda sunt in Capitulo, praenotentur, pulsata prius de sero campana, etc.*, quam consuetudinem confirmat scripto testimonio Capituli, necnon plurium antiquiorum Canonicorum.

E contra Archidiaconus urget, integrum esse Capitulo sese convocandi, quin ulla opus sit Ordinarii licentia, praesertim cum de rebus agatur, quae Capituli ipsius interesse respiciunt, iuxta ea, quae docet Ferraris, V. *Capitulum*, art. 1. Hinc non obstare subsumit praescriptum Synodi 1594. Nam praeterquamquod haec Synodi dispositio, utpote Capituli iuribus adversans numquam recepta usu fuit, accedit, ex contraria consuetudine hanc antiquatam et abrogatam fuisse legem, ubi aliquando suis viribus constitisset, praesertim quia eiusmodi consuetudo iuris communis dispositioni consentanea est. Nec meliori consilio captari praesidium ab approbatione et subscriptione maioris partis Canonicorum statutariae huiusmodi dispositioni apposita, nam subscriptores antea collegialiter congregati primaevam Statutorum collectionem probaverunt. Praeterea nec Capitulo nec Ordinario expoliare licet Beneficiatum iuribus, queis fruitur ex lege et consuetudine, et quorum in quasi-possessione ac exercitio versatur.

Cum pertineat ad primam Dignitatem ius convocandi Capitulum ex cap. *Cum inter*, *de elect.*, haec proinde facultas de iure illi competens debet esse libera, absoluta et independens ab alterius cuiuscumque Superioris licentia, ita ut neque Episcopus praetendere de iure valeat, non posse Capitulum congregari sine eius licentia, ut eruitur ex Conc. Trid., Sess. 25, cap. 6, *de ref.*, praecipue ubi adest consuetudo sine Episcopi licentia Capitulum congregari, ceu resolvit S. C. Ep. et Reg. in *Neritonen.*, 20 augusti 1601.[1] Quibus utrinque perpensis definient EE. PP. dubium:

An Archidiaconus Cathedralis Ecclesiae, ad quem spectat convocare Capitulum, teneatur petere licentiam ab Archiepiscopo vel eius Vicario Generali pro convocandis Capitularibus in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative, certiorato tamen Archiepiscopo

[1] Cf. N. 1608.

qualibet capitulari convocatione, et salvis iuribus Archiepiscopi ad formam sacrorum canonum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 30-35].

4161.

S. C. C., *Fulginaten.*, 27 mart. 1858.

Vita functo Praesule Nicolao Rossi Episcopo Tudertino, inter eiusdem sacra utensilia palla seu casula sacerdotalis textili opere ex auro argentoque distincta inventa est. Hanc porro ne sibi addicerent Tudertinae Ecclesiae Canonici, obstitit Capitulum Cathedralis Fulginatensis, asserens praedictam casulam ad suam spectare Ecclesiam, ex quo defunctus Praesul, qui olim in eadem Canonicus Dignitarius fuerat, eam antequam ad Tudertinam Cathedralem eveheretur, proprio sibi aere comparaverat, ac legati nomine eidem Ecclesiae reliquerat. Quaestio hinc orta inter utriusque Cathedralis Capitula S. huic Congregationi dirimenda proponitur. Ordinarii utriusque Dioecesis informationem ac votum rogati Ecclesiae quisque suae partibus favent.

Canonici Fulginatenses concedunt spolium ornamentorum, paramentorum etc. Episcoporum deberi Ecclesiis, quibus praefuerint, deque iis integrum non esse Episcopis disponere per ultimam voluntatem iuxta const. s. m. Pii V, *Romani Pontificis*, [1] quaeque confirmata fuit alia constitutione s. m. Innocentii XII, *Inscrutabili*, 30 ianuarii 1694, [2] ac nuper a SSmo D. N. encyclicis literis diei 1 iunii 1847, *Quum illud*; [3] denegant tamen spolium ad illas quoque res extendi, quas Episcopi patrimoniali aere comparaverint, quia hae in memoratis SSmi encyclicis expresse excipiuntur. Quamobrem subsumit Capitulum, duo in facto probanda supersunt, ut de bono suo iure dubitari nequeat: nimirum controversam pallam ab Episcopo Rossi comparatam fuisse bonis ad Tudertinam Ecclesiam non pertinentibus et ab eo legatam Ecclesiae Cathedrali Fulginii. Primum probant testimonio Abbatissae Monasterii SS. Trinitatis eiusdem Civitatis, cui illud opus commissum a Praesule fuit et Canonici Betori, qui patrimonialium bonorum ad eundem pertinentium et in memorata Civitate extantium administrationem gessit. Quod vero Episcopus Rossi praedictam pallam Ecclesiae Fulginatensi legaverit, probat testimonio Custodis Conventus Cappuccinorum Tudertinae Civitatis, qui a confessionibus erat Episcopi. Iam vero ad probandam voluntatem ad pias causas unius testis declaratio sufficit ex cap. *Relatum* et cap. *Indicante, de testam.* Cui testimonio plura accedunt adiuncta, quae piam hanc Praesulis dispositionem confirmant ac suadent: varia quae ille obiit officia in Fulginatensi Capitulo, grati animi sensus, quo erga eiusdem Cathedralis Capitulum afficiebatur ob acceptum argentei calicis donum, cum eius ad Episcopatum electio et consecratio contigit.

[1] Cf. N. 123.
[2] Bull. Rom., tom. 9, p. 342-344.
[3] Cf. N. 505.

Aliter e contra edisserunt Tudertinae Ecclesiae Canonici. Contendunt enim ex Summorum Pontificum constitutionibus de proprio iure super defuncti Episcopi sacris utensilibus nullo excepto dubitari posse. Quod confirmant ex S. C. in *Trivicana seu Tricaricen.*, 8 iunii 1726. [1] Porro contendunt, in themate non probari, controversam stolam non ex bonis Ecclesiae Tudertinae comparatam fuisse, tum quia stola confecta fuit, quando Episcopus Rossi iam Tudertinam Ecclesiam regebat, tum quia valde exiguo potitus erat patrimonio, unde ingens aes alienum contrahere coactus fuit, quo Episcopatus expensis occurreret, tum denique quia deest *legitima* probatio praedicatam pallam Fulginatensi Ecclesiae legatam fuisse. Proponitur itaque dubium:

An sacerdotalis palla, de qua agitur, tradenda sit Ecclesiae Cathedrali Tudertinae, seu potius Ecclesiae Cathedrali Fulginatensi in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 103-108].

4162.

S. C. C., *Herbipolen.*, 24 apr. 1858.

Cum Guillelmus Baillou Gisellam Hadik a Comitissa Ioanna Gisellae matre in uxorem incassum postularet: colloquium a Gisella petiit: *che gli concedesse un colloquio privato* ope cuiusdam Annae Gebler, quae Comitissae servitio addicta erat. Voti compos factus ad vesperam diei 29 novembris 1842 post breve colloquium eamdem maternis laribus abducit, ac primum in Cassoviensem Civitatem transfert, deinde comitante quadam matrona Catharina Stainz, Anna Gebler ac servo militari Eperjes mittit, ac demum paucis adhuc elapsis diebus eamdem Cassoviam apud Catharinam reducit. Ibique tandem post 12 dies a sequuta abductione matrimonium Guillelmum inter ac Gisellam celebratum est coram Parocho Ioanne König legitime deputato, binis adstantibus testibus, necnon *il Barone Horváth, il Generale Mariássy, il Conte Francesco Dessewffy*, sciente ac consentiente sponsae avunculo, sciente ac probante Episcopo, qui suam etiam hoc in negotio auctoritatem adhibuerat post acceptam relationem Parochi Homonnae.

In mutua vitae consuetudine sex ultra annos sponsi manserunt binosque filios assequuti sunt. Sed anno 1848 bello per Italiam excitato, cum Guillelmus in hasce regiones profectus esset, uxor catholica fide abdicata ac in protestantium haeresim prolapsa separationem tum quoad thorum, tum quoad habitationem iudicialiter postulavit, quod tandem revera assequuta est. Paucis vero dilapsis a separatione mensibus ritu lutheranorum novas inivit nuptias cum Comite Rodulpho De Stadion. Post quinque annos a novo inito matrimonio Gisella coram Episcopali Consistorio Cassoviensi contra

[1] Cf. N. 3320.

Guillelmum Baillou institit, ut nullitas primi matrimonii decerneretur. Verum huius *matrimonii vinculum in suo legali vigore et integritate consistere* definivit Cassoviense Consistorium; Metropolitana autem Curia Agriensis statuit, *sententiam primi fori approbari*. Tunc Comes Stadion et Gisella novas deductiones, quibus legitimitatem secundi foederis suadere adnitebantur, Herbipolensi Antistiti exhibuerunt, qui supplices adhibuit preces SSm̃o, ut gravissimum negocium novo examini subiicere dignaretur.

Causae cognitione S. Congregationi commissa, Gisellae Defensor urget, duo *raptum* conficiunt: *abductio* scilicet ac *violentia* sive *physica* sive *moralis*. Iam de abductione puellae constat. Eam vero reluctasse omnes abductionis circumstantiae demonstrant. Ad ultimum colloquium non *vera* conveniendi causa proponitur, sed arcanum quid ad puellae curiositatem excitandam, ceu narrat Anna Gebler. Tam longe a fuga abfuit puellae animus, ut se Guillelmo exhibuerit levissima induta veste, nudo capite, quemadmodum domi versari solebat. Credi vero haud potest, quin longum inter inire cogitasset puella in brumali illa regione, exeunte iam mense novembri, levissima induta veste cubiculari, nudo capite, nec suum aliquid abduxisset. Constat insuper Gisellam semianimem a raptore complexam in rehedam coniectam fuisse. Constat insuper adeo a fuga refugisse Comitissae animum, ut in ipso itinere *sembrava, che alcune volte avesse voluto abbandonare la carrozza; così ancora esclamava: ritorniamo in dietro presso mia madre; colle lagrime agli occhi supplicò il Barone, che qualunque cosa dovesse avvenirle, la riconducesse alla madre*. Ac moerore confecta *per lo spavento era talvolta come sbalordita*. Quibus recensitis concludit: *noluisse* puellam hominem ducere, *noluisse* raptorem sequi. Neque Gisella postea Cassoviae animum matrimonio accommodasse videtur, quia *la Contessa*, ut narrat Anna Gebler, *fu sotto la custodia del Barone, e non ebbe in alcun momento la libera volontà, poichè non osò escire dalla camera*. Eperjes vero delata est Comitissa *in compagnia di un militare servitore del Barone*, ibique *il servo militare non si allontanò mai dal fianco di Lei*. Memorandum insuper Comitissam tunc 17, Annam vero Gebler 14 annum vix exegisse, nec mirum inde, si adolescentulae inexpertae sub custodia positae in extranea civitate et penitus e consortio humano segregatae modum haud excogitaverint, quo libertatem sibi comparare possent. Quapropter desunt omnia, quae ad consensum requiruntur iuxta mentem Trid. Synodi, Sess. 24, cap. 6, *de ref. matrim*. Hisce demum fastigium ponit ipsius Guillelmi confessio, qui narrat: *Mia moglie aveva sentimenti troppo esagerati intorno ai doveri dei figli verso i genitori nel sottrarsi dai vincoli di matrimonio. In tutto quel tempo però che ho coabitato colla mia moglie, ciò non potè eseguirsi, perchè avevo saputo impedire questo stesso... con tutti i mezzi, che stavano nelle mie mani. Ma quando nell'anno 1848 dovette far parte della spedizione militare, la moglie inesorabile colse questa occasione per riacquistare la propria libertà*.

E contra Defensor matrimonii in facto contendit non agi de violenta abductione, sed de voluntaria potius fuga utriusque amantis consensu capta. Suspectas enim esse ait depositiones Annae, quae in plures contradictiones incidit. Quapropter, ita concludit: cum ad probandum raptum necesse sit

ostendere vilentiam vel physicam vel moralem, cum nullo e vestigio appareat vel gravium immo vel levium minarum vel manuum iniectio violenta: stat in suo robore deductio viri, suasionibus eius sponte inductam in procinctu strepitus excitati, ut fugam libenti animo acciperet. Eo vel magis quod abductioni vera sponsalia Gisellam inter ac Guillelmum praecessisse ex integra actorum serie apparet: si enim a sex mensibus promissa et colloquia Gisella fovebat et literas accipiebat, si Guillelmus *fu da lei invitato alla madre*, si eo pervenit, ut obtineret *la licenza del matrimonio:* incredibile videtur, ut reciproca promissio inter amantes haud intercessisset. Raptum autem, quoties praecesserant sponsalia, matrimonium non dirimere uno ore fatentur Doctores. Quibus demum pondus addit cohabitatio per sexennium sine querela, et inter maritales affectus duo suscepta amoris pignora ante annum 1848, quo anno arrepta occasione absentiae viri ad divortium, non ad matrimonii nullitatem mulier conclamabat. Sequitur itaque dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructiones dandas. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 171-185].

4163.

S. C. C., *Massen.*, 24 apr. 1858.

Archipresbyter et Canonici Ecclesiae Cathedralis Massae Carrariae declarari a S. Congregatione humiliter postulant: 2. Supellectitia capellae episcopalis indumentaque et utensilia quaecumque quibus Episcopus utebatur in sacris functionibus, quaeque ab Episcopo comparata fuerunt post adeptam suae Ecclesiae possessionem, eo demortuo spectant-ne ad heredes Episcopi, seu potius ad Ecclesiam Cathedralem?

Interrogatus Vicarius Capitularis nihil adnotatu dignum habet, nisi quod Capitulum aeque ac heredes Episcopi defuncti nulla formali controversia mota S. Congregationis imploratam expectant decisionem, ut ex ipsa agnoscant, cui res sacrae ab Episcopo relictae cedere debeant, eidemque sese ultro conforment.

Quoad hoc dubium notissimae sunt Summorum Pontificum constitutiones, quibus praecipitur, ornamenta, supellectiles aliasque res Episcoporum ad divinum cultum pertinentes non eorum heredibus cedere, sed Ecclesiis deberi, quibus Episcopi praefuerunt. Ita ex const. S. Pii V, *Romani Pontificis*, [2] confirmata ex const. s. m. Innocentii XII, *Inscrutabili*, [3] ac nuper ex encycl. litt. SSm̃i D. N. *Quum illud*. [4] Diligentissime porro huiusmodi praescripto adhaesisse perpetuo S. Congregationem patet ex causa

[1] Cf. N. 4176, 4178.
[2] Cf. N. 123.
[3] Bull. Rom., tom. 9, p. 342-344.
[4] Cf. N. 505.

Fulginaten. proposita in postrema Congregatione.[1] His itaque perpensis quaeritur:

2. *An sacra utensilia Episcopi, eo demortuo, debeantur Ecclesiae Cathedrali, seu potius eius heredibus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 2. Servetur constitutio SSm̃i D. N. incipien. Quum illud, *diei 1 iunii 1847.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 164-171].

4164.

S. C. C., *Leodien.*, 26 iun. 1858.

Inter Arthurem De Woelmont Baronem et Valeriam e Baronibus De Wal iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae matrimonium celebratum fuit. Brevi coniugalis vitae concordia perduravit, ac Valeria abalienatum a se Arthuris animum cito experta a maritali domo recessit. Propinquorum suasionibus brevi reconciliatione facta Valeria pertaesa corruptos Arthuris mores ac inemendabilem vitae rationem, aegroque nimis animo ferens se magis in dies negligi, despici, ac ludibrio femellarum subdi, quas vir famulatus praetextu domi ad libidinem explendam alebat, tandem tribus a nuptiarum die elapsis mensibus apud paternos lares maritalem domum non amplius reditura sese recepit, atque supplicem S. huic Congregationi libellum obtulit, quo exponebat, quod vir suus « dal primo giorno del matrimonio le fece la rivelazione, esservi delle circostanze, che potrebbero porlo nella impotenza di consumarlo. E che in effetto dopo tre tentativi fatti su di essa, suo marito l'ha affatto abbandonata; che la seconda notte delle sue nozze essa l'ha inteso mormorar queste parole: *Quale inganno!* che un altra volta egli ha detto: *Non avremo giammai dei figliuoli.* La sottoscritta crede per queste circostanze potere affermare, che suo marito è nella impotenza assoluta o almeno relativa di compiere i doveri che impone il matrimonio, e perciò viene umilmente a supplicarvi di pronunciarne la nullità ».

Iudicium super nullitate in prima instantia absolvendum remissum fuit coram Ordinario Leodiensi ad normam Benedectinae constitutionis *Dei miseratione.*[2] In depositione, non tamen delata iuramenti formula, mulier preces S. Congregationi porrectas undique confirmavit, asseruitque, matrimonium non fuisse consummatum causa impotentiae viri saltem relativa; exposuit insuper, se perspectam ab initio habuisse eiusdem Arthuris animi aversionem, nec spem amplius adesse futurae inter eos reconciliationis. In asserti autem confirmationem testimonium postea exhibuit Professoris et obstetricis, quibus se inspiciendam dederat, quique scriptis retulerunt, se mulieris corpus inspexisse, et concludebant: *siamo inclinati a credere, che la suddetta Signora non è stata deflorata.*

[1] Cf. N. 4161.
[2] Cf. N. 318.

Vicissim vir sese potentem ad opus coniugii indubitanter renuntiavit; super secuta vero consummatione reposuit: *ch'egli non intende per il momento di pronunciarsi, se il matrimonio è stato consummato o no*, ac peritorum explorationem poposcit, quorum testimonio de sua potentia constaret. Duo itaque adhibiti Professores in arte iuramento retulerunt: *gli organi genitali del Sig. Barone sono esenti da ogni malattia o vizio di conformazione; non può dunque trattarsi d'impotenza di questo capo. Se esistesse, questa non potrebbe essere, che l'impotenza così detta relativa, o l'impotenza chiamata nervosa, che può conciliarsi collo stato normale degli organi genitali.*

Quibus exceptis congregatio ab Episcopo deputata unanimi consensu iudicavit, *nullatenus constare de impotentia neque absoluta, neque relativa D. Arthuris De Woelmont*, atque triennale experimentum coniugibus esse concedendum. Ab hac sententia ad S. C. appellavit mulier, impetrata a SSm̃o gratia disputandi etiam super dispensatione a matrimonio rato et non consummato. Iubente vero S. Congregatione necessarium visum fuit acta processus absolvi in iis, quae deficiebant. Haec continuo perfecit Episcopus. Itaque mulier sub iuramento praecedentem suam depositionem confirmavit. Vir quoque itidem fecit, ac rogatus de consummatione retulit: *che l'atto del matrimonio è stato consumato. Ha dichiarato, che egli ha fatto scomparire dal suo domicilio le persone che facevano ostacolo ad una reconciliazione, e che egli è sempre disposto a ricevere la sua sposa in modo convenientissimo.* Successit inde septimae manus utrimque inductae examen. Qui pro muliere testimonium tulere omnes: separationem et subsequutam Valeriae aversionem repetendam esse ab scandalosa publica et constanti adhuc Arthuris vitae ratione: reconciliationem impossibilem videri; consummationem vero haud secutam fuisse eos arbitrari, et hanc esse in vulgus opinionem. Professor quoque chirurgicus et obstetrix iuramento interposito confirmant atque declarant praecedentem ab ipsis factam relationem: *siamo inclinati a credere, etc. Queste espressioni non sono state da noi adoperate per spargere un dubbio sulla verginità della Signora De Woelmont.*

Hinc mulieris Defensor urget absolutam viri impotentiam ex depositione Valeriae ac septimae manus, tum ex verbis ipsius Arthuris, dum numquam se prolem habiturum panderet, tum maxime ex frustrato thalami experimento. Ex quibus adeo vehementem deducit rationem dissolvendi statim coniugium, ut nec triennium sit expectandum. Constita porro de matrimonii non consummatione pro dispensatione super rato legitimas quoque causas non desiderari contendit: impotentiam viri et coniugum reconciliationis impossibilitatem.

Contra Defensor matrimonii viri impotentiam absolutam excludere studet peritorum testimonio, deinde extraiudicialibus documentis, quibus constat Baronem maxima aviditate ad turpia impelli, quod tamen de homine impotente vix credibile videtur. Nec meliori consilio opponi frustratum thalami experimentum. Ineptum enim est argumentum impotentiae sumere ex triplici dumtaxat congressu. Porro deficit etiam legitima probatio virginitatis in muliere. Quoad dispensationis vero causas monet eas in casu deesse, praesertim cum emendatis moribus ac mulierculis dimissis ad

uxorem peramanter recipiendam vir promptum ac paratum sese exibeat. Hisce utrimque expositis proponuntur dubia:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?* Seu potius:

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die, etc. sacra, etc. respondit ad I. Providebitur in secundo.

Ad II. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 244-255].

4165.

S. C. C., *Parisien.*, 26 iun. 1858.

Dilata fuit resolutio huius causae die 28 martii 1857,[1] et scriptum Emo Archiepiscopo ac transmissae instructiones. Rem tamen infectam, obsistente Eduardo Caillard eiusque filia Maria Iosephina mansisse pandunt literae Emi Archiepiscopi, quia Caillard constanter asserit, se non assensurum esse, ut quilibet ex suis se sistat ad examen, in quo filiae suae discutiantur veracitas et pudor.

Viri Defensor matrimonii consummationem excludit inspectis utriusque coniugis moribus, studio, consuetudine, praecipue quia mulier profitetur se iam ante nuptias virum fuisse aversatam, ac solum ut rem patri gratam faceret, in easden consensisse, necnon « per ottenere il nome del Signor De Grolée ed il titolo di Marchesa ». Et etiam parentes voluerunt, « onde ella potesse essere sposa senza diventar madre ». Unde mulier matrimonii consummationem variis sub praetextibus constanter irritam reddidit, ut constat ex depositione viri, necnon ex septimae manus testimonio. Causam vero dispensationis viri Defensor collocat in impossibilitate reconciliationis, ob denegatum debitum, ob corruptos mulieris mores, quos produnt eiusdem litterae ad quendam amasium.

Defensor autem matrimonii sustinet in casu deficere certam non sequutae consummationis probationem ac legitimas dispensandi causas. Redit itaque dubium:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 233-244].

4166.

S. C. C., *Baren.*, 25 sept. 1858.

In sede ipsa Archiepiscopali Civitatis Barensis ecclesia extat S. Nicolai regiae Basilicae titulo insignita, cuius Priorem atque Capitulum inter et Archiepiscopos ac Metropolitanam Ecclesiam perpetuo super iurisdictione

[1] Cf. N. 4152.

et exemptione dissidia ab immemorabili ad recens usque tempus exarserunt. Novissime post recens Archiepiscopi funus altera quaestio excitata est. Quamobrem Vicarius Capitularis omnia resumens iudicium S. Congregationis definitivum super omnibus postulavit. Literae illico datae sunt, ut Capitulum Metropolitanae Ecclesiae et Prior regiae Basilicae S. Nicolai iura sua deducerent.

Prior in suis literis declarat: « Prendo volontieri questa occasione per dichiarare, che nè io, nè questo mio Capitolo ci siam mai ricusati, nè ci ricusiamo di riconoscere, che secondo l'antico solito debbano richiedere le facoltà giurisdizionali dell'Arcivescovo o Vicario Capitolare pro tempore: 1. i due Canonici, che il Priore in ogni anno manda alla Curia Arcivescovile, affinchè siano approvati per Parrochi del Real Capitolo; 2. tutti quelli, che hanno la pagella di Confessori; 3. tutti del Clero di S. Niccola che si trovassero prestare qualunque servizio alle chiese delle Claustrali della Città ».

Qui partes agit Vicarii Capitularis, nihilominus necessitatem opponit controversiarum definitionis. De confessionibus inprimis absque legitima facultate a Vicario Regiae Ecclesiae exceptis demonstrare satagit neminem vel exemptum ac Regularem posse absque Ordinarii venia Confessarii munus exercere: S. Conc. Trid., cap. 15, Sess. 23, *de ref.* Hanc autem adprobandi facultatem ab Ordinariis sede vacante in Vicarios Capitulares traduci notum est. Prudentiae tamen EE. VV. commendat, ut in dubii definitione bonae confitentium fidei prospiciatur, ac moderamen subiicit ab S. Ordine adhibitum in *Patavina*[1] apud Bened. XIV, Instit. 84, ubi cum illicite et invalide confessiones exceptas fuisse definiretur, cautum fuit: *non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt; attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.* Unde quaeritur:

II. *An Vicario Capitulari privative competat facultas approbandi Confessarios in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad II. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 395-402].

4167.

S. C. C., *Cameracen.*, 25 sept. 1858.

Archiepiscopus Cameracensis sequentium dubiorum solutionem a S. C. humiliter postulavit:

1. An parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam Missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate in casu?

2. An parochus qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu?

[1] Cf. N. 2878.

4. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius Missae liberam habeant applicationem, et stipendium pro ea recipere valeant in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

Ad 4. Negative, et Episcopus provideat ad formam Constitutionis Bened. XIV Cum semper obatas, § 8.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 402-408].

4168.

S. C. C., *Bergomen.*, 27 nov. 1858.

Isaac Bagini, Sacerdos dioeceseos Bergomen., securae mortis vitandae causa amputationem tulit brachii sinistri, in quo vomica indeque per clausuram arteriae gangraena exorta erat. Qua quidem amputatione, quae tertiam tantum brachii partem reliquit, irregularis factus, supplex implorat dispensationem, ut sacrosanctum Missae sacrificium liceat sibi celebrare.

Literis precibus Oratoris adiectis Bergomen. Antistes eundem gratiae dignum EE. VV. commendat: « Infelix Sacerdos semper omni laude dignus exstitit ob mores optimos et zelum sacri ministerii; propterea clerus parochiae suburbanae S. Catharinae et fabrica ecclesiae illius etiam nomine populi quam maxime me petunt, ut intercedam pro eo ».

Adiunxit etiam medici chirurgi de facta amputatione hodiernoque meliori statu Oratoris testimonium, nec non alterum sacrarum caeremoniarum magistri, qui facto experimento sic se habet: « Compertum habui, ipsum exsequi omnes ritus s. Missae exactissime, neque in celebratione quidquam apparere, quod deformitatis quid habeat vel stuporem efficiat. Id tantummodo indicandum esset, utrum manipulus super brachio fictitio aptari possit, an alio modo supplendum sit. Haec sub iuramenti fide attestor ».

Idem Episcopus, mandatis H. S. C. obsequens, ut renovatis experimentis magis praecise referret, quomodo Orator singulas s. caeremonias expleret, ita respondit: « Uti impositum erat, eum examini subiecimus ad experiendam eius in exsequendis Missae caeremoniis aptitudinem; tentaminis huiusmodi duplicem actum unimus, precantes ut indulto et dispensationi adiungere velit E. V. declarationem circa applicationem manipuli, sicuti quaesitum est a magistro caeremoniarum huius cathedralis in attestatione ab ipso demissa ». Iisdemque literis attestatus est Antistes, dictum Sacerdotem nullam omnino voluntariam et hinc culpabilem causam contractae irregularitatis dedisse.

Notissimum in iure est, mutilationem membri vel etiam abscissionem partis membri eius, cuius usus ad hanc vel illam sacrosancti sacrificii caeremoniam rite peragendam immediate necessarius sit, vel ordinatum a celebratione incruenti sacrificii, vel ordinandum a susceptione sacerdotalis ordinis removere ex sacrorum canonum doctrina, qua cautum est, ut a sacrorum exercitio removeatur, quisquis tali corporis defectu laboret, ob quem nequeat absque irreverentia divinis vel populi offensione in suscepto aut suscipiendo ordine ministrare: cap. 1, 2, 6, *de corpore vitiatis*. Hinc Innocentius III repellendum a suscepta abbatia et sacerdotalis ordinis ministerio abbatem quemdam constituit, qui manu altera fuerat mutilatus, cap. *Exposuisti*, h. t., et Eugenius Papa presbytero cuidam, cui a praedone quodam duo digiti cum medietate palmae fuerant abscissi, Missam celebrare non permisit, qui « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem incruentum sacrifici umpotuisset offerre », cap. 2, *de cleric. aegrot. vel debilit.* Quibus adhaerens S. C. dispensationem similibus in casibus denegavit. Ita in *Abellinen.*, 7 et 28 iulii 1770[1] negative respondit Sacerdoti cuidam, qui eam in laevo brachio tulerat laesionem, ex qua eodem uti ad sacrum peragendum non posset, ut nimirum neque hostiam frangere neque calicem levare ob debilitatem valeret. Similiter in *Firmana*, 24 maii 1823[2] alteri Sacerdoti, qui improvisae igneae ballistae diruptionis vi laevae manus iacturam fecerat, noluit dispensationem elargiri. Nec mitior cum eo Sacerdote fuit, qui digitos volamque laevae manus ex morbo amiserat, *Augustana*, 19 decembris 1772.[3] Quae quidem omnia viderentur Oratori in casu adversari.

Ast sunt etiam, quae eidem patrocinantur: atque illud in primis, quod, de promoto agatur, cum quo mitius agendum, ut tradunt passim doctores, et S. H. C. eo vel magis habuit in praxi casibus huiusmodi obversantibus, cum corporis defectus ex miserabili casu fuerit contractus: ita in *Comen.*, 8 apr. et 6 maii 1775.[4] Similiter dispensationem assecutus Sacerdos, cui laeva manus ad carpum usque abscissa: *Patavina*, 18 augusti 1827 inter summar. precum rel. De manipuli denique usu animadvertendum: ubi dispensationi indulgeatur, nil abnorme videri poterit, si pars illa sacerdotalis indumenti brachio etiam fictitio applicetur, exploratum cum sit, illius delationem ad nullum usum in Sacrificio esse iniunctam, sed potius ad indigitandum fructum bonorum operum, et poenitentiam, et allegorice vincula illa repraesentare, quibus Christus Dominus constrictus est, cum esset ad columnam flagellandus, Bened. XIV, *De Sacrif. Missae*, lib. I, cap. 10, num. 6.

Dubium est:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dummodo celebret in oratorio privato, et si Episcopo videatur, cum assistentia alterius Sacerdotis aut Diaconi, pro gratia dispensationis super enuntiata irregularitate, et rehabilitationis ad SSmum Missae Sacrificium celebrandum, delato manipulo super brachio fictitio, facto verbo cum Sanctissimo.

[Per summaria precum a. 1858].

[1] Cf. N. 345.

[1] Cf. N. 3774.
[2] Cf. N. 3980.
[3] Cf. N. 3784.
[4] Cf. N. 3792.

4169.

S. C. C., *Bergomen.*, 18 dec. 1858.

Extat in Civitate Bergomi ecclesia S. Mariae Maioris Basilicae titulo decorata eiusdem Civitatis expensis a fundamentis extructa usque a saec. XII, ac de eius iurepatronatus; in eaque existit Sodalitium seu Consortium a Misericordia nuncupatum, quod ab anno 1449 Communitate Patrona auctorante, huius ecclesiae cultum moderatur ac regit, et bonorum ad eam pertinentium administrationem gerit. Qui Bergomensi Cathedrae in praesentiarum praeest Episcopus, cum Dioeceseos visitationem nuper fuerit aggressus, Basilicam S. Mariae Maioris et Sodalitium ibidem existens invisere quoque in animo habet. Anceps tamen haeret ob praetensum exemptionis privilegium, quo se donatum existimat Sodalitium in vim apostolicae bullae a s. m. Nicolao V anno 1453 eiusdem favore expeditae, in cuius fine haec verba leguntur: « Et insuper hac praesenti constitutione sancimus et ordinamus, quod sicut Collegium ipsum (Misericordiae) retroactis temporibus rectum et gubernatum fuit, ita etiam perpetuis futuris temporibus regatur et gubernetur: districtius inhibendo Sedis Apostolicae Legatis, Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Mediolanensi et Episcopo Bergomensi nunc et pro tempore existentibus, ne de ipso Consortio aut eius ecclesiis, capellis, hospitalibus, et bonis mobilibus et immobilibus, praesentibus et futuris quavis occasione vel causa se intromittere, aut illa directe vel indirecte, seu alio quovis quaesito colore quomodolibet vexare, molestare seu alias quoquo modo perturbare praesumant. Ac decernentes, etc. ». Quamobrem supplici oblato libello ab hac S. Congregatione postulat, ut definiatur, utrum reapse constet de huiusmodi privilegio exemptionis, et qua se ratione gerere debeat cum Administratoribus eiusdem ecclesiae in actu visitationis, quam nuper incepit.

Qui Communitatis partes agit, ad vindicandum privilegium omnimodae exemptionis ab Episcopi iurisdictione ac visitatione praecipue innititur relatis superius apostolicis literis, quarum sane verbis perspicue exemptionis privilegium indictum fuisse arguit. Innititur deinde observantia a tempore, quo extructa fuit ecclesia usque in praesens constanter producta, qua constare inquit, numquam Episcopos iurisdictionis actus in Basilica vel Sodalitio exercuisse, licet id aliquando incassum pertentaverint: contradictionem enim perpetuo experti sunt, cui statim acquieverunt. Etiam post celebrationem Concilii Tridentini huiusmodi exemptione Basilicam S. Mariae Maioris potitam fuisse, plurium factorum narratione demonstrat. Quamobrem concludit, Basilican tum quoad administrationem, tum quoad s. visitationem privilegio exemptionis ab Episcopi iurisdictione potiri.

E contra Episcopus sustinet, actuale Sodalitium seu Congregationem Misericordiae haud iure inniti posse exemptionis privilegio, quod in memoratis apostolicis literis continetur, quia Pium Institutum ea forma, qua existit in praesens, nihil commune cum illo habet, quod in apostolicis literis descriptum legitur, a quo nimirum discrepat sive institutione ac origine, quam a Gubernio repetit, sive in muneris sui exercitio, quia Consortium et Administrator non illud explent *de eorum communi consilio et consensu*. Cum vero ex apostolicae bullae contextu appareat, privilegium ipsum concessum fuisse ex causa ac intuitu peculiaris constitutionis Consortii, consequitur, constitutionis forma immutata, privilegium cessasse, atque ideo primaevam Episcopi revixisse iurisdictionem ex iuris communis dispositione super omnibus suae Dioecesis ecclesiis ac locis piis eidem tributam. Quodsi nihilominus exemptionis privilegium ceteroquin in iure odiosissimum ac strictiori interpretationi obnoxium, consistere videatur: attamen moderationibus a S. Concilio Tridentino inductis illud circumscribi et cohiberi in themate oportere concludit, ac praesertim in eo quod spectat ad redditionem rationum et s. visitationem, in qua Episcopi delegata Apostolicae Sedis auctoritate funguntur in Sess. 7, cap. 8, *de ref.*, item in Sess. 23, cap. 8, 9, *de ref.* Sequuntur itaque dubia:

1. *An, et quomodo constet de exemptione ecclesiae S. Mariae Maioris ac Sodalitii a Misericordia nuncupati a iurisdictione Episcopi in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An, et quomodo competat Episcopo ius visitandi tam ecclesiam, quam Sodalitium in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative ex Bulla Nicolai V, servatis tamen moderationibus a Sacrosancto Concilio Tridentino decretis.

Ad 2. Affirmative iure delegato.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 117, p. 492-501].

4170.

S. C. C., *Pontis Curvi*, 18 dec. 1858.

In ecclesia sub invocatione S. Rochi oppidi S. Olivae duae exstant capellaniae ex piis incolarum oblationibus erectae, quarum iuspatronatus et administrationem iisdem oppidanis competere, exclusa communitate Pontis Curvi, cui oppidum ipsum subest, definitum fuit resolutione S. huius Congregationis diei 23 novembris 1793. Cura administrationis huiusmodi tradi hucusque suevit duobus ex praedicto oppido viris, quorum officium biennio tantum perdurat. Nihilominus compertum est, capellaniarum bona non levem iacturam passa, ac reditus valde imminutos fuisse; quod quidem ignorantiae ac paupertatis conditioni, in qua ut plurimum versantur administratores tribuendum; unde recta administrationis methodo uti nesciunt, vel cum propriis necessitatibus prospicere ex labore cogantur, rem piae causae oeconomicam negligunt, et aliquando etiam lucrum exinde sibi captare non verentur.

Cui malo mederi cupiens Episcopus, supplici S. Congregationi oblato libello proponit, ut causa etiam evitandi quemlibet aemulationis praetextum inter oppidum S. Olivae et civitatem Pontis Curvi, administrationis cura concredita maneat Episcopo ipsi in perpetuum, vel saltem ad viginti annos,

quo tempore res in meliorem, quoad licet, ordinem ac statum restitui poterunt.

Precibus huiusmodi acceptis, scriptum fuit eidem Episcopo, ut convocatis patribus familias loci S. Olivae exquireret ab iisdem redditionem rationis, eosque moneret, ut proponerent aptiorem methodum quoad exercitium administrationis causae piae, et quomodo reparanda forent damna hucusque illata. Quibus diligenter satisfecit Episcopus, ceu ab curiae relatione colligitur, in qua haec habentur: « Ad exsequenda mandata S. Congregationis, haec curia episcopalis primo diligenter studuit sibi procurare rationes administratorum capellarum. Verum ex his rationibus vix apparet aequalitas expensarum et redituum, et multa residua credita frumenti, quae plerumque ad tempora remota ascendunt, ita ut multa difficillime, alia nullo modo exigi possint, attenta paupertate, ad quam redacti sunt debitores eorumque haeredes et successores. Ut cognoscatur, quinam sit revera status debitorum sive frumenti, sive pecuniae (siquidem haec ex rationibus exhibitis saepe dignosci non possunt) videtur omnino procedendum esse ad constitutionem procuratoris probi et solertis, qui debitores in ius vocet, ut certo debito constituto excuti possint. Deinde idem procurator componere deberet libros administrationis gerendae, inscribendo fundos ad capellanias pertinentes, et alia peragere, quae ad rectam administrationem pertinent. Si enim ea apud incolas istius pagi remaneat, nunquam conditio capellaniarum melior fieri poterit, sive per ignorantiam rusticorum et pastorum, sive per connexiones et respectus parentelae, amicitiae etc., quibus haec loca pia in miserrimum statum devenerunt. Convocata fuit praeterea concio tredecim praestantiorum illius pagi, quibus Reverendus Provicarius Generalis modum proposuit pro futura meliori administratione capellaniarum et reparatione damnorum, quae hucusque in ea evenerunt. Congregati unanimiter censuerunt, requirendos esse libros administrationis, ut ex his, quo meliori fieri posset modo, conficerentur rationes praeteritae administrationis. Constituerunt deinde, meliorem modum futurae administrationis eum esse, ut nominarentur duo procuratores, quorum alter extraneus esset a terra S. Olivae, ut fortiter agere posset sine respectu sanguinis vel amicitiae, alter vero ex dicta terra. Denique animadvertimus, quod in curia episcopali iam depositi sunt libri, obligationes et alia documenta de duabus capellis scripta ».

Ubi expedire videatur proposita methodus ad reparanda damna piae causae illata quoad praeteritum, videndum, quae provisio quoad futurum tempus adhibenda sit, ut rectae bonorum administrationi consultum maneat; utrum scilicet res Episcopi arbitrio vel in perpetuum vel ad tempus omnino relinquenda sit, vel potius oppidanis S. Olivae permittenda independenter ab Episcopo electio duorum procuratorum, quorum alter sit extraneus, alter loci naturalis, ceu ipsi proponunt; firma tamen semper iisdem obligatione reddendi rationem administrationis eidem Episcopo, iuxta praescriptum Concilii Tridentini, Sess. 22, cap. 9, *de ref.* Quoties enim excogitari possit provisio, quae sartum tectumque oppidanorum ius servet, et causae piae incolumitati insimul prospiciat, haec plane adhibenda ceterisque praeferenda videretur. Ceterum inter utrumque propositum temperamentum, media erit

ratio, si procuratorum alter eligatur ab oppidanis, alter ab Episcopo, vel etiam electio utriusque procuratoris libera quidem iisdem oppidanis relinquatur, sed eorum approbatio reservetur Episcopo. Prudentia autem EE. VV. decernet, quid magis expediat. Quaeritur:

An, et quomodo Episcopi precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Esse locum quoad praeteritum redditioni rationum per procuratorem ab Episcopo nominandum, et quoad futurum deputationi duorum procuratorum ad formam resolutionis patrum familias ita tamen, ut procuratores iidem ab Episcopo approbari et biennio quolibet renovari debeant, firmo iure Episcopi exigendi quotannis redditionem rationum.

[Liber 201 Decretorum, p. 1889].

4171.

S. C. C., *Isclana*, 29 ian. 1859.

Exstat in oppido Casamicciola dioecesis Isclanae ecclesia sub invocatione B. M. V. de bono consilio, a coetu nautarum collato aere exstructa ac dotata, cui quatuor addicti sunt capellani confessionibus excipiendis et sacris celebrandis functionibus destinati.

Novissime quaestio orta est, ad quem spectet ius ferendi Sanctissimum Sacramentum in processionibus in hac ecclesia fieri solitis, an scilicet ad parochum, intra cuius paroeciae limites sita ecclesia est, vel ad eiusdem capellanum rectorem; quo super dubio opportuna declaratio ab hac S. Congregatione postulatur.

Episcopus informationem ac votum rogatus, audire e re sua censuit tam parochum, quam rectorem ecclesiae coetus nautarum. Primus non impugnat ius rectoris, quatenus processiones intra ecclesiam ducantur, minime vero, si extra eiusdem ecclesiae ambitum; alter vero ius suum protuetur ex decretis S. Rituum Congregationis, 23 martii 1709 [1] et 3 augusti 1839,[2] in quibus praescribitur Sanctissimum ferri debere a sacerdote, qui missam celebrat, si processio de mane ducatur, de sero autem a sacerdote, qui vesperas canit. Monet autem extra ecclesiae ambitum duci solere processionem in die tantum festo S. Mariae de bono consilio, qui celebratur dominica infra octavam S. Ioannis Baptistae, et ad Sanctissimum ferendum invitari ab ipso coetu hucusque consuevisse vel Episcopum, vel eius vicarium generalem, aut sede vacante vicarium capitularem, aut alterum sacerdotem de Episcopi licentia. Sed sustinet ceteroquin id officere non posse iuri rectoris ecclesiae.

Ipse vero Episcopus parochi voto adhaeret.

S. Rituum Congregatio in generalibus decretis *Urbis et Orbis* diei 10 decembris 1703 ad dubia XXI: « An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint processiones iuxta cuiusque confraternitatis institutum absque interventu vel licentia parochi; et XXII: An eaedem processiones fieri pos-

[1] Decr. Authent., n. 2188.
[2] Decr. Authent., n. 2792.

sint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est? » respondit ad XXI: «Affirmative;» ad XXII: «Negative, nisi adesset licentia Episcopi ». [1] Benedictus XIV in *Instit Eccles.* 105, § VII, num. 136, resolutionem, huius S. Congregationis refert in *Bononien.*, 15 maii 1728, in qua ad dubium: « An confraternitas ultima dominica septembris ducere possit processionem cum praedicta imagine ad plateam magnam civitatis cum assistentia parochi, vel, eo deficiente, proprii capellani, ac populo benedicere tam in propria ecclesia, quam sub stillicidio propriae ecclesiae, et intus eamdem? » responsum fuit: « Affirmative, accedente tamen licentia Ordinarii, et comitante parocho, vel alio sacerdote de eius licentia ».

Ex quibus resolutionibus colligi posse videtur, quod etsi processionibus extra ambitum ecclesiae ducendis parochi interventus aut licentia, intra cuius paroeciae limites transeundum est, requiratur; definitum tamen non est, ut parochus Sanctissimum Sacramentum gerat, nisi contraria fortasse consuetudo adesset, quam hisce in quaestionibus servandam esse monet idem Benedictus XIV, cit. loco, § IV, num. 93.

Ceterum perpensis citatis S. Rituum Congreg. decretis generalibus, ex iisdem apparet fere omnia sodalitiis tributa fuisse exclusive ad parochos, cum ageretur de functionibus intra ecclesiam explendis, non ita tamen cum extra eius ambitum celebrentur. Hinc iudicabunt EE. VV., an idipsum in praesenti quaestione censendum sit, ceu proponit Episcopus. Quaeritur:

An, et ad quem spectet ius ferendi SSmum Sacramentum in processionibus in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Ius deferendi SSmum Sacramentum spectare ad rectorem, accedente tamen quoad processiones, quae extra ecclesiam ducuntur, licentia Ordinarii et salvo parochi iure iisdem interessendi vel per se vel per alium sacerdotem de eius licentia.

[Liber 202 Decretorum, p. 617].

4172.

S. C. C., *Tranen.*, 29 ian. 1859.

Anno 1855 die 22 octobris Ioanna Soldano ex oppido Corati, impedimentum apud Archiepiscopalem Tranensem Curiam opposuit, quominus cuidam Iacob De Luca fides de statu libero traderetur, asserens hunc ad matrimonium cum ipsa ineundum sese devinxisse, atque innuens etiam, ab eodem Iacob pudicitiae florem ereptum sibi fuisse. Verum lite hinc inchoata, cum numquam ipsa, ut ut pluries a Iudice monita, sua iura deduxisset, die 16 iunii 1857 absente item eadem Ioanna, Curiae Pro-Vicarius sententia declaravit *Ioannam Soldano carentem omni iure ad ulterius opponendum super statu libero Iacob.* Provocavit hinc Ioanna ad S. hanc Congregationem, eiusdem

[1] Cf. N. 5733.

sententiae infirmationem ex capite tum nullitatis, tum iniustitiae postulans. Qua de re Archiepiscopus causae acta remisit una cum informationis literis, in quibus monere satagit: « Difficilmente la ridetta Soldano potrebbe dimostrare giuridicamente in grado di appello, che Giacobbe De Luca le abbia dato parola di matrimonio, e che in seguito di una tale promessa l'abbia deflorata e resa madre di una bambina ».

Defensor itaque mulieris circumscriptionem primum sententiae et omnium actorum Tranensis Curiae urget, eo quod nulla Ioannae citatio transmissa fuerit, antequam impedimentum ab ipsa propositum inefficax renuntiaretur. Oggerit nempe, si omnia generatim iudicia ab in ius vocatione inchoanda sunt, eo fortius id locum sibi vindicare debere, ubi de causis sponsalium res sit, quae adiunctam etiam stupri et prolis susceptae quaestionem habeant: quippe quo casu et de contractus perfectione et de criminali insuper facto iudicandum est. Hinc autem colligit, acta omnia coram Tranensi Curia gesta, tamquam nullitatis labe infecta, circumscribenda esse, cum eiusdem Curiae Pro-Vicarius ad monitoria processerit, quin antea Ioanna citata fuisset. Delenda hinc acta omnia, de quibus res est, ideo etiam contendit, quod Iudex ad litem in absentem mulierem definiendam devenit, quin trina monitio et peremptorii termini constitutio sub comminatione incusandae contumaciae praecessissent iuxta id quod tradit Pirhing tot. tit. *de dolo et contumacia*, tom. 2, quodque congruum temporis spatium ad iura sua deducenda eidem mulieri impertiri noluerit, praesertim cum Ioanna, dum de sese iudicio sistendo monita fuit, aegrotaret. Denique sententiam ea etiam de causa circumscribendam esse affirmat, quod oeconomice in re maximi momenti lata fuerit. Atqui numquam auditum subiicit, ut causae matrimoniales tamquam *summariae* habendae sint, utque proinde in iis procedi debeat *de plano simpliciter, sine strepitu et figura iudicii*. Quoad causae meritum Defensor sententiam, de qua agitur, minus aequam incusat, eo quod definierit Ioannam *carere omni iure ad ulterius opponendum contra libertatem status Iacobi*, cum contra constet, hunc non modo sponsalia cum eadem Ioanna contraxisse, sed et stuprum hinc illi intulisse, unde etiam proles oborta sit. Ad quod probandum duodecim testium depositionem profert, quam confirmat etiam Corati Archipresbyteri testimonium.

Ex altera parte viri Defensor postulat modo causae definitionem differri, donec testimonia, quae ab Soldano apud Tranensem Curiam non exhibita, hodie primum in medium proferuntur, ipsi viro Iacob, qui procul abest, innotescere, et contrariis probationibus repelli valeant. Datur itaque dubium:

An sententia Curiae Archiepiscopalis diei 16 iunii 1857 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Ad Curiam Archiepiscopalem Tranensem, quae ex integro procedat, servatis servandis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 56-62].

4173.

S. C. C., *Mediolanen.*, 26 febr. 1859.

Maria Aloisia Croff Mediolanensis, ingenuae conditionis femina trigesimum annum aetatis suae agens, mense octobris 1845 nupsit Achilli Lazzati eiusdem Civitatis, qui suae aetatis novem super viginti nondum compleverat annos, homini, ut ipsemet fatetur *d'indole subitanea, ruvida, intemperante, d'abituale maleumore od anche bile:* ob quae dissimillima ingenia coniugum brevi domestica pax perduravit. Conquerebatur enim mulier tum iniuriosa in se prolata saepe saepius verba: *Sei una stupida; sei una bestia; sei buona a nulla,* tum gravissimam infidelitatis et adulterii suspicionem. Itaque animo exasperata anno 1857 discessit mulier, et maternum domicilium repetiit, ac paulo post penes Metropolitanam Curiam iure iudicioque institit, ut tori separatio decerneretur. Quamobrem expletis iudicialibus actis, sententia Metropolitanae Curiae prodiit die 19 septembris 1857, qua declaratum: *doversi ammettere la separazione temporanea di letto e di mensa tra i Sigg. Coniugi Maria Croff attrice e Achille Lazzati reo convento, per colpa di quest'ultimo.*

Cum ab huiusmodi sententia ad S. Congregationem Lazzatus provocaverit, transmisso iam ab Archiepiscopo processu actorum, causa in hodiernis proponitur comitiis.

Aloisiae Defensor sustinet ecclesiasticam auctoritatem quandoque legitima intercedente causa — manente vinculo — posse dissociationem thalami et habitationis decernere. Porro inter legitimas causas recensendas inquit iniurias ac molestias cohabitationis prudenti Iudicis arbitrio expendendas. Atqui demonstrat in facto virum Aloisiam despectui perpetuo habuisse, et atrocibus affecisse iniuriis evincere studet allato iudiciali testimonio trium eiusdem Lazzati ancillarum. Quoniam vero a defectu urbanitatis inimicitia deducitur et odium: ideo ad maiora vitanda mala satius esse urget, ut coniuges seorsim vitam agant, quam permittere, ut uxor innocens in discrimen salutis non minus corporis quam animae adducatur. Testes etiam extraiudiciales, omni tamen exceptione maiores, allegat mulieris Defensor, qui exposita omnia confirmant, ac insuper de prava viri consuetudine cum aliis mulierculis et speciatim cum famula Maria Vitali, quam ideo auctoribus consanguineis et amicis expellere necesse fuit, apertis verbis testantur.

Ex altera parte Lazzati Defensor observat, allegatos contrarios testes minus faciendae fidei idoneos reputari debere, utpote abiectae et servilis conditionis. Ceterum neminem ignorare inquit, quam rigidi sint ss. canones in permittenda coniugum separatione: cap. *Literas*, 13, eod. tit. cap. *Ex transmissa*, 8, *de restit. spol.*, Hinc non alias esse locum separationi, quam si de saevitiis constet atrocibus, frequentibus, intolerabilibus: Engel, lib. 2, *Decretal.*, tit. 13, num. 8 et 9. Porro in casu deesse inquit non solum saevitias atroces atque intolerabiles, verum etiam deesse iniurias, quarum loco haberi nequeunt nonnulla verba a viro in uxorem prolata. Testimonia vero extraiu-

dicialia pendente lite expiscata nullo in pretio habenda contendit. Reliquum est, ut EE. VV. dirimere dignentur dubium:

An sententia Curiae Metropolitanae sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 79-85].

4174.

S. C. C., *Pharen.*, 14 maii 1859.

Matthaeus Genilich 29 annis paroeciali munere functus in variis ecclesiis Illyriae, novissime Civitatis Veteris Pharensis Dioecesis, cui paroeciali ecclesiae Decanatus titulus adnexus est, decreto Episcopi diei 29 iulii 1855 hac Paroecia privatus et ad aliam loci Bogomoglie translatus fuit. Causam decreti afferebat Episcopus, quod asiatica lue grassente Parochus a christiana ope infirmis ferenda abstineret; quamobrem querelas moventibus Praeside militum et politica Auctoritate, iam monitus ipse fuerat ab Episcopo, et acri animadversione, ne officio suo deesset, coercitus. Hinc factum est, ut biduo post decreti intimationem Parochus armata manu a Paroecia exturbatus in oppidum Bogomoglie conpulsus fuerit, ibique *Provisorio Amministratore* confirmatus cum stipendio 125 florenorum. In hoc rerum anfractu ad Metropolitanam Iadrensem Curiam recursum habuit Genilich; Archiepiscopus autem clauso processu rem universam iudicio huius S. Congregationis committere maluit.

Nullitatem ac iniustitiam episcopalis decreti evincere studet Parochi Defensor praeprimis ex eo, quod titulus poenae ab Episcopo propositus inter legitimas privationis causas non recenseatur. In quo quidem duo in facto praenotanda monet: alterum, quod vere Parochus titularis ac perpetuus sit Genilich, alterum, quod de vera privationis poena hic agatur, quamvis simplicem translationem intendat Episcopus. Privatio enim occurrit, quoties invitus quispiam propria titulari ecclesia exturbetur, quamvis in aliam transferatur, praesertim cum altera Paroecia non in titulum sed in precariam administrationem tradatur. Posita igitur privatione, contendit, hanc poenam plane acerbissimam, valide infligi non posse nisi in casibus in iure expressis. Hisce porro inter casus non recenseri titulum ab Episcopo propositum. Sed licet culpa denegatae morientibus assistentiae privationem ex lege ipso facto induceret, nec tamen decretum sustineri secundo loco propugnat, ex quo praetermissa fuerit iudicialis forma. Parocho postulanti canonica inquisitio denegata, isque a Paroecia absque declaratoria sententia expulsus. Iniustitiam decreti omnino patere ultimo loco probat Defensor, quia culpa deest. Nam ex 150 testibus examini suppositis 64 iurati perhibent: neminem a se accersitum fuisse, sive stupore mortis repentis, sive quod Parochum interea morientibus aliis adstare noscerent, sive etiam quod rumor in vulgus percrebuit praepeditum esse Sacerdotibus aditum in pestilentes aedes. Ex quibus decreti nullitatem erumpere arguit, adeoque concludit Parochum esse

reintegrandum, vindicata vero reintegratione eidem fructus etiam esse restituendos. Erit igitur EE. PP. decernere, quid reponendum sit ad dubium:

An sit locus reintegrationi ad Paroeciam et Decanatum adnexum ita ut, et in qua summa sit locus restitutioni fructuum et emolumentorum, seu potius sustineatur poena privationis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; et esse locum restitutioni fructum et emolumentorum in summa ab Archiepiscopo pro bono et aequo liquidanda.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 197-202].

4175.

S. C. C., *Pinnen.*, 14 maii 1859.

In Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli Civitatis S. Angeli Pinnen. Dioeces. die 28 ianuarii 1717 Ordinaria auctoritate erectum fuit Beneficium simplex amovibile, reservato iurepatronatus fundatori Abbati Octavio Sterlich ex Baronibus Scorrani, eiusque heredibus. Postmodum vero ipse Fundator iuspatronatus instrumento diei 9 octobris 1721 donationis titulo transtulit in Baronem Sanctium Celaja, quin de Episcopi consensu ad huiusmodi translationem dato constet. Postremum Beneficii possessorem Hippolyta Celaja nominavit, qui tamen a. 1800 Beneficium retrocessit favore eiusdem Hippolytae. Haec autem sequenti anno 1801 praedium Beneficio assignatum vulgo il *Cavaliere* dotis titulo cessit favore filiae Silveriae, dum Baroni Andreae Gaudiosi nuberet. In divisione hereditaria idem sub anno 1813 Andreae Gaudiosi obtigit, et anno 1836 Iosepho Gaudiosi, qui tandem Baroni Antonio Forcella illud pretio ducatorum 4000 vendidit. Verum anno 1838 legitimi heredes fundatoris coram Tribunali civili Aprutino Baronem Forcella vocaverunt, ut fundum *Cavaliere* Beneficio restitueret, rationem de perceptis fructibus redderet damnaque reficeret. Causa deinde in variis Tribunalium civilium gradibus agitata tandem ab utriusque Siciliae Rege propter laicorum Iudicum incompetentiam ad Iudices ecclesiasticos remissa fuit. Hinc Vicarius Generalis Pinnen. sub die 2 ianuarii 1858 sententiam protulit, qua decernit: *Piam institutionem... ab Abbate D. Octavio Sterlich fundatam verum esse ecclesiasticum Beneficium; donationem iuris praesentandi factam D. Sancio Celaja... nullam esse; ac per consequens patronatum activum praedicti Beneficii spectare ad descendentes linea recta a D. Clorinda Irene Sterlich.* In appellationis gradu tandem controversia ad S. hunc Ordinem ascendit.

Auditus de more Episcopus, quaestionis historiam confirmat, gentis Gaudiosi bonam fidem in retenta praedii beneficialis possessione commendat, ac latae a suo Vicario Generali sententiae omnino adhaeret.

Heredum Sterlich Defensor probat institutionem, de qua agitur, esse vere Beneficium ecclesiasticum: ex verbis fundatoris, et Beneficii titulo, ex obligatione praesentandi Beneficiatum Episcopo, ex eiusdem erectione canonica, et ex reservatione institutionis Episcopali Curiae. Iuspatronatus vero ad heredes fundatoris spectare deducit ex ipsius fundationis literis, nec

obstare ait donationem iuris praesentandi a fundatore sub anno 1721 factam favore Sancii Celaja, eo quod episcopali auctoritate numquam approbata fuit: cap. *Illud*, 8, cap. *Nullus laicus*, 17, et cap. *Suggestum*, 20, *de iurepatron.* Quodsi beneficialis fundi retenta possessio ex adverso invocaretur, factum huiusmodi, inquit, nedum non acquirendi, sed imo amittendi prorsus iurispatronatus titulum ministrare ob peractam usurpationem et alienationem: Trid., Sess. 22, cap. 11, *de ref.* Deerat denique bona fides familiae Celaja, quum praedium Beneficii usurparunt ac de eo veluti de re propria disposuerunt, et in dotem nempe constituentes et in extraneos recepto pretio alienantes.

At Gaudiosi Defensor loquitur in primis de laicitate, revocabilitate et extinctione Beneficii Sterlich. Laicalem vero ait Capellaniam, quia Beneficium non fuit episcopali auctoritate fundatum in perpetuum. Cum enim amovibilitas in themate respiciat vere Beneficium plus quam Capellanum: impedit translationem dominii in Ecclesiam, ac propterea Beneficium laicale renunciandum venit ob unam ex qualitatibus substantialibus deficientem. In altero defensionis capite autem demonstrat iuspatronatus vi donationis 19 octobris 1721 ad heredes Sancii Celaja spectare, quia ubi de donatione legati pii mere laicali agitur, Episcopi consensus non requiritur. Ex possessione vero, qua ab octobri 1721 usque in praesens iuspatronatus et bona perenniter absque interrupta temporis continuatione Sancii Celaja heredes et successores potiti sunt, praescriptionem talem emergere concludit, a qua recedere non licet, utpote declarativa, voluntatis disponentis. Erit post haec EE. VV. definire dubium:

An, et quomodo sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse infirmandam; retento onere Missae quotidianae, et Episcopus curet capi inscriptionem hypothecariam pro eiusdem securitate ac implemento. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 180-197].

4176.

S. C. C., *Herbipolen.*, 18 iun. 1859.

Dilata fuit resolutio huius causae die 24 aprilis 1858, [2] et iussum, ut coadiuvarentur probationes iuxta instructiones dandas. Quapropter novus fuit ab Episcopo processus instructus.

Comitissae Defensor modo quoque sustinet mulierem raptam fuisse invitam, ut ex testibus et ex tota factorum congerie evincitur. Obiecta vero sponsalia nullimode probantur; et licet probarentur, non tamen exinde probatio raptus imminueretur, cum mulier in matrimonium et abductionem dissensisset. Posito vero raptu, ex S. Synod. Trid. cap. 6, Sess. 24, *de ref.*

[1] Cf. N. 4181.
[2] Cf. N. 4162.

matrim., inter raptorem et raptam quamdiu in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Testes autem recitat, qui perhibent, puellam matrimonio restitisse, petentem, ut quocumque pignore ad matrem reduceretur: at Guillelmum quandoque blanditiis, saepe etiam imperio et minis respondisse; ac teste Gebler « tutto il tempo dal ratto fino allo sposalizio fu la Contessa sotto la guardia del Barone, nè ebbe un momento di sua libera volontà »; alio vero teste ipsa aperte dissensit iis verbis: « Il Vescovo non è mia madre, e senza la benedizione della madre non isposo alcuno ». Demum quamquam aliquot mensibus ultra quinque annos coniuges cohabitaverint, diuturnitas temporis obiici non potest, quamdiu rapta in raptoris potestate manserit: atqui Comitissam in viri potestate usque ad fugam perpetuo versatam fuisse ambigi non potest, et a nemine denegatur.

Matrimonii vero Defensor urget, ad constituendum raptum, uti impedimentum dirimens, necessario requiri extrinsecam et physicam violentiam, cum raptus verissime dicatur violenta mulieris abductio de loco in locum ineundi matrimonii causa. In casu autem sustinet, non probari indubiis argumentis verum raptum, seu violentiam physicam admissam in abducenda Comitissa; accedere insuper ad excludendum raptum sponsalia inita inter Gisellam et Guillelmum. Ex dictis, ita prosequitur, cum pateat, verum raptum, seu violentam mulieris abductionem non extitisse, vel saltem non probari: nihil esse de loco, tempore ac separatione disputandum. Sed supposita etiam initiali existentia raptus, de eius purgatione nulla adesset dubitandi ratio: non defuit siquidem locus tutus, non defuit libertas, non defuit separatio Baronis a Comitissa. Denique monet, in re gravissima, de qua agitur, fidem accommodandam non esse testibus consanguineis, domesticis et Iudaeis, utpote suspectis. Hinc redit dirimendum dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, firmis remanentibus iuribus filiorum prout et quatenus de iure. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 206-222].

4177.

S. C. C., *Asculana*, 30 iul. 1859.

Cum increvisset animarum numerus in Paroecia Ecclesiae Cathedralis Asculanae, cl. me. Card. Archetti Episcopus tres Capellanias curatas eiusdem Paroeciae supprimere ac earum vice tres ecclesias in suburbiis Civitatis Asculanae existentes in parochiales ecclesias erigere satius duxit. Gratia vero a Pio VII accepta, habito patronorum consensu, parochiales mansiones erigi iussit apud ecclesias SS. Ap. Philippi et Iacobi, necnon S. Bartholomaei. Modernus vero Episcopus rogantibus praedictarum ecclesiarum Capellanis Curatis, die 31 augusti 1858 decretum tamquam Delegatus Apostolicus tulit, quo praedictis Capellanis facultatem tribuit, ut in posterum parochiales functiones omnes exercerent, addens quod titulum *di Vicarii Curati* assumerent. Hanc dispositionem gravate tulerant Canonici Cathedralis vel quia ipsis inconsultis decretum fuerat prolatum, vel quia nullius utilitatis illud auspicarentur. Cumque in irritum cessissent officia penes Episcopum, ad Sac. hanc Congregationem convolarunt postulantes praefati decreti irritationem, ne iura ac praerogativae Ecclesiae et Capituli violarentur, addita protestatione pro omnibus damnis, titulis, proventibus, iurisdictionibus, etc.

[1] Cf. N. 4178.

Requisitus de more Episcopus votum Promotoris transmisit, suumque decretum tuetur ex populi necessitate et utilitate. Pari modo Promotor fiscalis Ordinariis vindicat facultatem novas Paroecias instituendi etiam invitis Rectoribus prioris Ecclesiae, si hoc evidens utilitas suadeat vel necessitas exigat. cap. *Ad audientiam, de eccl. aedific.*, Conc. Trid., Sess. 7, cap. 6, 7, et Sess. 21, cap. 4, *de ref.* Atqui de evidenti utilitate vel etiam necessitate dismembrandi ab Ecclesia Cathedrali Asculana Capellanias Curatas extra moenia Civitatis erectas ac eas speciatim, quae maiorem populi partem complectebantur, novasque Paroecias erigendi, tribuendique Capellanis Curatis SS. Ap. Philippi et Iacobi, ac S. Bartholomaei parochialia iura ac libere Sacramenta fidelibus ipsis subiectis administrandi, haud ambigi valet. Quandoquidem necessitatem hanc recognovit et adprobavit usque ab initio saeculi Pius VII, ac multo magis haec vim hodie habet, quod animae increvere, ac fideles a dissitis partibus coguntur pueros in lucem editos ad Cathedralem Ecclesiam ducere, ut sacris aquis renoventur, item transferre cadavera in remotum publicum coemeterium. At sola moenium divisio quandoque sufficiens videtur causa pro dismembratione. Quodsi in unione vel dismembratione peragenda vocatio interesse habentium de forma requiritur, animadvertere hic oportet, iam adesse pontificium breve, cuius vigore praedictae Capellaniae Curatae poterant supprimi et eorum vice Paroeciales ecclesiae erigi. Demum vocatio Capituli et Canonicorum non videbatur necessaria, cum ipsi nullum ius haberent nominandi vel Vicarium perpetuum vel Capellanos Curatos. At si defuit parochianorum vocatio, ea ab usu penitus inolevit; et si de Archidiaconi consensu non constat, non ideo concedendum Canonicis insurgere.

Contra tamen Canonici monent, Civitatem Asculanam loco valde amoeno ac omnino plano sitam esse; ecclesiam S. Bartholomaei muris ipsius Civitatis adhaerere et ecclesiam SS. Philippi et Iacobi nec unum milliarium ab Matrice Cathedrali Basilica àbesse: idcirco nullam prorsus causam dismembrationis repeti posse ex locorum asperitate ac magna distantia, cum in casu omnino exulent. Quidquid porro sit de parochianorum augmento, per tres ex dictis Capellanis a Card. Archetti extra muros constitutos satis, abundeque singulis parochianorum necessitatibus consultum fuisse, ita ut quovis destituta legitimo titulo censeri debeat praedicta dismembratio. Aliud nullitatis caput ex omissa iuris solemnitate repetunt. Evincunt enim onus Parochum dismembrandae Paroeciae audiendi per citationem. Non fuisse insuper auditos vel citatos Capitulares et Archidiaconum, prout fieri omnino debuisset, cum cura habitualis penes utrumque resideat, quo in casu solius Vicarii perpetui consensus haud sufficit. Quin officiat ad dismembrationem in actu s. visita-

tionis et tanquam Delegatum Apostolicum Episcopum processisse: huiusmodi enim praerogativam ab adhibendis iuris solemnitatibus haud eximere tenent Doctores. Verum citra etiam ius super habitualitate curae Capituli, nihilominus consensum fuisse exquirendum in negotio dismembrationis sensit S. C. in *Anconitana*, 30 aprilis 1803.[1] Proponitur dubium:

An decretum dismembrationis sustineatur; seu potius sit locus reportationi eiusdem decreti, reintegrationi favore Matricis et restitutioni emolumentorum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, exclusa restitutione emolumentorum bona fide perceptorum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p, 273-282].

4178.

S. C. C., *Herbipolen.*, 27 aug. 1859.

Die 24 aprilis 1858 dilata,[2] die vero 18 iunii proximi[3] resoluta fuit haec causa. Ad tramites vero Benedictinae constitutionis[4] sui muneris esse duxit sacri vinculi Adsertor novae audientiae beneficium implorare, eoque obtento causa de consensu partium hodie repropronitur. Confidit autem mulier confirmatam undique iri editam resolutionem, urgetque propitio responso addi clausulam: *et amplius*. Et quoad susceptam prolem instat firmum servari editum responsum etiam in ea parte, qua aequitate ac prudentia duce declaratum est integra manere filiorum iura debere. Id siquidem apprime consonum dicit cap. *Cum inter*, 2, *qui filii sint legit*. Matrimonii vero Defensor nova argumenta non affert. Datur definiendum dubium:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 325-332].

4179.

S. C. C., *Pampilonen.*, 17 sept. 1859.

Claudius Vera sacerdos, in ecclesia parochiali S. Laurentii civitatis Pampilonensis capellani munere fungens, licitae venationi operam dans, ex igneae ballistae disruptione adeo laesus fuit in laeva manu, ut brachium eidem fuerit amputandum.

Dispensationem ab irregularitate pro eo instanter postulat Episcopus, extremam allegans tum illius, tum duarum eius sororum nobilium et parentibus orbatarum egestatem, quibus ipse sive ex Missarum eleemosyna, sive ex lucro e venatione quaesito alimenta hucusque comparabat.

[1] Cf. N. 3916.
[2] Cf. N. 4162.
[3] Cf. N. 4176.
[4] Cf. N. 318.

Cum eidem Episcopo remissae fuissent preces, ut peracto experimento referret accurate ac distincte quomodo expleantur a sacerdote Vera singulae rubricae absque irreverentiae periculo, utrum brachium fictitium adhibeat, et sit periculum admirationis in populo, retulit Episcopus facto experimento: « Claudius Vera satis expedite singulas rubricas explet; sed ad avertendum omnino irreverentiae periculum conveniens erit, ut aliquo tempore, usquedum exercitatior evadat, Missas celebret cum assistentia alius sacerdotis, et etiam digito cordis utatur ad fractionem hostiae, quae super patenam facienda est, et insuper ad communionem vel pectus tundat hostia super patenam posita, vel ea cum manu dextera accepta, tantum proferat verba "Domine non sum dignus" sine pectoris tunsione. Quamvis ad praesens brachium fictitium non adhibeat, tamen in parte, quae remanet, potest induere manipulum, et etiam in eo est, ut manum fictitiam adhibeat; iis servatis credo populum nihil miraturum esse, si eum celebrare videat ».

Cum non agatur de promovendo, sed de iam promoto, seu de sacerdote dispensando, qui casu fortuito in irregularitatem incidit, mitius agere ac dispensationem facilius concedere solet S. Congregatio, ceu articulo discusso definitum fuit in *Comen.*, 8 apr. et 6 maii 1775.[1] Hinc plura afferri possent exempla huiusmodi dispensationum, etiam non concurrente sacerdotum penuria, indultarum. Ita in *Cameracen.*, 20 ianuarii et 17 februarii 1821[2] presbytero, cui in sinistra manu pollicis pars anterior deerat, concessa fuit dispensatio. Idemque exemplum occurrit in *Apuana*, 8 maii 1824 proposita inter supplices libellos pro sacerdote, cui duo digiti manus sinistrae, index et pollex, amputati fuerant. In themate autem accedit extrema sacerdotis Vera paupertas, de qua testatur Episcopus, et causa officii ac pietatis erga sorores suas extrema pariter egestate laborantes, qua ipsemet tenetur.

Ceterum praecipit ut plurimum S. Congregatio in concedenda dispensatione super corporis defectu, ut dispensatus celebret cum assistentia alterius sacerdotis, vel etiam in oratorio privato, aut in publica ecclesia, sed hora minus a populo frequentata. Ast cum de prima conditione loquatur Episcopus, de altera silet; ac dubitandum forte esset, quod Orator ad celebrandum in publica ecclesia et pro populi commoditate sui officii ratione tenatur. Ubi vero periculum admirationis procul absit, ceu videtur in casu, haec postrema conditio praetermitti poterit. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ac rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dummodo Orator adhibeat brachium fictitium et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi in oratorio privato, vel etiam in publica ecclesia, sed hora minus a populo frequentata, pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

[Per summaria precum a. 1859].

[1] Cf. N. 3792.
[2] Cf. N. 3971.

4180.

S. C. C., *Milevitana*, 17 dec. 1859.

Die 12 aprilis 1842 Petrus Caruana annos natus viginti in Paroecia S. Pauli Naufragi Civitatis Vallettae Melevitanae Dioecesis matrimonium celebravit cum puella Maria Agius, quae vix decimum sextum aetatis annum attigerat. Post menses octodecim a contracto connubio sponte coniuges sese ab invicem separarunt, et ineunte anno 1845 Petrus iudicialem produxit libellum penes Archiepiscopalem Curiam, quo postulabat, ut nullitas declararetur matrimonii a se contracti eo, quia Maria Agius vitio perfecti hermaphroditismi laboraret, et in sexu potius maschili esset conformata.

Instructus itaque et ad longum quidem tempus productus fuit processus actorum a Curia Archiepiscopali ad normam Benedictinae constitutionis *Dei miseratione*: [1] deputatus nempe Defensor matrimonii ex officio, qui singulis actis adfuit, et acciti plures periti, qui de peracta inspectione retulerunt aliaque absoluta, quae opus videbantur. Post quae die tandem 10 octobris 1853 Iudex ille definitivam protulit sententiam, qua pronunciavit: *Matrimonium in Parochiali ecclesia D. Pauli Naufragi die 12 aprilis 1842 a Petro Caruana et Maria Agius contractum ob paritatem fere sexus et malam corporis conformationem dictae Mariae Agius fuisse et esse nullum, et numquam copulari potuisse*. Cumque ab hac sententia ad S. Sedem appellationem pro sui muneris ratione interposuisset Defensor matrimonii, placuit SS̃mo D. N. causam cognoscendam demandare huic S. Congregationi, ita tamen, ut oeconomice, attenta partium paupertate, pertractaretur, scilicet cum voto Theologi et Canonistae, necnon animadversionibus Defensoris matrimonii ex officio. Quibus mature perpensis rogantur EE. VV. resolvere dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 118, p. 442].

4181.

S. C. C., *Pinnen.*, 28 apr. 1860.

Resoluta fuit haec causa die 14 maii 1859. [2] Implorata vero et obtenta ab heredibus et successoribus fundatoris nova audientia iterum in hodiernis comitiis causa disceptanda proponitur.

Heredum Defensor proposita iam semel argumenta repetit. Subinde leges sub annis 1807 et 1813 ab usurpatore in Regno Neapolitano latas, quibus constituebatur, ut bona beneficialia cederent *in piena proprietà de' legittimi patroni*, utpote ab illegitima potestate conditas nullius momenti in re ecclesiastica animadvertit, nisi inquantum easdem Apostolica Sedes confirmaverit. Haec vero in Conventione anno 1818 cum utriusque Siciliae Rege inita pro bono pacis etsi ratas habuerit alienationes fundorum beneficialium sub art. 13, non omnes tamen alienationes quocumque tempore sequutas, sed solum illas, quae evenerunt *sub militari regimine*. Cum itaque *militare regimen* initium habuerit anno 1806, ergo alienatio fundorum Beneficii Sterlich, quae accidit sub anno 1802, comprehendi nequit sub sanatoria in praedicto articulo eiusdem Conventionis impertita. Porro Hippolyta Celaja, quae Beneficii praedium in filiae dotem constituit, neque *legitima patrona* erat, prout fuse in praeterita allegatione probatur. Ceterum post initam cum Apostolica Sede Conventionem, Rex solemne decretum edidit die 28 iulii 1818, quo declaratum fuit: *Le disposizioni della citata legge del 1807 e de'citati decreti del 1808 e del 1813 per quanto riguarda l'abolizione de'patronati, sono interamente abrogate*. Neque illa bona praescriptione acquiri potuerunt, quia possessio nonnisi per 36 annos comprobaretur, et quia defuit bona fides. Ceterum neque ex amovibilitate Beneficii eiusdem bona revocari potuerunt, quia ex communi usu per *Beneficium amovibile* non iam ipsius Beneficii revocabilitas venit, sed removibilitas tantum Capellani. Perpetuitas autem Beneficii in casu eruitur ex verbis decreti erectionis, quo Antistes edixerat: *auctoritate nostra ordinaria... beneficium... erigendum duximus, prout tenore praesentium erigimus*, quia Beneficium ita erectum ecclesiasticum ac proinde perpetuum est.

Gaudiosi vero Defensor Beneficium extinctum esse modo quoque sustinet ex eiusdem amovibilitate ac praetensa laicitate. Hisce positis erit EE. VV. dirimere dubium:

An, et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Recedendum a decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 175-183].

4182.

S. C. C., *Terracinen.*, 2 iun. 1860.

Archipresbyteratum ecclesiae oppidi *S. Felice* de iurepatronatus Rev. Camerae Ap. per decem fere annos possederat Sacerdos Ioseph Capponi, quum die 7 octobris 1854 a novo Episcopo praeceptum ei inditum fuit: *di ritirarvi nel Convento di questi PP. Trinitari Scalzi ed ivi dimorare in luogo di carcere fino a che non si sarà ultimato un processo di più delitti, che a nome del Fisco si va compilando da questa Curia a vostro carico*. Tandem ineunte februario anni 1855 ad Curiam abducitur, ibique rescriptum *ex audientia SS̃mi* relatum significatur, quo ipsius destitutio a parochiali Beneficio decernebatur. Destitutionem accepto habere Capponius renuit, immo vero solemnem de actus illegitimitate protestationem emisit cuiusvis se expertem criminis obtestatus. Romam tunc propere advenit, novitque rescripto illi causam dedisse relationem Episcopi ad Praefectum Aerarii datam, qua monebatur Capponium esse Parochum *amovibilem ad nutum;* causae dein ferebantur, quae Episco-

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. N. 4175.

pum ad petendam eius remotionem impellebant: *al mio arrivo in Terracina ritrovai un voluminoso processo di stupro con deflorazione commesso nella sagrestia della chiesa in persona di Maddalena Bianchi.* Quae cum noverit, ad hanc S. Congregationem supplex confugit Capponius flagitans nullam irritamque destitutionem declarari: siquidem neque *amovibilem ad nutum* se fuisse prolatis institutionis litteris asserebat, neque *ullum contra se processum* a Curia initum fuisse, neque criminis ullius reum ex testimonio conscientiae sese redargui.

Rogatus Episcopus brevem relationem exhibuit, qua contendit, nullatenus exaudiendum esse Capponium, quia Praebenda parochiali privatus cum fuerit ex oeconomica et extraordinaria Summi Pontificis sententia, nemini fas est contra eamdem impune vel reclamare vel iudicare.

Vicissim Capponius assumpto Defensore, legitimam deesse destitutionis causam suscipit demonstrandum, proptereaque reintegrationem ad Paroeciam et fructuum restitutionem concedendam protuetur. Legitimam, inquit, privationis Beneficii praesertim parochialis, causam adesse, cum de pravis quispiam moribus redarguatur, affirmari plane non potest, si trina deficiat canonica monitio, quam iubet Sac. Synodus Trid. in Sess. 25, cap. 14, *de ref.* Atqui neque sub antiquo, neque sub novo Episcopo ulla praemissa fuit monitio, sed repente destitutio decreta absque processu et absque defensione. At causam quamlibet defuisse subdit ad primam quoque monitionem infligendam. Complures enim testes e processibus eductos profert, qui mores eius vitaeque consuetudinem fusis laudibus sunt prosequuti. Sed duo Sacerdotes eius aemuli famam ipsius lacerarunt. Duo sunt processus, de quibus in relatione Episcopi: alter de praegnatia nubilis puellae Magdalenae Cerilli, alter de defloratione puellae Magdalenae Bianchi. Sed in primo illico enituit calumnia ex decreto ab Curia incunctanter edito, auditisque testibus patuit calumniae origo ab suggestionibus Sacerdotum aemulorum. Alterum vero ipsemet Capponius provocavit emissa *diffamationis et calumniae* adversus eosdem aemulos et Magdalenam Bianchi. Calumniam vero ab ore mulieris comprobari testante viro: « Mia moglie è matta; *prima* disse che era stato l'Arciprete, ed *ora dice* che chi ce la fece, è morto ». Quod postremo omnem eliminat scrupulum, factum est, inquit, publicae solemnisque retractationis ab ea in ecclesia emissae, dum spiritualia agebantur exercitia. In aestu enim fervoris, cum populum Sacer Orator magis magisque inflammaret, e loco suo alacrem confugisse Magdalenam in presbyterium uno ore decem testes narrant, ac primum ad pedes Archipresbyteri provolutam rogasse, ut sibi ignosceret, dein conscendisse super ambone et maximo cum fletu clamasse: *quello che dissi, non è vero niente*, indeque adhuc madentem lacrymis descendisse. Hisce positis reintegrationem et restitutionem fructuum sibi concedendam esse concludit ex litterali textu cap. *Conquerentem*, 7, *de restit. spoliat.* Se vero non *amovibilem* fuisse ostendit ex Camerae Ap. litteris nominationis, in quibus legitur: *nominiamo e deputiamo stabilmente lo stesso Sacerdote D. Giuseppe Capponi Arciprete della chiesa suddetta, ecc.* cui institutionis ab Ordinario datae cohaerent litterae, necnon solemnis possessionis actus. Proponitur itaque dubium:

An constet de causis remotionis a Paroecia, seu potius sit locus reintegrationi et restitutioni fructuum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem; dilata ad secundam, et reproponatur in prima post proximam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 260-266].

4183.

S. C. C., *Lauden.*, 7 iul. 1860.

Habitualis cura animarum in Cathedrali Laudensi residebat olim penes Capitulum, actualis vero exercebatur a Canonico, qui Praepositi nomen praeseferebat. Porro in funeribus et exequiis, quibus Canonici capitulariter interesse solerent, parochialia emolumenta Capitulum sibi quaerebat. Res ita se habuit, usque dum civilis potestas sub exitu saeculi superioris et subsequentis initio sese desuper hisce in rebus immiscuit. Tunc factum est, ut translata cura animarum ad primam Capituli Dignitatem seu Archipresbyterum, coeperit agi quaestio, utrum Paroeciae habitualitas in Capitulo inesse pergeret, et funeralia illa emolumenta ad idem Capitulum, an vero ad Archipresbyterum pertinerent. Hodiernus Episcopus extraiudicialia quaedam de controversia decreta tulerat, quibus primum Archipresbytero favere videbatur, ast haec per novissimum decretum diei 14 iunii 1856 revocavit, ac postmodum instante Capitulo preces obtulit huic S. Congregationi, *acciò sia deciso, se realmente abbia o meno a sussistere la parrocchialità abituale anche in questo, come in altri Capitoli, e se in forza di essa spetti al medesimo il diritto dello spoglio della cera ogni volta che viene chiamato a fare esequiali e solenni funzioni.*

Denegat Archipresbyter penes Capitulum adhuc esse habitualem animarum curam. Septuaginta enim circiter anni sunt praeterlapsi, ex quo a laica potestate parochialitas Capitulorum suppressa fuit, quin ullum iam indicium supersit, quod in Capitulo parochialitatem habitualem ostendat: non sane Vicarii praesentatio, non applicatio Missae pro populo, nulla onerum participatio, idque genus similia, quae expenduntur in *Marsorum*, 30 ianuarii 1830.[1] Subdit insuper se plena et omnimoda parochiali iurisdictione gaudere, seque Paroeciam suscepisse undequaque liberam prorsusque immunem a cuiuslibet generis dependentia, quare nec verbum quidem de iure Capituli quoad habitualitatem in bullis suae canonicae institutionis reperiri. Unde contendit, nullum ius esse Capitulo percipiendi emolumenta quaelibet parochialia, eo minus, quae in funeribus obvenire solent. Haec profecto sunt eius, cui incumbit animarum cura: Clement., *Dudum, de sepultur.* Debentur enim propter Sacramenta seu onus in eorum administratione subeundum. Postulat demum ipsa aequitas, ut qui onera sustinet et incommoda, commoda pariter et emolumenta percipiat.

[1] Cf. N. 4027.

Ex adverso Capitulum pro certo habet adhuc se habituali animarum cura potiri. Hanc quidem insedisse in Capitulo ad annum usque 1791 extra controversiam positum est, fatente etiam Archipresbytero. Iam vero ab eo tempore nullum proferri potest instrumentum, ex quo constet vel Capitulum istiusmodi iuri nuncium misisse, vel ipsum a legitima auctoritate sublatum fuisse. Quae vero iactantur civilis potestatis mandata, quaecumque demum ea sint vel esse possint, Capitulum arbitratur, nihil ipsa conficere, siquidem civilis potestas in rebus ecclesiasticis nihil habet auctoritatis. Porro nihil obstat, quod penes unum sit cura habitualis, penes alterum actualis. Inde vero nullum paratur impedimentum libero exercitio parochialis officii: etenim constituto Vicario perpetuo, quocumque demum hic titulo decoretur, nefas est ei, penes quem residet cura habitualis, sese immiscere in quibuslibet Paroeciae muneribus exercendis: S. C. in *Bovinen.*, 27 maii 1820.[1] Quare non obstant bullae, quas Archipresbyter obtinuit: neque praescriptio, quae sine titulo induci non potest: cap. *Si diligenti, de praescript.* Vindicato autem iure parochialitatis habitualis, etiam emolumenta funerum, seu *lo spoglio della cera* Capitulum ad se pertinere contendit, tum ex longissima, pacifica, cunctisque numeris absoluta consuetudine, quae pro se viguit, adversa parte non denegante, ad annum usque 1791, tum ex Conciliis provincialibus ac Synodis dioecesanis, in quibus sancitum est, ut in funeribus et exequiis consuetudines observarentur contumacesque ab Episcopo omni iuris remedio compellerentur: Conc. Provinc. Mediolan. II, par. 3, dec. 17 et 1 tit., *de funer.;* Synod. Lauden. I, *de fun.*, pag. 52. Nec huiusmodi consuetudinem dici posse subsequente tempore infirmatam et abrogatam, cum actus adversus eam legitime praescripti non producantur. Nec adversarium quidquam proficere, quando admonet, emolumenta funeralia deberi Parochis ob Sacramentorum administrationem, interque iura pastoralia recensenda esse; hoc enim, etsi in genere verissimum sit, non comprobatur tamen, si contraria vigeat consuetudo. Hisce expositis dignentur EE. PP. dirimere dubia:

I. *An cura habitualis Parochialis et Cathedralis Ecclesiae Laudensis sit penes Capitulum in casu?*

II. *An, et ad quem spectent candelarum et intorticiorum reliquiae in funeribus, quibus Capitulum collegialiter interest in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative favore Capituli iuxta modum ab Ordinario de bono et aequo statuendum, auditis interesse habentibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 338-346].

4184.

S. C. C., *Spoletana*, 7 iul. 1860.

Novissime suborta est controversia inter Archiepiscopum Spoletanum et Antonium Bisinium Parochum S. Donati Leonissae Spoletanae Dioeceseos ex poena suspensionis die 26 septembris anni p. p. eidem irrogata ob

[1] Cf. N. 3968.

pertinaciam retinendi in suo famulatu iuvenem puellam infra aetatem synodalem.

Refert Archiepiscopus: « Iam a mense ianuarii currentis anni mihi ex Leonissa pervenerunt querimoniae contra Sacerdotem Antonium Bisini Parochum S. Donati in dicta Civitate ob feminam vix quadrilustrem de sua fama et honore valde suspectam, quam Parochus solam retinebat propriae domi in qualitate famulae cum publica populi admiratione et scandalo. Post monitionem paternam inutiliter elapso designato termino pro mulierculae dimissione declaravit Bisinius, nolle praedictam famulam e domo eiicere; et interim obloquutiones, murmurationes ac scandala ita augebantur, ut fuerim coactus cum epistola diei 19 elapsi februarii eum pro prima vice monere praesentibus Rev. Sacerdotibus Hyacintho Canonico Ettore et Cyrillo Olivi. Ab omni subordinatione et obedientia alienus Bisinius primum monitorium irrisit. Scandalo et murmuratione percrebescentibus, per aliam epistolam sub datum 4 decursi maii, quam reseratam ei consignavit Cancellarius Curiae ecclesiasticae Leonissae, Rev. D. Sylvester Canonicus Mariani die 9 eiusdem mensis, secundo monui Bisinium, novumque eidem adsignavi terminum ad famulam expellendam: sed aequali successu, quia infrunito animo in contubernio voluit pertinaciter perseverare. Quapropter sub die 16 proxime elapsi septembris fuit ultimo et perentorie monitus, prout ex Vicarii Generalis ordine et Cursoris relatione, quorum copiam transmitto. De praecedentibus monitoriis constat ex mei Vicarii Generalis attestatione, cuius copia exhibetur. Perentorio termino novissimo in monitorio dato infructuose praetergresso tandem suspensio inflicta ac Bisinio per Ecclesiasticae Curiae Cursorem denunciata die 26 decursi mensis septembris, prout apparet ex relativo actu, cuius copiam transmitto. Eadem die Bisinius meo Vicario Generali notificavit appellationis actum, cuius copiam exhibeo. Qua provocatione fretus, suspensione posthabita continuavit et adhuc perseverat in Sacro faciendo ceterisque ecclesiasticis functionibus peragendis cum universali Cleri populique admiratione. Indubium porro est, omnes monitiones ad Bisinii cognitionem pervenisse. Cum contra acta ab Ecclesiastica Curia ad Sacrum istum Ordinem Bisinius provocaverit: ideo omnia fideliter transmitto, ut iudicium quam cito fieri potest, reddatur, ut ita scandalum demum cesset ».

Hisce acceptis literis die 16 novembris eiusdem anni Archipraesuli rescriptum fuit, appellationem a Bisinio interiectam servandam esse in devolutivo tantum, idque Bisinio ipsi significatum, ut iura sua coram hac S. C. praefinito temporis spatio deduceret. Tametsi Archiepiscopus huiusmodi mandata adamussim peregisset die 1 decembris, nihilominus Bisinius subsequentibus diebus 2 et 3 nedum Sacrum publice celebravit, sed et alias functiones parochiales exercuit.

Plura fuere capita, quibus trinam monitionem Bisinio factam Archipraesul innixam voluit, quaeque ab ipso memorantur suis literis: ac nominatim secreti sacramentalis infractio, disquisitio nominis complicis in peccato turpi, negligentia in parochialibus muneribus obeundis, et gravis in populo famae suae laesio. At vero praecipuum caput extitit cohabitatio cum iuvene ancilla,

quae a synodali quadraginta annorum aetate plurimum abest. Recriminationum omnium, de quibus Bisinius insimulatur, veritatem probationemque fundat Archiepiscopus fide octo testium, quos inter tres sacerdotali charactere praediti sunt, qui a Vicario Generali, adstante Cancellario episcopali, examinati fuere. Quod vero pertinet ad cohabitationem cum muliere, de qua agitur, ex his quinque viri peculiariter testantur Bisinium cum ea solum diu noctuque inhabitare. His accedit mulier octava testis, quae perhibet aliquo tempore apud Bisinium famulatum se exercuisse. Cum tamen de pudicitia ab eodem pertentata nefariis Bisinii cupiditatibus morem gerere omnino renuisset, ex eo tempore male eam tractare suscepit, atque adeo vel minima arrepta occasione verberibus afficere, ita ut eius domum deserere coacta fuerit.

Bisinius multa attulit documenta, quibus se suaeque vitae rationem purgare nititur. De neglectu parochialium munerum malaque vita testimonia promit, quae contrarium porro comprobant; sed haec omnia datam exhibent anni 1856. Praesertim vero de puella, qua ancilla ipse utitur, fidem profert viginti circiter testium nomine communitam, quod *Teodosinda Deangelis* (ancilla scilicet) *a noi ed al Regio Giudice ha costantemente mantenuto carattere e fidatezza, degna però a preferenza dell'encomio, che a pubblica voce tuttora riscuote.* Sed optandum fuisset, ut Bisinius magis perspicue sese expressisset in hac re magni momenti, atque adeo adsertum suum legitimis probationibus confirmasset; nam ceteroquin 5 superius memorati testes testificantur, ipsum reapse solum cum eadem puella convivere, indeque manare in populum admirationem non levem et scandalum.

De Parochorum cohabitatione cum mulieribus fuse tractat Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 80. Parochis minime vetitum est ex praesenti Ecclesiae consuetudine ac disciplina unam vel duas ancillas in suum famulatum conducere. Attamen constare debet Parochum opera alicuius ancillae necessario indigere; opus est etiam, ut Parochus virtutis fama, ac praesertim honestatis erga famulas opinione palam commendetur; honestae simul esse debent mulieres ad servitium accitae. Sacri canones famulae aetatem minime praefiniunt, sed communiter Synodorum sanctiones ad quadraginta annos coercent. Quae vero poena sequatur violatores huiusmodi disciplinae, non loquitur laudatus Pontifex, neque vulgo Doctores; cum tamen nulla lex absque sanctione valeat consistere: reliquum est, ut eadem prudenti Episcopi arbitrio sit relicta. Hac de re factum esse colligi potest, quod Spoletanus Archipraesul suspensionis censurae irrogandae manum apposuerit, in eaque irroganda canonicam formam non neglexit. Demum nemo nescit eum, qui suspensione detinetur, si officium, quod illi fuit interdictum, exercere praesumpserit, in irregularitatem incidere. Hisce positis EE. VV. dignentur definire quae sequuntur dubia:

I. *An, et quomodo sustineatur suspensio in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An constet de irregularitate a Bisinio incursa in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative in omnibus et amplius.

Ad II. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 331-338].

4185.

S. C. C., *Venetiarum*, 28 iul. 1860.

Ioannes Baptista Dabalà Venetus viduatus uxore novas contraxit die 3 februarii anni 1855 nuptias cum aeque suo viduata viro Maria Catharina Conti; quam cum ad opus maritale impotentem ob eius arctitudinem expertus esset, continuo apud Patriarchalem Venetiarum Curiam iure iudicioque egit, ut nullum huiusmodi matrimonium declararetur.

Confecto ad normam Benedictinae constitutionis *Dei miseratione* [1] processu, periti, qui mulierem inspexerunt, concluserunt: *Per vizio del diametro antero-posteriore del distretto inferiore della piccola pelvi, per angustia e ristrettezza dell'apertura valvo vaginale, per cortezza del perineo, per brevità dello spalto valvario mai ebbe, nè potrà aver luogo la congiunzione maritale. L'impotenza della Conti è certa, permanente, perfetta, assoluta, congenita ed irremediabile.* Quare die 20 maii 1859 lata fuit sententia huiusmodi: « Matrimonium contractum inter Ioannem Baptistam Dabalà et Mariam Catharinam Conti esse nullum ex capite impotentiae absolutae ipsius mulieris: ac proinde liberum esse eidem Dabalà Ioanni Baptistae, postquam omnia praescripta a constitutione *Dei miseratione* Benedicti XIV adamussim adimpleta fuerint, ad alias nuptias transire, ad quas ipsi libuerit, dummodo aliud impedimentum non obstet; e contra Mariam Catharinam Conti incapacem esse cuiuscumque alterius matrimonii ».

Cum appellatio ab hac sententia interposita fuerit a Defensore matrimonii ex officio ad S. Sedem, SSmus D. N. causam ad hanc S. Congregationem oeconomice pertractandam remisit.

Adnexa *folio* habent EE. PP. vota Theologi et Canonistae ac animadversiones Defensoris matrimonii ex officio. Quibus mature perpensis diriment dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 358-385].

4186.

S. C. C., *Vercellen.*, 28 iul. 1860.

Clericus Egidius Ferraris archidioeceseos Vercellen. sacrae theologiae curriculo eo in seminario iam absoluto cuperet ad sacros conscendere ordines, a quibus aegre repellitur ob visivae facultatis defectum. Hinc, ut quod ordinario ei interdicitur iure, gratia saltem consequatur, supplicem Sanctissimo obtulit libellum, exposcens veniam super praefata irregularitate facultatemque, ut omnibus ordinibus initiari possit, atque ut ob dictum defectum sibi

[1] Cf. N. 318.

liceat diebus festis et duplicibus missam votivam B. M. V., semiduplicibus vero et ferialibus missam defunctorum celebrare. Re ad H. S. O. remissa literae datae sunt Archiepiscopo Vercellen., ut peracto experimento referret, an agatur de simplici debilitate visivae facultatis vel de alio graviori defectu, quod sacris praebeat impedimentum vel periculum admirationis in populo, necnon de necessitate seu utilitate Ecclesiae ex Oratoris promotione ad ss. ordines obventura.

Archiepiscopus porro suo demandavit caeremoniario examen praefati clerici Ferraris. Ex illius autem attestatione colligitur « clericum ex defectu visivae facultatis, qui simplici sed gravi debilitate producitur, in missali legere non posse, at actus sacrosancti sacrificii bene perficere valere, quia videt calicem, patenam, hostiam et pallam ». Suam dein Archiepiscopus pandens sententiam: « Ratione habita, inquit, penuriae sacerdotum hodierno tempore necessarium et utile erit, ut Orator non obstante defectu visivae facultatis ordines suscipiat. Praeterea cum Orator iam cursum studiorum theologicorum consummaverit, ob aetatem et defectum enuntiatum, si non ad ordines admitteretur, prorsus nesciret, quam vitae rationem institueret. Quam ob rem eum pro gratia dispensationis commendo ».

Quod necessitate Ecclesiaeve utilitate suadente soleat haec Sac. Congregatio supra irregularitates dispensare, comperta res est. Verum enimvero neminem praeterit, eam dispensationes facilius indulsisse, ubi res erat de sacerdote iam promoto, quam ubi ageretur de clerico promovendo; quo in casu pluries huiusmodi veniam haud est elargita, uti videre est in *Neapolitana*, 17 septembris 1814;[1] qua praecise exposcebatur facultas ad ss. ordines promovendi acolythum Dominicum De Paolis, qui ob nervorum opticorum imbecillitatem vix lucem a tenebris secernere pollebat, quamvis aliunde omnia ad sacrum missae sacrificium spectantia absque scandalo populique admiratione persolveret, ipsumque admodum commendarent et boni mores et scientia sacra et utilitas Ecclesiae, prout ex Episcopi informatione eruitur.

Ceterum et plura prostant exempla, quibus quoque cum clerico promovendo dispensatum fuit: potissimum, cum scientia morumque probitate polleret, nec non de utilitate vel Ecclesiae necessitate constaret.

Quatenus EE. VV. censeant cum Oratore dispensandum, videant, utrum saltem cum alterius sacerdotis assistentia debeat ipse sacrum facere, quamvis missam votivam vel defunctorum celebret, prout exposcit. Quaeritur:

An, et quomodo dispensatio concedenda sit in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Non expedire.

[Liber 203 Decretorum, p. 1709].

4187.

S. C. C., *Triventina*, 18 aug. 1860.

Datae sunt preces nomine Capituli Ecclesiae Collegiatae loci *Capracotta*, ut proponeretur quaestio super onere, quo Canonici tenentur coadiuvandi Parochum Archipresbyterum in exercitio curae animarum. In literis enim

[1] Cf. N. 3943.

apostolicis erectionis ipsius Ecclesiae Collegiatae mandatum legitur expresse: *ut autem laboriosum officium curae animarum ab Archipresbytero Parocho uberiori semper fructu sustineatur, Primicerio et Canonicis praedictis onus adiuvandi eumdem Dignitarium Curionem eadem, qua reperitur, ratione, simili auctoritate perpetuo etiam iniungas.*

Rogatus pro informatione Episcopus, ratus est inaudito Capitulo Statuta quaedam Capitularia conficere, quorum dispositione quaestio praefata et aliae quoque pendentes controversiae praeoccupabantur et omnia iuxta sententiam Archipresbyteri definita sunt, quorumque approbationem ad lites finiendas expetebat.

Capitulum e contra assumpto Defensore plura, allatis in facto et in iure monumentis et auctoritatibus, firmiter opponit. Ac primum valde conquestus super Statutis per Curiam Episcopalem cum Archipresbytero confectis inaudito Capitulo, ea tamquam attentata et laesiva iurium capitularium et controversiarum pendentium reiicienda omnino esse putat. Deinde ad controversiae meritum accedens observat, a Capitulo non iam absolute respui onus coadiuvandi Parochum, sed iis limitibus reservandum, quibus ante Collegiatae erectionem erat arctatum, cum literae apostolicae novum haud onus iniunxerint, sed illud servare visae sunt, quod prius erat in more: *eadem, qua reperitur, ratione*. Erit igitur EE. VV. prudentiae dirimere dubium:

An, et quomodo Primicerius et Canonici teneantur coadiuvare Archipresbyterum Parochum in exercitio curae animarum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta consuetudinem servatam ante erectionem Collegiatae constituta methodo in Constitutionibus a Capitulo infra sex menses conficiendis et ab Episcopo approbandis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 427-434].

4188.

S. C. C., 20 aug. 1860.

Circa Missarum eleemosynas interrogabatur S. Congregatio: Potestne Sacerdos curare, ut Missae manuales, quas a fidelibus undique celebrandas accipit, per alios celebrentur, retenta parte stipendii pro bono opere? Semper intelligitur Sacerdotes substitutos certiores fieri de partis retentione, et consensum libere dedisse. Orator arbitratur, non licere, et casum comprehendi in prohibitione const. Benedicti XIV, *Quanta cura*,[1] aliorumque pontificiorum decretorum. Sed cum aliquibus aliis secus videatur ex eo, quod de pio opere agatur, quaerit:

1. *Utrum Sacerdos, qui stipendio solito pinguius accepit, possit, in gratiam pii operis, alteri Sacerdoti ordinarium stipendium dare (quo substitutus cum omnimoda libertate contentus est), retinendo partem taxa ordinaria maiorem?*

[1] Cf. N. 311.

2. *Utrum Sacerdos possit sibi alium Sacerdotem substituere, ea lege ut aliquam partem stipendii ordinarii in gratiam pii operis determinati remittat?*

3. *Et quatenus negative in utroque casu, utrum Sacerdos ita agens ad restitutionem teneatur?*

4. *Utrum Sacerdos petens huiusmodi donationem debeat prius illi totum stipendium tradere?*

5. *Et quatenus affirmative, utrum Sacerdos aliter agens ad restitutionem teneatur?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Consulat theologos, praesertim S. Alphonsum, Tract. 3, De Sacramento Eucharistiae, *cap. 3; et Benedictum XIV,* De Syn. Dioecesana, *lib. 5, cap. 9, et eius constit.* Quanta cura, *eorumque sententiis se conformet.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1200].

4189.

S. C. C., *Aquilana*, 22 sept. 1860.

Vacante Paroecia Villae S. Angeli in Aquilana Dioecesi, quae iuripatronatus subest gentis Mignanelliae, hodiernus Patronus nominationem edidit favore Sacerdotis Aloysii Vespasiani, qui Canonicatu potiebatur in Ecclesia Collegiata S. Iustae in Civitate Aquilae; hic autem nominationem in Episcopali Cancellaria praesentavit, ut canonice institueretur. Quare solemniis de more expletis, nempe absoluto examine, quo plene approbatus fuit, et vulgatis edictis, cum nemo ad contradicendum comparuerit: sub die 31 decembris 1858 ad Beneficii provisionem absolvendam stetit in episcopali capella, ibique lecta per Cancellarium bulla collationis, data sub die 9 decembris 1858 investitus de Paroecia fuit ab Episcopo per impositionem bireti super eius capite recitata formula: « Investimus te de Praepositura Curata Villae S. Angeli per bireti tuo capiti impositionem praesentialiter genuflexum coram Nobis », et lecta demum fidei professione ad formam constitutionis Pii IV, *Iniunctum nobis*. [1] Verum postmodum mutato consilio, quin ad gregem sibi concreditum pergeret, instabat, ut ad Canonicatum redintegraretur in Ecclesia S. Iustae nondum de Rectore provisum, et quem legitime nunquam vacasse contendere coepit, quippe nunquam secuta alterius incompatibilis reali et corporali possessione, quae autem data fuerat in episcopali capella, nonnisi verbalis erat et extra ecclesiam Beneficii.

Tum Episcopus S. Ordini preces dedit, quibus casum exponens petiit quemlibet sanari defectum, si qui irrepserit in possessione praefata, *onde il nuovo Parroco si rechi subito alla sua Parrocchia e sia provveduto il Canonicato nella Chiesa di S. Giusta, dichiarandosi di essere legittimamente vacato dal 31 decembre 1858, epoca della investitura data della Parrocchia.* Et S. Ordo sub die 29 februarii 1860 literas ad Episcopum dedit, quibus declarabat *Canonicatum vacavisse per canonicam institutionem Ecclesiae Parochialis factam*

[1] Cf. N. 108.

favore Sac. Vespasiani, proinde procedi per ipsum posse ad provisionem vacantis Canonicatus; praefatum vero Sacerdotem teneri a die captae possessionis ad residentiam parochialem, et monendum esse, ut sese recipiat in locum Beneficii et consulat conscientiae suae quoad praeteritum; quodsi nihilominus residere detrectaverit, procedendum ab Episcopo esse ad formam ss. canonum contra Parochos non residentes. Hisce habitis Episcopus ad collationem processit Canonicatus favore Sac. Francisci De Angelis, qui etiam possessionem adeptus est sub die 6 martii labentis anni, admonuitque insimul formiter Vespasianum, ut ad residentiam parochialem se conferret sub censurarum comminatione ad formam ss. canonum. Ast cum laesum inde se existimaverit Vespasianus, ad S. hunc Ordinem confugit, ubi coactum se Antistitis Aquilani imperio ac minis ad Paroeciam occupandam enarrans et multa referens ut ab ea capessenda eximatur, concludit: *che voglia la Santità di N. S. degnarsi di reintegrarlo del suo Canonicato, che gode da circa 10 anni.*

Interrogatus Episcopus supradicta confirmat, suasque animadversiones proponit.

Vespasiani Defensor manutenendum esse seu reintegrandum Canonicum Vespasiani in possessione Canonicatus in Collegiata Ecclesia S. Iustae demonstrat ex indubia ab anno 1851 Vespasiani ipsius in Canonicatu solemni institutione ac pacifica per octennium possessione usquedum turbatus iniustissime fuit. Ius enim ipsum edicit restituendum esse Clericum sine manifesta et rationabili causa spoliatum: cap. *Conquerente, de restit. spoliator.* Nec obiicienda est vacatio Canonicatus in Ecclesia S. Iustae per assequutam a Vespasiano in rure S. Angeli Paroeciam: primo quidem ex *beneficio optionis* Aloysio a iure concesso. Eo namque Clericus iure potitur, ut novo donatus Beneficio possit posterius dimittere ac prius retinere: cap. *Praeterea* et *Referente, de praebend. et dignit.* Atqui Aloysius re adhuc integra retinere Canonicatum, Paroeciam vero dimittere elegit. Nec hisce iuribus derogatum fuit in cap. *De multa*, eod. tit. et in cap. 4, *de ref.*, Sess. 7, Concilii Tridentini, quia in eis agitur de prohibita retentione Beneficiorum quae habent incompatibilitatem *quoad titulum*, non vero, prout in nostro themate, de incompatibilitate *quoad retentionem*. Secundo pergit Defensor, dici nequit *in sensu iuris* Aloysium Paroeciam fuisse consequutum. Tunc enim habetur iuridica assequutio Beneficii, ac proinde vacatio prioris Beneficii incompatibilis, cum Clericus non modo in novo Beneficio fuit institutus, sed huius possessionem fuit adeptus, in eaque per bimestre pacifice versatus: cap. *Licet, de praebend*, in 6. Atqui certum est Canonicum Aloysium numquam in realem possessionem Paroeciae S. Angeli fuisse immissum. Etenim ipse adductis testibus ostendit, neque audivisse neque unquam accepisse ab Episcopo bullam collationis ac literas institutionis. Nec iuvant literae huius S. Congregationis: hae namque prodierunt ex falso supposito ab Episcopo insinuato de perfecta Vespasiani institutione ac *reali* Paroeciae possessione, non autem ab explorata *verbali* tantum institutione. Ceterum concludit: illa institutio sive collatio nullius roboris censeri debet, cum vi metusque causa peracta fuerit: constat enim ex testibus fide dignis examini ad obtinendam Paroeciam Aloysium sese obtulisse metu suspensionis ab Episcopo indictae, eiusque institutionem

accepisse metu relegationis in insulam ab eodem Episcopo incusso. Ad extremum ipse Episcopus hanc coactionem fatetur, dum in causa Vespasiani hunc S. O. sciscitatus est: *An posset Episcopus obligare Sacerdotem ad parochiale munus obeundum?* Quae quidem quaestio sicut *in facto* coactionem confirmat, ita *de iure* in praesenti themate est negative solvenda.

Contra vero Aquilani Antistitis Defensor nil sollicitus de repellenda asserta coactione (etenim incredibile omnino esse ait hominem, qui tantum rumorem contra Episcopum suscitavit, contra propriam voluntatem nominationem acceptasse, acceptationem manu propria scripsisse et subscripsisse, preces pro institutione obtulisse, examen subiisse, investituram nactum fuisse, quin unquam moveret os suum), totus in eo est, ut triplici ex capite non esse locum petitae redintegrationi conficiat. Primo quidem cum collatio seu institutio ius tribuat *in re* seu in Beneficio: cap. ult. *de concess. praebend.*, in 6, cumque per eamdem institutionem consumpta praecedens collati Beneficii vacatio vere existat, cumque demum receptum communiter sit, quod habens canonicam collationem propria auctoritate ministrare possit in Beneficio et eius curam exercere: haud immerito tradunt Doctores et Tribunalia, per solam collationem alterius Beneficii vacare alterum incompatibile, quod a proviso retinebatur: cap. *De multa, de praebend.* et Trident., Sess. 7, cap. 4, *de ref.* Iam vero quum de collatione Paroeciae in facto constet plene secuta favore Vespasiani, nam extat bulla episcopalis eidem audienti et acceptanti lecta sub die 31 decembris 1858 coram Episcopo et duobus testibus, extatque insuper investitura per eum recepta, quae etsi verbalis tantum reputanda foret, vim semper haberet collationis: ambigi non posse infert, quin vacaverit Canonicatus antea ab eo retentus; et cum iam de eo per Episcopum dispositum fuerit favore Sac. Francisci De Angelis, qui etiam in eius possessione versatur a die 6 martii 1860, nulla profecto ratione substinet posse reintegrari Vespasianum ad Praebendam, quae ab alio legitime possidetur. Ceterum in casu non defuisse pugnat realem possessionem, scilicet quae data est sub die 31 decembris 1858 in episcopali capella, in qua et lectio bullae locum habuit, et bireti impositio super capite provisi, ac denique per eum fuit recitata fidei professio. Unde argui debere instat, veram exinde realemque possessionem, etsi extra ecclesiam seu extra conspectum Beneficii, traditam in themate expletamque fuisse: cap. *Ex ore, de his quae fiunt a mai. part. Capit.* Atqui firmum in iure est, ut quoties per provisum de incompatibili stat, quominus possessionem apprehendat, idem omnino sit, ac si revera apprehendisset, ita ut elapso bimestri utrumque Beneficium amittat, si et primum retinere praesumpserit: text. in Extravag. *Execrabilis.* Sequitur inde, quod Vespasianus, qui nedum duos menses, sed annum et ultra ab habita verbali possessione Paroeciae labi passus est, quin realem assumeret, Canonicatum amiserit aeque ac si realiter eam possedisset, proinde iure meritoque ab Episcopo in alterius personam provisum fuisse. Demum si quisque Clericus quamvis ex abrupto vocatus tenetur sequi vocem Pastoris, multo magis id retinendum esse quisque videt, quum de Clerico agitur, qui collatam sibi Paroeciam acceptavit eique proin serviendae se obstrinxit. Dubium igitur est:

An sit locus reintegrationi in possessionem Canonicatus in Ecclesia Collegiata S. Iustae in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 529-543].

4190.

S. C. C., *Herbipolen.*, 22 dec. 1860.

Crebris delatis querelis ad Ordinariatum Herbipolensem nomine Communitatis in Karbach contra eiusdem loci Parochum Iosephum Arnheiter, summaria inquisitio in eumdem instituta fuit, ex qua sequentia imputationum capita satis comprobari Curiae visa sunt, nempe: 1. Nimius, et durus rigor Parochi in castigandis pueris per verberationes, et adultis per implorationem politiae saecularis. 2. Indomita ludi et conversationis passio, quae ipsum frequenter a sua paroecia abesse, et in vicina oppida excurrere cogeret; unde non raro serotinis horis, media nocte, imo summo mane domum revertebatur. 3. Notabiles negligentiae in officio pastorali, ac in administratione sacramentorum, ex causa praesertim seri reditus ex locis peregrinis. 4. Notabiles distractiones in publicis divini officii functionibus non sine populi admiratione. 5. Culposus neglectus in assistendo moribundis, quorum nonnulli ipsius culpa sine sacramentis decesserunt. 6. Demum gravis aversio, et abalienatio parochianorum exinde derivans, ita ut ipso Parocho celebrante divina officia, parochiani ecclesiam vitarent, sacramenta recusarent, et passim maxima frequentia vicinas ecclesias peterent.

Hinc publicae utilitatis suadente ratione ac pro bono pacis, die 31 decembris 1855 sententia a Curia lata fuit, qua per modum provisionis administrativae et temporariae, Cooperator datus est Parocho eiusdem sumptibus, donec huiusce provisionis causam cessare constaret. Quae quidem provisio post mensem temperata est ita, ut permissum et praeceptum fuerit Parocho, et Cooperatori in omnibus cultus divini functionibus alternare vices, salvo tamen arbitrio parochianorum in administratione Sacramenti poenitentiae et altaris, praesertim in provisione infirmorum, Cooperatorem adeundi.

At Parochus ad Curiam metropolitanam Bambergensem appellans, sui favore die 14 februarii 1856 sententiam, quae sequitur, a Iudice huius Curiae obtinuit, videlicet: sententiam poenalem contra Parochum Arnheiter, tamquam aequum poenae modum excedentem, non susteneri; ideoque Cooperatorem ipsi datum revocandum; Parochum vero appellantem propter culpabiles negligentias in munere parochiali esse severe coarguendum. Praeterea, iudicii expensas et stipendium dati Coadiutoris a Parocho ferenda esse.

Vicissim ab hac sententia episcopalis Curia ad Apostolicam Sedem appellavit. Pendente autem appellatione, cum dissidia inter Parochum et parochianos augeri in dies non sine spirituali horum damno intelligeret Episcopus, ope alterius sententiae, die 10 februarii 1857 Parochum ipsum ad permutandum intra trimestre parochiale suum beneficium cum alio damnavit, eum-

que interim ab omni exercitio iurisdictionis et ordinis, excepta Missa privata, suspendit. Itaque contra hanc sententiam iterum appellavit Parochus ad metropolitanam Sedem, quae tamen ob pendentiam litis penes Apostolicam Sedem, suam incompetentiam declaravit. Exinde Parochus ad S. Sedem suam etiam appellationem deduxit.

Curia metropolitana in ferenda sententia iudicio Curiae episcopalis adversa perpenderat, inquisitionem institutam super Parochi accusationibus deficientem et mancam fuisse. Investigatum enim non fuerat, quam ob causam, quove animo accusatores Parocho oppeterent: an scilicet personali odio et vindictae forsan cupidine abrepti, vel potius desiderio occurrendi publicae paroeciae malis, quae Parocho imputabantur. Eo vel magis quod cum a decem annis Parochus Arnheiter eam regeret paroeciam, accusationum capita ad ultimos annos non referebantur, ita ut expiscata et conquisita ea facta esse viderentur, quae lapsu temporis obliterata manebant. Quare ratio agendi Parochi in primis ad trutinam revocari debuisset, et si culpa vacuus repertus ipse non esset, locus fiebat admonitionibus, ut ad sanam frugem rediret.

Accedit, non omnia accusationum capita Parocho communicata fuisse, ut sese defendere posset.

Insuper eadem metropolitana Curia singulas accusationes perpendens, observabat probari quidem, Parochum nimiam aliquando adhibuisse severitatem in adolescentes, et quandoque praecipitanter in hac re se gessisse; at eosdem iuratos testes deposuisse, non cuncta esse veritati consona; distractiones autem minori etiam pretio habendas esse, quae ad duos casus tempore iamdiu praeterito referebantur. Circa accusationes ludi ad plures noctis horas protracti, id raro accidisse testes affirmabant, et quando imbrium vis impedimento reditui foret.

Demum, minoribus imputationibus omissis, eadem Curia circa negligentiam in Sacramentorum administratione perpendebat, sex tantum numerari huius negligentiae casus in toto decennio curae parochialis: attamen de eorum nonnullis Parochus auditus non fuerat; circa caeteros vero, vel excludebantur circumstantiae ludi et absentiae a Parochia, vel deprehendebatur falsa seu exaggerata accusatio, vel alia concurrebant adiuncta, quae Parochi negligentiam, si non omnino excusarent, saltem non adeo criminosam reddebant, prout ex adverso contendebatur.

Caeterum, quamvis ob indicata rationum momenta gravis nimis existimata fuerit poena inflicta Parocho ratione nempe expensarum pro alendo Coadiutore, praesertim autem ob dedecus eidem obventurum; nihilominus eadem Curia monendum serio Parochum esse censebat, ob immoderatam ludi et conversationis passionem, ob eiusdem commorationes extra fines Parochiae usque ad serotinas noctis horas, distractiones, et neglectum in obeundis sacris actionibus, anxietatem in conservanda sanitate et vita in casibus, in quibus pastor bonus vitam etiam pro ovibus dare debeat, ob vehementiam denique in castigandis pueris et adultis.

Parochus praeterea sese apud Sedem Apostolicam defendebat ab altera lata sententia, qua permutatio beneficii decernebatur; hanc pariter sententiam

non sustineri contendebat, non solum quia iisdem rationibus ac prima sententia inniti dicebat, sed etiam quia lata fuit pendente penes Apostolicam Sedem appellatione, quo in casu sine vitio attentati, nihil innovari potuerat.

Pro defensione prioris sententiae adducebat Curia caput 5, *de rerum permutatione*, in quo legitur: « Si Episcopus causam perspexit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ». Quo textu freti Doctores sentiunt, integrum esse Episcopo cogere Clericum ad permutandum cum alio beneficium, quatenus urgens causa publicae utilitatis id exigat, licet sine Beneficiati culpa id eveniat: ex. gr. si gravis exurgat aversio, et odium populi adversus Parochum, ita ut eius verba nullum amplius fructum afferant, populus divina contemnat, et scandala oriantur. Namque bonum publicum debet praeferri privato, ceu inter alios docet Reiffenst., *ad cit. tit. n. 38 et 39*. Nihilominus subiungebatur, mitius cum Parocho in praesenti casu actum fuisse. Additus enim eidem fuerat Cooperator dumtaxat iuxta monitum citat. Reiffenst. *ibidem*, *n. 40*, et quidem ad tempus, permissa insuper inter Parochum et Cooperatorem alternativa in sacris explendis functionibus. Constitit enim ipsi soli animarum curam relinqui non posse, in quem scilicet gravis populi aversio concitata fuerat.

Circa sententiam autem Iudicis metropolitani eadem episcopalis Curia animadvertebat, dictam sententiam falso supposito laborare: namque in ea falso supponitur institutam fuisse inquisitionem, ut Parochus poena plecteretur culpae proportionata. Non aliud siquidem actum fuerat, quam ut decerneretur, quo remedio, rebus in ea parochia funesto dissidio conturbatis, per modum provisionis administrativae occurrendum esset. In eadem insuper sententia falso supponi dicebatur ad eiusmodi provisionem deveniri ex iure non posse, nisi antea constaret solius Parochi culpa ea contigisse mala, quibus remedium erat afferendum: quod non convenit cum iis, quae ad consulendum ecclesiasticae administrationi cauta in iure sunt. Quin imo Innocentius III, cap. 10, *de renunt.* ait: « Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Praelatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo durae cervicis existit, et in rebellione sua ita pertinax invenitur, ut proficere nequeat apud ipsum, sed propter eius duritiem, quo magis satagit, eo magis iusto iudicio deficere permittatur ». Haec quidem sancita extant circa Parochum omnino insontem, quae maiorem vim habere dicenda sunt, si Parochus in pertinaci odio plebis omnino insons non reperiatur. Plures autem culpas recognovit ac enumerat ipse metropolitanus Iudex, quamvis caeteras nimia facilitate excusare visus fuerit.

Ad defectus quod attinet in peracto summario processu inventos observabatur iuxta Reiffenstuel, *l. 5, tit. 1, § 4, n. 209*, Engel, *ius can.*, *eodem loc.* publicationem testium reo fieri non debere, si ipsis exinde grave immineret periculum vel incommodum; quod insuper ex praxi eiusdem Dioecesis servari solere dicebatur.

Caeterum si omissiones quae processus substantiam tangerent, irrepsissent, non ideo absolvi reus, sed processus suppleri debuisset, ne culpa iudicis in detrimentum christianae reipublicae cederet.

Gradum praeterea faciens episcopalis Curia ad defensionem alterius sententiae qua decreta est, per modum provisionis, beneficii parochialis permutatio, ea innitebatur pariter causis dissidii et aversionis in dies auctis ob eiusdem Parochi arrogantiam.

Quibus *ex officio* nonnullae Resolutiones S. C. C. addebantur, quae similes causas respiciebant, et sunt sequentes: in *Taurinen.*, 7 iulii 1855,[1] in *Eistetten.*, 21 iulii, 11 augusti et 22 septembris 1742,[2] demum in *Limburgen.*, 19 decembris 1857.[3]

Hisce itaque *ex officio* expositis perpendendum in praesenti nostro casu erat, num revera occurrerent eiusmodi rerum adiuncta, ut necesse omnino fuerit hisce extraordinariis uti remediis, quae ob bonum publicum ad maiora mala, et scandala praevertenda, iura permittunt. Quare propositum est dubium:

An sententiae Curiae Episcopalis Herbipolensis diei 31 decembris 1855 et diei 10 februarii 1857 sustineantur in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis peculiaribus circumstantiis esse locum permutationi cum altero Beneficio reditus fere aequivalentis infra sex menses.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p. 609-616].

4191.

S. C. C., *Neritonen.*, 22 dec. 1860.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae oppidi Galatonae, Neritonensis Dioecesis, ius sibi asserit nominandi novos Canonicos e Mansionariorum gremio servato antianitatis ordine assumendos. De quo iure quaestio iam pendet penes S. hanc Congregationem. Cum vero Episcopus asserto Capituli iure posthabito in duabus postremis vacationibus Canonicales Praebendas contulisset duobus Sacerdotibus: continuo Capitularis Procurator Iosephus Baglivo protestationem in Curia Episcopali edidit, aliam insuper protestationem transmisit ad nominatos Sacerdotes. Aegro itaque animo Capituli resistentiam ferens Episcopus, tres praecipuos protestationum auctores: Sacerdotes nempe Mansionarios Iosephum Baglivo Capituli Procuratorem, Domitium Giuranna et Raphaelem Frezza, distinctis decretis diei 19 novembris 1859 a divinis ex informata conscientia suspendit, ac praeterea ad recessum in Conventum spiritualium exercitiorum vacandi gratia, ad suum beneplacitum damnavit. Post sex menses tamen Sacerdotum liberationem e claustro imperavit Episcopus, sed firmam manere voluit poenam suspensionis. Contra hanc reclamarunt ad S. Congregationem praedicti Sacerdotes, et praesentis controversiae argumentum constituit.

Interrogatus Episcopus de causis inflictae suspensionis, respondit, se ad suspensionem et reclusionem trium Sacerdotum Oratorum processisse in

[1] Cf. N. 4143.
[2] Cf. N. 3538, 3542.
[3] Cf. N. 4158.

causam protestationum ab ipsis editarum et ope Officialis laicae Curiae exhibitarum, quas vocat scandalosas, schismaticas et Ordinario necnon S. Sedi iniuriosas. Eorum insuper obstinatam voluntatem in tuendis assertis Capituli iuribus insimulat, monens etiam protestationes praedictas absque ullo Capituli eiusdem mandato redactas fuisse. Prudenter itaque ob praesentem temporum calamitatem se gessisse existimat; suspensione ex informata conscientia renuentes plectendo, ne in publicam revocarentur disputationem iura Apostolicae Sedis ab illis temere impugnata, quod quidem non levis scandali occasio fuisset. Praeter hoc nihil aliud ab Episcopo deductum fuit.

E contra Defensor Sacerdotum Oratorum affert actum capitularem, in quo aliter omnino diserte enunciatur, ac nonnullorum Capitularium, qui abdicationem propriis iuribus ob comminatas punitiones obsignaverant, retractatio exhibetur. Paucis vero demonstrare satagit suspensionum iniustitiam tum quoad formam, tum quoad titulum. Cum enim res sit de suspensione ex informata conscientia, quam ob occultum dumtaxat crimen infligere fas est Episcopis iuxta doctrinas traditas in *S. Agathae Gothorum*, 26 februarii 1853,[1] hinc arguit hanc procedendi formam adhiberi minime potuisse in praesenti casu, quo suspensionis causa tota posita erat in protestationibus editis, omnibus sane notissimis, quippe quae et Curiae et Sacerdotibus nominatis solemni ritu nunciatae fuissent. Sed titulum ad suspensionem infligendam penitus deficere praeterea probat. Grave enim ad hanc gravissimam poenam requiritur facinus. Quamlibet vero criminis speciem abesse a protestatione, qua quis se sua tueri iura declarat. Quinimo id in themate officii et necessitatis causa factum asserit, ut Capitulares iura sua sarta tectaque successoribus suis amandarent. Perperam vero protestationem in forma illicitam verbisque iniuriosis conceptam traduci, quia protestationi clausula adiecta, qua Capitulares, dum se iura tueri velle affirmant, obsequii et reverentiae erga Ordinarium debitae luculentissimum testimonium exhibuerunt. Sit itaque dubium:

An sustineantur decreta suspensionum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 119, p 622-624].

4192.

S. C. C., *Treviren.*, 23 mart. 1861.

Occasione resolutionis in *Cameracen.*, 25 septembris 1858[2] Episcopus Trevirensis haec S. C. exposuit: In multis Dioecesis nostrae Parochiis existunt fundationes, quae vulgo *primissariae* vocantur (beneficia et simplicia et curata) quibus provisum est, ut dominicis diebus et festis, praeter quasdam ferias, Sacrum celebretur matutinum. Eiusmodi vero fundationes, ob exiguitatem redituum et penuriam Sacerdotum, plerumque proprio carent Sacer-

[1] Cf. N. 4130.
[2] Cf. N. 4167.

dote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, Parochi obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis, binam dicunt Missam, Sacrum matutinale et Sacrum summum pro populo, et in utroque sacro traditur homilia sive instructio cathechetica, pro quo peculiari labore sive industria, Parochi hucusque ex eiusmodi fundationibus certam percipiunt remunerationem. Sunt et alii Parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt Missam, partim in ecclesiis parochialibus, partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci Parochi ad ecclesias dissitas, per vias asperas, tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra Sacrum simul tradunt doctrinam christianam. Quaeritur igitur:

1. *Utrum Parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis, binam dicunt Missam, et pro fundatoribus* Primissariarum *applicant, salarium ex fundo* Primissariarum, *pro peculiari labore, percipere possint?*

2. *Utrum Parochi, qui, pro necessitate circumstantiarum, diebus dominicis et festis, sive in Ecclesia parochiali, sive filiali dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria, certum salarium annuum a parochianis oblatum, percipere valeant?*

Animadvertebatur *ex officio*, vetitum esse Parochis binandi facultate donatis, pro secunda Missa eleemosynam recipere, ceu S. C. C. definivit in cit. *Cameracen. Missae pro Populo*, et pluries alibi decrevit, praesertim in *Ventimilien.*, 19 decembris 1835.[1] Imo ad rem afferebatur responsio quaedam S. C. data in *Brixien.*, 3 martii 1855 *per sum. precum.* Consuetudo enim invaluerat in ea dioecesi, ut a quibusdam piis Sodalitiis aut Praefectis fabricae ecclesiae, retribueretur Parocho peculiaris eleemosyna pro Missa, diebus dominicis aut festis de praecepto, celebranda vel canenda; idque aliquando sine onere specialis applicationis. Hinc quaerebat Episcopus: utrum haec praxis, ubi ab immemorabili consuetudine firmata invenitur, tolerari possit, saltem pro diebus quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae obligationis. Sacra autem Congr. censuit rescribendum: *Consuetudinem iuxta exposita esse reprobandam, et servandam esse constitutionem Benedicti XIV, Cum semper oblatas.* [2]

Caeterum observabatur ad casum propositum quod attinet, cum eleemosyna non ratione *celebrationis aut applicationis* secundae Missae rependatur, sed titulo remunerationis pro speciali labore et industria, superesse decernendum Sacrae Congregationi, an prohibitio, de qua supra, comprehenderet etiam id quod ex huiusmodi titulo afferri solet. Nec videbatur opponi allegata *Brixien.*, in qua casus erat non de secunda Missa, sed de Missa parochiali, et eleemosyna rependebatur pro celebratione Missae eiusdem. E contra vero S. C. Rituum, titulo remunerationis pro speciali labore, quibusdam Parochis qui Sacrum necessitate exigente iterabant, in locis a parochiali ecclesia remotis, receptionem cuiusdam stipendii censuit posse permitti: *Monasterien.*, 14 iunii 1845.[3] Quibus perpensis:

[1] Cf. N. 4054.
[2] Cf. N. 345.
[3] Cf. N. 5932.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. et 2. Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.

[Liber 204 Decretorum, p. 809].

4193.

S. C. C., *Salamantina*, 22 febr. 1862.

Episcopus Salamantinae Dioecesis in Hispania in relatione status Ecclesiae suae ad hanc S. Congregationem die 27 septembris 1857 transmissa, sequentia exposuit: « Ducentae circiter Paroeciae in hac Dioecesi extant, quae aliam filialem sibi adnexam habent, in qua Parochus diebus dominicis et festis per annum secundam Missam celebrat: et circa hanc consuetudinem diversa dubia suboriuntur, super quibus declarationem necessariam a S. Congregatione humiliter expostulo. Et primum animadvertere debeo, quod fidelium numerus iuxta has ecclesias commorantium valde varius est: in aliquibus sunt quinque vel decem, in aliis ducenti, imo et sexcenti. Distantia a matrice, modo ad milliarium non attingit, modo sunt duo, tria aut quatuor milliaria. Valde difficile foret, etiam post exquisitam investigationem, definire, utrum hae ecclesiae nunc filiales, fuerint aliquando ecclesiae matrices, seu verae paroeciae ». Quatuor proinde dubia proponebat S. Concilii Congregationi, quae antequam solverentur, rogatus est Episcopus, ut magis praecise referret de omnimoda deficientia Sacerdotum ac mediorum, quibus per alium celebrari posset in filialibus ecclesiis; et utrum ecclesiae modo filiales nuncupatae, dotem aliquam seu congruam distinctam a matrice haberent, perquisitis actis Curiae ac SS. Visitationum. At, quae relata sunt, sufficientia non erant ad integram quaestionem singillatim definiendam, quae ingentem paroeciarum numerum complectebatur. Relatum enim est de magna et generica Presbyterorum deficientia, eorumque redituum paupertate, qui dum prius ex decimis alebantur, deinde his subtractis, assignata est pro quolibet parocho certa pensio, independenter omnino a populorum numero, vel parochiarum, quas quilibet regit. Concinnata itaque fuerunt Episcopi dubia, prouti infra scribuntur.

Ex officio, haec praecipua capita iuris proponebantur S. Congregationi. Praemissa nempe notione historica disciplinae, quae successive hanc missarum iterationem moderata est, allegabatur caput 3, *de celebrat. Missar.*, in quo ita sanxit Innocentius III: « Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi « causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare ». Ubi verbum *sufficit*, non convenientiam aliquam commendat, sed verum praeceptum continet, ceu etiam docuit Benedict. XIV, in const. *Declarasti Nobis.*[1] Quaenam porro debeat esse necessitas ab Innocentio indicata, licet disputaverint de ea Doctores, hodie, praesertim post hanc Benedicti XIV constitutionem, illa est (subiungebatur) qua reperitur

[1] Cf. N. 365.

Presbyter qui duas habeat paroecias, et in alterutram nequeat populus convenire, nec alius habeatur Presbyter praeter Parochum, qui Missam possit celebrare. Et similis reputatur etiam casus, quo Parochus, etsi non praesit duabus paroeciis, tamen vel duos regat inter se dissitos populos, quorum unus ob magnam locorum distantiam assistere non possit Parocho celebranti, vel etiam, si una sit Ecclesia, quae universum populum simul capere non possit. Extra huiusmodi necessitatis casus, neque consuetudo, etsi vetustissima, suffragari potest Missarum iterationi, ut S. C. C. pluries censuit. Adnotabatur vero *in facto*, quod licet haberetur generica Presbyterorum deficientia, tamen ex ea argui non poterat vera necessitas in qualibet paroecia.

Caeterum observabatur, distantiam Ecclesiarum, quae filiales nuncupabantur, a Parochiali Ecclesia ab uno circiter lapide, usque ad tria et quatuor passuum millia protendi: et fideles in multis Ecclesiis usque ad biscentum et sexcentum ascendere, quamvis in nonnullis non nisi quinque vel decem tantum reperiantur. Ob quas peculiares circumstantias, exponebatur responsio S. C. in casu non absimili, proposito per *Summaria precum die 12 ianuarii 1847 in Lingonen*. In eo enim pariter agebatur I. de consuetudine, qua nonnulli animarum Pastores Missam iterabant eodem die; II. aderat quaedam Communitas uno circiter lapide a Parochiali Ecclesia separata constans viginti circiter personis. Et S. C. respondit: « Scribatur Episcopo, ut concedat bis Missam celebrandi licentiam, quatenus eae circumstantiae, et praecisae necessitatis casus concurrant, quos Benedict. XIV in sua const. *Declarasti Nobis*, requirit; in casu vero, quem idem orator proponit (seu in secundo casu) licentiam esse concedendam ».

Quod attinet vero ad applicationem secundae Missae pro populo, afferebatur resolutio S. C. C. in *Lucen.*, 12 martii 1774,[1] in qua proposito dubio: *An Parochi duabus Ecclesiis parochialibus praepositi, teneantur Dominicis aliisque Festis diebus Missam in unaquaque Ecclesia, sive per se, sive per alios, applicare pro populo in casu?* responsum prodiit: *Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.* Instructio vero continebat: *S. Congregationem nunquam dubitasse, quod Parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo singulis diebus Dominicis et Festis in unaquaque ex Ecclesiis Parochialibus, quae vel aeque principaliter, vel subiective coniunctae sunt atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo Missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae et coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.*

In praesenti autem facto, quamvis ex deductis non poterat certo determinari natura unionis, animadvertebatur tamen non deesse indicia, quae videbantur excludere plenariam et extinctivam unionem.

Caeterum subiungebatur, si Parochi iterare Missam deberent, non ratione duplicis Paroeciae, sed solummodo ratione necessitatis, quamvis secundam Missam ad libitum applicare possent, nullam tamen pro hac celebratione recipere posse eleemosynam; quod dici etiam debet de quolibet Sacerdote,

[1] Cf. N. 3787.

qui nullam habeat animarum curam, ceu omissis ceteris, definitum fuit in *Ventimilien.*, 19 decembris 1835,[1] et in *Cameracen.*, 25 septembris 1858.[2] Resolvenda igitur Eminentiis Vestris proponuntur dubia:

1. *An, et quomodo consuetudo secundam Missam celebrandi in praedictis ecclesiis adnexis, ubi hic mos ita invaluit, ut populus etiam ius ad illam exigendam existimet se habere, toleranda sit in casu?*

2. *An Parochus necessario debeat illam secundam Missam applicare pro populo, sicuti primam, vel liberam retineat illius applicationem cum stipendio in casu?*

3. *An licentiam dare queat Episcopus ad illam secundam Missam celebrandam in casibus similibus, et in locis, ubi talis consuetudo usque adhuc non invaluit in casu?*

4. *An praedictam licentiam concedere possit tempore collectionis messium, cum plurimi operarii in uno praedio seu villa concurrant, qui certe Missam non audirent, nisi Parochus secundam in eo loco diceret, ex eo quod alter Sacerdos ad illam dicendam haberi non possit in casu?*

Die, etc. Sacra, etc., respondit ad 1. et 3. Affirmative iudicio Episcopi, nulla habita ratione consuetudinis, et quatenus in unoquoque casu concurrant circumstantiae necessitatis ad formam Constitutionis Benedictinae et Declarationis sacrae Congregationis diei 14 octobris 1843 relatae in Cameracen., 25 septembris 1858.

Ad 2. Dentur resolutiones in Cameracen., 25 septembris 1858.

Ad 4. Provisum in praecedentibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 121, p. 63-72].

4194.

S. C. C., *Ianuen.*, 29 nov. 1862.

Decurrentis anni die 31 mensis martii Sacerdos Ioannes Augustinus Raggio loci N. in Dioecesi Ianuensi Parochus, a celebratione Missae propter irregularitatem e gravi morbo contractam praepeditus, ad rehabilitationem obtinendam S. hanc Congregationem adiit, instantissimas deferens preces, in quibus exponit se ab aliquot annis interdum infirmum esse tibiarum debilitate. « Propterea, ait, in celebratione missae neque ad populum perfecte me vertere possum, neque profundam genuflexionem peragere, sed eam tantummodo indicare, pedem scilicet retrahendo et caput humerosque inclinando; scipionibus innixus ad altare progredior ibique fulcris dimissis erectus ad altare vestes induo missamque rite celebro. Parochus sum in dioecesi Ianuensi, sed pauper et aliis mediis privatus; istud autem beneficium in titulum patrimonii sacri teneo. Huius parochiae meae ruralis fideles sciunt me esse infirmum. Cum consensu R. Archiepiscopi capellanus quidam curatus illa officia obit, quae ego ipse peragere non possum. Necesse tamen est,

[1] Cf. N. 4054.
[2] Cf. N. 4167.

me si non cantare, dicere saltem missam, alioquin alium sacerdotem omnino mesis sumptibus sustentare deberem, quod nimis grave esset. Hinc ipse R. Archiepiscopus consilium mihi dedit, ut rem totam exacte exponerem ad facultatem celebrandi obtinendam ».

Cum acceptis hisce precibus ad Ianuensem Archiepiscopum scriptum fuisset pro informatione et voto, utque peracto experimento referret de natura infirmitatis et an praebeat impedimentum in explendis ss. caeremoniis, de vera habilitationis necessitate, annuo reditu et oneribus beneficii parochialis, comprehensis incertis utriusque stolae, mandatis obsequens Sac. Congregationis Vicarius Generalis pro Archiepiscopo a dioecesi absente omnia, quae ab Oratore in precibus exposita sunt circa modum, quo missam celebrare potest, experimento coram magistro caeremoniarum peracto confirmat et inde subiungit: « De natura morbi aliquid dicere arduum est; confidit Orator; at omnes desperant, eius valetudinem confirmari posse, quippe veteri morbo et provecta aetate laborantis. Reditus beneficii parochialis comprehensis incertis utriusque stolae computari potest, prout mihi ex diligenti informatione refertur, ad annuas libellas 905, in hac tamen summa habita non est ratio eleemosynae missarum ». De oneribus beneficii et vera habilitationis necessitate in literis nihil habet idem Vicarius, sui tamen animi votum ita manifestat: « Quoad ea, quae Orator expostulat, attentis verbis magistri caeremoniarum videtur concedi eidem posse petita rehabilitatio pro celebratione missae iis horis, quibus deest in ecclesia populi frequentia ».

Veram irregularitatem in casu adesse difficili probatione demonstrandum haud est, cum ex sola rerum expositione, quae in precibus parochi Raggio continetur, nemo non viderit applicandum hic esse cap. *Presbyterum, de clerico aegrotante*, quo universim irregularis dicitur, qui non secure propter debilitatem vel non sine scandalo propter deformitatem ministrare potest. In specie autem Glossa in cap. *Nullus Episcopus, de consecrat.*, dist. I, et Barbosa, *de off. et potest. Episc.*, part. II, alleg. 42, num. 40, licet generatim claudos irregulares non pronuntient, id tamen affirmant de iis, qui sine baculo ad altare accedere nequeunt. Iam vero fatendum certo est, infirmitatem, qua Orator laborat, gravem omnino esse, cum non solum baculo indigeat, sed nonnisi scipionibus innixus ad altare ascendat, ubi sacras vestes induit, et missam incipit; difficiliter et non totaliter se ad populum convertat, genuflexionum tantummodo signum praebeat, caput demittens et dexterum movens pedem; nullaque spes affulgeat, ut Orator aliquando in melius convalescat.

Attamen similibus in casibus oratores apud H. S. C. pro dispensatione ab irregularitate instantes nonnunquam voti compotes facti sunt. Ita iis ultimis temporibus in *Cathacen.*, 17 decembris 1859 inter supplices libellos relata favorabile retulit responsum sacerdos Scalzo Dominicus, quem adeo cruribus esse praepeditum referebat Episcopus, ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret, aliosque gradus claudicans ascenderet ac descenderet; genuflexiones suique corporis circulos haud convenienter exsequeretur, ita ut deformitas illius, licet divinis nullum praeberet impedimentum, tamen populo magnae esset

admirationi. Et antea iam Sac. Congregatio pari benignitate usa fuerat in *Asculana*, 20 februarii 1808 erga clericum Emilium Sallusti propter renium debilitatem claudicantem et de quo testabatur Episcopus, quod impar esset perfectae genuflexioni faciendae, quam vix genu sinistro signabat, et ad aliud genu prius submittendum vel duo genua simul flectenda alterius auxilio indigeret. Fatendum equidem est ex una parte, quod hi oratores ambo non ita gravi prae parocho Raggio infirmitate detinebantur; sed ex altera ad huius preces benigne excipiendas maiora viderentur occurrere motiva; cum in casu neque agatur de promovendo, ut in citata *Asculana*, sed de iam promoto, quem Sacra Congregatio benigniori semper indulgentia audire consuevit, quemadmodum statutum legimus formiter discusso articulo in *Comen.*, 8 aprilis 1775;[1] nec de simplici quidem sacerdote, veluti in supra allegata *Cathacen.*, sed de animarum curam exercente, in quod H. S. O. nonnunquam attendit. Cum utroque dein commune habet Orator, quod summa prematur egestate; reditus enim beneficii parochialis, quod obtinet titulo etiam patrimonii ecclesiastici, comprehensis incertis utriusque stolae, exclusis vero missarum eleemosynis, in annuis libellis 905 consistunt. Ab hac autem summa vix deduci potest necessaria retributio elargienda capellano, qui Archiepiscopo consentiente in quibusdam officiis parochialibus vices agit infirmi parochi; minime vero desumi valeret, quod opus esset ad sustentandum praeter ipsum parochum alium sacerdotem, qui eidem, si dispensatio denegatur, non in quibusdam tantum officiis, sed et in celebratione missarum supplere deberet, quod sane in grave praeiudicium Oratoris redundaret.

Propitio suffragio, ut iam retuli, Vicarius Generalis parochi precibus favet, dummodo tamen missae celebratio iis horis peragatur, quibus populi frequentia in ecclesia desit. Si ergo ex hucusque allatis Eminentiis Vestris visum fuerit, indulgendum esse Oratori, illud etiam sapientia vestra prospiciendum erit, utrum una vel altera ex consuetis limitationibus dispensationi adiicienda sit, qua irreverentiae periculum in sacris peragendis prorsus absit, et quaevis admiratio populi removeatur. Non raro Sacra Congregatio praecipit, ut dispensatus vel in oratorio privato celebret, vel etiam in publica ecclesia, hora tamen minus a populo frequentata; in casu vero praecipua irregularitatis nota recederet, quoties Orator a sacro faciendo abstineret in altari, in quo augustissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis, dummodo celebret in oratorio privato, vel etiam in ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata, et cum assistentia alterius sacerdotis vel saltem diaconi, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 205 Decretorum, p. 1509].

[1] Cf. N. 3792.

4195.

S. C. C., 14 aug. 1863.

Sacrae Congregationi sequentia dubia solvenda proponebantur:

1. An possit Episcopus cogere parochum ad assumendum sibi unum aut plures vicarios, prout id necessarium iudicaverit?

2. An invalidum sit matrimonium contractum coram presbytero ab Episcopo specialiter deputato, ob congruentem causam, v. g. quia ille presbyter est amicus aut propinquus alterutrius sponsorum, morose renuente parocho?

3. An diversi parochi ius habeant reclamare suos quisque parochianos, qui decedunt in hospitali, ubi est capellanus licentiam habens ab Episcopo tumulandi ibi defunctos?

4. An funeralia exequiarum, quae fiunt a capellano, pertineant ad parochum loci, ubi situm est hospitale, sive defuncti sint eius parochiani, sive aliorum?

5. An ius habeat parochus exigendi taxam exequiarum, quibus functus est capellanus hospitalis, quasi peractae fuerint ab ipso in ecclesia parochiali?

Die, etc. Sacra, etc. respondit. Ad 1. Affirmative, ad tramitem tamen cap. IV, Sess. 21, *De Reform.*, Conc. Tridentini.

Ad 2. Esse validum: ceterum curandum, ne ob leves quaslibet causas huiusmodi deputationes fiant; salvis semper favore parochi emolumentis, si quae matrimonii occasione dari soleant.

Ad 3. Negative, quatenus hospitalis exemptus fuerit legitime declaratus a iurisdictione parochiali.

Ad 4. Spectare ad proprium cuiusque defuncti parochum, nisi constet de exemptione, ut supra, hospitalis.

Ad. 5. Affirmative, nisi constet, ut supra, de exemptione hospitalis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1241].

4196.

S. C. C., *Bergomen.*, 5 dec. 1863.

Vacante anno 1847 paroecia oppidi Leffe in Bergomensi Dioecesi quingentarum supra mille animarum, electus fuit Petrus Lucchini Sacerdos indigenus. Eius tamen electio laeta parochianis non successit.

Progressu temporis aversio incolarum omnem modum excessisse visa est. Hinc continuae ac renovatae querelae tum parochianorum tum laicae potestatis, quod ipse gravibus ac interminabilibus quaestionibus non solum familias, sed etiam publica officia cumularet.

Apprime noscens praesens Episcopus nulla alia ratione se posse huic malo prospicere, nisi temporanea saltem Parochi remotione a paroecia: ut id sua sponte faceret, hortatus est. Sed hortationes in irritum cum cessissent, emisso denique decreto die 26 octobris 1857 eum ab officio Parochi ad tempus removit, illique interdixit parochialia officia, sive publica sive privata exercere, iussitque eum a paroecia recedere donec, rebus in melius conversis, in pristinum statum restitueretur.

Aegre tulit Parochus eiusmodi decretum, ac caeteris omissis, supplicem libellum porrexit S. Congregationi, ut Episcopus veram remotionis causam S. C. panderet, ut S. C. succurreret detrimento, et dedecori, quod inde sibi proveniébat; quod si Episcopus illam ab administratione paroeciae suspensionem caeterasque inhibitiones loco poenae se dedisse affirmasset, supplex postulabat institui regularem processum ad normam ss. canonum.

S. Congregatio die 27 februarii 1858 Episcopo rescripsit ut *referret de causis inflictae suspensionis, transmissis documentis ad rem facientibus.* Episcopus mandatis parens, suis literis cum necessariis documentis seriem factorum contexuit, ex qua decerpta sunt ea, quae tantum indicavi: addebat autem Episcopus paroeciam post Lucchinii remotionem reviguisse cultu religioso et pace, omnibus exultantibus et gratias agentibus; Lucchinium, dum haec contingerent, nullimode se submisisse episcopalibus praeceptis, quin imo suo irritanti ingenio populi opinionem sibi adversam magis exacerbasse: opus denique fuisse saeculari brachio ad eum removendum a parochiali domo, ut suffici posset Vicarius Parochus.

His et similibus ab Episcopo enarratis, aliis literis a Lucchinio S. C. datis, rescriptum emissum est die 26 ianuarii 1859 his verbis conceptum: *Relatum; et notificetur Episcopo eum in finem, ut ulteriora non praetermittat media ac officia ad spontaneam resignationem obtinendam.*

Novis itaque literis ab Episcopo missis, accurate enarrabat, quibus mediis usus esset, ut Lucchini sua sponte beneficium resignaret, quae denuo in irritum cesserunt, addiditque inter caetera, parochianos ita animo esse ab eo alienos, ut reconciliatio suo iudicio nullimode speranda foret.

Interea aliis literis S. C. missis Lucchini insistebat pro immediata reintegratione in paroeciali ministerio, quibus S. Congregatio die 11 maii 1861 rescripsit: *Relatum;* mandavitque Episcopo, ut *tam huiusmodi decretum, quam alterum diei 26 ianuarii 1859 Parocho notificaret, eumdemque moneret, ut dociliter se submitteret praescriptionibus episcopalibus ac S. Sedis.*

Quae inde subsecuta fuerint, sicut ea, quae Episcopus gesserat, continentur in sequenti episcopali decreto diei 5 novembris 1861, quo laudatus Episcopus poenam suspensionis a divinis contra reluctantem Parochum indixit: « Petrus Lucchini anteactis etiam temporibus (sunt verba decreti) in administratione paroeciae sibi commissae ita versatus est, ut fere omnium in se invidiam concitaverit... sed eo usque schismata, et mala omnia in paroecia progressa sunt, ut Nos... coacti fuerimus eumdem... ab omni parochiali officio ad tempus removere. Id vero praestitimus decreto diei 26 octobris 1857, quo eidem interdiximus in sua paroecia consistere, muniaque parochialia tum publica tum privata quomodolibet exercere... Interim Nobis nuntiatum est praefatum presbyterum absque ulla venia Nostra, et contra decretum 26 octobris 1857 rursus in paroeciam rediisse, ibi sacra facere et poenitentiae Sacramentum accedentibus administrare. Tunc per nostrum

Pro-Vicarium generalem... eumdem monuimus, ne tam flagranti inobedientia causam suam redderet deteriorem. Quam quidem admonitionem cum ille despiceret, novo decreto diei 9 februarii currentis anni mentem Nostram aperuimus eidem declarantes gravi se facinore inquinari, qui contra episcopale mandatum adhuc in paroecia immorari, et omni iurisdictione privatus poenitentiae Sacramentum maximo populi scandalo Christifidelibus praesumeret administrare. Haud multo post, videlicet die 10 martii S. Concilii Rescriptum dedimus, quo *reiectis precibus Parochi Lucchini Nos iussit eumdem monere, ut dociliter se submitteret praescriptionibus Episcopalibus et S. Sedis*. Sperabamus quidem fore, ut, qui Nostris monitis et iussis semper reluctaverat, S. Sedis oraculo saltem acquiesceret. Ast dolendum hic maxime est, quod res ipsa in peius prolabi visa fuit. Namque ille novas admonitiones nihili prorsus faciens in sua paroecia adhuc morari, ibidem Missam celebrare, Confessiones audire, sacram Synaxim populo administrare ausus est. Et ne quid tantae inobedientiae deesset, suam ipse inobedientiam literis diei 16 septembris pr. el. audacter Nostro Pro-Vicario professus, irreverenti prorsus ratione in curiam nostram invectus est.

Cum igitur probe noverimus nullum aliud Nobis in promptu esse remedium, quo vel contumacem presbyterum ad obedientiam et resipiscentiam revocemus, vel ab insolentia, et scandalis deterreamus, per praesentes literas *eumdem presbyterum... Parochum.. a divinis suspendimus, et ita suspensum ab omnibus haberi volumus* ».

Elapso vix mense ab huiusmodi suspensionis decreto graviora de Lucchinio retulit Episcopus ad S. C. Retulit nempe: ex iuratis testibus constare eundem notorio suspensionis spretu Missam pluries celebrasse; proindeque quaerebat, an ipse declarari possit irregularis, et an idem privari debeat parochiali beneficio, et interim urgente necessitate, eadem paroecia conferri debeat alteri idoneo Sacerdoti. Quibus quaestionibus die 3 februarii 1862 responsum fuit: *Sacr. Congr. inhaerens resolutionibus alias in similibus editis respondet, enunciatum Sacerdotem Parochum incidisse in irregularitatem, et nihil impedimento esse, quominus Episcopus eum irregularem declaret. Quo vero ad depositionem a Beneficio parochiali, ipse Episcopus accuratius referat singula rerum adiuncta supradictum Parochum respicientia, transmissis documentis in copia authentica ad rem facientibus.*

Transmissis itaque ab Episcopo relationibus, plurium testium depositionibus, laicae potestatis Notis et Ordinationibus, ipsius Parochi confessionibus suffultis, quaestio in plenario S. Congregationis consessu iuris ordine servato disceptata est.

Sancitum in iure esse innuebatur *ex officio*, neminem paroecia privari debere, nisi ex causa criminis et crimen sit ex iis, quae sunt in iure expressa iuxta Trident. Concilium, Sess. 21, cap. 6, *de ref*. Siquidem coactiva eiusmodi remotio gravissima est poena, qua, ex ss. canonibus, Clericus plecti nequit, nisi post gravissimum crimen, praehabitis monitionibus, ac formali confecto processu, solemni iustaque iudicis sententia fuerit convictus. Et secundum hanc saluberrimam iuris dispositionem, S. C. C., ubi delictum evidenter probatum non foret, aut forma ss. canonum neglecta sit, locum

privationi paroeciae non esse constanter respondit, ut in *S. Severini*, 4 aprilis, 19 septembris 1778.[1]

Atqui in praesenti casu de Parocho agebatur, qui a paroecia remotus est, nullo instituto processu, ac neglecta prorsus forma in iure praescripta: quin imo de Parocho agebatur, contra quem, ipso fatente Episcopo, crimen non aderat. Quod si post Episcopi decretum ea patraverit, quae criminis qualitatem redoleant, in his commiseratione potius, quam poena dignus videbatur. Remotio enim a paroecia et a propria patria, licet temporanea, quae famam Lucchinii in discrimen vocabat, eum compulit, ut vel regularem processus confectionem, vel reintegrationem in officio invocaret: quae invocatio in irritum cum cessisset, animi exulcerationi potius, quam dolo malo, ea quae adversus decretum pertinaciter gesserat, adscribenda videbantur.

Neque ad sustinendam remotionem confugiendum esse, observabatur, ad grave odium, quo adversus Parochum parochiani fere omnes flagrare dicebantur. Cum enim crimen quodlibet nec ostendi nec adesse contingeret, odium plebis sine ulla Parochi culpa obvenit, quo in casu cogi non posse Parochus ad resignationem paroeciae dicebatur; quin imo ob eiusmodi causam neque resignatio sponte facta facile a Superiore est admittenda, cap. 10, *de renunciat.*, S. Pius V in const. *Quanta Ecclesiae*, 1 aprilis 1568,[2] in qua S. Pontifex, licet resignare posse beneficium edixerit illos, *qui ob capitales inimicitias, nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi*, subiunxit tamen: *Sed nec horum ullus sacro ordinis mancipatus, nisi Religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita posset commode sustentari*. Quam constitutionem Barbosa, *de off. et potest. Episc.*, alleg. 69 illustrat.

E contra advertebatur, quod, licet Lucchini nullam plebis odio causam praebuisset; licet nullo crimine irretitus foret, nihilominus Episcopus rite munere suo functus est. Notum est enim eum a paroeciae regimine removeri oportere, quem mala plebs odit, ne propter bonum Pastoris gravissimum detrimentum universo gregi inferatur. Quod si aversio et odium concitatae plebis iustum non sit, non erit Parochus puniendus, idest paroecia, tamquam reus, condemnatoria sententia *privandus:* sed tamen erit *removendus*, ut in *Spoletana*, 19 ianuarii 1737,[3] facta aliqua beneficii permutatione, ceu in similibus casibus factitatum est, *Eistetten.*, 21 iulii, 22 septembris 1742.[4]

In hac autem hypothesi non officere observabatur defectus formalitatum iuris, et defectus formalis processus, cum de poena irroganda non agatur, sed de simplici remedio afferendo scandalis, et inimicitiarum periculis.

Quamvis autem gravia crimina Lucchinio imputanda in facto non adessent, non tamen omnino innocens dicendus erat. Ipse enim occasionem saltam ex sua imprudenti agendi ratione plebis concitationi praebuerat, neque Episcopi admonitioes, hortationes quicquam profecerunt. Non deerant ita-

[1] Cf. N. 3804.
[2] Cf. N. 125.
[3] Cf. N. 3467.
[4] Cf. N. 3538, 3542.

que sufficientes causae, ob quas Episcopus, qui universo dioecesis bono est praepositus, tamquam prudens remedium, decretum temporariae remotionis emiserat.

Neque subsequens remotionis decretum irritum erat reputandum, quod provocatum fuit ex flagranti Lucchinii contumacia, et protervia, qua praescriptionibus episcopalibus et S. Sedis nulla ratione, non sine plebis scandalo, se submisit: ac denique suspensione violata in irregularitatem incidit. Quibus positis, dubia sunt:

I. *An et quomodo decreta episcopalia sustineantur in casu?*

II. *An et quomodo sit locus depositioni Sacerdotis Lucchini a paroecia in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative in omnibus.

Ad II. Dilata, et ad mentem. Mens est, ut Episcopus praefigat novum terminum duorum mensium Parocho Lucchini ad deducendum iura sua coram S. Congregatione et de resultantibus certioret. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 122, p. 379-390].

4197.

S. C. C., *Comaclen.*, 5 dec. 1863.

Episcopus Comaclensis supplicibus precibus Sanctissimum Dominum adiit humiliter exponens, Clericum Iosephum Fogli evidentia ecclesiasticae vocationis signa prae se ferentem ex passa infirmitate tali in tibia defectu laborare, ut genu dextrum inflectere nequeat. « Hinc sinistrum genu ipsum flectere oportet, neque simul utrumque flectere potest sine aliquo fulcro. Ob hanc ipsam causam claudicat aliquantulum, baculo tamen non indiget, neque id admirationis causa est, cum maior deformitas omnino absit. Episcopus Orator ad tonsuram et duos priores ex ordinibus minoribus eum admittere non dubitavit, quia casus irregularitatis ex defectu corporis ipsi adesse non visum est, nunc vero, ut omnia quam maxime regulariter procedant, supplicat pro sanatione cuiuscumque defectus ad cautelam, et pro facultate procedendi ad reliquorum ordinum collationem ».

Qui huiusmodi corporis defectu laborat, ut rite debiteque sacri cultus caeremonias peragere non valeat, irregularitatis vitio tenetur, cap. *Presbyterum, de cleric. aegrot.*; et licet claudus possit ad ordines promoveri: cap. *Si quis in infirmitate*, dist. 55, excipitur tamen casus, quo quis baculo indigeat, ut accedat ad altare: cap. *Nullus Episcopus, de consecr.*, dist. I, Barbosa, *de off. Episc.*, part. II, all. 42, n. 40.

De clerico Fogli aperte testatur Episcopus, eum nullatenus indigere baculo, ut ad altare accedat; sed cum expresse praescribatur in rubricis missalis utroque genu flectendum esse, dum leguntur in Passione D. N. verba *expiravit* vel *emisit spiritum*, idemque iubeatur decreto S. R. C., *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 49, in primo accessu ad altare et ante discessum ab eodem,

[1] Cf. N. 4201.

si ibidem patenter expositum sit SS. Eucharistiae Sacramentum; [1] has caeremonias decenter implere non posse videtur, qui absque fulcimento utroque genu flectere nequit. Ita saltem sensisse videtur S. H. O., quando in similibus casibus mox afferendis dispensationem ab irregularitate concessit, quamvis ex iisdem eruatur, defectum huiusmodi non adeo gravem semper reputavisse Sac. Congregationem, ut legitima concurrente causa petitam veniam denegandam iudicaverit. Exempla sunt in *Cathacen.*, 17 decembris 1859 et in *Ianuen.*, 29 novembris 1862 inter supplices libellos relatis. [2] Re quidem vera in his agebatur de iam promotis, et prout adnotari solet, quoties de dispensatione super irregularitate quaestio occurrit, facilis solet esse cum promotis Sacri Ordinis benignitas, prorsus difficilior cum promovendis. Attamen nec etiam in hac ultima specie exempla desunt, et luculentissimum esse videtur, quod prostat in *Asculana*, 20 februarii 1808, ubi dispensatum fuit cum clerico Emilio Sallusti, qui propter debilitatem renium claudicans impar erat perfectae genuflexioni faciendae, quam vix genu sinistro signabat, et ad aliud genu prius submittendum vel duo genua simul flectenda alterius auxilio indigebat.

Quatenus ergo irregularitatem adesse iudicaverint, videant EE. VV., an petita venia concedi possit ratione habita optimae indolis huius clerici et precum Episcopi Comaclensis, qui testatur: « Dioecesis sacerdotibus plurimum indiget et iuvenis iste utiliter et studiose Ecclesiae inservire posset propter optimas animi dotes ». Equidem magistri caeremoniarum experimentum desideratur; attamen cum in themate res sit de defectu, qui non intimas sacrificii caeremonias et ritus attingit, satis forsan allatum esse ab Episcopo EE. VV. iudicabunt, ut definitivo responso preces dimittantur. Adnotare tandem non omittam in adductis circumstantiis, quatenus exhibitae preces excipi mereantur, minime alienum videri a praxi huius S. Ordinis clausulam addere dispensationi, ut Orator a sacro faciendo abstineat in altari, in quo publice fidelium adorationi expositum sit augustissimum Eucharistiae Sacramentum. Quaeritur:

An, et quomodo precibus sit annuendum in casu?

Die 5 decembris 1863 Sacra, etc. respondit: Dilata et scribatur Episcopo, qui exquirat votum doctoris physici ab eodem Episcopo deputandi super qualitate, gravitate et possibili progressu morbi, facto experimento coram ss. caeremoniarum magistro.

Nulla interposita mora huiusmodi mandato laudatus Antistes satisfecit; quod ut ostenderet, testimonium a se deputati medici, et magistri caeremoniarum transmisit, quo primus affirmat: « Dictus Fogli in commissura artuum in genu dextro perfecta anchilosi laborat, qui morbus perpetuus est neque ulterius progredi potest, propterea que periculum abest, ne postea magis claudicet ». Alter autem pluries peracto experimento refert: « Clerici Fogli defectus eum non sinit usque ad terram genuflectere, sed quasi mediam genuflexionem peragit et manibus altari innixus utrumque genu flectit ».

[1] Decr. Authent., n. 2682.
[2] Cf. N. 4194.

Ita vero novissimis literis se habet Orator Episcopus: « Ex autographis documentis (medici nempe et magistri caeremoniarum) patet, nec grave aliquod periculum esse timendum, nec gravem irreverentiam vel in populo admirationem, quemadmodum una voce mihi clarius declararunt. Ego vero primo casum, quem exposui, ab involuntario errore purgare debeo. Exposui tali defectu in tibia dextra clericum laborare, ut genu sinistrum flectere debeat. Hoc et ipse et alii dicebant, sed (sicuti nunc oculis perspexi) ob actus ambiguum sensum veritas haec est: Anchilosi perfecta in genu dextero laborans, non potest clericus illud usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflexionem commode exsequitur. Quod si fulcrum quodcumque prae manibus habet, veluti quando altari sistit, ambobus genibus provolvi potest, licet sinistrum tantum terram tangat, dextero aliquantum elevato; sed ita ut talari veste tecta persona nil de hac imperfectione adstantes videant. Ceterum conveniunt omnes, qui clericum agnoscunt et vident, nullam eum praeseferre deformitatem. Quamvis aliquantulum claudicet, securus tamen et expeditus incedit ».

Iam in praecedenti distributo folio nonnulla adnotabantur, quae claudum ad sacros ordines promovendum respiciunt, nec silentio praeteribam potiorem difficultatem, quam in facti specie de promovendo, non de promoto occurrere perspexeram; licet ex *Asculana*, 20 februarii 1808 exemplum afferrem elargitae dispensationis clerico Sallusti, qui ob renium debilitatem claudicabat, genuflectionem vix genu sinistro signabat, dexterumque genu vel utrumque simul flectere nullatenus absque alterius auxilio valebat.

Causas vero, quas ad obtinendam dispensationem, si ea opus foret, in primis literis Episcopus attulit, ita in nuperrimis asserit et confirmat: « Quae exposui de clerici vocatione, virtutibus et dioecesis gravissimis necessitatibus, ea plene confirmo, ideoque pro petita ad cautelam dispensatione novas humiliter addo fervidas preces ». Quibus perpensis:

Die 27 februarii 1864 Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 206 Decretorum, p. 1389].

4198.

S. C. C., *Ariminen.*, 24 sept., 26 nov. 1864.

Benedictus XIV duabus suppressis paroeciis cum suis titulis in terra S. Archangeli Ariminen. Dioecesis, earumdem bonis unicam ecclesiam parochialem constituit, eamque in insignem collegiatam erexit. Cura habitualis Capitulo, actualis vero cura duobus Vicariis perpetuis, totidemque coadiutoribus ad nutum Capituli amovibilibus demandata est; ea adiecta lege, ut servata pristina divisione populorum, uterque Vicarius suum populum haberet, quem regeret.

Vicarius Capitularis (ea enim dioecesis suo Episcopo viduata erat) sequentia S. Congregationi referebat: « Quoniam duae Vicariae perpetuae constitutae sunt per modum unius et habent unicam ecclesiam parochia-

lem, et unicum Rectorem principalem, nempe Capitulum, etsi retenta fuerit distinctio antiqua duorum populorum, tamen ab initio usque in praesens, unica Missa pro populo diebus festis celebrata fuit alternatim a duobus Vicariis perpetuis... Moderni Vicarii perpetui autumant, alterum eorum, die quo non tenetur Missam applicare pro populo, posse eam celebrare in quacumque ecclesia, etiam rurali, modo prius muneri audiendarum Confessionum Sacramentalium satisfecerit ».

Itaque controversia orta est inter Vicarios et Capitulum: negabant videlicet Vicarii se teneri ambos Missam pro populo celebrare, et applicare; affirmabat autem Capitulum eiusmodi onus illis inhaerere. Imo Canonici plenis suffragiis sequentem articulum constitutionibus capitularibus addiderunt, videlicet: « Ambo Vicarii perpetui debent, et tenentur per se omnibus diebus festis Missam celebrare in ecclesia collegiata ad populi commoditatem ».

Rogatus hisce super rebus Vicarius Capitularis ea exposuit, quae hucusque narrata sunt, animi tamen sui sensa minime aperienda duxit.

Canonici in suis deductionibus quam maxime insistebant, ut ostenderent utrumque Vicarium perpetuum teneri diebus festis Missam *celebrare* in ecclesia collegiata ob populi commoditatem, quamvis alternatim alter eorum reputaretur exemptus ab onere Missam pro populo applicandi. Rationes autem, quibus id ostendere contendebant, ad has reducuntur: Benedictus XIV in ipsa collegiatae ecclesiae erectione facultatem Capitulo Apostolicis Literis fecit condendi *quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta ac sacris Canonibus... minime contraria, et per Ordinarium loci examinanda et approbanda:* atque inde concludebant facultatem inesse Capitulo id constitutionibus suis addere, quod in ampliorem divini cultus decorem cedat; proindeque imponere posse utrique Vicario obligationem celebrandi diebus festis Missam ad populi commoditatem.

Observabant insuper Canonici, esse quidem unam ecclesiam parochialem, duos tamen populos invicem distinctos habere, duosque Parochos eorum spiritualem curam gerere; ac proinde ambobus inesse onus pascendi populum, eumdemque spiritualiter aedificandi, ut notat Barbosa ad Conc. Trid., Sess. 23, c. 14, *de ref.* Porro non aedificationi, sed admirationi esset populo Parochus ille, qui diebus festis, pinguiori inhians eleemosynae, non in sua, sed in aliena ecclesia celebraret.

Huic obligationi utrumque Vicarium subesse Canonici contendebant, etiamsi alteruter alternis vicibus dumtaxat applicare Missam pro populo teneretur; quia *obligatio ad celebrandum, et obligatio ad applicandum sunt diversae*, ut ait Barbosa, *de offic. et potest. Paroch.*, par. 1, cap. 11, n. 10. Quare si ab obligatione applicandi Missam eximantur propter paroeciae unitatem, ab altera certe sese Vicarios liberare non posse Canonici putabant propter populi distinctionem: obligatio enim isthaec ab obligatione pascendi procedit, ac ubi duo sunt populi, duo adesse debent pastores, qui eos pascant.

Accedit, quod Concilium Tridentinum, Sess. 22, *Decret. de observ. et evit. in celebr. Missae*, cum statuerit praemonendum esse populum ut fre-

quenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, et maioribus festis accedat; inutilis haec praescriptio evasura dicebatur, si in parochiali ecclesia non adsit proprius Parochus a quo populus *vim et usum* Sacramentorum edoceatur, *nec non inter Missarum solemnia aut divinorum celebrationem sacra eloquia, et salutis monita... vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanentur, eademque in omnium cordibus... inserantur*, ut idem Concil., Sess. 24, cap. 6, *de ref.* praescribit.

Hac profecto de causa factum fuisse Canonici aiebant, ut Benedictus XIV in const. *Cum semper oblatas*, [1] permiserit quidem Episcopis, ut facultatem facerent iis Vicariis perpetuis, qui vere inopes essent, recipiendi eleemosynas pro Missis diebus festis celebrandis, sed hoc ea lege eis permisit, ut *ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali celebrarent*. Ex quo concludebant maiorem esse obligationem celebrandi diebus festis ad populi commoditatem, quam applicandi Missam pro eodem.

Vicarii e contra rationibus a Canonicis allatis respondebant: licet servata sit populorum distinctio, unam tamen esse ecclesiam, unam paroeciam, unumque Parochum; atque idcirco unum dumtaxat sacerdotem teneri diebus festis Missam pro populo celebrare, et applicare: habere insuper Capitulum facultatem condendi statuta, sed non ea, quae in damnum tertii cedant; probari a se distinctionem inter obligationem celebrandi et applicandi, sed quando ad applicandam Missam unus eorum non tenetur, neque tenetur ad eamdem in collegiata ecclesia celebrandam, cum unica tantum non modo applicatio, sed etiam celebratio Missae parochialis a ss. Canonibus praescribatur; concessisse Benedictum XIV Vicariis egenis, ut applicationem Missae pro populo infra hebdomadam differrent, celebrationem autem differri non permisisse, ut populus praecepto audiendi Missam faceret satis, et Dei verbum excipere posset: haec autem a se praestari, atque unam Missam satis esse; neque aliam fuisse mentem Patrum Tridentinorum hac super re, quia unam tantum Missam parochialem memorant non duas, aut plures. Quod si Canonicis non satis consultum per unam Missam videretur spirituali populi necessitati, monebant iidem Vicarii, in ipsos Canonicos onus incumbere prospiciendi spirituali populi necessitati, cum bona omnia parochialia Capitulo adiudicata fuerint.

Hisce rationibus utrinque expositis nonnulla adiungebantur *ex officio*. Observabatur nimirum in praesenti casu agi de unione paroeciarum extinctiva, atque unicum in ea Parochum esse constitutum, nempe Capitulum, cui cura habitualis delata est, et eos, qui curam actualem gerunt, non plurium parochorum Vicarios esse, sed unius tantum. Porro cum singuli Parochi singulas Missas pro populo celebrare et applicare diebus festis teneantur, sequi inde videbatur, eos Vicarios, qui unius Parochi vices gerebant, ad unicam Missam in collegiata ecclesia celebrandam teneri.

Atque in hunc sensum S. C. C. huiusmodi controversias pluries resolvit, ut in causa *Nuscana*, 17 ian. 1756 [2] et in *Balneoregien.*, 19 aug. 1713. [3]

[1] Cf. N. 345.
[2] Cf. N. 3660.
[3] Cf. N. 3126.

Hisce aliisque adductis quaeritur:

1. *An uterque Vicarius perpetuus teneatur omnibus diebus festis Missam in parochiali ecclesia pro populo celebrare, et applicare in casu?*

Die 24 septembris 1864 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative.

Reproposito vero dubio sub forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?

Die 26 novembris 1864 Sacra, etc. respondit: In decisis et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 123, p. 444-450, 472-474].

4199.

S. C. C., *Aesina*, 26 nov. 1864.

Laurentius Ponti, a 23 annis inter collegiatae ecclesiae oppidi Carotti Aesinae dioecesis canonicos adscriptus, mense februario huius anni e sinistro corporis latere apoplexiae morbo correptus est. Post longum temporis intervallum paralysis a pede ferme recessit, laeva tamen manus ita iners manet, ut ex medici sententia nonnisi remota spes effulgeat aliquem sensum aliquando eam fore recepturam. Impeditus ergo, quominus Sacrum peragere rite valeat, supplici prece petiit, ut ex Apostolicae Sedis benignitate per opportunam ab irregularitate dispensationem eidem facultas concederetur debitis sub cautelis iterum missae sacrificium offerendi ad animi sui afflictionem minuendam, et congruam vitae sustentationem quotidiana missarum eleemosyna comparandam.

Propitium sane huiusmodi precibus suffragium Eminentissimus Episcopus addidit, qui praeterea infirmum et pauperem Oratorem huic Sacro Ordini commendavit ea etiam ratione innixus, quod celebratio missae, ut ipse aiebat, manu tantum dextera aliquando per S. Sedem indulta fuerit. Ad maiorem vero cautelam in re tanti momenti visum est illico praelaudatum Eminentissimum rogare, ut peracto experimento coram caeremoniarum magistro distincte magis referret de statu laesi brachii, quasve caeremonias explere non valeret Orator, nisi cum assistentia alterius sacerdotis, absque irreverentiae periculo.

Haec ergo Episcopus retulit: « Peractum est experimentum coram sacr. caerem. magistro, relatumque nobis est, Oratorem omnibus facultatibus intellectualibus praeditum potestatem habere memoriter secreta recitandi, ac clara voce verba libere et distincte pronuntiandi, ut rite sacrum perficiat. Duo tamen sunt, quae idem caeremoniarum magister negat per Oratorem absolvi posse: 1º videlicet eum non valere hostiam sacram frangere per medium super calicem dextera tantum manu; 2º non valere eadem dextera manu dumtaxat extergere patenam super calicem eam fragmentis mundando. Quare sentit pro his duobus implorandam esse gratiam frangendi hostiam super patena manu tantum dextera, et extergendi patenam ope alterius sacerdotis, qui Oratori celebranti patenam super calicem retineat, eodemque tempore calicis pedem altera manu cohibeat, ne moveatur. Quod sacerdotis auxilium durante paralysi necessarium omnino existimatur, licet Orator

contendat posse se a fragmentis patenam abstergere manu tantum dextera, quin ponatur super calicem iuxta missalis rubricas ».

Post haec ita suas concludit literas Eminentissimus Praesul: « Cum Orator factus non sit deformis ob paralysim, cumque eius incessus sit paene naturalis, et, si usus excipiatur laevae manus, omnia fere ut ceteri sacerdotes adimpleat: ad haec cum in terra Montis Carotti brevi temporis intervallo plures sacerdotes decesserint tum iuvenes tum senes, cumque bonum christifidelium spirituale postulet, ne desit Oratoris celebratio, nullum verbum faciens de provecta eius aetate, de vera eius paupertate, de diuturno ac continuo servitio ecclesiae Montis Carotti praestito, dignum gratia, quam implorat, existimarem ». Imo in novis aliis literis eamdem gratiam utilem et necessariam diiudicat.

Ex iis, quae huc usque in facto enarrata sunt, facile eruitur, rem esse in themate de gravissimo corporis defectu, eoque constanter in posterum, ut medicus arbitratur, perseveraturo. Non raro quidem Sacra Congregatio in eiusdem fere morbi circumstantiis vel etiam in levioris defectus casibus dispensationis gratiam denegavit, prout haud pauca exempla docent in Sacri Ordinis resolutionibus. Opus profecto non est, ut huiusmodi exempla heic afferantur, cum palam sint difficultates, quae in similibus casibus solent occurrere. Quoniam vero Eminentissimus Episcopus gratia dignum Oratorem existimat, recolens aliquando concessam fuisse huiusmodi dispensationem, nonnullos adducam casus cum propitiis huius Sacri Ordinis rescriptis.

In una *Cosentina* inter supplices libellos diei 13 iulii 1725,[1] etsi res esset de sacerdote, qui, amissa in dextero brachio qualibet flexibilitate, impotens evaserat ad sacr. hostiam et sanguinem cum eadem manu sumendum, ad porrectas tamen dispensationis preces rescriptum fuit: « Arbitrio Archiepiscopi ». In comitiis habitis die 28 iunii 1785, cum relatus esset inter supplices libellos casus Philippi cuiusdam Maggiorani, qui ex fortuita sinistri brachii iactura irregularis effectus fuerat, responsum quidem est ea die: « Negative ». At rursus propositis precibus die 16 iunii 1788, exiit rescriptum die 7 iulii eiusdem anni: « Ad Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem ». Canonicus Falbo *Geruntinae* dioecesis, qui ex licita venatione omnes sinistrae manus digitos amiserat, in consessu habito die 27 aprilis 1788 sequens ad exhibitas pro dispensatione preces responsum obtinuit: « Affirmative, modo celebret hora a populo minus frequentata ». In *Baren.*, 20 decembris 1823 propitium dispensationis rescriptum habuit sacerdos, qui brachii dexteri motum omnem ob laesionem amiserat. Et haec sunt exempla remotiorum annorum. Ex recentioribus vero duo praecipue ad rem facere videntur, quorum primum prostat in *Bergomen.*, Dispensationis per summaria precum diei 27 nov. 1852, in qua favore sacerdotis, qui ad removendum certae mortis periculum sinistri brachii passus fuerat amputationem, sequens rescriptum prodiit: « Dummodo celebret in oratorio privato, et si Episcopo videatur, cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis, et rehabilitationis... facto verbo cum Sanctissimo ». Alterum vero in *Pampilonen.*, diei 23 aprilis 1853 pariter inter supplices libellos, in qua sacerdos Raymundus Arigabolo cum in sinistro brachio tantam passus esset laesionem, ut eumdem nullatenus movere valeret, a Sacro hoc Ordine dispensationem ab irregularitate petiit rescriptumque consecutus est: « Pro gratia dispensationis et rehabilitationis facto verbo cum Sanctissimo, modo celebret hora a populo minus frequentata et cum assistentia presbyteri vel diaconi, si id commode fieri posse Episcopo videatur ».

[1] Cf. N. 3301.

His ergo perpensis casibus super maiori etiam nedum aequali gravitate defectus, iudicent Eminentiae Vestrae, utrum peculiares circumstantiae in casu occurrentes Oratoris preces satis benignitati Sacri Ordinis commendent. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione et rehabilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia remittenda arbitrio et prudentiae Eminentissimi Episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 207 Decretorum, p. 555].

4200.

S. C. C., *Pinhelen.*, 16 iun. 1865.

Clericus Ioannes Autunes, dioecesis Pinhelensis, supplicem porrexit libellum Sanctissimo Domino humiliter exponens, se a teneris annis ecclesiasticae militiae nomen dedisse, seque in eius servitium perpetuo mancipare velle. Cum vero hodie expleto cursu humaniorum literarum in theologiae moralis iurisque canonici studia incumbat, vocationi suae, ut arbitratur, obsecundans, ss. ordinibus initiari quamprimum desiderat. At obstat defectus ex dextera eius manu proveniens, quippe per adustionem duos digitos minimum et annularem amisit. Proinde rogavit Beatissimum Patrem, ut cum eo dispensare velit ab hac irregularitate, cum pollex et index ita incolumes sint, ut una cum medio, licet in tendinibus offenso et curvo ad partem interiorem manus, possit omnes functiones explere.

Hasce preces die 7 martii huius anni transmisi ad Archiepiscopum pro informatione et voto, utque peracto experimento coram caeremoniarum magistro accurate referret super omnibus et singulis actionibus relate ad hostiam et calicem, an in aliquo adesset periculum irreverentiae et admirationis, nec non de Oratoris aetate, vera vocatione ad statum ecclesiasticum, ecclesiae necessitate et utilitate, et an ante theologiae studium cursum philosophicum expleverit.

Quibus omnibus Ioannes Ioseph Vaz, Vicarius Generalis dioecesis Pinhelensis pro Archiepiscopo administratore die 4 aprilis huius anni respondit: « Testor ordinandum Ioannem Autunes a me et magistro caeremonia-

rum examinatum esse super defectu, quem habet in manu dextera. Habet iste pollicem et indicem sanos et agiles, ceteri autem digiti in extrema parte cum manu interiore cohaerent. Experimento facto vidimus eum cum adiumento digitorum laesorum apprehendere et tenere et elevare hostiam et calicem, consumere pretiosissimum sanguinem et absque periculo et scandalo omnes missae caeremonias perficere posse, signa tamen crucis non debita perfectione ab eo peragi. Ordinandus semper bene se gessit et certa signa vocationis ad statum ecclesiasticum praebet. Eius dispensatio utilis erit servitio ecclesiae, cum eius paroecia 305 focos comprehendens praeter parochum nullum alium habeat sacerdotem. Quoad studia, quae fecit Orator, de sequentibus disciplinis bona adsunt testimonia: de instructione primaria, de grammatica et lingua latina, de philosophia rationali et morali, de principiis iuris naturalis et lingua gallica, de oratoria, poetica et literis classicis, de historia, geographia et chronologia, de arithmetica, algebra, geometria et trigonometria, de theologiae moralis primo cursu, de historia sacra et ecclesiastica, et nunc secundum cursum theologiae moralis et institutiones canonicas frequentat ».

Notum est irregularitatem ex defectu corporis derivare, quoties aliquis nec secure propter debilitatem nec sine scandalo propter deformitatem membri sacra munia obire possit, can. 3, dist. 55 et cap. *Presbyterum, de cler. aegrot.* Hinc nullum dubium esse videtur, quin praefatus Orator ex adustione duorum digitorum dexterae manus iregularis ex defectu corporis evaserit. Et quamvis Vic. Generalis sua attestatione, habito experimento, affirmet, quodvis periculum et scandalum abesse in sacro peragendo: attamen, cum agatur de clerico promovendo, S. C. non ita facile impertitur dispensationem, sicut solet in promoto, uti videre est in *Comen.*, 8 aprilis 1775, [1] quae semel et iterum proposita semper negativa responsione dimissa fuit, cui consonat *Patavina*, quae prima vice mense aprili 1861 proposita per summaria precum dimissa fuit rescripto: « Non expedire »; iterumque subiecta Eminentissimorum Patrum iudicio, die 29 novembris eiusdem anni responsum obtinuit: « In decretis ».

His vero minime obstantibus, praetereundum non est S. H. C. pro variis rerum et locorum circumstantiis, etiam quando agitur de clericis promovendis, dispensationem super defectu corporis non denegare; dummodo vitium huiusmodi non sit, ut sacras caeremonias peragere impediat, aut scandalum et admirationem excitet in populo, boni mores Oratoris ab Episcopo commendentur, et certa spes adsit peculiaris utilitatis, quae in ecclesiam ex tali promotione derivet, ceu in *Lucana*, 25 novembris 1825, *Matheranen.*, 22 septembris 1860, *Apuana*, 22 septembris 1860 per summaria precum proposita et nostrae prorsus simillima, in qua, cum caeremoniarum magister testatus esset: « clericum Antonium Ramaglia impeditum in manu sinistra cum duobus digitis pollice et indice officium sacerdotale optime posse explere, quamvis alii digiti contracti et immobiles remaneant », Eminentiae Vestrae, quamvis antea in comitiis diei 17 decembris 1859 exhibitas preces reiecissent (Ep. enim initio retulerat Oratorem non sine aliqua difficultate pollicem et indicem posse coniungere), reposuerunt: « Attentis noviter deductis pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo ». Quaeritur:

[1] Cf. N. 3792.

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione et habilitatione in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 208 Decretorum, p. 1085].

4201.

S. C. C., *Bergomen.*, 8 iul., 12 aug. 1865.

Resoluta fuit haec causa die 5 decembris 1863 quoad primum dubium tunc propositum, *dilata* vero *ad mentem* quoad secundum. [1] Episcopus cohaerenter ad mentem S. Congregationis, quae eidem pandita est, die 28 novembris 1864 respondit: ordinatum fuisse Lucchinium titulo ecclesiasticae Capellaniae, cuius annuos reditus enarrabat; retulit, quinam annui reditus e Paroecia, de qua agitur, Parocho obvenirent; paucissima esse in sua Dioecesi Beneficia, quae ab Episcopo libere conferuntur, quorum nullum in praesens vacans erat.

Lucchini interea quosdam subiectionis actus Episcopo adpromovisse visus est, at simul die 1 decembris eiusdem anni 1864 postulavit a S. Congregatione, ut ab onere gravissimo ipsorum decretorum penitus solveretur, instituto regulari processu. His itaque aliisque propositis perpensis dignentur EE. VV. definire dubia:

1. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

2. *An, et quomodo sit locus depositioni Sacerdotis Lucchini a Paroecia in casu?*

3. *An, et quomodo sit locus absolutioni a censuris et dispensationi ab irregularitate in casu?*

Die 8 iulii 1865: Non proposita.

Die 12 augusti 1865 Sacra, etc. respondit ad 1. In decisis, et amplius.

Ad 2. Esse locum deputationi Administratoris paroeciae in spiritualibus et temporalibus, assignata favore Sacerdotis Lucchini, donec aliter de beneficio ecclesiastico provideatur, pensione annuarum libellarum 400.

Ad 3. Peractis per decem dies spiritualibus exercitiis in aliqua domo religiosa ab Episcopo designanda, esse locum absolutioni a censuris, et dispensationi ab irregularitate.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 124, p. 289-295, 304].

[1] Cf. N. 4196.

4202.

S. C. C., *Venetiarum*, 27 ian. 1866.

Post pacificam duodecim annorum vitae coniugalis consuetudinem quinque susceptis filiis, perturbari coepit domestica quies inter coniuges Aloisium Musitelli et Catharinam Davanzo in praeclara Venetiarum Civitate. Vir enim Parochum adiit uxorem insimulans adulterii crimine, torique separationem postulans. Summo studio Parochus, ut par erat, pacem et concordiam fovere conatus est; cum autem neque per se neque per alios quidquam proficeret, rem detulit ad ecclesiasticam Curiam.

Hinc instituti coeperunt ad normam iuris acta processualia, et coram Iudice se sistens vir fassus est: ab uno circiter anno se in uxoris agendi ratione detegisse notabilem mutationem: se in officina inter alios operarios quemdam Dominicum Zaia habere sexdecim abhinc annis, qui molitus est relationem inhonestam cum Catharina sua uxore; quam relationem hoc facto se cognovisse enarravit: « Horis vespertinis cuiusdam diei ego ingressus domum fenestram quamdam aperui, ac vidi Dominicum fugientem iuxta murum... Regressus sum, ac meam uxorem offendi, quae ne verbum quidem mihi dixit. E domo egressus ad uxorem rescripsi in hanc sententiam: *discede e domo, si vis, ut aliquando facultatem tibi faciam osculandi filios tuos.* Post duas horas domum ductus in meam uxorem haec verba protuli: *nefanda mulier...* Ipsa nihil respondit et surgens e domo fugit. Postridie mane dimisi ex officina Dominicum, qui tantum haec verba protulit: *Id praevidebam* ».

Vocata in iudicium uxor, Iudici interroganti respondit: « adeo de mea innocentia in causa honestatis certa sum, ut optem quam maxime causam omni iuris rigore ventilari, ut mea innocentia comprobetur ». Ad factum vero, quod vir enarrarat, coram Iudice respondit: « animadverto, Dominicum domum meam quotidie quam saepissime frequentare, et solitum fuisse e scrinio ephemerides tollere ac legere, quemadmodum ea die fecerat... »

Ad probandam uxoris infidelitatem vir primo quatuor, deinde octo alios testes designavit, qui, exceptis duobus, quorum ignotum erat domicilium, sub iuramento examinati fuerunt. Attamen eorum testimonia simul collecta in has sententias conveniebant: mulierem esse domi assiduam, educationi filiorum et negotiis domesticis sedulo intentam: se quidem vidisse Dominicum domum saepe intrantem praesente vel absente viro; sed nihil inde mali suspicatos esse, quia Dominicus inter praedilectos viri operarios ita recensebatur, ut eiusdem frater esse videretur; nunquam vero vel signum aequivocum, vel factum indecens se conspexisse, aut aliquid audivisse, quod minus honestum reputari posset. Unica testis a caeteris dissentiens nonnulla enarravit, quae nimiam innuere videbantur familiaritatem uxoris cum Dominico; haec tamen testis ex Parochi testimonio, concubina erat cuiusdam militis.

Dum haec acta processualia conficerentur, Aloisius alimenta, pendente lite, uxori assignata denegavit, donec muliebria quaedam ornamenta, quae e domo fugiens mulier secum tulerat, redderet; ac idem vir sub specioso titulo educatricis filiorum, saltatricem quamdam mulierculam domum introduxit; quod tam ingens scandalum vicinis creavit, ut ipsa civilis auctoritas mulierculam expulerit: sed vigilantiam magistratus Aloisius eludens eamdem apud se iterum advocavit. Praeterea cum suis amicis gloriari non erubuit de sua turpi cum ea muliercula consuetudine; idque Iudici interroganti negare ausus non est.

Huc usque perductis actis, vir actor petiit ulterius, ut alii testes super infidelitate uxoris sub iuramento in iudicio examinarentur; at Curia, reiecta eiusmodi viri instantia, sequentem edidit sententiam: « Viso, quod unica accusatio, qua actor impetit uxorem, est, adserta coniugalis fides a Catharina violata cum Dominico; quod factum, cui innititur accusatio, est deprehensio Dominici in remoto quodam cubiculo domus, dum tamen in altero reperiretur Catharina;

« Considerato, quod actor factum admittit, quo usque ad illam diem, tutus de uxoris honore fuerat, quod iniuria suspiciones de Dominico haberentur, qui a multis annis sibi subiectus suam frequentaverit familiam, se praesente, quin unquam ex hoc in mentem actoris subierit suspicio verae relationis amoris cum uxore;

« Considerato, quod adiuncta loci et temporis, quibus Dominicus deprehensus est, nullum praebeant motivum suspicandi adversus eum, qui a multis annis actoris domum iugiter frequentabat ipso actore sciente: eo vel magis, quod actor his in adiunctis ea ipsa die et occasione, qua Dominicum domi deprehendendit, plene tranquillus, ut ipse fatebatur, mansit, tum de illo, tum de uxore sua: quin imo paullo post per tractum quemdam viae Dominicum comitem habuit, eumdemque ut antea excepit;

« Considerato, quod testes ab actore adducti ad probandam praehabitam amoris consuetudinem nullimode actorem iuvant; quin imo ex quatuor testium depositionibus resultat, rationem agendi uxoris erga Dominicum ne indicium quidem eiusdem consuetudinis praeseferre; quod unica testis, quae non suffragatur uxori, factum adducit, quod impar est ad rationabilem suspicionem inducendam; quod factum cum hac vi destituatur, opus non est ut iudicetur, an haec testis possit in iudicio admitti ob suam rationem vivendi;

« Viso e contrario, quod actor fassus est, qua relatione se habeat cum muliercula saltatrice; quod tandem ex habitis notitiis resultat, rationem vivendi actoris cum dicta muliercula praeseferre caracterem adulterae consuetudinis:

« *Hoc tribunal decrevit et pronunciavit, sicut decernit et pronunciat, reiiciendam esse, quemadmodum reiicit, tamquam fundamento destitutam, instantiam viri Aloisii Musitelli contra propriam uxorem Catharinam Davanzo, eipsumque eam recipere teneri; salvo iure uxoris partes actoris agendi in casu contumaciae viri, adversus virum ipsum in causa separationis legalis ex titulo malitiosae desertionis* ».

Hac edita sententia querebatur Aloisius ob neglectum aliorum testium examen, quos nominaverat; ideoque nullitatem latae sententiae declarari

postulavit. Causa deveniente per appellationem ad S. C., transmissa sunt acta processualia. Facta autem facultate partibus deducendi, quatenus velint, ulteriora iura sua coram S. C., Aloisius uxorem insimulabat, quod coram Parocho culpam fassa esset, quodque nunc apud malae vitae foeminam commoraretur; adducebat praeterea quasdam testium extraiudicialium depositiones: uxor e contra nihil ulterius deduxit, monens dumtaxat, modo mulierculam saltatricem dimissam fuisse, ne Aloisius eam in sua domo parientem haberet. Audito itaque de more iterum Ordinario, causa disceptata est sub dubiis, quae infra habentur.

Favore Aloisii dicebatur *ex officio*, super productione novorum testium, ipsum, licet una alteraque vice testes in causa produxerit, tamen ex iure non prohiberi tertiam facere testium productionem iuxta cap. *In causis*, 15, *de testibus*, et cap. *Ultra*, 55, eod. tit., ex quibus admittitur etiam quarta testium productio si praescriptae solemnitates adhibeantur. At contra observabatur novum non esse in iure ut denegentur ulteriores testium productiones quae necessariae non sint, tum quia effraenata testium multitudo cohibenda est, tum, ne sub optatae probationis praetextu lites nimium protrahantur, cap. *Significaverunt*, 36, eod. tit.

Considerata in merito causa, Aloisius dicebatur actionem suam seu instantiam non probasse; ideoque planum esse principium: *actore non probante reus absolvitur*. Sed hypothesi facta, qua potuisset Aloisius suam sustentare actionem, haec ad rem observabantur. Licet adulterium unius coniugis praebeat alteri divortii perpetui ius, hoc tamen ius amittitur, si alter coniux eiusdem criminis sit reus, cap. *Significasti*, 4, *de divortiis;* cuius dispositionis rationem addit Innocentius III in cap. 6 et 7, *de adulteriis*, scilicet: *paria crimina mutua compensatione delentur*. Neque interest, an unus prius, aut saepius, aut gravius, quam alter deliquerit, Sanchez, lib. 10 disp. 6, Pirhing in lib. 6, tit. 19, n. 8. Reiffenstuel, ibidem, nn. 80, 82. Imo delictum post rem iudicatam superveniens praeiudicare illi coniugi, cuius favore lata est sententia docet Fagnanus in *cap. Ex litteris*, 5, *de divort.*, n. 9. Si igitur coniux, qui innocens iudicatur, et cui facultas fit separatam vitam agendi, ad cohabitandum tamen compellitur propter adulterium, quod deinde committat: multo magis in praesenti themate iuri conformem videri debere sententiam Curiae, de qua agimus, quae Aloisio, indulgenti adulterinis amoribus, prospera, ex defectu probationis, non accidit. Dubia sunt:

I. *An sit locus examini novorum testium in casu?* Seu potius:

II. *An sententia Curiae Patriarchalis Venetiarum sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 125, p. 35-42].

4203.

S. C. C., *Soanen.*, 22 sept. 1866.

Vicarius Capitularis Soanensis et Pitilianensis Dioecesis Sanctissimo Domino Nostro commendavit preces adolescentis Nazareni Traversi, qui sexto supra decimum aetatis anno iam expleto ecclesiasticae militiae adscribi cupiens, irregularitate ex defectu corporis impeditur, quominus voti compos fiat. Is enim a nativitate pedem dexterum habet varum, ceu medici dicunt, inclinatum versus pedem sinistrum, et crus dexterum sinistro debilius est. Hoc tamen defectu minime obstante, libere absque ullo artificiali adiumento Orator incedit, et nullum adest periculum, quod nativum incommodum gravius in posterum evadat, testante medico, qui adolescentem Traversi corporis viribus pollere et magnum monstrare ingenium dicit.

Ad haec addit Vicarius, Oratorem ex honestis et haud exiguo fortunarum censu instructis parentibus ortum valde commendari vita et moribus laude dignis et progressu haud communi, quem fecit in studiis aetati suae propriis; Dioecesim vero quam plurimum indigere sacrorum ministris, his praesertim difficillimis temporibus, et impedimentum, quo iuvenis ab ipso commendatus laborat, nonnisi minimam parere in populo admirationem.

Ablegatis his precibus ad hunc Sacr. Ordinem, mandatum est eidem Vicario, ut peracto consueto experimento magis praecise referret tum de periculo in sacra peragendo, tum de vera necessitate seu evidenti utilitate ex Oratoris promotione ecclesiae obventura. Novis quapropter literis Vicarius testatus est: 1º Adolescens Traversi me et canonico magistro caeremoniarum praesentibus aliqua difficiliora fecit experimenta, quibus eum libere se movere posse monstrabatur. 2º Magister ceremoniarum mecum consentit, talem deformitatem non esse indecentem neque parere admirationem. 3º Dioecesis iam nunc in magna sacerdotum penuria versatur, unde in nonnullis paroeciis religiosos oeconomos instituere coactus sum. Tempore hoc ecclesiae maxime infausto adolescentes valde ab ingressu in statum ecclesiasticum deterrentur, ita ut in dies magis numerus sacerdotum decrescat et ipsae ecclesiae cathedrales atque metropolitanae servitio clericorum priventur. Deinde curia episcopalis a parocho et magistro de adolescentis Traversi bonis moribus, vocatione ad statum clericalem et ingenio non communi certior facta est. Commiseratione etiam digna est conditio Oratoris, patre quippe orbati et cum indigentia luctantis.

Quae ex his omnibus ad rem colligere licet, haec prae aliis sunt: 1º Non opus esse Oratori baculo vel alio cuiusvis generis adiumento, ut expedite incedat. 2º Defectus conditionem non ex morbo procedere, qui aliquando possit ingravescere. 3º Nullum periculum imminere, cui sacrosanctum missae sacrificium exponatur, si Orator ad sacrum presbyteratus ordinem suo tempore promoveatur. 4º Magnam ecclesiae utilitatem obventuram ex promotione Oratoris. 5º Demum non deesse etiam necessitatem ex imminuto numero sacerdotum, et ex raritate vocationum ad statum ecclesiasticum:

quae omnia quamplurimum favere videntur dispensationis gratiae, quam Orator exoptat. Adversatur autem notissima praxis huius Sacri Ordinis, iuxta quam, si raro in praeallatis adiunctis dispensatio denegatur promoto, raro etiam eadem conceditur promovendo, nisi forte permagna ecclesiae utilitas vel etiam necessitas hoc secundo casu favore supplicantis clerici succurrat, ceu nuperrime contigit in *Utinen.*, 10 martii et in *Cephaluden.*, 16 iunii currentis anni inter supplices libellos adnotatis. Ex iis itaque, quae superius retulit Vicarius de hac utilitatis et necessitatis causa, vestrum erit, Eminentissimi Patres, decernere, quid ad porrectas preces rescribendum sit. Quaeritur:

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro gratia dispensationis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro gratia, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 209 Decretorum, p. 516].

4204.

S. C. C., *Bergomen.*, 22 sept., 1 dec. 1866.

Die 6 iunii currentis anni Episcopus Bergomensis supplici libello Beatissimo Patri haec exposuit: « Aspirat ad statum ecclesiasticum adolescens Dominicus Colleoni, natus die 10 oct. 1847. Hac intentione ductus studia grammaticae et rhetoricae absolvit et iam ad alia studia transiit; verum caret pede sinistro, qui iam multis abhinc annis ipsi amputatus fuit, eo quod fortuita explosione igneae ballistae laesionem receperat. Habet tamen pedem ex ligno adeo affabre adaptatum, ut calceamenta induat sicut ceteri, et bene incedat, quamvis aliquantulum claudicans; baculo autem fulcitur, si longius iter facit; in deambulando vero et inserviendo missae baculo non indiget et commode ascendit ad altare et descendit, etsi missale manibus tenens. Porro adolescens illibatae vitae est, magni ingenii et ita studiis deditus, ut inter socios primum praemium reportaverit anno elapso. Ob tales rationes et propter necessitates Dioecesis Bergomensis vastae et montuosae, cum praesenti tempore pauci inveniantur, qui Ecclesiae servitio se dedere velint, humiliter peto, ut isti dispensatio ab irregularitate ad suscipiendos omnes ordines benigne impertiatur ».

Summus Pontifex die 22 septembris dignatus est ad S. O. preces remittere. Rogatus itaque Episcopus, ut pleniores ederet in facto informationes, rursus pro certo retinendum esse ait, quod irregularitas Dominici non culpa eius, sed casu evenit, neque periculum admirationis in populo adest. Quibus expositis iterum Oratorem commendavit ad dispensationis gratiam consequendam.

In generali congregatione diei 5 maii currentis anni, cum in *Mathelicen. Dispensationis* inter supplices libellos ageretur de gravissimo casu Paschalis Boccoli clerici professi inter Fratres Minorum de observantia, dispensationem expostulantis ab irregularitate, in quam inciderat ob amputationem cruris dextri in distantia quatuor digitorum a genu, animadvertebatur, ex insigni mutilatione corporis irregularem esse claudum, qui, licet sine baculo

et absque gravi deformitate incedat, ligneum tamen pedem habeat, Barbosa, *de off. et potest. Episc.*, alleg. 42, n. 40, Reiffenst., lib. 5, tit. 37, § 4, *de irregularitate*, n. 84. Addebam praeterea, perquisitis actis Sacrae Congregationis non pauca a me reperta fuisse exempla propitii Sacri Ordinis rescripti ad preces dispensationis expetitae a iam promotis super irregularitate proveniente ex una vel altera insigni mutilatione corporis; nullum tamen eiusdem speciei exemplum inventum fuisse favore mutilati clerici promovendi. Quod si in cit. *Mathelicen.* rescriptum prodiit, supplicandum esse Sanctissimo pro gratia dispensationis, id tribuendum videtur speciali circumstantiae religiosae professionis, qua Orator Boccoli, etsi sacris ordinibus nondum auctus, aequiparari iam promoto non immerito potuerit.

His tamen non obstantibus, videant Eminentiae Vestrae, utrum peculiares facti circumstantiae, quae Oratori suffragantur, attenta praesertim Dioecesis necessitate quoad sacros ministros, tam graves sint, ut Oratoris preces tam favorabili Episcopi voto Sanctitati Suae et Sacro Ordini commendatae, propitio rescripto excipi mereantur. Quaeritur:

An sit consulendum SSmo pro gratia dispensationis in casu?

Die 1 decembris 1866 Sacra, etc. respondit: Non expedire. [1]

[Liber 209 Decretorum, p. 517].

4205.

S. C. C., *Bituntina*, 22 dec. 1866.

Vetustis erecta temporibus in horto palatii familiae Lubini Bituntinae civitatis parva exstat aedicula, seu publicum oratorium Deo in honorem S. Onuphrii dicatum, quod ad eum praecise finem aedificatum fuit, ut commoditati esset familiae patronae, a qua etiam eiusdem oratorii manutentioni, sacrisque in eo perlitandis duarum vinearum reditus addicti fuere. Exstincta vero masculina descendentia familiae Lubini, cum illius bona dispertita fuerint inter haeredes ex feminis, et praefatae vineae ex donatione matrimonii causa a quodam Vincentio Sylos-Lubini transierint in filium Ioannem, absque ulla conditione manutentionis oratorii vel celebrationis missarum, curarunt quidem ambo donans et donatarius decori aediculae illius consulere, missarumque et aliarum functionum in ea celebrationi; at paulatim imminutus est cultus Deo exhibitus. Tandem cum a nonnullis annis palatium, cui oratorium adnexum est, et circumstantes aedes plurimis sint locatae familiis, sacer ille locus in dies maius detrimentum patitur et quoad materialem conservationem et quoad cultus decentiam: expositus enim est irreverentiis hominum saepe parum devotorum.

Ad haec avertenda mala praefatus Ioannes Sylos-Lubini, qui nunc palatii oratorii proprietate potitur, aediculam ad profanos usus convertere exoptat. Ne autem id magis officiat cultui divino et venerationi Sanctorum, sequentia a se exequenda proponit:

[1] Cf. N. 4212.

1. « Altare Sancti titularis et imago Crucifixi eximio opere elaboratum e capella tollantur, et debitis in locis collocentur in ecclesia parochiali S. Silvestri, in qua familia Sylos-Lubini a tempore immemorabili exercet patronatus ius, et Orator expensas feret huius translocationis, et comparabit ea, quae ad servitium istius altaris sunt necessaria. Praesens vero capella ad omnes usus profanos converti poterit.

2. « Ecclesia parochialis assumat haec perpetua onera: manutentionis decentis altaris conservati; et solemnitatem S. Onuphrii cum vesperis primis cantatis, missa solemni, et 20 missis lectis et aliis operibus charitatis ipso festo die.

3. « Orator tradet parochiae creditum annuum ducator. 20, ad ferendas expensas, et infra tres annos hanc summam convertet in reditum in tabulis publicis inscribendum, quem in forma iuris parochiae cedet. Post haec duae vineae *al Palombaro* liberatae erunt ab omni onere et in libero dominio praesentis proprietarii.

4. « In memoriam harum rerum Orator suo aere collocabit lapidem marmoreum iuxta altare, quem parochus semper conservabit. Haec omnia Orator humiliter exponit SS. Patri, ut, si aequa invenerit, approbatione sua confirmet ».

Communicatis his precibus cum Episcopo Bituntino, ut suam in re, de qua agitur, sententiam panderet, et audito praesertim parocho in scriptis referret de valore, annuo reditu, et oneribus utriusque vineae, de legitima execrationis causa et an populi devotioni et commoditati praeiudicium inferatur, testatus est Episcopus vota Sylos-Lubini mereri, ut a Sacro Ordine propitie excipiantur. « Certiorem me fecit parochus, nullum damnum populo ex destructione capellae eventurum esse, sive ob non prosperum eius situm, sive ob paucissimos dies, quibus aperiebatur. Porro affirmat provicarius meus, reditum annuum ducat. 20 sufficere pro manutentione altaris, et pro missis, quas Orator proponit. Hinc puto ei concedi posse gratiam ita tamen, si aliter S. Congregatio non senserit, ut emittat in mea curia obligationem de reditu duc. 20, quae parochiae S. Stephani tradere vult ».

Ut vero manifestum fieret, quanti aestimari valeant coementa et area oratorii, nec non quot sint reditus vinearum, binas transmisit idem Antistes relationes a peritis ex officio deputatis exaratas, ex quibus eruitur valorem coementorum et areae oratorii summam attingere libell. Ital. 601, reditum autem vinearum computari posse in duc. 20, seu lib. Ital. 85. Monuit tandem laudatus Episcopus, perquisitis actis curiae, et praesertim ss. visitationum, nullam inveniri potuisse notitiam quoad fundationem praefati oratorii Sancti Onuphrii.

Sacr. Conc. Trid., Sess. 21, cap. 7, *de ref.* conservationem et restaurationem ecclesiarum summopere commendat: « ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant, et ex hominum memoria excidant »; et ad huius praecepti tramites Sacra haec Congregatio saepe demolitioni ecclesiarum obstitit. At praedicta Trid. decr. verba non undequaque absolutum praeceptum continere videntur; siquidem iidem Tridentini Patres post commendatam Episcopis ecclesiarum restaurationem,

quatenus ea expleri nequeat, mandant, ut profanato, non tamen ad sordidos usus, loco, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo, atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria et capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Non dubitatur itaque, quin iustae demolitionis causae dari possint. Inter huiusmodi autem causas, si resolutiones huius Sacri Ordinis consulantur, non ultimum tenet locum periculum irreverentiae et profanationis, cui aliqua ecclesia obnoxia sit, quod periculum praesertim verificatur relate ad aediculas positas in agris, ceu traditur in una *Terracinen.*, 14 aprilis 1764.[1]

Praedicta itaque occurrente causa, non semel Sacer Ordo demolitionis licentiam concessit, ceu in cit. *Terracinen.*, an. 1764 et in *Lucana*, 18 augusti 1781,[2] maxime si favorabile Episcopi votum accesserit. Ex allatis propterea in themate, de quo agitur, circumstantiis perpendant EE. VV., utrum legitima demolitionis et profanationis causa urgeat.

Ex profanatione aediculae, quatenus ea permittenda sit, sequitur consulendum esse debito cultui imaginis Christi Iesu in cruce affixi, quae pretiosi operis esse renunciatur, et curandum quoque, ut transferantur onera missarum, quae in praefata aedicula celebrari hucusque consueverunt. Monet quidem Episcopus, minime reperiri potuisse fundationem oratorii, ex qua forte constaret de imposito onere missarum; at paratum se praebet Orator ad huiusmodi onera in posterum adimplenda, praevia fundatione reditus ducat. 20 in singulos annos, quae satis esse oneribus sustinendis Episcopus docet. Quoad perpetuam vero manutentionem altaris in ecclesia S. Silvestri praeterquam quod satis provideri videtur per ea, quae in illo suis impensis explere Orator promittit, satis etiam consultum est per iuris dispositiones, cum Orator ipse iurepatronatus ecclesiae gaudeat. Dubium est:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Approbandam esse propositam translationem et conventionem iuxta votum Episcopi, capta tamen inscriptione hypothecaria super fundis stabilibus pro securitate annui reditus ducatorum 20, usquedum tradatur summa capiti respondens legitime et tute investienda favore altaris cura Episcopi, qui caveat etiam ne in sordidos usus aedicula deserenda convertatur.

[Liber 209 Decretorum, p. 547].

4206.

S. C. C., *Mediolanen.*, 16 febr. 1867.

Executor testamentarius Comitissae Clarae Gola-Dugnani tres capellanias in templo S. Caroli urbis Mediolanensis erexit; ius nominandi Capellanos Parocho cum Praefectis fabricae eiusdem templi tribuit, atque inter caeteras, quas Capellanis imposuit, leges, hae reperiuntur in hanc

[1] Cf. N. 3738.
[2] Cf. N. 3818.

sententiam: *Capellanus, qui Mediolani non resideat neque Missam celebret in dicto templo, ipso facto possessionem Cappellaniae amittet, aliusque poterit nominari: quisque Capellanus teneatur Missam celebrare diebus festis hora, quae Parocho magis placebit: Parocho auxilium praestabunt in iis omnibus, quae opportuna Parocho visa fuerint, ideoque nominandi erunt Capellani viri idonei ad excipiendas sacramentales confessiones, ad praedicandum, etc. Quodvis dubium aut quaestio, quae temporis lapsu fortasse insurget, sicuti etiam quodvis statutum aut moderatio causae piae utilior a Parocho pro tempore definietur semper favore capellaniarum, commendatione Parochis facta, ut augere enitantur fundum causae piae...*

Iuxta has normas et obligationes erectae fuerunt Capellaniae, et Capellani suo munere cum priori Parocho Amati functi sunt. At Parochus successor Marzorati, quod forte aliquis abusus irrepserit, quasdam alias dispositiones anno 1852 edidit, inter quas sequentes articuli leguntur: « Capellani Missas sive diebus festis sive diebus ferialibus celebrare tenentur in templo S. Caroli; Missam, quae legitur hora decima et decimaprima, celebrare debent alternis vicibus duo Capellani cum obligatione se ad invicem subrogandi, si morbo unus detineatur, quin ius habeant ad eleemosynae augmentum, quod dari solet iis, qui dictis horis celebrant ».

Dein unus ex Capellanis Pellegrini secum reputans Parochorum arbitrium non esse adeo indefinitum, ut certis quibusdam limitibus ex lege fundationis non circumscriberetur, querelas admovit Curiae Archiepiscopali ob impositum onus celebrandi determinatis horis, cum autem Curia, quaestione seposita, charitatis et obedientiae officia commendaret, Capellanus querimonias movit coram S. C. C., et huic quaestioni duas alias adiecit, an scilicet, si legitime non impeditus, teneretur singulis diebus Missam celebrare in templo S. Caroli, et an ipse, qui, utpote idoneus, exhibere teneretur Ordinarii adprobationem ad audiendas sacramentales confessiones et praedicationis officium exercendum pro paroeciae necessitate.

Ordinarius pro informatione et voto rogatus literis diei 5 februarii proxime elapsi anni transmisit Parochi deductiones, eique in omnibus faventem mentem aperuit.

Quoad primum dubium militare favore Capellani videbatur principium iuris: onera Beneficiorum iuxta fundationis leges dimetienda esse, ita ut nec in melius easdem leges immutare liceat: cum autem in praesenti casu lex fundationis horas celebrandi Missam non determinasset, non videbatur eandem statis horis celebrandi servitus posse induci in detrimentum libertatis, in qua fundator Capellanos reliquerat. Et sane de servitute agebatur, de qua, licet Auctores disputaverint, an ab ipsis Episcopis induci posset, tamen sententia praevaluit, neque locorum Ordinarios posse hanc servitutem Capellanis apponere, quando ex lege fundationis ea non fuerit imposita: quam quidem sententiam S. Congregatio Concilii admisit, ut videre est in *Pisauren.*, 17 maii 1653, Lib. 19 Decret., p. 243, in qua proposito dubio: *An Capellanis Capellaniarum de iurepatronatus laicorum in Ecclesia Cathedrali erectarum possint ab Episcopo assignari dies et horae, quibus celebrent Missas ex obligatione earumdem Capellaniarum celebrandas*, Sacer Ordo respondit,

Episcopum non posse cogere huiusmodi Capellanos, ut Missas celebrent vel celebrare faciant certis diebus et horis.

Atqui in lege fundationis statutum non fuisse, Capellanus Pellegrini animadvertebat, ut Missae feriales ad libitum Parochi celebrentur. Quod enim testator voluit per Executorem expressit, quod non expressit, noluit, atque arbitrio Capellanorum reliquit. Quamvis autem arbitrium Parochis Executor reliquerit dirimendi quaestiones, non tamen novum officium imponendi facultatem eisdem fecisse: eo vel magis quod dictum arbitrium Parochis fecerit ad redditus potius augendos melioremque reddendam Capellanorum conditionem. Quod si dubium etiam esset, an Parochorum arbitrium ex vi legis fundationis ad rem, de qua agimus posset trahi, iudicandum esse pro eiusdem arbitrii exclusione: Capellani enim agerent de damno vitando. Parochi vero de lucro captando; quo casu favendum est libertati, *arg. ex l. 41 ff., de Reg. iur., § 1*, qua legitur: *In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventicio lucro.* Eo vel magis quod post fundationis legem Capellani celebraverint ante horam decimam, statuto Sacerdote extraneo, qui augmento eleemosyinae ad tardiorem horam sacrificium litaret.

Contra haec Parochus S. Caroli ad sua iura tuenda duplici argumento est usus; statuit scilicet: 1. naturam capellaniarum ad tramites fundationis esse mere, ut ipse aiebat, mercenariam; ideoque immerito Capellanum ea argumenta obicisse, quae favere possunt Capellanis, qui titulo proprie dicto et perpetuo suas habent capellanias. Hoc autem ostendebat ex eo quod in earum erectione nullum Decretum Ordinarii intervenerit, quod quidem necessarium fuisset, ut Beneficii naturam acquirerent, Ferraris, *Bibl., V. Beneficium*, cap. 1, neque canonica Capellanorum institutio facta fuerit, cum ipsi ad simplicem nominationem Parochorum cum fabricae ecclesiae Deputatis ad Capellani munus exercendum admittantur: proindeque concludebat, eos omnino pendere a Parocho, quemadmodum in ipsa fundationis lege expresse cavetur. Insistebat 2. Parochus in facultate sibi ex lege fundationis concessa dirimendi omne dubium sicut etiam quodvis statutum vel utilius causae piae moderamen definiendi: unde facultatem datam esse animadvertebat ordinandi functiones et Missarum celebrationes in ecclesiae commodum et fidelium utilitatem. Restrictionem autem reiiciebat, quam Cappellanus inducere enitebatur, ad quam excludendam tum Ordinarii litteras tum ipsas dispositiones a Parocho antecessore factas anno 1852 sufficientes esse arbitrabatur.

Quoad secundum dubium, perlectis fundationis articulis, perpensisque dispositionibus Parochi anni 1852 et constanti observantia, dubium secundum affirmativo responso videbatur dimittendum.

Pro affirmativa responsione tertii dubii praeter alias iuris sanctiones militabat Conc. Trid., Sess. 23, cap. 15, *de ref.*, Sess. 5, cap, 2, *de ref.*, et Sess. 24, cap. 4, *de ref.*

His itaque disputatis ab EE. VV. resolvenda sunt dubia:

1. *An Capellanus Pellegrini cogi valeat ad Missas horis a Parocho determinatis celebrandas diebus ferialibus in ecclesia S. Caroli in casu?*

2. *An idem Capellanus, nisi legitime impeditus, teneatur singulis diebus Missae Sacrificium peragere in ecclesia S. Caroli in casu?*

3. *An, et quomodo idem Capellanus exhibere debeat Ordinarii approbationem ad excipiendas sacramentales confessiones, et exercendum munus praedicationis in ecclesia S. Caroli in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1., 2 *et* 3. *Affirmative.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 126, p. 88-97].

4207.

S. C. C., 6 iul. 1867.

Cum Dignitates ac Canonici in Metropolitana ecclesia N. impares sint numero, quo sacrarum functionum solemnitas saepe indiget, providere oportet de Canonicis ad honorem, qui cum titularibus concurrant. Quapropter Sacrae Concilii Congregationi pro resolutione submittitur dubium:

An Archiepiscopus privative a seipso Canonicos ad honorem *nominare, etiamque hunc honorem quibusdam officiis, veluti Doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc. assignare valeat; vel potius hoc agere consensu vel consilio Capituli?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1307. — Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. III, p. 138].

4208.

S. C. C., 6 iul. 1867.

Quaerebatur a S. Congregatione:

1. *An Canonici* ad honorem *sedere valeant in choro ante vel post Portionarios et Semiportionarios titulares, qui licet ministrare debeant uti Diaconi et Subdiaconi, sunt tamen de Corpore Capituli?*

2. *An paramenta sacra in functionibus pontificalibus accipere debeant Canonici* ad honorem. *Planeta vel potius Dalmatica, seu Tunicella parari teneantur?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *Affirmative post omnes Portionarios et Semiportionarios, quatenus et ii inter Canonicos recenseantur et eodem gradu ac caeteri Canonici in Choro sedeant.*

Ad 2. *Si Capitulares sint distincti per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, Canonicos honorarios induere debere tunicellam, secus eamdem vestem communem Canonicis titularibus cuiuscumque ordinis sint.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1308].

4209.

S. C. C., S. *Hippolyti*, 24 aug. 1867.

In Capitulo Ecclesiae Cathedralis S. Hippolyti quoad Missam conventualem, nullum aderat vestigium a primaeva Capituli erectione, quod indicaret eam praescriptam esse et fuisse celebratam, quamvis usus vigeret Missam post chorum cantandi, quin tamen ea pro benefactoribus applicaretur: variis autem de causis Episcopus deprecabatur, ut haec consuetudo servaretur. Tenues autem erant redditus quos Canonici percipiebant.

Itaque S. Congregationi proposita fuerunt die 23 ianuarii 1864 quae sequuntur dubia:

II. *An consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus et condonatione fructuum male perceptorum in casu?*

IV. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione Missae conventualis in casu?*

Quibus rescriptum fuit:

Ad II. Affirmative in omnibus, celebrata unica Missa cum cantu, integro adstante Capitulo.

Ad IV. Affirmative ad dies festos tantum de praecepto, ad decennium. Quas quidem resolutiones SSmus D. N. adprobavit.

Eiusmodi Resolutiones transmissae fuerunt ad Vicarium Capitularem, vacante interea sede episcopali, ut executioni mandarentur. Convocato a Vicario Capitulo, Canonici quoad resolutionem ad IV. dubium, hanc normam statuerunt:

1. *Dies festi de praecepto intelliguntur sensu stricto, exclusis nempe diebus Dominicis et exclusis festis abrogatis, quae in foro non celebrantur.*

2. *In hisce diebus festis de praecepto Canonici per turnum cantant Sacrum solemne hora nona et applicant pro benefactoribus ecclesiae cathedralis; in Sacro solemni reliqui Canonici intersunt pro more. Iisdem porro diebus Missa Parochi, qui et ipse est Canonicus ecclesiae cathedralis, pro populo applicatur mane hora septima, qua frequens populus ex more huius civitatis, post primam concionem habitam hora sexta cum dimidio, sacro Missae sacrificio adstare solet.*

3. *In festis autem Episcopi, quae assignantur in caeremoniali Episcoporum, quoniam Episcopus applicat pro populo et Sacrum solemne hora nona cantat, Canonicus ille, qui est simul Parochus, liberum se putans ab onere applicandi pro populo, mane hora septima post primam concionem applicat pro benefactoribus ad modum Missae conventualis, quin Canonici in choro eidem Missae adsint.*

Hanc Canonicorum deliberationem ratam habuit Vicarius Capitularis, salvo iure Episcopi sede plena aliter disponentis.

Novus Episcopus dein anno 1865 constitutus, aequa lance omnibus consideratis, maluit totum negotium iterum S. Congregationi subiicere. Quamvis enim rectam in omnibus non fuisse videret interpretationem a

Capitulo factam, tamen, expositis difficultatibus eas Resolutiones undequaque executioni mandandi, modum quemdam alium S. Congregationi proposuit.

Quoad Missam conventualem monebat, Canonicos obligatione teneri aliarum Missarum, quae ex parte Capituli persolvi deberent pro benefactoribus Praebendarum singularium, et speciatim officii defunctorum cum Missa cantata de Requiem singulis mensibus pro quodam praecipuo benefactore: item pro singulis Episcopis benefactoribus, ita ut sibi videretur ex quadam aequitate posse sufficere Missae conventualis celebratio illis diebus festis de praecepto, quibus nunc Capitulum eam celebrabat.

Nonnulla *ex officio* observabantur circa interpretationem Resolutionum a Canonicis datam. Quoad celebrationem Missae conventualis, S. Congregationem eam ex indulgentia cohibuisse *ad dies festos tantum de praecepto*, neminem autem ignorare sub diebus festis de praecepto venire etiam dies dominicos. Circa Parochi officium applicandi Missam pro populo observabatur, nullum reperiri Parochum ab huiusmodi obligatione exoneratum, quod Episcopus sive in solemnibus diebus sive in aliis Missam pro grege sibi commisso celebret: quod si ita statuendum esset, cum Episcopus non applicet exclusive pro paroecia cathedralis ecclesiae, sed pro tota dioecesi, omnes dioecesis Parochos exoneratos fore dicendos; quod est absonum. Commemorabatur denique regula statuta a Benedicto XIV, in celebri const. *Cum semper oblatas*, [1] quando Parochus, qui sit Canonicus, diebus festis teneatur canere ex turno Missam Conventualem; quo casu alium subrogari debere ad applicandam Missam pro populo.

His aliisque animadversis quaeritur:

3. *An, et quomodo consulendum sit SSmo favore Canonici Parochi super omissionibus celebrationis Missae pro populo in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 3. Affirmative, celebratis Missis decem pro populo infra duos menses, et Episcopus moneat Parochum, eum teneri per se ad applicationem Missae pro populo his etiam diebus, in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in Cathedrali; per alium vero his festis, in quibus uti Canonicus, canere et applicare debet Missam Conventualem pro benefactoribus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 126, p. 271-279].

4210.

S. C. C., *Meten.*, 21 mart. 1868.

Res est de quodam sacerdote Balthassare M., qui ab Episcopo M. remotus est a paroecia R., quam paroeciam a duobus annis regebat, tanquam « desservant ». Longa est historia, quam praefatus sacerdos enarrat quoad officia, quibus functus est in curae animarum ministerio sive qua vicarius parochorum coadiutor, sive qua parochus desservant. Scire praestat spatio unius anni eumdem suppetias tulisse parocho K. in P. anno 1846 ad 1847;

[1] Cf. N. 345.

hinc duobus annis eodem auctum munere adstitisse parocho P. in S. A. a 1847 ad 1849. Transiit postea ad paroeciam L., quam tamen duobus tantum annis rexit uti parochus desservant: nam translatus hinc fuit ad paroeciam L., in qua pariter duobus tantum annis permansit. Spatio deinde novem annorum exstitit rector paroeciae T., quam etiam permutare coactus fuit cum altera ad R., a qua tandem ex mandato sui Episcopi revocatus est, eique die 22 septembris 1865 commissa fuit ecclesia succursalis de O.

Re quidem vera cum in prima et secunda ex praedictis paroeciis sacerdos M. nonnisi simplicis vicarii coadiutoris munere fungeretur, nil mirum est, quod ab utraque, etsi post breve temporis spatium, translationem subierit, imo ex secunda, quin dedecus ullum in ipsum redundaret, honor potius obvenit: siquidem ad maiora ascendit parochi officio auctus. Non idem vero sentiendum esse videtur quoad quatuor alias insequentes translationes. Habemus enim ex actis, easdem absque ulla praevia monitione fuisse peractas, et non paucis querelis ex parte parochi praebuisse occasionem, ceu inferius referam; modo autem prosequar factorum seriem exponere.

Aegre ferens parochus mandata Ordinarii, quibus a parochia R. in aliam O. ex improviso transferebatur, consequi studuit, ut Episcopus a suscepto consilio recederet, praesertim cum ipse Ordinarius parocho declarasset, ut hic ait: « Aliam tibi assigno paroeciam 1. quia regionis praefecto displices, 2. quia archipresbyter, quem offendisti, avocationem tuam desiderat; 3. quia non excellis animi moderatione ». Frustra tamen M. suam agendi rationem et cum praefecto et cum archipresbytero, seu cantonali parocho, explicare conatus est, suasque afferre iustificationes, propitio sibi aliorum parochorum innixus testimonio; Romam proinde adveniens supplici libello apud Sanctissimum Patrem late prius exposuit quamplurimas facti circumstantias super relatis causis suae remotionis, et deinde petiit, ut expensis rationum momentis ab ipso adductis suae paroeciae R. restituatur.

Arduum hoc esse negotium praesentiens, monui Oratorem consultum magis esse, ut Episcopo suo obtemperaret; cum tamen ipse potius instaret iuxta preces Beatissimo Patri exhibitas, die 2 maii 1866 rogavi Reverendissimum M. Praesulem, ut de Oratoris moribus, scientia, ac prudentia praesertim in parochiali ministerio exercendo referret, et sequens responsum accepi:

« Sacerdos M., de cuius anteacta vita et praesertim de prudentia in parochiali ministerio exercendo Sacr. Congregatio inquirit, fide orthodoxa et bonis moribus commendabilis, scientia sufficienti praeditus est. Ad sacr. presbyt. ordinem anno 1846 promotus primum vicarii, dein pastoris deservientis (gallice *desservant*) munia obiit. Quibus in officiis zelum quidem habuit, sed saepius amarum et non secundum scientiam et prudentiam. Sensus enim proprii tenax, et cuiuscumque contradictionis impatiens, nec semel immemor obedientiae et reverentiae Episcopo promissae, in fideles suae curae commissos sive in privata conversatione, sive in concionibus, et etiam in sacro tribunali durius se exhibuit. Porro in ista praedura et intempestiva agendi ratione exortae sunt populorum inimicitiae ac dissensiones, non quidem sine animarum perturbatione, detrimento atque scandalo ».

Dum hae literae Romam adveniebant, novas mihi exhibebat preces sacerdos M., quibus lamentabatur se quibuscumque reditibus paroeciae suae privatum fuisse, redactum ideoque esse ad extremam egestatem. Rescribens itaque die 27 iulii praed. anni laudato Praesuli ita me habebam: « Quamvis S. C. mens haud sit probare eiusdem sacerdotis non satis docilem consiliis Tuis agendi rationem, nec in ea, quae a Te provisa sunt, sese ingerere, nihilominus eximiam et iam perspectam pietatem Tuam excitare non incongruum existimat S. Ordo: ut huic sacerdoti iam ad inopiam vergenti opitulari cures, quod assequi poteris, si non aliam parochiam eidem conferendo, aliquod saltem aliud officium ecclesiasticum ipsi committendo, ex quo habeat unde vivat, et ecclesiastici ordinis decori consultum sit ».

Nesciens parochus quid suprarelatis suis literis Episcopus ad Sacram Congregationem responderit, habita vero notitia aliarum literarum, quas Praesul ille super hoc negotio dederat ad Eminentissimum Villecourt, e re sua duxit peculiaribus animadversionibus ad singula reponere, quae in iisdem literis deducta ab Ordinario invenit. Serius vero mense septembris cum conquereretur, nullum advenisse ab Episcopo responsum quoad provisionem aliquam ad ipsius inopiam sublevandam, rursus institit apud S. Ordinem, ut efficacius ab Episcopo responsum expostularetur. Die itaque 24 decembris 1866 iterum scriptum est M. Episcopo in haec verba:

« Iam a die 27 elapsi mensis iulii Sacra haec Congregatio... per suas literas pietatem Amplitudinis Tuae excitandam duxit erga sacerdotem Balth. M., ut quatenus aliam paroeciam eidem conferendam haud duceres, aliquod saltem officium ecclesiasticum ipsi committeres, quo eius inopia sublevetur, ac decori ecclesiastici gradus prospiceretur. Iam vero cum haud hucusque cognoscere liceat, quid hoc super negotio actum ab Amplit. Tua fuerit, quodque consilium aut propositum sequi velis, ad Sac. Ordinis vota obsecundanda, hinc per alteram hanc epistolam Humanitatem Tuam excitandam ducit, ut miserum sacerdotem a moerore ac aerumnis sublevare pro viribus cures. Quod sane ob perspectam religionem Tuam iure meritoque sperare licet. Ceterum scias etiam nedum Sacr. Ordini, sed et Sanctissimo Domino Nostro, cui negotium relatum est, rem gratissimam Te facturum, si ex bono et aequo controversia omnis componatur ».

Ad haec itaque reponens Episcopus die 12 ianuarii 1867 his verbis usus est: « Quas die 24 decembris literas Eminentia Tua ad me direxit, non sine maestitia et stupore perlegi. Sacra enim Congregatio Concilii pro Balth. M. postulat, quod ipse pro seipso nunquam a me postulavit. Cum parochiam dict. R. susdeque verteret, et consilio episcopali saepius consulto, non eum pastorali munere depellere, sed ad aliam parochiam O. nuncupatam transferre statuissem, mandatum meum palam contempsit, et in responsione arrogantiam spirante, Romam appellandi, ut sua, ut aiebat, iura vindicaret, propositum denunciavit. Post aliquot menses revera Romam profectus est. Ex ea autem die, qua in Urbem pervenit, nullam unquam ab illo epistolam, nullam reverentiae et poenitentiae signum accepi. Nec mirum; certum deliberatumque illi erat, ut, omisso quocumque satisfactionis actu, in dioecesim victor triumphansque, superato Episcopo, ut praedixerat,

reverteretur. Romae autem eum permansurum esse satis credibile est, quamdiu aliqua spes affulgebit scopum intentum pertingendi. Imo eodem tempore, quo Reverendissimus Sacr. Congr. Conc. Pro-Secr. humanissimas diei 27 iulii literas ad me scribebat, longe diversam excepi epistolam a quodam viro Romano mihi prorsus ignoto, gallico idiomate exaratam, qua iste minabatur iudicium contra me, se procurante, imminere, nisi ad aliam aequivalentem paroeciam sacerd. M. remitterem. Cuius epistolae praedictus M. ad patruum et ad familiares transcriptum exemplar mittere properavit ».

Perlectis his literis, vocatus fuit Orator, eique commendatum est, ut obedientiae et submissionis literas ad suum Episcopum daret, quod propositum etsi aegro aliquatenus animo ab initio exceperit, executioni tandem commisit: die enim 13 aprilis 1867 Eminentissimo Sacrae Congregationis Praefecto pro approbatione literas Episcopo mandandas proposuit, quibus deplorans dissensionem istam inter Episcopum ipsumque intercessisse retractat omnia, quae ex anteacta vita Episcopum offendere potuissent humilemque subiectionem ac devotionem maximam promittit, si Episcopus permitteret ipsum ad paroeciam R. redire vel, si hoc fieri omnino non posset, aliam ipsi paroeciam aequivalentem honorique convenientem assignaret. » Perlectis his literis, dubitatum admodum fuit de felici earumdem exitu apud Episcopum; rursus propterea advocato Oratore ad aulam Sacri Ordinis, hortari eumdem placuit, ut novas submissiori sensu confectas literas Ordinario suo transmittendas exhiberet. Id tamen praestare renuit, animadvertens se iudicium Sacrae Congregationis expetere iuxta acta et probata, nec ullatenus posse cuiusvis culpae reum se coram Episcopo accusare contra honoris sui integritatem.

Rebus hucusque adductis, consultum visum est sapienti vestro iudicio rem omnem submittere.

Ex Episcopi literis nil in facto deduci valet, quod arguendum sit contra parochi mores et scientiam, qui imo ex hac parte commendabilis ab ipso Ordinario dicitur. De indiscreto potius ipsius parochi zelo laudatus Praesul conqueritur, eumdemque removendum ideo forsan duxit, quia non secundum scientiam et prudentiam, ut Episcopus retulit, se gesserit in curae animarum ministerio. Praestat autem heic nonnulla summatim referre, quae de sua agendi ratione copiose idem sacerdos exposuit. Remotum se a paroecia R. refert ob suam agendi rationem cum loci praefecto et cum archipresbytero, nec non ob acrem, tenacemque animi indolem ac cuiuscumque contradictionis impatientem.

Quoad primum reponit, se per epistolam quandam, quae caeteroquin cum paroeciali ministerio nihil commune habebat (agebatur enim de nimia mora in solvendis solitis parochorum pensionibus) in praefecti indignationem incidisse; in ea tamen se talia retulisse facta, quae a nemine unquam in dubium revocata fuerant. Monet praeterea omnium suorum in sacro ministerio confratrum hac in re adprobationem se consecutum esse, et tamen cum hanc epistolam Episcopus opportunam non iudicaret, statim ab ipso veniam se rogasse affirmat. Aliud irae praefecti argumentum inde ortum,

quod parochus inculcarit parentibus, ut pueros suos in lingua Germanica instituerent at merito et optime se gessisse ex hac parte putat, cum illius regionis incolae illam linguam loquantur, et nullam aliam intelligant.

Quod attinet iniuriam, de qua questus est archipresbyter, sequenti ratione sese explicat. In quadam parochorum congregatione, cum fervens controversia exorta esset de danda vel deneganda absolutione his, qui confessarios saepe mutant, archipresbyter expedire contendebat, ut hodiernis temporibus omnes indiscriminatim poenitentes, qui sacrum adeunt tribunal, a peccatis absolvantur: huic opinioni Orator principiis sacrae theologiae et dioecesanis statutis innixus sese opposuit, ita tamen ut quoscumque verborum aculeos excluserit. Quod si postea plus aequo forsan acerbius locutus sit, id tribuendum asserit provocationi archipresbyteri, qui mensam vehementer et incomposite percutiens, ipsi silentium amaris verbis imposuit. Porro in hac controversia, quamtumvis agitata, nil notari potuisse contendit, quod remotionem a parochia requirere et honestare potuerit. Tandem ab insimulatione resistentis indolis et asperi ingenii se purgat, exhibens propitia sibi testimonia parochorum nec non civilium etiam magistratuum et praesertim parochianorum, qui simul ac certiores effecti fuere, apud curiam episcopalem agi de remotione parochi, Episcopo porrexerunt supplicem libellum ab omnibus fere patribus familias, uno alterove tantum excepto, subscriptum, in quo parochum, quem magno amore prosequebantur sibi conservari enixe petebant. His itaque aliisque animadversionibus preces suas coram Sacro Ordine sustentare satagit, haud unquam monere desinens, se nulla cuiuscumque generis praeeunte monitione revocatum fuisse singulis vicibus a quatuor paroeciis.

Pauca nunc pro meo munere. Notissimum profecto est, quamplurimos rectores paroeciarum in Gallia qui *succursalistarum* vel *deservientium* nomine veniunt cuncta gerere in animarum cura, quae veri nominis parochorum sunt, eosque ea omnia prae se ferre, quae in parochis requiruntur, excepto tantum titulo perpetuae inamovibilitatis. Hinc sequitur ad eorum remotionem non servari causas et leges a iure praescriptas. Aequitatis tamen ratio et boni regiminis disciplina postulare videntur, ut aliqua iusta et rationabilis causa intercedat, et nisi proprie dictae canonicae monitiones debeant ex necessitate praecedere, aequum tamen videtur, ut remotiones nec ad purum libitum, nec frequenter, aut prorsus ex improviso, sed prudenter et paterne locum habeant. In hoc enim habenda est ratio prudentiae, et amovendorum honori consulendum est: Piton., *de contr. patr.*, alleg. 108, suppl., n. 23. Caute praeterea procedendum etiam videtur iuxta ea, quae tradit Card. de Luca, *de benef.*, disc. 97, *de manualibus*, n. 6, et seq. consulto scilicet prius ne « ex amotione dedecus vel infamia, seu aliud magnum praeiudicium eiecto causetur ». Quod si iusta causa requiri solet, ut revocari possint vel ipsi vicarii curati amovibiles, a fortiori profecto talis iusta causa adesse debet, ut licite amoveatur parochus licet amovibilis. Quod tamen fieri rarissime poterit, nisi deservientes istiusmodi, excepto gravis negligentiae aut etiam culpae casu, in aequivalentem saltem paroeciam transferantur. Quaeritur:

An, et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Orator acquiescat et mandatis Episcopi se submittat. Simul mandatum fuit, ut scriberetur Episcopo, S. Congregationem aequitati Episcopi confidere, ut, postquam Orator decreto S. Congregationis sese conformaverit, ei daretur congrua provisio.

[Per summaria precum, a. 1866-1870].

4211.

S. C. C., *Pisana*, 2 maii 1868.

Theodorus adolescens Graeco-schismaticus, Constantini Tossizza eiusdem sectae religiosae filius, prope Pisam degens, cum inter suos cuiusdam fundi colonos, Amaliam Lazzari adolescentulam catholicam adspexerit, quae venustate formae vinceret paupertatem natalium, eam amare coepisse dicitur. Constantinus pater, vir ditissimus, eam adolescentulam in suam domum vocavit, ut rei familiari inserviret. Haec fuit occasio, qua amor Theodori vehementer creverit, quamvis Amalia ob disparitatem conditionis religionisque, nec non ob contrariam Constantini voluntatem, patefacto Theodori amori non plene respondisse dicatur. Attamen ex familiari consuetudine, in qua ipse Constantinus quammaxime connivere visus est, contigit, ut, matrimonii promissione a Theodoro Amaliae non semel facta, mulier in stuprum consenserit.

Verens autem Constantinus, ne filius suus, de quo magna cogitabat, puellam ignobilem sibi matrimonio iungeret, minabatur, se eum in Aegyptum missurum, et reiecturum Amaliam eiusque familiam ex proprio fundo. Eiusmodi autem minas patris, qui asseritur propositi tenax, ut declinaret Theodorus hoc ex aliorum suggestione iniit consilium, quod Amaliae patefactum est: cogitatum scilicet est et Amaliae propositum matrimonium cum quodam famulo Gamba rite contrahendum quoad externas solemnitates, ita tamen ut matrimonium inter eos nunquam consummaretur, et Amalia permanere cum Theodoro deberet. Huic proposito quamvis invita consensisse dicitur Amalia; quare collatis consiliis cum famulo, qui remunerationem habuit, matrimonium celebratum fuit vespere diei 25 decembris 1851 coram Ecclesia inter Amaliam et famulum Petrum Gamba.

Dum nuptiae in templo celebrabantur, currus paratus extitit ante fores templi, quem Amalia eiusque comitatus, excepto famulo Gamba, dein conscenderunt et in villam quamdam Liburnum transierunt; famulus vero Romam profectus est, quique deinde longinquas urbes peragrans, tanquam negotia gerens familiae Constantini, demum anno 1860 in regionem Amaliae rediit, ex qua profectus est.

Famulus Gamba recipiebat a Theodoro libellas 100 singulis mensibus, quae anno 1863, priori lacerato chirographo, adauctae fuerunt aliis libellis 50; titulus ob quem libellae solvebantur, in secundo chirographo expressus hic erat: *in compensatione servitiorum praestitorum ab anno 1854*. Manente itaque Amalia penes Theodorum, ex hoc contubernio tres progeniti sunt

filii annis 1856-58-61, iique in libris paroecialibus conscripti sunt tanquam filii nati ab Amalia Lazzari et Petro Gamba; quomodo autem inscriberentur hi filii in libris paroecialibus tanquam filii famuli qui longe aberat, ex eo evenit, quod alter familiae Constantini addictus, nomine famuli Gamba tanquam *momentanee absentis*, eos infantes e sacro fonte suscepit. Attamen hi Amaliae filii, non quidem ut famuli Gamba, sed ut Theodori filii ab omnibus habiti sunt, iidemque se habent ut filios Theodori, cuius cura tum in catholicae fidei doctrina, tum in liberalibus disciplinis erudiuntur.

Iam a multis annis communis haec vitae societas publice quasi legitima esset perseverabat, imo strictiori vinculo quotidie magis confirmata est, praesertim in quodam pago, ubi domum denique constituerunt, donec, ad conscientiae stimulos retundendos, prolisque conditionem tutandam, Theodorus, ut ipse fassus est, desiderium nutriverit obtinendi declarationem nullitatis matrimonii inter Amaliam et famulum Gamba contractum, ut e statu quo ipse et Amalia erant resilirent. Quod quidem desiderium executioni denique mandatum fuit a. 1867, petens Amalia a SSmo nullitatis matrimonii sententiam *ex defectu necessarii consensus et ob conditiones quae adiectae fuerunt:* ac praeterea petiit, ut in causae propositione, praeter dubium super validitate matrimonii, adderetur aliud dubium super dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

SSmus Pater eiusmodi preces ad S. C. C. remisit, quae de more remissae fuerunt ad Ordinarium, ut praevia confectione processus, tam super asserta nullitate, quam super non habita consummatione, et super causis dispensationis, servata saltem in substantialibus canonica forma et const. Benedicti XIV, *Dei miseratione* [1] atque de resultantibus certiorem faceret S. Congregationem et processum ipsum in forma authentica, transmitteret. Ordinarius transmisso processu in forma authentica, dispensationis causas enarravit, quarum ratio habenda erat, si secundum dubium esset dirimendum; ac praeterea animadvertit omnes testes in processu auditos fide dignos esse, quamvis alii audiri testes potuissent, quos consulto praetermisit.

Orator Amaliae praemissa notissima doctrina, matrimonium solo consensu constare (servata quidem forma ab Ecclesia praescripta) iuxta textum in cap. *Cum locum, 14, de spons.*, et in cap. *Tua nos, de sponsalib.*, statim subiungebat nunquam, certe Amaliam sibi proposuisse nubere famulo Gamba, cum testes faterentur, inter Amaliam et famulum Gamba in domo Constantini commorantes, non solum amorem non extitisse, sed potius extitisse aversionem; et e contrario amore raperentur Amalia et Theodorus.

Ad causam autem ficti matrimonii ineundi deveniens Orator, ostendebat, eam non aliam fuisse nisi iram paternam, cum Constantinus minatus sit filium mittere in Aegyptum ne contraheret cum Amalia, quamvis assentiret, ut simul in sua domo manerent sine matrimonii vinculo; inde factum esse ostendebat, ut consilium initum fuerit dandi Amaliae fictum coniu-

[1] Cf. N. 318.

gem ita ut, sub matrimonii specie cum alio contracti, ira paterna quiescere posset; atque ita Amalia, libera manente, tempus adveniret, quo, nullitate simulati matrimonii ostensa, Theodorus et Amalia matrimonium possent contrahere; atque publicam famam esse, illud matrimonium comice initum fuisse ad compescendam iram paternam. Ad eiusmodi simulationem confirmandam, adducebat Orator conditiones matrimonio adiectas, quarum una est, ut, matrimonio contracto famulus Gamba e vestigio evaderet, nec unquam matrimonii usum attentaret; altera vero, ut puella in Theodori contubernio permaneret: quae quidem conditiones communi consilio conscriptae fuerunt et in acceptis habitae in primo chirographo, in quo stipulata fuit perpetuo pensio favore famuli Gamba ut speciem coniugis praeferret. Quin imo etiamsi simulatus consensus non ostenderetur, eiusmodi conditiones iam irritum reddidissent matrimonium, iuxta notissimum textum in cap. 7, *de condit. apposit.*

Nec praetermisit Orator quaestionem, quae sese offert, quando contenditur, an consensus matrimonialis emissus sit sub aliqua conditione: videlicet, an conditio exprimi debeat in actu matrimonii, vel sufficiat ut serio exprimatur ac statuatur ante contractum. Ipse autem Pitonii doctrinam allegans, *Discept. eccl., 58*, n. 12 et seqq., contendebat sufficere, ut conditio serio statuatur ante contractum, praesertim vero; si de conditionibus agatur, quae sine insania edi palam non possunt, atque inde respondeant conditionibus praestitutis subsequentes actus.

Gradum faciens Orator ad secundum dubium, ex facto immediati discessus ipsius famuli Gamba apertissime ostendebat, matrimonium de quo agimus, nunquam fuisse consummatum; atque causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato in casu suppetere contendebat, cuiusmodi erant animarum periculum, legitimatio prolis, successio hereditaria etc.

Contra haec matrimonii Defensor totus in eo erat, ut infirmaret et dicta testium et testium auctoritatem, atque consideratis adiunctis, quae matrimonium praecesserunt, quae concomitata sunt, et quae sunt consequuta, ostendere conatus est non constare de simulato matrimonio.

Animadvertebat itaque excludendas esse confessiones iudiciales famuli Gamba et Amaliae, tum quia coniugum confessiones contra validitatem matrimonii parvi sunt aestimandae, tum quia in propriam turpitudinem in casu deponerent. Testes autem reliquos reducebat Defensor ad sex, quorum tamen testimonia infirmare nisus est asserendo, si unum excipias testem, omnes testatos esse *ex aditu*. Auctoritatem autem testis, quem ab hac nota excepit, infirmare nisus est, quia consiliarium imo auctorem se describeret eorum omnium, quae gesta essent ad matrimonium, de quo agimus, constituendum; unde inquiebat non mereri in iudicio fidem, qui tantae turpitudinis capacem semet exhiberet. Quare deesse affirmabat plenam probationem, quae necessaria esset ad matrimonium simulatum demonstrandum. Eo vel magis, quod nonnulla testium dicta contradictoria ipse repererit. Cum itaque matrimonium fuerit cum omnibus requisitis solemnitatibus contractum, atque consensus emissus ab utro-

que sponso coram Parocho, pro vero validoque coniugio standum esse concludebat.

Sed considerans conditiones, quae appositae matrimonio dicebantur, haec animadvertebat, conditiones famulo impositas: nunquam habendi tanquam uxorem Amaliam, discedendi e loco, ubi Amalia degeret etc. conscriptas referri in documento, quo Teodorus sese obligabat, solvendi famulo Gamba libellas 100 singulis annis; iamvero eiusmodi documentum non afferri, sed alterum exhiberi, quo anno 1863 aucta est pensio ad libellas menstruas 150, in quo non alia causa huius solutionis affertur quam *ob praestita servitia*.

Caeterum, quando agitur de conditionibus demonstrandis matrimoniali contractui adiectis, quae ipsam substantiam consensus inficiant, non sufficere contendebat, ut de his conditionibus antea agatur, sed eas apponendas et exprimendas esse in ipso actu matrimonialis contractus: quod nominatim confirmabat auctoritate Pitonii, *discept. eccles.*, *52*, n. 41 et seqq. Quod si in consideratione habendae non sint conditiones appositae ante matrimonium, quando matrimonium pure contrahitur coram Ecclesia, eo minus in consideratione habendas esse, contendebat Defensor, in praesenti casu, cum ipsamet Amalia in iudicio fassa sit, conventiones inter ipsam et famulum Gamba initas esse ante matrimonium nullo teste praesente.

Quoad dispensationem super rato tantum non denegat, admitti quandoque probationem moralem, qua liqueat coniuges contractis nuptiis, quacumque ex causa non cohabitasse, nec operam dedisse matrimonialibus actibus. At probatio hoc casu sole ipso fulgentior esse debet, seu evidens et perspicua requiritur probatio non sequutae consummationis de momento in momentum. Hinc decucit in casu inconsummationem minime probari: non enim constare Petrum nunquam ad Amaliam accessisse, id imo fieri potuisse tenet primis post nuptias diebus, quum mulier ab amasio sequuta non fuit, vel etiam subsequioribus annis, quibus Gamba in variis itineribus Liburnum adiit. Post haec paucis sese expedit circa causas pro dispensatione adductas, et firmiter tenendum affirmat, matrimonium, de quo agitur, nec nullum esse, nec ullatenus dispensatione resolvendum.

His praehabitis EE. VV. erit iudicare, quid rescribendum sit ad sequentia dubia:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?* Seu potius:

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 127, p. 288-300].

[1] Cf. N. 4213.

4212.

S. C. C., *Bergomen.*, 13 iun. 1868.

Haud favorabilis in hac causa Oratori data fuit responsio die 1 decembris 1866; [1] ipse tamen haud cecidit animo; Seminarium haud deseruit, imo theologicis studiis impensius operam dedit, ac tandem die 15 februarii currentis anni supplex adiit Bergomensem Praesulem, ut iterum S. H. O. literas daret, quibus eius vota panderet et commendaret. Non interposita mora Episcopus Dominici preces obsecundavit, etiam atque etiam rogans Emos Patres, ut expendere iterum dignentur, quae in cit. supplici libello ab ipso exposita prostant, atque supplicantis preces favorabili rescripto dimittere.

In novis hisce literis Rev. Antistes inter caetera haec habet: « Cum videam, dictum Colleoni in vocatione ad statum clericalem persistere, neque adduci posse ad deserenda studia theologica, quibus ab aliquot annis satis feliciter operam dedit; cum porro omnimodo intemeratae sit vitae, et considerandum sit, ipsum, si gratiam non obtineret, non ad aliud vitae institutum transire posse, quia extrema quoque egestate premitur, non potui novas preces reiicere, et gratiam ipse iterum imploro. Rationes, quae pro Colleonio militant, iam antea relatae sunt. Casus explosionis sclopeti omnino accidentalis fuit. Porro pedem ligneum tam bene aptatum habet, ut calceamenta induat, sicut ceteri omnes, et bene incedit, quamvis aliquantulum claudicans; ad altare ascendit et descendit servitque sine ullo adiumento, ita ut, qui rem nesciret, vix defectum videret. Iuvenis est optimis moribus praeditus et admodum pietate et raro ingenio fulgens, qui semper inter consortes eminuit. Manifestam habet inclinationem ad statum ecclesiasticum, ita ut ne minimum quidem dubium sit de vocatione vera in sortem Domini ».

Licet in dubium revocari haud posse videatur agi in casu de vero irregularitatis vitio, de quo sermo est in cap. 6, *de corp. vitiat.;* et licet pariter fortasse certum sit, uti animadvertebatur in cit. supplici libello anni 1866 desiderari huiusmodi concessae dispensationis exemplum; haud pauca tamen in medium proferri possunt documenta largitae a S. H. O. dispensationis favore eorum, qui etsi non eodem, non leviori tamen laborarent corporis defectu. Sane in *Pampilonen. Dispensationis*, 31 martii 1860 dispensatum fuit cum promovendo, qui nequibat dextera manu se crucis signo munire, nec calicem ori admovere. Ob defectum unius vel alterius digiti vel plurium digitorum, exempla dispensationis promovendo concessae prae caeteris prostant in *Comensi*, 21 februarii 1824, in *Ianuensi*, 6 augusti 1825, in *Pinhelen.*, 16 iunii 1865,[2] in *Utinensi* denique 10 martii 1866, in qua agebatur de gravissimo casu, defectuss cilicet pollicis sini-

[1] Cf. N. 4204.
[2] Cf. N. 4200.

strae manus, adeo ut dispensandus in hostiae tum elevatione tum fractione, digitis indice ac medio uti cogeretur, non sine quopiam, quamvis minus notabili, incommodo. In *Hydruntina*, 21 februarii 1824, denegata non fuit dispensationis gratia promovendo Francisco Catanzano, qui sinistri oculi luce carebat. Nuperrime autem in *Comaclen.*, 27 februarii 1864, secundum obtinuit rescriptum quidam Fogli, [1] qui « anchilosi perfecta in genu dextero laborans (ita in eodem folio) non potest illud usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflexionem commode exsequitur ».

A Sacri igitur Ordinis praxi alienum dici non potest, dispensationem ab irregularitate ex aliquo satis gravi corporis defectu procedente concedere, quando irreverentiae periculum minime immineat, nec populi admiratio rationabiliter pertimescenda sit, modo relaxationis iustae ac legitimae causae praesto sint.

Utrum vero in casu, de quo agitur, extrema haec omnia, uti par est, conveniant, sapientiae erit Eminentissimorum Patrum decernere. Si mihi tamen aliquid innuere fas est, animadvertam Oratoris Colleoni defectum, etsi quamdam revera gravitatem praeseferat, irreverentiae et admirationi nullatenus causam praebere, ceu luculentissime patet ex Episcopi verbis: « Colleonius ad altare ascendit et descendit et servit sine ullo adiumento, ita ut, qui rem nesciret, vix defectum videret ». Ex quibus deduci fortasse potest agi in casu, si ita loqui datum est, de materiali potius, quam de formali irregularitatis defectu.

Iustas etiam dispensationis causas minime desiderari manifestum evadit ex superius relatis Episcopi literis, praesertim si conferantur cum iis, quae habentur in saepius citato supplici libello diei 22 septembris anni 1866. In illis Summi Pontificis benignitatem Bergomensis Praesul potissimum implorans ex defectu sacerdotum, quo sua dioecesis laborat, ait: « Ob omnes has rationes (quas exposuerat), et maxime ob penuriam sacerdotum et necessitatem huius dioecesis, quae ampla est et montuosa, humiliter Paternitatem Vestram exoro, ut benigne impertiatur isti iuveni dispensationem ab irregularitate ». Praeter igitur optimam Oratoris vitae rationem, eximiam eius in Deum caritatem, singularem in ecclesiasticis disciplinis profectum, indubiam miserentis Dei vocationem, optatam dispensationem suadet sin minus necessitas, evidens saltem Ecclesiae utilitas. Unde idem dubium reponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit:

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia in exemplum non adducenda, facto verbo cum Sanctissimo.

[Liber 211 Decretorum, p. 571].

[1] Cf. N. 4197.

4213.

S. C. C., *Pisana*, 29 aug. 1868.

Favore Amaliae resoluta fuit haec causa die 2 maii proxime praeteriti; [1] quare matrimonii Defensor novam audientiam ex officio postulans, iterum causam maiore animi contentione pertractandam suscepit matrimonii favore.

Ac primo quidem ad matrimonii validitatem ostendendam ex quodam praeiudicio initium facit: contendit nimurum in minorili illa aetate, qua cum Amalia tum Theodorus versabantur, talem cognitionem habere non potuisse, ut plane sciverint matrimonium fictum, vel conditionibus contra eius substantiam affectum irritum omnino nullumque existere. Quod autem id de facto ignoraverint, ex eo sibi confici posse videtur, quod media ad ficte ineundum, ac inde subvertendum matrimonium omnino neglexerint, prouti patere ait ex Amaliae attestatione, quae interrogata: *An conditiones factae cum famulo Gamba, nunquam consummandi matrimonium inter eos et continuandi rationem vivendi cum Theodoro notae aliis essent?* respondit: *Neminem fuisse praesentem; an vero aliquis id sciret dicere nequeo.* Item famulus interrogatus: *Utrum in illis conditionibus alii essent praesentes?* respondit: *Nullus alius praesens fuit.*

Eo vel magis, quod eiusmodi confessiones coniugum opponerentur testimonio praecipui testis, qui tanquam consiliarius et auctor gesti negotii repraesentatur, cum hic interrogatus: *Utrum conditiones expositae, quibus conventum est dictum matrimonium, essent a se auditae inter ipsos paciscentes,* respondit: *Non solum eas concordari audivi inter ipsos paciscentes, sed ego ipse interveni et cooperatus sum, ut illi convenirent.*

Porro Defensor pergit examinare Theodori attestationes, et ait: Si Theodori pater medio matrimonio cum Gamba omne periculum remotum videbat, ne postea Theodorus cum Amalia contraheret matrimonium, ecquis non videat, eum non potuisse fictum matrimonium cum Gamba conciliare? Nonne sane periculum adhuc stetisset, si matrimonium Gambam inter et Amaliam fictum fuisset? Ex eo autem, quod Gamba spoponderit patri ac filio « che non avrebbe mai esercitato i suoi diritti matrimoniali » pariter deducit, matrimonium non fictum, sed verum omnino fuisse. Quia nullus homo non exercitium iuris spondere potest, nisi ius ipsum ac facultatem illud exercendi iam habeat. Ex hoc autem deducit patrem ac Theodorum ipsum pactum turpissimum cum Petro Gamba stipulantes nullatenus excogitasse matrimonium fictum. Porro hanc turpem conditionem non abstulisse ius famulo Gamba exercendi matrimonialia iura, sed ea iura exercere eum non potuisse sine amissione pensionis. Quod quidem confirmabat ex eo, quod ideo fuit conquisitus famulus Gamba ac praeelectus, quia hic magis idoneus fuerat iudicatus, qui vi pecuniae a iuribus matrimonialibus abstineret, ceu ipsemet Theodorus in iudicio fassus erat. Et eam fuisse causam,

[1] Cf. N. 4211.

inquiebat Defensor, cur pensio menstrua libell. 100 stipulata anno 1851 aucta fuerit famulo Gamba libellis 50 anno 1863, quia iura matrimonialia hic reclamaret. Unde ex tota actorum serie non quidem fictum matrimonium ostendi, sed ea omnia quae afferrentur ad matrimonium fictum ostendendum, non aliud ostendere nisi lenocinium, cum famulus Gamba, matrimonialibus iuribus acquisitis, promiserit Theodoro et eiusdem patri se iisdem iuribus non esse usurum, et Amaliam relicturum penes ipsum Theodorum.

Quin autem ad dispensationem Amalia et Gamba confugere valeant, ait post lapsum 18 annorum ambos viridi florentes aetate matrimonium procul dubio consummasse, praesertim cum ipse Parochus testetur, quod Petrus Gamba, veluti publice maritus Amaliae Lazzari iam in libris parochialibus inscriptus esset, eiusque nomine filios baptizaverit, ac expressis verbis declaraverit, quod erat *momentaneamente assente dalla Toscana;* anno vero 1863 de facto pariter in ipsa Civitate Liburni commoraretur. Et incredibile prorsus esse instat, quod ambo iuvenes eodem in loco uti publici coniuges existentes, numquam sese veluti tales receperint. Unde nullatenus concedendam esse dispensationem, ea nimirum de causa, quod nunquam fieri possit dispensationi locus, nisi manifesto et infallibiliter constet de matrimonio non consummato, praesertim cum in themate non modo nulla adsit causa dispensandi, sed imo, si dispensaretur, a crimine sacrilego praemium referretur praeclarissimum. Quare EE. VV. sequentia proponuntur dirimenda dubia:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 127, p. 440-443].

4214.

S. C. C., *Calven. et Theanen.*, 26 iun. 1869.

In loco Visciani Dioecesis Calven. anno 1863 Aloisius Capuano iuvenis rudis atque agrorum cultor, amores agere coepit cum Anna Formicola eiusdem loci et conditionis puella. Hic amor licet quadraginta quinque fere dies perduraverit, limites tamen ita praetergressus est, ut die 21 vel 22 aprilis amantes ad sese cognoscendos impulerit. Sponsalibus iam initis, denunciationes ter habitae fuerant in ecclesia S. Silvestri Papae matrimonii praenuntia, quando Aloisius certior fit, Annam, quam honestam hactenus putaverat, a quinque et amplius mensibus, uterum, alterius viri opera, gestare. Animum illico mutat vir atque ineundarum nuptiarum propositum abrumpit.

At die 18 iunii eiusdem anni hora 22 nec opinus a duobus militibus, ex iis qui *nationales* in Italia vocantur accitur, atque domum cuiusdam Michaelis Sanniti eiusdem militiae Centurionis rapitur. Aderant ibi Politiae Procurator: Decurio cum duobus ex suis militibus, qui a civica securitate sunt, quique italice *Carabinieri* audiunt. Atque hic, quum Aloisius sciscitanti Decurioni, cur Annam uxorem ducere recusaret, respondisset, se ideo nolle, quod eam iam

ventre gravem resciret: tum ille pugnis iuvenem atque alapis impetit, et ad militarem Nationalium stationem ductum iterum verberibus afficit, manibusque revictis mandat coniiciendum in suam militarem stationem ubi ad noctem usque detinetur. Quum autem haec Aloisio propterea contingerent, quod mulierem iam sibi desponsatam atque cognitam non amplius uxorem ducere vellet, haec ipse cognoscens his in adiunctis dixisse fertur, se Annam uxorem ducere velle. Inde militari manu stipatus domum Annae adducitur.

Eo iam convenerant Centurio militiae nationalis, Decurio ipse, loci Syndicus, Tabellio, aliique. Accersitur etiam Parochus, qui causatus necessitatem eundi ad quendam infirmum, adesse renuebat; re tamen vera ideo renuebat quod nosset, agi tum de matrimonio per vim celebrando, neque paruit, nisi timore et ipse correptus, vel postquam ei suasum est, omnem ab ineundo matrimonio vim esse removendam. Quid tum evenerit sic enarravit Aloisius in supplici libello SSmo Patri exhibito: « se interrogatum a Syndico, an in matrimonium acciperet Annam, agitasse tantisper humeros in signum animi haesitantis et ex timore perplexi; quum tamen Politiae Procuratorem in se irruere animadverteret protenso baculo, se invitum Syndico responsum dedisse affirmativum, atque inde, actu civili, ut aiunt, exarato, omnes simul descendentes in ecclesiam sese contulisse circa horam quartam diei 21 iunii. Itaque comitantibus iis viris militibusque qui memorati sunt, qui et ipsi templum sunt ingressi et nuptiali ritui adesse voluerunt, tum Parochus petiit ab Aloisio, contentus ne esset, Annam sibi matrimonio iungere? cui ille, ut asserit, timore novarum percussionum, *non ricorda, se rispose di sì assolutamente, ovvero avesse detto: essi così vogliono, ed io così faccio.* Inde non domum suam redire, ut cubiebat, permittitur, sed ab ipsis militibus domum Annae reducitur, ubi lassitudine, ut ipse ait, victus seorsum humi cubavit. Postridie vel biduo post, in aliam domum ab Annae patre assignatam concedunt coniuges, atque duos circiter menses convixerunt iurgiis inter eos dissidiisque numquam deficientibus.

Cum vero Anna, altero ab initis nuptiis mense exeunte, prolem enixa esset, Aloisius aufugit, per aliquot dies delituit, ac deinde domum paternam repetiit, neque amplius posthac mulieri uniri voluit, licet Episcopus exsilio redux omnem lapidem moverit ad eundem cum Anna reconciliandum. Immo vero Aloisius anno 1867 penes curiam episcopalem institit, ut matrimonium cum Anna, ob vim metumque initum, irritum declararetur.

Episcopus itaque, vinculi defensore constituto, processum conficiendum per suum Vicarium iuxta const. Bened. XIV, *Dei miseratione*, [1] mandat. Audita est sub iureiurando utraque pars, quinque testes, septima manus tam viri, quam mulieris.

Absolutis actis Aloisius penes ipsam curiam institit, ut ad causam citius dirimendam, prima iudicii sede praetermissa, S. Congregationi Concilii causa cognoscenda remitteretur. Consentiente muliere, Episcopus processus tabulas die 5 iunii 1868 ad S. C. transmisit, rogans SSmum Patrem, ut « sanatis, si quae sunt quoad formam, nullitatibus in actis (circa quae Cu-

[1] Cf. N. 318.

riales huius parvae dioecesis usum non habent) causa ista primaria Congregatione quamprimum definire iubeas, quia sponsis utpote omni humana ope destitutis apud metropolitanam curiam instare pro secunda sententia non valentibus, praesertim ea sede vacante, in longum omnia trahi necessum esset ».

At die 31 augusti eiusdem anni per R. P. D. Secretarium S. C. C. Episcopo responsum est, opus esse, ut in prima iudicii sede ipse sententiam diceret, deindeque in S. C. pertractaretur.

Episcopus ergo, praehabitis deductionibus Defensoris ex officio, die 9 decembris sententiam de nullitate tulit. Verum interposita a Sacramenti vindice appellatione ad S. Sedem, Episcopus omnia acta ad S. H. Congregationem transmisit, atque facta rerum relatione, SSmus benigne annuit, ut causa proponeretur oeconomice coram S. C. cum voto Theologi et Canonistae et cum adnimadversionibus Defensoris matrimonii ex officio.

Tum Theologus tum Canonista expensa rerum gestarum serie in eam opinionem devenerunt, ut matrimonium nullum existimarent. Synopsim tantum dabimus Voti quod Canonista exaravit. Hic, quoniam de quaestione potius facti quam iuris esset, ab initio orationis animadvertit, tam Aloisium actorem, quam quinque testes, qui actioni partim interfuere partim de auditu norunt, atque etiam septimam hominis manum in haec capita satis convenire, 1° patefactam ab Aloisio ante matrimonium fuisse voluntatem eidem contrariam; 2° captum eundem fuisse horis pomeridianis; 3° percussum graviter a Decurione; 4° funibus ligatum et custodia detentum; 5° militibus stipantibus ex uno ad alterum locum eductum ac reductum; 6° iisdem militibus adstantibus, primum domum Annae, deinde ad templum traductum; 7° interfuisse tam domi Annae, quam in templo eos ipsos, qui vim metumque Aloisio intulerant; 8° post celebratum hac ratione matrimonium, non liberum relictum Aloisium, sed domum Annae reductum; 9° iurgia et dissensiones usque ad separationem inter coniuges numquam defuisse.

His animadversis, haec duo singillatim ostendere studuit Canonista: 1° talem vim metumque hoc in casu intercessisse, ut consensum radicitus vitiarit, irritumque matrimonium reddiderit; 2° per subsequentem cohabitationem nec metum fuisse purgatum nec matrimonium revalidatum.

Et ad primum quod attinet, allegata notissima Decretali Alexandri III in cap. 14, *de sponsal.*, quae sic se habet: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat, sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire*: animadvertit, Theologos et Canonistas conditiones metus matrimonium invalidantis ad has fere reducere: 1° ut cadat in constantem virum; 2° sit ab extrinseco; 3° iniustus; 4° ad extorquendum consensum directe incussus.

Porro describebat Canonista quid esset metus cadens in constantem virum cum Sanchez, lib. 5, disp. 1, *de Matrim.*, ubi hic auctor scripsit: « Desiderantur hae conditiones ut mestus cadat in constantem virum: 1° ut metus

sit gravis, 2° ut aestimatio mali sit fortis et metum patiens non vane et leviter credat, 3° ut incutiens potens sit minas exsequi, 4° ut metum incutiens sit bestialis naturae, nec sufficit, si unus actus percussionis probetur, 5° ut non possit timens antevertere mala quae timentur, implorando auxilium, consulendo superiorem, etc. ».

Has autem conditiones in praesenti themate singillatim omnes concurrere ostendere studuit ex testium testimoniis, quibus allatis quoad primam conditionem a Canonistis propositam, concludebat, animi trepidationem instantis vel futuri periculi causa, in quo metus consistit, eiusque gradum iudicis arbitrio relinqui singula causarum et personarum adiuncta perpendentis, l. 3, *ff. ex quibus caus. maior.*, et in praesenti themate agi de rustico adolescente ex inopinato arrepto, funiculis ligato, verberibus affecto, carcere detento, armatorum manu stipato ab iis, qui publica auctoritate potiebantur, minis ac verberibus lacessito, tumultuarie de uno ad alterum locum rapto, nocturno tempore, quo timores augeri solent, et domum sponsae ab ecclesia translato: haec autem omnia talia videri, quae mentem non tantum rustici adolescentis, sed cuiusvis constantissimi fortissimique viri turbare debuissent.

Quoad alteram Canonistarum conditionem, quod metus sit iniustus, ex eo patebat, quod incussus esset non ab auctoritate competenti, non causa cognita, non causa iusta: namque milites, Syndicus, Politiae Procurator, qui nulla in causis matrimonialibus iurisdictione pollebant, vim metumque intulerunt; et causa non erat iusta, cum Aloisius, cognita mulieris praegnantia, iure poterat a sponsalibus cum ea initis resilire.

Item quoad ultimam conditionem, qua requiritur, ut metus directe incutiatur ad extorquendum consensum, ex eo aperte patebat, quod Aloisius iam firmo animo destinaverat Annae nuptias repudiare, atque idcirco eius persecutores minis verberibusque usi erant, ut eum ab hoc proposito dimoverent, et ad consensum impellerent, quod opportunis testimoniis ostendebat.

Ad alterum controversiae caput quod attinet, videlicet, per subsequentem cohabitationem et copulam metum non fuisse purgatum, neque matrimonium revalidatum, animadvertit, regulam esse, ut ad ea revalidanda, quae invalide gesta sunt, rem in eum statum adducendam esse, quo valide incipere potuisset, quod et Alexander III dixerat in allegata Decretali agens de rapta puella, quo tempore raptus, irritandi matrimonii causa, non distinguebatur ab impedimento vis et metus: haec enim subiunxit Pontifex: *plene debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus. Quocirca mandamus, quatenus puella, de cuius matrimonio quaestio ventilatur, in domo in qua eam nihil timere oporteat, facias honeste collocare.*

Quod non solum cum Aloisio factum non esset, sed contrarium contigisset, idque opportunis testimoniis pariter ostendebat. Hanc in rem plura congessit Canonista ad rei potius eruditionem, quum hisce in causis certum sit, in locis, quibus vigeat lex Tridentina, matrimonium vi metuque contractum, quando impedimentum sit publicum, non revalidari nisi repetita forma, quod et ipse Canonista ostendit.

Defensor matrimonii ex officio inter cetera, quae scripsit, animadvertit apprime constare et sponsalia fuisse inita, denunciationes factas, matrimo-

n'um fuisse coram Parocho initum, quibus stantibus, non esse pluris quam par sit aestimandum rumorem de vi metuve incusso: qui ceteroquin non omnino iniustus censendus esset, quum et Aloisius non solum sponsalia cum Anna inivisset sed et etiam eam cognovisset; ideoque promissis stare, factoque suo per matrimonium emendare deberet, quod contra fas egisset. Neque plurimi esse faciendam Aloisii renuentiam Annam uxorem ducendi postquam notum ei factum est, eam non virginem iamdiu fuisse: quum improbabile esset, quod Aloisius haec non ante dignovisset: ideoque iactatam renuentiam, qua diceretur, obfirmato animo Annam postea repudiasse, firmo fundamento carere: eo vel magis, quod dum Aloisius a civili auctoritate deprehensus causam sciret, cur detineretur, non una vice dixerit, se velle Annam uxorem ducere.

Hisce aliisque copiose deductis, propositum est resolvendum dubium: *An constet de matrimonii nullitate in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 128, p. 337-409].

4215.

S. C. C., *Basileen.*, 31 iul. 1869.

Catharina Cuenat iam vidua anno 1853 nupsit iterum Francisco Fesselet in oppido Cueve Dioeceseos Basileensis. Uterque coniux eiusdem oppidi non eiusdem erant aetatis: Catharina enim aetate longe maior. Concors vitae consuetudo non fuit diuturna: namque elapsis vix paucis mensibus iurgia et dissensiones subortae adeo coniugum animos exasperarunt, ut maritus ab uxore iterum atque iterum brevi recessisse atque inde rediisse dicitur, donec ita recessit, ut non amplius ad uxorem redire velle videretur: in irritum cessis officiis et consiliis tum Parochi, tum parentum, tum amicorum.

Hoc modo decem annos vita transacta, tandem Catharina die 11 octobris 1865 per Parochum loci, penes Episcopalem Curiam canonicam postulavit separationem, varia allegans in virum accusationum capita; nimirum 1° quod Franciscus indolem praesefert iracundam et duram adeo, ut cum ipsa quadam die de mala eius vitae consuetudine etsi leviter obiurgavit, ita succensus eam iniuriis et contumeliis affecerit, quae ad coniugale quoque debitum referuntur; et ante ultimam longamque separationem, nulla iusta ac legitima causa praehabita, ab se ter recesserit; 2° quod paulo post initas nuptias cauponas frequentare, ibique inebriari coeperit consueveritque; unde dissensiones, iurgia et convicia derivarunt; 3° quod eiusmodi vitae indulgens totum eius patrimonium fere obliguriverit, quin sibi necessaria vitae suppeditaret, imo et parva dotalia sua bona ab eo administrata in discrimen adducuntur.

Hoc Parochus accepto libello, ut ad Episcopalem Curiam eum transmitteret, accersivit coniuges eosdemque coram interrogavit. Sic autem interro-

[1] Cf. N. 4216.

gavit Franciscum: *Uxor tua cum videat te venumdare usque ad minima res fundosque tuos atque pretium harum rerum adeo celeriter obligurire, timet ne sua bona eamdem patiantur sortem; ideoque petit a te separationem quoad torum et bona: cedis ne eius votis?* Cui interrogationi Franciscus respondit: *Utique cedo.* Iterum Parochus: *Renuisne omnibus singulisque bonis, quae Catharinae supervenerunt post separationem, ac superventura erunt? Utique sincerissime renuo*, respondit Franciscus.

Hanc viri declarationem a muliere confirmatam et ab utroque coniuge subscriptam una cum mulieris libello ad Episcopalem Curiam Parochus transmisit. Idem Parochus, ad haec validius roboranda, se paratum exhibuit, sub iuramento quoque omnibus testari, si opus fuisset, Franciscum accersitum se coram stitisse, eumdemque de petitione, ab uxore facta monitum fuisse; gravamina a muliere exposita eidem patefecisse; ac denique eumdem virum hisce omnibus refragatum non esse, quin imo libenter separationi corporum et bonorum consensisse.

Habitis hisce actis, Curia Episcopalis, quin aliud exquireret, die 3 novembris 1865 hanc tulit sententiam: « Considerando, quod dicti coniuges iam ex facto sint separati, et eorum unio gravia incommoda secumferret; considerando, quod dicta Catharina Cuenat petat canonicam separationis sententiam, et Franciscus Fosselet consentiat absque ulla oppositione, declaramus locum esse exauditioni petitionis mulieris: quamobrem auctoritate nostra episcopali sententiam tulimus ac ferimus separationis quoad torum et habitationem inter dictos coniuges Fesselet-Cuenat, eosdem declaramus canonice seiunctos, eos remittentes ad civilem iudicem pro bonorum separatione ».

Hac sententia ad Parochum missa ab eo notificata fuit tantummodo uxori, quae eam tribunali civili obtulit ad Decretum habendum de separatione bonorum. In more enim esse dicitur apud eos populos, ut tribunal civile decernat de bonorum separatione, statim ac constet de canonica sententia separationis a Iudice ecclesiastico edita, qui mos a sacris canonibus non est profecto alienus. In hoc civili tribunali certior a suo Defensore Franciscus factus esse dicitur de sententia ab Episcopo lata, atque die 4 februarii 1866 ad Internuntium S. Sedis apud Helvetios commorantem appellavit; a quo admonitus, ut a Iudice a quo, peteret apostolos, ipse eos ab Episcopo Basileensi postulavit, quos Episcopus denegavit ea de causa, quod sententia ob lapsum fatalium in rem iudicatam transiisset et elapsum quoque esset tempus dierum triginta ad petendos apostolos. Verum cum Franciscus per suum Causidicum insisteret apud dictum Internuntium, affirmans, se non posse damnari, cum nec citatus esset, nec sibi sententia esset intimata, denique causa ab Internuntio mediante Secretaria Status delata est S. Congregationi Concilii. Cum autem constaret ex habita Episcopi relatione et attestatione Parochi, sententiam separationis Francisco non fuisse rite denunciatam, die 19 augusti 1867 Rescriptum prodiit: *In casu, de quo agitur, esse locum appellationi coram quo de iure.* Hoc edito Rescripto Episcopus illico dedit apostolos iique transmissi fuerunt ad S. C. C. unde alterum consuetum Decretum prodiit: *Ponatur in folio et notificetur R. P. D. negotiorum Gestori*

S. Sedis... ut moneat partes ad deducendum, quatenus velint, ulteriora iura sua coram S. Congregatione et de resultantibus certioret.

Hoc Decreto executioni mandato, Franciscus declaravit, se, praeter ea quae iam deduxerat apud negotiorum Gestorem, nihil aliud deducendum habere; mulier autem novum libellum obtulit, in quo expositas causas allegans, ita concludebat: *me condemnare ad convivendum cum eo* (Francisco) *idem esse ac ad mortem condemnare: invincibiliter enim ab eo abhorreo.*

Causa itaque proposita est coram S. C. sub infrascriptis dubiis.

Quoniam duplex agitaretur quaestio, quarum una formam iudiciariam respiceret; altera vero meritum causae, nonnulla ex officio sunt animadversa super utraque quaestione.

Consideratum est favore Francisci, eiusmodi quidem causas, quae respiciunt separationem tori, illis accenseri, quae summario modo et absque iudicii strepitu pertractari possint, *Clement. 2, Dispendiosam, de Iudiciis.* Quod si nihilominus emissa sententia defectibus scateat, animadvertendum esse, ut Episcopus retulit, tribunalis ecclesiastici institutiones iuxta sacros canones servari in ea dioecesi haud posse ex temporum locorumque adiunctis. Haec quoad incidentem quaestionem, quae formam respicit iudicii.

Porro in causae merito pro muliere animadversum est, perpetuam et individuam esse debere inter coniuges vitae consuetudinem: odiosum ideoque esse maritalis consortii individuitatem dissociare; neque id fieri posse, nisi graves habeantur causae. Porro, ex parte Catharinae eiusmodi graves causas ad divortii sententiam habendam existere, easdemque esse viri saevitias, eiusdem ebrietatis vitium, dilapidationem patrimonii, atque incorrigibilitatem eiusdem, ita ut Catharina se adhuc vitam vivere affirmaret, quia vir ab ea separatus vixisset. Quoties autem vir iniuste saevitiis in uxorem invehat, satis convenire Auctores, ad eas sufficientes existimandas ad perpetuam decernendam separationem, ceu opinatur Cosci, *de separat. tori coniug.*, lib.2 , c. 5, n. 25 dicens: « Si maritus sine iusta seu ex levi causa frequenter male tractet uxorem, evidentissimo decipiuntur aequivoco, qui huiusmodi mala tractamenta, si non sint atrocissima, spernenda esse putant, non ex alia ratione, quam liceat marito levibus etiam percussionibus corrigere uxorem ut emendetur; nam sublata iusta causa, cessat necessitas correctionis, neque per correctionem speranda est emendatio de errore seu culpa non commissa; ideoque in hoc casu, sive leves sive graves malae tractationes fuerint, ad separationem deveniendum esse omnis ratio suadet ». Inter eiusmodi saevitias recensendas esse iniurias etsi verbales, quae diffamationem quamdam secumferant, quaeque ingenium mulieris honestae et piae concutiant.

Haec quidem graviora evadere, tum ex eo quod vir continuo renuerit alimenta Catharinae necessaria suppeditare; tum ex desertione pluries a viro repetita, quae denique usque ad decennium fuerit protracta: eaque gravissima esse argumenta capitalis implacabilisque odii; et eiusmodi desertionem, quae proprio ingenio fiat, contra bonos mores factam censeri, l. 6, Cod., *de Inst. et subst.*, cap. *Porro*, 4, *de Divortiis.* His accedere habitualem viri ebrietatem, quae ut causa separationis tori ad tempus saltem

admittitur, Sanchez, *de Matr.*, l. 10, disp. 18, n. 18, Cosci, loc. cit., c. 17, n. 28.

Insistebat denique Catharina praesertim in eo, quod Franciscus patrimonium suum in cauponis frequentandis fere dilapidaverit, et uxoris dotem dilapidandam appeteret: quo posito auctoritatem adducebat Clericati, *de Sacr. Matr.*, dec. 39, n. 18, Card. de Luca, disp. 42, n. 272, qui inter saevitiae actus refert dilapidationem et dissipationem bonorum, scribens: Quarto videtur reduci posse ad saevitiam, si coniux bona omnia vel maiorem partem dissipare velit et de facto id exequi coeperit, hoc enim grave est innocentis onus non facile tolerandum ». Cum autem in facto haec omnia plus minusve comprobata haberentur, tum ex Parochi attestatione, tum ex testibus extraiudicialibus adductis, tum ex facto desertionis decennalis, neque spes haberetur, virum ab hac mala agendi ratione recessurum, plurium annorum experientia docente, locum esse canonicae tori separationi Catharina concludebat.

Verum Franciscus inquiebat, non quamvis, sed iustam et legitimam causam concurrere oportere ad tori separationem decernendam, cuiusmodi esset causa saevitiarum vel implacabilis odii, vel quiquid aliud grave, ex quo coniugum animi ita exacerbati evadant, ut alterutrius vita graviter periclitetur; idque exigere non qualemcumque sed rigorosam evidentemque probationem; hinc si in saevitiis causa reponatur, non quamlibet saevitiam causam esse posse, ut saepe tradidit S. Rota et nominatim in decis. 39, n. 12, p. 6, *recent.*, ubi legitur, « ut non quaelibet saevitia sufficiat, sed illa tantum, quae resultat ex pluribus et reiteratis actibus, et iis quidem atrocibus; adeo ut nec plures moderati, nec unus atrocissimus sufficiant ».

Rursus, si implacabile odium inter coniuges obtrudatur, inspiciendum esse, utrum revera coniuges odio exardescant, unde emanaverit, utrum perpetuo duraturum, utrum nulla reconciliationis spes affulgeat. Si denique maximum proferatur alterius coniugis vitae periculum, sedulo perpendendum esse, an istud in simplici metu aut suspicione consistat.

At vero, si de saevitiis sermo habeatur, inquiebat Franciscus, primo eas non ostendi, cum in assertione Catharinae totae consisterent, neque Parocho esse credendum, tum quia unus testis, tum quia hac in re suspectus esset; secundo saevitiarum facta, quae narrantur, inter saevitias connumerari non posse, quia leves essent actus et momentanei vel ex primo impetu et ex magna animi commotione, vel ob uxoris culpam, inobedientiam et pervicaciam prodire potuerint, ex quibus argui non posse consuetudinem insaeviendi, quae consuetudo necessaria esset pro decernenda tori separatione, Rota in *Signina separat. tori*, 4 iunii 1790, § 5, coram Malvasia. Idipsum de iniuriosis verbis sentiendum esse inquiebat, quae praeterea totidem iniuriis lacessita a muliere essent: actum profecto esse ait de universis fere coniugiis, si ex inofficiosis parumque urbanis verbis coniuges separari deberent, contra dispositionem textus in cap. *Literas, de restit. spol.*, ideoque S. Congregationem Concilii in casu duriori separationem tori negasse in *Firmana*, die 16 maii 1789. [1]

[1] Cf. N. 3866.

Ad excludendam autem dictarum causarum existentiam allegabat Franciscus testimonia tum Magistratus loci, qui inter caetera testatus est: *quoad ego sciam Franciscus Fesselet est vir tranquillus et incapax ad malum cuivis faciendum;* tum quatuor incolarum eiusdem loci, qui testati sunt: *Fesselet numquam brutalitatis actum in suam uxorem exercuisse, neque iniuriarum inurbanarum, neque eam unquam male tractasse.* Porro testibus de iniuriis saevitiisque illatis deponentibus, eos esse praeferendos, qui eas excludant, S. Rota in *Valentina separat.*, 12 februarii 1751, coram Elephantutio. Odium autem Franciscus a se removere curabat, tum ex suis christianis moribus, tum ex adductis testimoniis, tum denique ex ipsa sua cura ad uxorem reducendam ad maritalia obsequia. De negligentia in agendis ministrandisque domesticis negotiis, si ea haberetur, nullo modo inquiebat inter legitimas separationis causas esse recensendam: et huic negligentiae occurri posse per legitima iuris remedia, cum daretur actio de repetenda dote coram tribunali civili. Neque habendam esse rationem dati utrinque consensus de separatione: tum quia passione abreptus illum dederit; tum quia pendente lite illum revocaverit. Cum itaque causae deessent ad separationem, Curiae Episcopalis sententiam esse infirmandam.

His itaque perpensis dignentur EE. VV. dirimere dubia:

I. *An constet de legitima appellatione in casu?*

II. *An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Esse locum separationi quoad thorum et habitationem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 128, p. 465-476].

4216.

S. C. C., *Calven. et Theanen.*, 18 dec. 1869.

Contra Matrimonii validitatem data fuit resolutio in hac causa die 26 iunii proxime praeteriti.[1] Verum novam audientiam imploravit Matrimonii Defensor, et voti compos factus fuit.

Quare confectis hac de re a Theologo et Canonista novis votis, quae una cum animadversionibus Defensoris matrimonii in calce damus, hodiernis in comitiis reproponitur causa sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 128, p. 607-648].

[1] Cf. N. 4214.

4217.

S. C. C., *Salernitana*, 24 ian. 1871.

Die 31 ianuarii 1864 Carmelus Rossi duos et viginti annos natus, et Marianna Siniscalco duodeviginti, iuxta Ecclesiae ritum matrimonium celebrarunt. Duos fere annos cohabitarunt coniuges, donec vir crebris vexationibus uxorem afficiens eam e domo exire coegit. Duobus aliis post annis, die 17 ianuarii 1868, supplices preces Marianna porrexit suo Archiepiscopo ut declararet matrimonii nullitatem ex causa viri impotentiae antecedentis matrimonium et perpetuae, qua de causa iudicium coeptum fuit, et constituto Defensore matrimonii, Archiepiscopus rem omnem commisit suo Vicario Generali, qui iuris ordine servato processum aperuit.

Intimato per Vicarium libello mulieris reo convento, hic, neque per se, neque per Procuratorem, ullum unquam verbum respondit. Denique, declarata iudiciali Decreto viri contumacia, die 5 martii 1868 iudicium prosequutum est, atque lis contestata fuit inter actorem seu Mariannam ex una et matrimonii validitatis Defensorem ex alia parte.

Porro rite examinata fuit uxor, quae iuramenti religione interposita tot adiuncta ac circumstantias patefecit, e quibus impotentia Carmeli Rossi antecedens, absoluta, et perpetua clare ostendi videtur. Examinata muliere, iudicialibus interrogatoriis supposita fuit eius septima manus, aliique testes, e quorum depositionibus manifesta erumpit mulieris veracitas, honestas, religio, et matrimonii inconsummatio propter impotentiam viri. Post haec locum habuit inspectio corporis mulieris, ex qua eius virginitas argui posse videtur.

His omnibus rite absolutis, die 25 februarii 1869 sententia prodiit: « 1. Dissolvendum esse matrimonium Mariannae Siniscalco initum cum Carmelo Rossi, utpote nulliter contractum, prout definitiva sententia dissolvimus.

« 2. Condemnandum esse reum contumacem iudicialibus expensis, aliisque damnis ex eo praefatae Mariannae sortitis, non exclusa debita Advocato et Procuratori compensatione, prout praesenti definitiva sententia condemnamus ».

Ab hac sententia validitatis matrimonii ex officio Defensor rite appellavit ad H. S. O. Interposita autem appellatione, mulier preces dedit Archiepiscopo, ut saltem dispensatio concederetur. Tunc Rmus Archiepiscopus omnibus actis ad S. Congregationem transmissis, monuit: « S. Congregatio pro sua auctoritate et sapientia iudicabit de causae merito deque ritu actorum: et pro sua iustitia sive sententiam meae Curiae confirmet sive infirmet, supplico ea ratione qua possum, ut a Romano Pontifice Apostolica dispensatio super matrimonio rato et non consummato concedatur: hac enim dispensatione submoverentur mala, damna et peiora scandala, quae conturbare violenter possent utrasque familias et in desperationem mulierem coniicere, quae animae suae salutem suumque honorem negligeret,

praeter ordinis socialis perturbationem si ad alia matrimonialia vota convolare vellet ».

Hisce habitis, iam apud S. Congregationem Decretum editum fuerat, *ponatur in folio citata parte et defensore matrimonii ex officio*, quando Rm̃us Archiepiscopus iterum litteras dedit, ut, habita ratione paupertatis mulieris, causa, non iuris ordine servato per Procuratores et Causidicos, sed oeconomice pertractaretur. Hac re delata SSm̃o Patri, habita ratione peculiarium circumstantiarum, SSm̃us annuit pro gratia, praevio voto Theologi et Canonistae et animadversionibus Defensoris ex officio, prouti eiusmodi causae pertractantur, quae *oeconomice* pertractari dicuntur.

Tum Canonista tum Theologus in eandem sine haesitatione devenerunt sententiam, matrimonium videlicet esse nullum ex impotentia viri *antecedenti* et *perpetua*, ita ut neque opus esset Apostolica dispensatione super matrimonio rato et non consummato: ideoque Curiae sententiam esse confirmandam opinati sunt. Quod si tamen ad cautelam dicta dispensatio Apostolica implorari vellet, ostendebant simul non deesse in themate validas causas dispensationis; praesertim impotentiam viri, quae si forte non fuisset *antecedens* vel non satis demonstraretur *perpetua*, causa tamen fuisset dispensationis; cui accedebant inimicitiae, simultates etc.

Theologus in suo scribendo voto sibi quandam proposuit difficultatem quae partim processum respicit partim causae meritum: inquit enim, testimonium septimae manus ex parte viri videri omissum. Hanc tamen difficultatem illico solvit, animadvertens, Medicos atque Chirurgos fuisse rite examinatos, qui curabant Carmeli familiam ipsumque Carmelum. Animadvertit praeterea, in themate testimonium septimae manus ex parte viri non esse ex iuris praescripto necessarium, adducens auctoritatem Reiffenstuel, lib. 4, *Decret.*, tit. 15, n. 51, qui haec tradit: « Illud etiam notandum, quod si una parte negante, altera pars coniugum affirmet impotentiam perpetuam et res probari etiam debeat cum iuramento credulitatis propinquorum, non requiruntur quatuordecim, seu ex qualibet parte septem; sed sufficiunt septem ex parte affirmantis; Sanchez, lib. 7, disp. 109, n. 13, cap. *Proposuisti*, 4, *de probat.* ». Notavit denique Theologus in themate undeviginti testes fuisse iuridice examinatos.

Canonista, qui accuratissime omnia ad normam iuris expendit, ad has conclusiones devenit: « ex his omnibus testium depositionibus iuramenti religione firmatis luculentissime constat: 1. Carmelum laborare impotentia coeundi; 2. hanc impotentiam esse omnino certam, non dubiam; 3. esse *antecedentem* matrimonio inito cum Marianna; 4. esse *absolutam*, non relativam; 5. esse organicam seu ex natura, non ex accidentali causa; 6. tales denique eam praeseferre characteres, ut tuto iudicari possit, eam esse perpetuam ».

Matrimonii Defensor ex officio scribens contra Mariannae instantiam, seu pro validitate matrimonii institit maxime contra obstetricum testimonium, referens eorum auctorum opiniones, qui docent, incerta admodum esse virginitatis signa; immo neque eiusmodi certa signa dari: hoc autem posito irridebat testimonium obstetricum, quae in iudicio facilitate summa

fassae sunt, se ictu oculi, absque ulla haesitatione, cognoscere solere virginitatis signa; eademque facilitate de perfecta virginitate Mariannae testimonium dederant. Curavit Defensor infirmare testimonium medicorum, dicens, horum iudicium plene fuisse innixum labili testimonio obstetricum. Animadvertit praeterea, Carmelum sive ob contumaciam latitaret, sive esset rerum, quae de eius matrimonio agebantur, ignarus, auditum non fuisse neque physico peritorum examini subiectum ad eius cognoscendam impotentiam; ideoque concludebat, non posse conclamari matrimonii nullitatem: non enim agi de re, cuius iudicium adversum feriat tantum viri personam, sed ipsam validi matrimonii causam; neminem enim solvere posse, quod Deus coniunxerit. Eo magis, quod testimonium septimae manus ex parte viri non fuerit auditum. Post haec curavit Defensor infirmare depositiones testium, contendens aliquos vel non esse audiendos, quia turpitudinem propriam in iudicio fateri non erubuerant, vel quia subornatos esse inquiebat, vel quia inverisimilia aut falsa et contradictoria, uti aiebat, deponebant.

His aliisque pluribus copiosissime deductis proposita sunt resolvenda dubia:

I. *An sententia Curiae Salernitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu?* Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

II. *An sit consulendum SSm̃o pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Sententiam esse confirmandam, vetito tamen viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.

Ad II. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 130, p. 2-123].

4218.

S. C. C., *Civitatis Castellanae*, 24 mart. 1871.

In oppido Caprarolae die 29 iunii 1869 obiit quaedam mulier nomine Rosa Ruzzi. Sed postridie antequam eius cadaver efferretur, quaestio de loco coepta est, in quo defuncta mulier sepelienda esset. Siquidem Aegidius Giusmini testatus est, se, duabus horis ante cadaveris delationem, coram Canonicis Paroecialis et Collegiatae Ecclesiae stetisse, tribus attestationibus munitum, ut manifestaret voluntatem defunctae mulieris volentis se deferri in templum B. M. Virginis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia: seque fuisse arroganter repulsum, quin ipsi Canonici legerent vel audirent, qui essent illi, qui haec testarentur. Hinc, nulla interposita mora, cadaver delatum est atque sepultum in paroeciali ecclesia S. Marci.

Quum Franciscalis coenobii Custos id non pateretur, ad Episcopalem Curiam confugit, quae Regularium iura, prima fronte, tueri visa est. Sed, re in longum protracta, supplicem libellum obtulit H. S. O. expostulans, ut cadaver defunctae Rosae Ruzzi exhumaretur e paroeciali templo et aspor-

taretur in templum Regularium, sumptibus Canonicorum, praevia restitutione emolumentorum funerum.

His precibus acceptis, iuxta morem rogatus est Ordinarius pro informatione et voto, audito Capitulo eius Collegiatae Ecclesiae et transmissa particula synodi dioecesanae de his rebus disponentis.

Ordinarius, prima sua opinione mutata, die 29 februarii praeterlapsi anni adhaesit expositioni a Capitulo factae, inquit enim: « Expositio tum iuris tum facti enarrata a Capitulo in praesenti causa non mihi spernenda videtur. Et ratio potissima repetenda est ex eo, quod depositio illa duorum testium nimis serotina et expiscata apparet; et ideo in dubium revocata ob rationes a Capitulo allatas, vel potius explicanda de sepulcro gentilitio cuiusdam Restituti, quo defuncto, frui posse putabat, sicut et parentes ab initio sustinebant eo tumulari debere. Etenim si revera extitisset haec formalis electio, profecto parentes non latebat, ac stat'm eam deduxissent coram Capitulo, potiusquam circa locum sepulturae convenire. Ab initio et ego dictae depositioni fidem praestiti et ideo affirmative Custodi dicti Conventus scripsi, sed audito Capitulo rem se aliter habere video. Addam quod, admittere indiscriminatim has depositiones, est contra leges sanitarias, quas ad declinandas et in odium coemeteriis omnes has depositiones sibi procurarent. Particula vero Synodi ad rem faciens habetur in Sess. III, cap. III, *De sepulturis*, § 243: *Ne fraudi sit locus, sepulturae electio constabit vel scripto eligentis, vel duorum testium fide, vel unico ipsius Confessarii testimonio, dummodo non sit pro sua ecclesia. Sub excommunicatione Papae reservata interdictum est Sacerdotibus tum Regularibus tum Saecularibus quempiam inducere ad vovendum, iurandum, promittendum, ut in suis ecclesiis eligat sepulcrum vel electum non mutet* ».

Monebant Canonici Rosam repentina morte decessisse, quamquam diuturno morbo affecta erat: ita ut neque extremis Religionis sacramentis muniri potuerit. Adducebant praeterea tres testes, qui die 4 februarii 1870, testati sunt, postridie repentini obitus Rosae, eius parentes se contulisse ad Canonicum Parochum, eum aliosque Canonicos exorantes, ut permitterent, eius defunctae mulieris cadaver sepeliri in templo coenobii S. Francisci, promittentes, se daturos quaedam cerae aliaque nonnulla funeraria emolumenta Capitulo; quum defuncta mulier, dum vivebat, suam voluntatem non patefecisset ubi sepeliri cuperet, an in paroeciali ecclesia, communi coemeterio, vel potius in franciscali ecclesia. His autem attestationibus deductis, mole sua ruere inquiebant Canonici adversas attestationes exordio litis expiscatas, quae Rosam sepulturam elegisse affirmarent. Sed, facta etiam hypothesi, Rosam elegisse sepulturam, hanc electionem illegitimam esse contendebant: tum ex eo, quod anno 1859 Provincialis Franciscalis Ordinis id temporis prohibuit, quominus in eo templo cadavera humarentur, donec sepulturae essent expurgatae; ex qua prohibitione arguebant Canonici, Fratres renunciasse iuri sepeliendi: tum praesertim, quod Collegiata ecclesia constituta fuerat commune coemeterium; quo constituto, cessassent sepeliendi iura in aliis ecclesiis.

Verum compertissimi iuris esse, inquiebant Regulares, quemquam a iure

non impeditum, posse sibi eligere sepulturam in quavis ecclesia ius sepeliendi habente. Inter eiusmodi ecclesias recenseri illas Fratrum Minorum, quibus ex speciali privilegio hoc ius competit, cap. *Ubicumque*, cap. *Nos, de sepulturis*, Extravag. *Super Cathedram*. Nec secus statuisse Synodum dioecesanam, quae in § 242 ita quoque constituerat: *Liberum est cuique sepulcrum eligere in ecclesia, quae iure tumulandi potiatur;* hisque accedere peculiarem constantemque consuetudinem. Neque aliquam iuris solemnitatem requiri, subdebant Regulares, ad ostendendam voluntatem eligentis sepulturam, sed sufficere simplicem probationem sive per scripturam propria manu exaratam sive per Confessarii testimonium, sive per depositionem duorum testium: Ferraris, *Bibliotheca canonica*, verbo: *Sepultura*, aliique; quibus consonat particula dioecesanae synodi. Iamvero, in facto constare contendebant, Rosam antequam moreretur elegisse sibi sepulturam in templo Fratrum Minorum. Sane adducebant plures testes omni exceptione maiores, inter quos virum eiusdem mulieris defunctae et filium, qui testati sunt, Rosam, in diuturna sua infirmitate, pluries voluntatem efficaciter patefecisse, se omnino sepeliri velle in templo Fratrum Minorum; qua de causa, si opus esset, vendi quoque deberet quidam fundus, ut eius voluntati fieret satis: hoc esse factum in eo oppido publicum, ita ut in disputationem deduci non posset. Duos praeterea adducebant testes, qui declararunt, nullimode veniam se a Canonicis petisse, ut defuncta mulier sepeliretur in ecclesia Fratrum Minorum, sed annunciasse mortem, et patefecisse defunctae voluntatem.

His autem positis, prono alveo fluere, non modo cadaver exhumandum esse atque asportandum Canonicorum sumptibus; sed etiam funebria emolumenta, quae Canonicis obvenerant, Fratribus Minoribus esse restituenda: cap. *Cum liberum, de sepulturis*. Huic iuris capiti multae SS. Congregationum Resolutiones consonant, ut in *Neapolitana*, 13 februarii 1666,[1] in *Alexandrina*, 27 iulii 1680,[2] quae his in adiunctis restitutionem cadaveris faciendam esse decreverunt: nec non in dioecesi, de qua agimus, dispositio dioecesanae synodi, § 243: « Quando extra propriam ecclesiam seu sepulcrum designatum tumulatum fuit cadaver, si petatur, nostra accedente facultate, effodiendum est, ut suae restituatur ecclesiae. Ii vero per quos haec iniuria lata fuit plectantur amissione cuiuscumque lucri percepti vel percipiendi ex funere ». Iussum Provincialis fuisse revocatum, qui iterum iam pridem praeceperat, ut sepulturae fieret locus: atque multa cadavera ab eo tempore humata ibidem fuisse Regulares adnotarunt.

Neque obstare civile Decretum, quo templum Collegiatae Ecclesiae declaratum erat commune coemeterium, quum nihilominus defuncti fideles, qui elegissent sepulturam in templo Fratrum Minorum, semper in eo templo sepulti essent. Quum itaque manifestum appareret, Rosam sepulturam elegisse in ecclesia Fratrum Minorum, quumque horum ecclesia iure sepeliendi gauderet, violata per Canonicos voluntate defunctae, exhu-

[1] Cf. N. 2799.
[2] Cf. N. 2855.

mationi et restitutioni cadaveris esse locum, concludebant, et funebria emolumenta a Capitulo percepta restitui debere.

His deductis proposita sunt resolvenda dubia:

1. *An, et ad quem spectet ius tumulandi, et funeris in casu?* Et quatenus affirmative favore Fratrum Minorum de Observantia:

2. *An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris et emolumentorum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative favore Fratrum de Observantia.

Ad 2. Quoad emolumenta affirmative, deducta quarta funeraria; quo vero ad exhumationem cadaveris ad mentem, et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 130, p. 398-405].

4219.

S. C. C., *Forolivien.*, 16 sept. 1871.

In civitate Foroliviensi extat Carmelitarum templum intra limites paroeciae D. Thomae Apostoli in S. Mercuriali. Ordinibus religiosis in Italia per legem civilem suppressis, de more unus Carmelitarum in eodem templo mansit tamquam Custos seu Rector, deputatus tum a Superiore Ordinis Carmelitici, tum etiam ab Ordinario loci. Porro cum templum illud iure sepeliendi gauderet et nonnullae familiae sepulcrum gentilitium in eo haberent, volvente anno 1869 controversiae nonnullae circa funera ortae sunt inter Rectorem Carmelitam et Parochum seu Oeconomum paroeciae occasione obitus Mariae Annae Casatis, quae licet ex aliena paroecia S. Antonii Abbatis vulgo *in Ravaldino*, tamen sepulcrum gentilitium in dicto Regularium templo habebat.

Mortua itaque Anna, Rector Carmelita cadaveris associationem parabat ea intentione, ut crucem erigeret et cum stola cadaver deferret, ut moris fortasse erat in ea urbe ante suppressionem. Cum Oeconomus paroeciae D. Thomae Ap. haec rescivisset, putans hac ratione iura paroecialia detrimentum captura, quod existimaret post suppressionem eius templi iura ad paroeciam ipso facto devoluta esse, ad Curiam ecclesiasticam confugit, quae in haec praesumpta Oeconomi iura concessit. Quare idem Oeconomus Capellanos misit, qui coniuncti cum Capellanis alterius paroeciae *Ravaldino* cadaver associarunt ad Regularium templum; in quo cum nemo adesset qui cadaver reciperet, religiosae exequiae de more faciendae ab iisdem associantibus factae sunt. Oeconomus autem, ne videretur ratione lucri motus, testatus est, sibi, subductis omnibus impensis, nonnisi libellam 1,50 obvenisse, et esse paratum ad illam dandam cuilibet, prout proposita quaestio resolveretur.

Omissa quaestione ad quem pertineret ius associandi cadaver, Superior Ordinis Carmelitici supplici libello Emum H. S. Congregationis Praefectum adiit haec dubia proponens:

1. *An dicta Carmelitarum ecclesia iure funerandi adhuc gaudeat sicut antea?* Et quatenus affirmative:

2. *An, et quae emolumenta ab Oeconomo, de quo in casu, restituenda?*

Remisso eiusmodi supplici libello ad Ordinarium, ut suum votum patefaceret, audito in scriptis Oeconomo paroeciae D. Thomae Ap., haec inter cetera ex parte Curiae rescripta sunt ea de causa, ut Resolutio pro futuris rerum eventibus inserviret: « Ecclesia Carmelitarum Forolivii nunc temporis non amplius considerari et haberi potest ut ecclesia Regularium, ac proinde privilegia exemptionis, quibus antea intuitu Religiosae familiae gaudebat, suspensa sunt. Remanet proinde sub immediata Ordinarii iurisdictione, qui potest in eam sacram visitationem peragere, transferre illic functiones parochiales in casu necessitatis, etc. Uno verbo habetur, uti quaecumque alia ecclesia neque parochialis neque Regularium. Eius Rector pendet tantummodo ab Ordinario, et parochus D. Thomae Ap., intra cuius paroeciae limites dicta ecclesia sita est, nullum ius sibi in ipsum vindicare potest. Occurrente igitur casu, quo defunctus aliquis ius sepulturae habens in ea ecclesia ad ipsam deferri debeat, ibique mortualia recipere, si defunctus est subiectus parocho D. Thomae Ap., ad ipsum spectat officium funebre facere super cadavere, uti cautum est in S. R. C. Decreto *Urbis et Orbis* sub die 12 ianuarii 1704 relato a Benedicto XIV in *Notif. 105.*[1] Si vero defunctus non est subiectus Parocho D. Thomae Ap., tum defuncti Parochus defert cadaver ad dictam ecclesiam, ibique cantata antiphona *Subvenite*, etc., discedit et cetera peraguntur ab ecclesiae Rectore, ut Synodus nostra disponit. Cum autem nunc per legem civilem prohibeatur tumulatio in ecclesiis et proinde, peracto funere, deferantur cadavera ad publicum coemeterium, hinc orta quaestio ad quem spectet haec secunda cadaveris associatio. Ad quod dubium respondit episcopalis Curia spectare associationem ad Parochum intra cuius limites est ecclesia Carmelitarum; etenim haec ecclesia elevare nequit crucem, nequit propterea associare defunctum. Parochus vero defuncti suo officio functus est; restat igitur ius associationis ad coemeterium Parocho D. Thomae Ap., idest Parocho intra cuius Paroeciae limites sita est Carmelitarum ecclesia ».

Ad confirmanda ea quae ab episcopali Curia pro parocho D. Thomae Ap. sunt deducta, animadversum est ex officio, privilegium sepeliendi et funerandi fortasse pertinere illi ecclesiae non pure et simpliciter, sed ratione religiosae familiae; ideoque, hac, licet inique suppressa, illud deficere iuxta ea, quae tradit Rota coram Emerix, decis. 1029, n. 16; et coram Ratto, decis. 105, n. 3. Idem in simili casu fuisse decisum a S. Congregatione Reformationis die 16 decembris 1816. Quum enim conventus Minorum Conventualium, Pergulae situs, in pristinum non fuisset restitutus, quaesitum est: I. *An ecclesia conventui adnexa debeat in praesenti statu considerari tamquam regularis in privilegiis, officiis ecclesiasticis, tumulatione, etc.?* Et quatenus negative: II. *An considerari debeat tamquam filialis ad paroeciam, ita ut parochus in ea omne ius exerceat?*: eadem S. Congregatio respondit ad I. *Negative;* ad

[1] Cf. N. 5733.

II. *Affirmative*. Si ergo Carmelitarum templum ex facto regulare esse desierit, eius iura et privilegia, intuitu Regularium possessa, cessare atque subintrare ius commune.

Porro ex communi iure exploratissimum esse, Parocho pertinere officium funebre peragere, quemadmodum inter ceteros tradit Barbosa, *de offic. et pot. Parochi*, p. 3, c. 26, n. 80, his verbis: « Officium facere super cadaveribus pertinet ad parochum, intra cuius paroeciae limites adest ecclesia, in qua cadaver tumulatur, non autem ad Sacerdotes talis ecclesiae: et ita responsum fuit a S. Congr. Rituum in causa defunctorum, qui sepeliuntur in ecclesia S. Celsi Mediolani 29 nov. 1632 ». Et quoniam episcopalis Curia commemoravit Decretum S. C. Rituum, *Urbis et Orbis*, anni 1703 a Summo Pontifice confirmatum die 2 ianuarii 1704, est animadversum, in eiusmodi Decreto hoc dubium, ordine vicesimum, inter caetera fuisse propositum: « An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis Confraternitatum? » ac responsum fuisse: *Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius limites est ecclesia vel oratorium*. Monacelli, in *Formulario legali fori ecclesiast.*, p. 2, tit. 13, formula 1, n. 7, dictum Decretum explanantem haec tradere de eodem dubio: « Vigesimum Decretum iuridicum omnino est; quia cum indubitanter ius sepeliendi suos parochianos sit de iuribus parochialibus, ut docent Medic., *de sepult.*, q. 10, n. 1, Rota coram Coccin., decis. 1213, n. 2, sequitur, quod etiam ius faciendi officium funebre super cadaveribus, tamquam connexum et dependens, privative ad Parochum spectat; Samuel, *de sepult.*, disp. 3, contr. 2, n. 19, et contr. 7, n. 16, ibi: « et non tantum in ecclesiis saecularibus intra fines parochiae, sed etiam regularibus illorum Conventuum, qui vigore constitutionis Innocentii X, quae incipit: *Ut in parvis*, [1] iurisdictioni subiacent Ordinariorum; in his inquam non a Regularibus, sed a Parocho ad quem spectat, officium funeris supra cadavera explendum erit ». Si itaque ad Parochum spectet in eiusmodi Regularium Conventibus, qui ex constitutione *Ut in parvis* subiacent Ordinarii iurisdictioni, funera exercere; multo magis ad eundem spectare esse dicendum funera exercere in Regularium templo, cuius regularis familia non amplius vitam ducat.

E converso pro Regularibus est animadversum, iniquam suppressionis legem a laica potestate factam, hoc unum operari potuisse, ut Carmelitae, utpote dispersi, non amplius gauderent illis iuribus et privilegiis, quae eisdem competunt, cum in Conventibus degunt sub disciplina regulari. Ex hoc autem non sequi, illud templum ad Carmelitarum Ordinem non amplius pertinere. Immo non modo ad Carmeliticum Ordinem pertinere, sed in eo exerceri quoque ea iura et privilegia templo inhaerentia per Carmeliticum Rectorem cum duobus religiosis a Superiore Ordinis deputatum; quod si in eiusmodi adiunctis concurrat etiam loci Ordinarius, ex eo non aliud ostendi, quam quod templum illud non sit amplius Superiori Ordinis exclusive subiectum sed etiam loci Ordinario.

[1] Die 10 febr. 1654. - Bull. Rom., tom. 6, III, p. 270, 271.

Eo magis, quod cum agatur de mutatione status ecclesiarum Regularium circa onera, iura et privilegia iis inhaerentia, intervenire semper debeat S. Sedis auctoritas, ceu praxis quoque significavit, ut in *Tiburtina, Iuris tumulandi*, 17 martii 1827. [1] Cum autem circa mutationem status ecclesiae regularis in ecclesiam saecularem S. Sedes nullimode intervenisset, dicendum videri templum illud omnibus iuribus et privilegiis adhuc praeditum esse, quibus ante suppressionem pollebat. Cum itaque templum illud regulare esse non desierit, consequi id, quod S. Rota ponderavit in causa *Romana, Iuris tumulandis*, 7 maii 1792, § 10: « Centies definitum est Parochis aliisque saecularibus Presbyteris minime licere Regularium ecclesias ingredi cum cruce erecta, stola et superpelliceo, ibique absolutionem cadaverum explere, officium et Missam canere, atque exequias celebrare ». Item Barbosa, *De offic. et potest. Paroch.*, p. 3, c. 26, n. 81, aliique communiter.

Facta etiam hypothesi, templum, de quo agimus, saeculare evasisse, non illico sequi iure sepeliendi seu funerandi destitutum modo esse. Eiusmodi consequentiae carentia ex eo desumebatur, quod non constaret in themate templum illud hoc privilegio frui tantum intuitu regularis familiae: quin imo, quum iure funerandi passim gaudeant saeculares ecclesiae, hoc funerandi ius esse reale dicendum et ipsi templo inhaerens. De qua re Rota *coram Merlino*, decis. 547, n. 5: « per saecularizationem censentur mutata et sublata privilegia et iura concernentia regularitatem; in ceteris vero iura omnia tam activa, quam passiva, integra remanent et illaesa ipsi ecclesiae, nisi expresse tollantur ». Pariter S. C. C. in cit. *Tiburtina*, 17 martii 1827.

Denique adducta est causa *Pergulana*, 17 decembris 1824, [2] cuius facti species in haec perstringebatur: Saeculo XVIII exeunte, Congregatio Presbyterorum S. Philippi Neri in aedibus S. Annae Pergulae fuit erecta et templum S. Petri eiusque aediculam custodiendam et regendam obtinuit: in his templis functiones omnes ecclesiasticas peragebat una cum funeribus super cadavera defunctorum, qui ibidem sepulcrum gentilitium habebant. Verum ob incipientis huius saeculi calamitates, eadem Congregatione suppressa, aedes atque templa, auctoritate S. Sedis concessa fuerunt Seminario erigendo et postmodum eorum custodia officiumque Rectoris Seminarii Presbytero Oratorii ab Episcopo Pergulano concreditum est. Cum autem eadem templa intra limites paroecialis ecclesiae Cathedralis sita essent, controversiae ortae sunt inter Rectorem Seminarii et Parochum circa emolumenta et officium funebre defunctorum ibidem tumulandorum. Quaestione ad S. C. Concilii deducta sub dubitandi formulis:

I. An ad Rectorem Seminarii spectent functiones non parochiales in ecclesiis eiusdem Seminarii celebrandae in casu?

II. An, et quomodo Parochus, intra cuius paroeciae fines ecclesiae

[1] Cf. N. 4009.
[2] Thesaurus Resolutionum, tom. 84, p. 373-380.

Seminarii sunt sitae, ius habeat in functiones mortuarias suorum parochianorum, qui in illis tumulantur in casu?

III. An, et quae portio emolumentorum eidem parocho debeatur occasione praefatae tumulationis parochianorum in casu?

IV. An, et quomodo parochus ius habeat in functiones mortuarias non parochianorum tumulandorum in dictis Seminarii ecclesiis in casu?

Responsa prodierunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad formam ecclesiarum exemptarum, nempe pro associatione usque ad ianuam ecclesiae.

Ad III. Affirmative pro quarta funeraria iuxta consuetudinem loci.

Ad IV. Negative in omnibus.

Ex his omnibus concludebatur, templum Carmelitarum, de quo agimus, iure sepeliendi et funerandi adhuc pollere, atque a parochi iurisdictione esse exemptum; ideoque praeter quartam funerum parochum nihil sibi vindicare posse. His autem non obstare leges civiles, quae tumulationem in templis prohibeant post legem publici coemeterii: eiusmodi enim leges latas causa publicae sanitatis non immutare ecclesiastica ecclesiarum iura, quod pluries est definitum.

Neque his obstare auctoritatem sive Auctorum sive S. Rotae sive Sacr. Congregationum, quae his contrariae videri possent. Animadversum est enim, eiusmodi auctoritates vel agere de templis iurisdictione paroeciali minime exemptis, vel de iis quae iure sepeliendi seu funerandi non gauderent. Ad Decreta quod attinet S. Congregationis SS. Rituum anni 1703, animadversum est, ea edita fuisse ad enodandas et compescendas controversias, quae saepe saepius oriebantur Parochos inter et Confraternitates erectas in templis vel Oratoriis publicis, quae intra limites paroeciarum prostant: proindeque ea Decreta protendi non posse ad templa, quae a Parochorum iurisdictione, ut in themate, sint exempta, iure tumulandi polleant, propriumque habeant Rectorem.

His aliisque animadversis, proposita sunt resolvenda dubia:

1. *An ecclesia Carmelitarum adhuc gaudeat iure sepeliendi seu funerandi, ita ut ad eius Rectorem spectet officium funebre peragere super cadaveribus defunctorum in eadem sepulcrum gentilitium habentium?*

2. *An, et quae emolumenta Parocho S. Mercurialis competant in casu?*

Die, etc. sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative, salvo iure Parochi domicilii defuncti pro quarta funerum iuxta consuetudinem loci.

Ad 2. Negative in casu speciali de quo agitur.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 130, p. 657-669].

4220.

S. C. C., *Syracusana*, 24 febr. 1872.

A gubernio Subalpino in Italia, prohibita cadaverum humatione in omnibus ecclesiis tam Cleri saecularis quam regularis, Syracusis a. 1870 quaestio orta est inter Capellanum monasterii monialium S. Luciae et Parochum localem circa ius associandi cadaver cuiusdam sanctimonialis ad commune coemeterium. Controversiam composuit Vicarius Capitularis decernens, ut pro ea vice Capellanus cadaver associaret.

Verumtamen, ad huiusmodi quaestiones in posterum praecavendas, datis literis, a S. C. C. postulavit, ut dubium quod sequitur dirimeretur; ita autem illud proposuit:

« Isthaec S. Congregatio Concilii sub die 24 ianuarii 1846 statuit,[1] posse Regulares, cum stola et cruce Conventus et sine Parochi interventu, deferre ad coemeterium commune Regularis defuncti cadaver, quod lege civili obstante, nequit in Conventu sepeliri, modo id fiat absque solemni pompa, et defunctus recto tramite deferatur ad coemeterium.

« Quaeritur itaque, an huiusmodi Decretum extendi etiam queat ad moniales Ordinariorum Dioecesum iurisdictioni subiectas; ita ut ipsarum cadavera possint absque Parochorum interventu ab ordinariis monasteriorum Cappellanis, efferri, moderato at funere, ad commune coemeterium ».

De more rescriptum est Vicario Capitulari, ut audiret Capellanum monialium et Parochum localem in scriptis, nec non Procuratorem fiscalem, qui ceterorum monasteriorum et Parochorum partes et iura defendit.

Parochi per Vicarium Capitularem responderunt, se nullam posse adducere auctoritatem neque ius aliquod habere in monialium monasteria, utpote exclusive subiecta archiepiscopali iurisdictioni; ideoque S. Congregationis resolutionem expectare. Capellanus monialium aliqua decreta et auctoritates in medium deduxit. Promotor autem fiscalis pro monialium monasteriis opinatus est.

His acceptis, prodiit decretum in Secretaria S. C. C. *ponatur in folio*, atque causae restrictus de more ex officio factus est, ut proponeretur Sacrae Congregationi, ex quo haec omnia desumpsimus.

Ex officio pro Parochis est animadversum, comperti iuris esse ad Parochum privative pertinere iurisdictionem paroecialem in omnes intra paroeciae suae fines existentes; haec autem paroecialia iura patefieri ex. gr. per delationem stolae, ceu tradit et ostendit Monacell., tit. 10, formul. 18, n. 4 et tit. 13, for. 1, n. 77, Pignatell., consult. 73, num. 1, tom. 8, vel per crucis elationem, Pignatell., ibid., n. 110; cum autem haec duo signa ad Parochum tantum pertineant, cumque eadem ex Rituali Romano proferenda sint in cadaverum associatone, consequi Capellanos monialium extra monasteriorum septa ea deferre non posse, ne Parochi iura invadere videantur: ideoque associationem cadaveris monialium extra monasterii septa ad Parochos pertinere.

Id ex analogia iuris funerandi confirmari; tum ex eo quod Regularibus vetitum sit funera per vias et plateas ducere irrequisito et absente Parocho, tum ex eo quod ipsis Regularium Superioribus prohibitum sit extra monasterii septa iurisdictionem paroecialem etiam in suos subditos exercere. Quare in delatione cadaverum ad Parochum pertinere designare viam, per

[1] Cf. N. 4091.

quam sit incedendum usque ad ianuam ecclesiae Regularium, ubi defunctus sepeliendus sit, ceu tradit Ferraris, *Bibliot. can.*, verbo *Parochus*, art. 3, n. 51.

Praeterea, cum non liceat Parochis ingredi templa Regularium cum stola et cruce erecta, sed preces associationis terminare debeant ad templi ianuam ibique dare ultimum vale, uti eruitur ex quadam causa *Insularum Canariae*, die 31 iulii 1694 [1] coram S. C. C. agitata; prohibitis hodie humationibus in propriis monialium templis, congruum videri, ut dato ultimo vale in ianuis templi eiusdem, Parocho cadaver tradatur, ut illud in commune coemeterium transferre possit.

Neque difficultatem facessere videri resolutionem H. S. O. anni 1846: cum enim in ea agatur de singulari casu et de Ordine Praedicatorum, plurimis privilegiis ditato, ad similes casus trahi non posse.

At vero Capellanus monialium affirmavit, resolutionem datam anno 1846 legem esse pro omnibus Religiosis communem vitam agentibus, in cuius rei confirmationem adduxit auctoritatem Scavini, qui, l. 4, app. 8, haec scripsit: « Quando Regularis defunctus sepeliri nequit in conventu (obstante v. g. lege civili) possunt Regulares cadaver ad coemeterium commune deferre cum stola et cruce Conventus absque interventu Parochi, modo sit absque solemni pompa et recto tramite deferatur ad coemeterium ». Hoc autem posito, eiusmodi legem referendam quoque esse ad moniales ex iuris regula, quod *ubi eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio*.

Animadvertit praeterea, monasteria a iurisdictione Parochi, tam locali quam personali, exempta esse et ad instar paroeciarum haberi; ideoque earumdem Capellanum ab Ordinario adprobatum tamquam Parochum n iure reputari, non secus ac Superior Regularis pro Religiosis viris; Ferraris verbo *Moniales*, art. 1, n. 61, ubi ex aliorum auctoritate tradit: « Confessarius monialium, licet non vocetur Parochus, in re tamen est Parochus, cum ex officio curam habeat animarum aeque ac si esset Parochus respective saecularium ». Habito itaque Capellano monialium tamquam Parocho, quemadmodum Parocho licet praetergredi fines propriae paroeciae, ceteris Parochis inconsultis, ut suorum paroecianorum cadavera ad commune coemeterium deferat, ita ex eadem ratione dicendum, idem posse Capellanum monialium.

Porro ex officio animadversum est, funebres functiones Parochorum proprias esse, ceu ex *Clement. Dudum, de sepult.* et communiter auctores tradunt, ita ut in dubio pro Parochis sit respondendum, ut cum aliis scripsit Benedict. XIV, *Instit. eccl.*, 105, § 3: habet enim Parochus intentionem in iure fundatam. Sed certi iuris quoque, esse, monialium Confessarium intra monasterii septa tamquam Parochum aestimari, cum ex privilegio exemptionis monasterium ab omni iure paroeciali vacet. Sic ex. gr. Samuel, *de sepult.*, tract, 1, concl. 2: « Monialium monasteria gaudent privilegio exemptionis a iuribus Parochiae intra quam sunt aedificata, concesso

[1] Cf. N. 2943.

omnibus Regularibus utriusque sexus, quibus Confessarius proinde deputari solet, qui tamquam Parochus omnia sacramenta et sepulturam administrat ». Hinc esse, ut non a Parocho, sed ab ipsarum Confessario exequiae peragendae, ceu respondit S. Congregatio Episc. et Regul, in *Tranen.*, die 30 maii 1856. [1]

Et ad associationem cadaverum monialium a Confessario faciendam usque ad locum sepulturae extra monasterium adductae sunt per extensum auctoritates Samuelis, qui loc. cit., controv. 16, conclus. 9, scripsit: « Monialis, si ex speciali gratia papali sibi sepulturam extra monasterium eligat, eius Confessarius debet corpus eius associare usque ad sepulturam et illud humare et officium peragere super illud. Si alias extra loca regularia sui ordinis sepeliretur, aut in locis aliis, ubi ius funerandi habent, tunc ad horum locorum personas spectabit agere officia et sepulturam dare illi. Nam in huiusmodi casu monialium Confessarius ius haud amittit corpus associandi usque ad sepulturam: et si sepeliatur in loco ubi non adest ius funerandi penes illum ecclesiasticum, ad Confessarium spectabit funus peragere quoad omnia; alias non: sed ad instar se debet habere ceterorum Parochorum, qui funus associant et in ecclesiis regularibus nihil agunt, sed ad ipsos Regulares pertinet cetera funeralia peragere: nam Confessarius est proprius parochus huius monialis defunctae, et proinde ad eum spectat parochialia munera super eam peragere ».

Idem sentit Scarfantonius, tom. 3, addit. 48, n. 91 de femina agens ad vitam in monasterio collocata; « associanda est a Confessario monasterii eique debentur et quarta funeris et alia iura parochialia, ex hac unica ratione, quia talis mulier effecta est de ovibus Confessarii, et ab eo recepit sacramenta, dum viveret ». Concinit Pelizar, *de monialib.*, c. 10, n. 233; necnon et Capon, tom. 4, discept. 133, n. 73 et 74.

Nullam autem difficultatem facere, quod in themate moniales subiiciantur iurisdictioni Ordinarii: per hoc enim allatas rationes non mutari; neque easdem rationes mutari per constituta publica et communia coemeteria, quae iura funerum non immutat; cum tantum materialis dormitionis locus sit mutatus causa publicae valetudinis ut centies est resolutum, ut in *Ariminen.*, 14 maii 1825, [2] *Forolivien.*, 26 ianuarii 1833. [3] Hisce aliisque deductis, propositum est resolvendum dubium:

An, et ad quem pertinet associatio cadaveris sanctimonialium in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative favore Confessarii, dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce, sed absque pompa et recto tramite ad coemeterium.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 131, p. 151-161].

[1] Cf. N. 1975.
[2] Cf. N. 3994.
[3] Cf. N. 4043.

4221.

S. C. C., *Ilcinen.*, 24 febr. 1872.

Romanus et Iosepha coniuges Martinocci domicilium habentes in paroecia Collegiatae S. Quirici Ilcini Dioecesis, cum prole carerent, filiali affectu prosecuti sunt suam neptem puerulam. Eam domi receperunt, et quae puerili educationi necessaria sunt, suppeditarunt; sed septennis eis mortua est. Parochus S. Quirici, qui puerulae morienti adstitit, funus deinde egit, toto eiusdem oppidi Clero associante.

Sed Parochus S. Mariae ad coelum Assumptae obstitit, contendens sibi ius esse funerandi, quod genitores defunctae puellae intra suae paroeciae limites domicilium haberent. Respondit Parochus S. Quirici, puellam adoptatam fuisse a coniugibus Martinocci, suis paroecianis, ideoque in sua ecclesia sepeliendam esse.

Parochus S. Mariae, huic rationi non acquiescens, controversiam detulit ad Vicarium Capitularem, qui eam dirimere recusans definiendam proposuit S. Congregationi Concilii, sic scribens: «Purifica Zamperini, nondum completo anno septimo aetatis suae, decessit in paroecia Collegiatae S. Quirici, terrae huius Dioecesis, apud avos, qui alebant atque eam habebant sicuti propriam; dum vero parentes eius domicilium retinebant et retinent in altera paroecia S. Mariae eiusdem terrae: Parochus S. Mariae existimabat ius suum esse celebrare exequias atque associare corpus puellae usque ad sepulturam; obstitit Parochus Collegiatae asseverans avos praedictos adoptavisse illam in filiam, et munera parochialia perfecit. Ast quando enunciatae adoptionis probationem quaesivi, fidem tantum remisit subscriptam, post mortem puellae ab avis, parentibus et testibus, in qua, nullo alio existente actu legali, animum factae adoptionis profitebantur.

« Humillime igitur ab Eminentiis Vestris... quaero:

« 1. An fides praedicta vim habeat comprobandi adoptionem; 2. An recte fecerit Parochus Collegiatae, vel contra ius Parochi S. Mariae, qui ideo aliquam partem cerae aut pecuniarum, sive potius omne perceptum praetendere possit ab illo ».

Vicario Capitulari rescriptum est ut audiret utrumque Parochum in scriptis et transmitteret exemplum enunciatae fidei: quibus a Vicario Capitulari transmissis, Decretum in Secretaria S. C. prodiit *ponatur in folio*.

Ex officio pro Parocho S. Quirici est animadversum cum Samuel, *tract. prim. de sepult. elect.*, concl. 17, num. 24: « adoptivus si moriatur, vivente patre adoptante, in eius sepultura est tumulandus, cum decedat quo tempore adoptio durabat ». Silvester, *verb. sepult.* et qu. 8, dist. 4: « filii adoptivi si moriantur vivente patre, sub cuius potestate erant, debent sepeliri in sepulchro eiusdem ». Porro in themate puellam mortuam esse vivo adhuc eius patre adoptante: ergo in eius sepulcro sepeliri debuisse.

Sane harum rerum fidem seu testimonium a Parocho S. Quirici exhibitum haec continere: « Nos coniuges Romanus Martinocci et Iosepha Zamperini, incolentes paroeciam Collegiatae S. Quirici Ilcini, declaramus anno 1867 accepisse et acceptasse in filiam adoptivam puellam Purificam eamque tamquam partem integralem nostrae familiae inscripsimus elencho Status civilis huius Communitatis... atque parati sumus haec iuramento firmare ». Neque dicendum eiusmodi adoptionem nullitate laborare ob legalium solemnitatum defectum. Nam in themate non agi nisi de adoptione imperfecta; ideoque satis esse ut interveniat consensus tum adoptantis tum patris filii adoptandi. Eo magis quod in themate non ageretur de effectibus civilibus, sed de ecclesiastico iure tumulandi: ideoque solemnitates iure civili praescriptas pro facienda adoptione e quaestione praesenti exulare. Quare concludebatur iure Parochum S. Quirici funera egisse.

Contra pro Parocho S. Mariae est animadversum, exploratum esse ius quo statuitur, defunctos impuberes sepeliendos esse in sepulcro maiorum si habeant; quod si non habeant, sepeliendos in propria paroeciali ecclesia; cap. *Licet*, 4, *de sepult.*, in 6. Atqui cum sepulcrum maiorum septennis puella non haberet, sepeliendam fuisse in ecclesia S. Mariae, quae est paroecia parentum eiusdem.

Neque difficultatem facere assertae adoptionis declarationem, cum haec declaratio non ostenderet factam fuisse legitimam adoptionem: licet enim imperfecta adoptio non exigat Principis auctoritatem, exigere tamen Decretum iudicis competentis. Sane sic legitur in lege 1 Cod. *de adoptionibus*: « *Ii qui in aliena potestate sunt, iuxta ius civile nonnisi apud eum, apud quem plena legis actio est, adoptari possunt* ». Immo in lege 4 Cod. eod. tit. statuitur: « *Adoptio non tabulis, licet per tabellionem conficiendis, sed solemni iuris ordine apud praesidem solet copulari* ». Quae omnia cum in themate desint, nullam dicendam esse adoptionem. Sed praeterea Parochus S. Mariae, adductis nonnullis rationibus, ob quas tamquam suspectam dicebat declarationem adoptionis post mortem puellae expiscatam, animadvertit alios datos esse similes casus in eodem oppido et in ipsa sua paroecia, quin inde censeretur facta vera et legitima adoptio; atque ius sepulturae non fuisse mutatum.

Neque difficultatem facere, quod parochus S. Quirici adstiterit morienti puellae; cum non ex hoc iudicetur ius funerandi, de qua re sic inter ceteros scripsit *Scarfant.*, tom. 2, additio 48, n. 1: « Centies definitum est, iuris assistentiam quam habent Parochi in funeribus decedentium intra limites parochiae non competere ratione loci materialis aut mansitationis, vel obitus accidentalis in eadem parochia, etiam cum administratione Sacramentorum in extremo vitae, sed ratione spiritualis officii, quod Parochus gerit erga suum parochianum dum vivit, praebendo spiritualia, ideoque competit tantummodo proprio Parocho personae defuncte. Text. in c. 1, *de sepult.*, c. 2 eod., in 6, *in Clement.*, *Dudum*, § *Verum* eod. tit. ». Quare concludebatur, nonnisi Parocho S. Mariae ius funerandi in themate competere. Proponitur itaque dubium:

An, et ad quem pertinet ius funerandi in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata, et coadiuventur probationes, exhibito etiam documento status paroeciarum et civilis, idque notificetur Episcopo.[1]
[Thesaurus Resolutionum, tom. 131, p. 162-167].

4222.

S. C. C., *Petrocoricen.*, 14 dec. 1872.

Episcopus Petrocoricensis supplici oblato libello Romano Pontifici, haec, quae sequuntur, exposuit: « Cum ex Concilio Tridentino, Sess. 23, cap. 1, *de ref.* et plurium SS. Pontificum constitutionibus teneantur Parochi curam animarum gerentes Missam applicare pro populo diebus Dominicis aliisque diebus ab Urbano VIII et Clemente XI designatis, et plures exortae sint difficultates circa huiusmodi applicationem et extensionem; ad ipsas solvendas infrascriptorum dubiorum solutionem a S. V. efflagitat humillime Episcopus Petrocoricensis ».

Eiusmodi dubia inter supplices libellos seu, ut modo dicimus, per *summaria precum*, proposita fuerunt S. Congregationi die 27 iunii 1871, sed cum res requireret aliquam investigationem, responsum prodiit, *ponatur in folio*, atque iuxta mandatum, res accuratius est investigata.

Animadversum itaque ex officio est in folio seu in cause restrictu, totam quaestionem reduci posse ad inquirendum, utrum obligatio Parochorum applicandi Missam pro populo sit nec ne personalis simul et localis; ex solutione autem huius quaestionis ceteras pendere videri. Si verba Tridentini, Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, mature perpendantur, facile in eam iveris sententiam, ut obligationem parochorum applicandi Missam pro populo Dominicis aliisque festis diebus, personalem reputaveris. Cui consonant, quae Benedictus XIV in const. *Cum semper oblatas*, die 19 augusti 1744 edixit, dum ait: *eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere;*[2] et Pius IX in encyclica epistola, *Amantissimi*, die 3 maii 1858 decernens: *Parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere.*[3] Cum itaque hoc officium dicatur proprium eorum, quibus cura animarum demandata sit, eamque actu gerant, officium personale est dicendum.

Hinc omnes Canonistae et Theologi, loquentes speciatim de obligatione applicandi Missam pro populo, obligationem personalem esse dixerunt: eo videlicet sensu ut excepto casu legitimi impedimenti Parochus per se teneatur Missam pro populo celebrare. Haec autem concors Canonistarum et Theologorum doctrina mirifice congruere videtur cum praxi huius S. Ordinis.

[1] Cf. N. 4223.
[2] Cf. N. 345.
[3] Cf. N. 524.

Ex quibus ergo constat obligationem applicandi Missam pro populo esse personalem, ita tamen, ut, interveniente canonica causa, qua ille, qui curam actu gerit animarum, applicare per se non possit, debeat eam applicare per alium.

Nonnulla inde adducta sunt exempla, in quibus canonicam causam existere a S. C. C. est iudicatum. Videlicet in citata constitutione: *Cum semper oblatas*, iam Pontifex declaravit: quod si paroecia adnexa sit Praebendae canonicali, Parochus Missam conventualem celebraret et applicaret; paroecialem vero Missam alteri suo sumptu celebrandam mandaret.

Consideratum autem est, Parochum residentiae lege obstringi ad paroecialia obeunda munera, hinc esse, ut Parochus Missam pro populo celebrare teneatur in propria paroeciali ecclesia. Sic exempli gratia Barbosa in *summa apost. decis.*, collect. 478, n. 28, haec tradit: « Missam in propria ecclesia et non in alia celebrare debet Parochus, quacumque consuetudine contraria non obstante, *Lucan.*, 15 septembris 1629 ». Quod erui quoque posse videtur ex verbis modo allegatae const. Benedicti XIV, § 8.

Bouix in opere *de Parocho*, part. V, cap. 6, propos. 8, haec habet: *Missam pro populo celebrare debet Parochus in parochiali ecclesia.* Sane si parochus, cum *legitime absit*, teneatur alium substituere ut celebret et applicet Missam diebus festis, illud sequi videtur, ut eam applicare non possit pro populo suo in loco ubi degat, secus satis esset si curaret Missam celebrandam quin applicaretur.

Nonnulla inde sunt adducta quae attenuarent utramque obligationem. Animadversum enim est, non deesse qui putent, obligationem Parochorum celebrandi personaliter Missam pro populo, non adeo gravem esse, ut ex levi causa non possint id oneris in alios reiicere, quotidiana fere praxi adstipulante; Cavalerius, tom. 3, op. liturg., c. 8, ad decis. n. 3. Nec aliquid absurdi hoc secumferre, cum ratio applicandi Missam pro populo non alia esse videatur, quam ut fructus medius pro populo applicetur, eidemque populo commodum porrigatur audiendi sacrum in propria paroecia: duo autem haec pari modo obtineri, quamvis alius Presbyter celebret.

Quod si nimis urgeatur obligatio personalis, illud sequi videretur, ut, impedito Parocho, obligatio cessaret, cum obligatio mere personalis personam non egrediatur. Quod si nimis urgeatur obligatio localis, idest celebrandi per se in parochiali ecclesia, Parochus legitime absens, videretur ab obligatione solutus substituendi alium, qui Missam celebraret in paroeciali ecclesia. Cum itaque alterutrum admitti non possit, non incongruum videri, posse Parochum etiam ex levi causa alium substituere, qui Missam pro populo celebret in paroeciali ecclesia. Eo magis, quod, cum ex universali consuetudine non amplius paroeciani teneantur Missam audire in paroeciali ecclesia, satis consultum videatur utrique dictae obligationi si Parochus absens celebret pro populo suo, ubi degat; fructus enim Sacrificii idem est, quocumque in loco celebretur: alius autem Missam celebret in paroeciali ecclesia ad populi commoditatem.

Et ad obligationem quod attinet celebrandi in paroeciali ecclesia et non in alia, est animadversum, non multum valere auctoritates adductas. Nam-

que Barbosa, aliique ex huius auctoritate, innituntur causae *Lucanae*, 15 septembris 1629, quae in Regestis S. C. C., Lib. 14, Decret., p. 169 sic reperitur: *Sacra, etc. censuit Episcopum iuxta facultatem reservatam adsignare debere unicuique parochiae portionem iuxta ratam seu statum primum cuiuscumque, slt. de 20 et quinque respective; onus vero iniunctum Parocho Tempagnani se conferendi ad ecclesiam parochialem Antiacoli, ibique celebrandi abrogandam esse.* Ex hac itaque resolutione, quamquam facti speciem in praesens non habeamus, facile apparet, non posse argui strictam obligationem celebrandi in ecclesia paroeciali et non in alia, ut arguit Barbosa, eiusque exscriptores: agebatur enim de onere iniuncto, id est de lege fortasse ex pacto statuta, qua unus Parochus, relicta propria ecclesia, cogebatur sese conferre in aliam paroecialem ecclesiam ibique diebus Dominicis celebrare: quod quisque videt quam sit abnorme. Idem est dicendum de alia resolutione in *Fanen. Rectoris Urceani*, die 17 novembris 1629, Lib. 14, Decret., p. 172; in hac enim causa responsum fuit: *Sacra, etc. censuit, consuetudinem supradictam, secundum ea quae proponuntur, non esse admittendam, sed diebus festivis celebrandun in propria parochia.* In hac quoque causa agebatur de consuetudine alibi celebrandi diebus festis, quam consuetudinem nemo non reprobabit.

His aliisque animadversis, proposita sunt resolvenda dubia:

1. *An Parochus die festo a sua paroecia absens satisfaciat suae obligationi Missam celebrando pro populo in loco ubi degit, seu potius teneatur substituere alium, qui Missam pro populo dicat in propria ecclesia?* Et quatenus negative ad secundam partem:

2. *An teneatur Missam applicare pro populo in loco ubi degit, seu potius ad parochiam rediens teneatur applicare in propria ecclesia?*

3. *An Parochus morbi causa legitime impeditus ne Missam celebret, teneatur post recuperatam sanitatem tot Missas applicare pro populo, quot durante morbo omisit, sive in casu, quo nec per se nec per alium, celebrare poterat sine gravi incommodo sive in casu quo poterat per alium, sed ex aliquo vano timore vel negligentia non curavit vel non obtinuit, ut alius pro se celebraret?*

Die, etc. Sacra, etc. ad 1. 2. et 3. respondit: Parochum die festo a sua paroecia legitime absentem satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo, in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius Sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet.

Parochum vero utcumque legitime impeditum ne Missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro popolo in ecclesia parochiali: quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam pro populo applicare deberet.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 131, p. 557-568].

4223.

S. C. C., *Ilcinen.*, 25 ian. 1873.

Dilata fuit resolutio huius causae die 24 februarii 1872.[1] Postquam igitur Episcopus statum paroeciarum et civilem ad S. C. transmiserat, reproposita causa:

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative favore Parochi S. Mariae ad coelum Assumptae.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 132, p. 215-222].

4224.

S. C. C., *Annecien.*, 22 mart. 1873.

Sacerdos Michael Gazel Anneciensis Dioeceseos animarum regimini a viginti et amplius annis ceu Vicarius addictus, anno 1861 parochiae eiusdem Dioeceseos oppidi vulgo Cernex praepositus fuit. Verum paucos post annos Rmo Episcopo visum est illum ab hac ad aliam parochiam transferre, et revera ineunte anno 1869 illum transtulit ad paroeciam Piternes. At Parocho enixe obsecrante iniuncta translatio suum haud sortita fuit effectum. Diu tamen in huiusmodi consilio Episcopus haud perduravit, quandoquidem in episcopali concilio diei 15 novembris anni 1870 iterum statuta est eius translatio ad parochiam Brenthomme, alio suffecto Parocho parochiae Cernex. Verum huiusmodi mandatum exequi renuit Parochus. Duo enim et amplius menses iam effluxerant a remotione, et nondum e domo parochiali migrabat. Qua de re factum est, ut novus Parochus ei denegaret necessaria ad Missae sacrificium litandum in ecclesia parochiali Cernex.

Hoc modo tractatus Gazel abiit et S. H. Congregationem supplici libello adivit, ut ad parochiam Cernex reintegraretur una cum reditibus et emolumentis usque ad praesentem diem non persolutis.

Interrogatus Episcopus prius vix nonnulla innuit, quae ad causae definitionem opportuna sunt, postea vero uberiorem informationem dedit. Ex actis constat Sacerdotem Gazel unum esse ex Rectoribus parochiarum, qui vulgo *Desservants* nuncupatur, eo quod Cernex nunquam fuit sedes *de justice de paix* vel *canton*, eiusque Rectores seu Vicarii ad nutum Episcopi amovibiles considerabantur. Hisce itaque ita se habentibus querimoniae Gazel iuri haud conformes esse oppido liquet. Verum si urgeret Gazel ad eius translationem nihilominus rationabilem causam requiri, respondit Episcopus: ipsum ingenio esse turbulento, rectum sensum, prudentiam et intelligentiam in agendo in eo saepissime deficere, illum verbis et telis multum aliis nocere ita ut cum iis diu pacem habere non possit.

[1] Cf. N. 4221.

Contra nullam in themate causam interfuisse tuetur Orator, quandoquidem tum Syndici (*le Maire*), tum plurium patrum-familias, tum consilii parochialis membrorum oppidi Cernex testimoniis integrae vitae, zeli, concordiae et solertis parochi laudibus commendatur.

Quibus positis erit EE. VV. prudentiae, religionis atque iustitiae decernere, quonam responso dimittendae sint Oratoris preces.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Scribatur Episcopo ad mentem: mens est Oratorem non futiles exceptiones opposuisse; matrem habere octuogenario maiorem et infirmam: ideoque ei permittendum esse, ut Missam celebret in loco ubi degit, et de congrua ecclesia parochiali quontocius providendum.

[Liber 216 Decretorum, p. 923-927].

4225.

S. C. C., decr. 30 apr. 1873. [1]

Inter damna gravissima nec unquam satis lugenda, quibus iamdiu catholicum Hispaniarum Regnum angitur, et miserandum in modum affligitur nedum in rebus civilibus, sed etiam in negotiis ecclesiasticis studio et malitia filiorum huius saeculi, illud ultimum haud tenet locum, quod superiori anno incepit, et nuperrime maximo omnium bonorum dolore consummatum est.

Porro vix anno praeterito per publicas ephemerides rumor incessit, alterum ex istis Canonicis idest Petrum Llorente fuisse a laica potestate nominatum ad Metropolitanam Ecclesiam S. Iacobi de Cuba, atque insuper ex publica fama, facto comprobata, erat timendum, ne talis vir, iis animi dotibus ad Episcopale munus rite recteque obeundum minime praeditus, regia nominatione ad suam explendam ambitionem abuteretur, illico SSmus D. N. Pius PP. IX ex commissi sibi coelitus pastoralis officii debito remedium aliquod adhibendum iudicavit. Quamobrem iussu tanti Pontificis die 13 augusti 1872 per Emum D. Card. Antonelli suum a Secretis Status datae fuerunt Literae D. Iosepho Orbera ab isto Capitulo canonice in Vicarium Capitularem post obitum postremi Archiepiscopi electo ac suo munere laudabiliter fungenti, quae eumdem hortabantur, ut si vera essent ea, quae narrabantur, omni cura studeret, ne nominatus sub quovis titulo, colore, et arte sese immisceret in gubernio et administratione Archiepiscopalis Ecclesiae Cubensis.

Attamen quod olim Gregorius XVI sa. me. de Gubernio Hispanico in sua Allocutione die 1 martii 1841 [2] merito gravissimis verbis querebatur de pluribus excessibus et usurpationibus a laica potestate perpetratis circa Vicarios Capitulares a demandata sibi procuratione suarum Ecclesiarum saepius prohibitos, nec non circa Canonicos vacantium Ecclesiarum temere inductos, aut etiam aperta vi adactos, ut munus Vicarii Capitularis

[1] Capitulo et Canonicis Sancti Iacobi de Cuba in Regno Hispanico.
[2] Cf. N. 496.

viro a Gubernio in Episcopum nominato deferrent contra sanctiones Concilii Lugdunensis secundi (cap. *Avaritiae*, 5, *de electione*, in 6), aliis subinde Constitutionibus, et notissimis Pii VII Literis 5 novembris 1810 ad Card. Maury, 2 decembris 1810 ad Averardum Corboli Ecclesiae Florentinae Vicarium Capitularem, et 18 decembris 1810 ad Paulum d'Atros Vicarium Capitularem Ecclesiae Parisiensis confirmatas, idipsum hodiernis quoque diebus lugendum et graviter improbandum conspicitur.

Etenim Vicarius Capitularis animo prospiciens periculum calamitatum, quae tum Capitulo tum universae Dioecesi imminebant, quamdam doctam Pastoralem paraverat, eamque manuscriptam prius Capitulo misit, postea Vicariis Foraneis patefecerat ad evitandum schisma, quod certe timendum foret, si nominatus ad vacantem Archiepiscopalem Ecclesiam, eius gubernium ad administrationem assumeret, antequam a Romano Pontifice in Consistorio fieret provisio, et provisus Apostolicas Bullas obtineret, easque Capitulo authentica forma exaratas exhiberet. Cumque Vicarius eamdem Pastoralem typis mandare coepisset, Ministri illam Gubernium adversus iudicantes, evulgari prohibuere, opus inceptum perfici impedierunt, eiusque auctorem in iuridicum Senatum detulerunt, ut processum in eumdem Vicarium instrueret, ac sententiam ferret.

Dum haec agebantur, Can. Llorente in Insulam Cubae rediit, et alter ex Ministris regiam Cedulam ad Capitulum misit instanter petens, ut regimen Dioecesis advocaret, ac in eumdem Llorente transferret, donec interim eius favore expedirentur Bullae Apostolicae. At Canonici ad unum omnes in Comitiis coactis die 11 octobris 1872 responsum dederunt, sibi omnino impossibile esse adhaerere huic petitioni propterea quod suo tempore in electum Vicarium Capitularem iura omnia translata fuerunt ad tramites sacrorum canonum. Petiit insuper idem regius Minister, ut Vicarius Capitularis supra memoratam Pastoralem ad Capitulum missam, et encyclicas Literas ad Vicarios Foraneos datas ad se advocaret, et Gubernio civili traderet, cui petitioni Vicarius Capitularis Litteris diei 8 decembris 1872 libenter annuit, gaudens potius eadem documenta esse sub potestate Gubernii. Die autem 8 ianuarii huius anni citatus ad comparendum coram Tribunali Iustitiae noluit se sistere, allegans incompetentiam Tribunalis laici ob suum characterem Sacerdotalem, ac propter suam qualitatem Vicarii Capitularis, qua praeditus est a die suae canonicae electionis. Quare idem Tribunal Vicarium Capitularem suspendendum censuit, et Gubernator civilis die 31 praedicti ianuarii ei notificavit statutam contra ipsum poenam suspensionis a iuribus et facultatibus hactenus exercitis, idque ob praefatam Pastoralem Capitulo comunicatam, et Literas circulares ad Clerum Insulae transmissas, contra quam suspensionis poenam Vicarius Capitularis contestando denunciavit ea mente ut opportuno tempore dispositiones canonicae suum sortiantur effectum.

Interea Decanus Capituli habito nuncio huius suspensionis tum a regio Ministro, tum a Vicario Capitulari die 1 februarii huius anni extraordinaria Comitia convocavit, et Canonicorum votis post acrem disputationem in duas aequales partes scissis, Decanus contra consuetudinem duplex suffra-

gium dedit, quo factum est, ut idem Decanus huiusmodi pluralitate innixus potuerit evulgare, quod Capitulum sibi assumpserit iurisdictionem et regimen Dioecesis, simulque Vicario indixit, ut signa, quibus, Sede vacante, Literae muniuntur, Capituli Secretario traderet. Pluribus ex capitibus hanc capitularem resolutionem impugnandam adnisus est Vicarius Capitularis, ac eam praesertim ob causam, quam Capitulares unanimiter confessi sunt in Comitiis habitis die 11 octobris 1872, ac sibi deesse potestatem cedendi nominato Llorente, cum iura omnia in Vicarium Capitularem canonice electum translata fuerint ad formam sacrorum canonum, ac nulla subsit causa eum invitum nunc ab officio removendi, et si qua forte adesset, ea iudicanda et approbanda foret non a Capitulo sed ab Apostolica Sede iuxta responsa Sacrarum Congregationum. Post hanc gravissimam Vicarii Capitularis obtestationem et declarationem siluit Capitulum, vel saltem non constat ullam dedisse responsionem. Nec mirum, nam post supra memoratam extraordinariam sessionem, qua decretum est spolium legitimi Vicarii Capitularis, Decanus Emmanuel Miura, et alii eidem adhaerentes regimen vacantis Ecclesiae in famosum Petrum Llorente transtulerunt, qui saeculari potestate fretus die 3 februarii possessionem apprehendere non erubuit, et ecclesiasticam iurisdictionem statim nefario ausu exercere incepit, Secretariam Vicariatus, reliquasque ecclesiastici gubernii officinas vi civica et coactione occupavit, nominationes ad Beneficia curata fecit, Parochos sibi adversos amovit, ipsum Vicarium Capitularem expoliatum obstringere tentavit ad rationem ei reddendam de iis omnibus quae in munere Vicarii exercendo fecerat, eumque hoc recusantem in sua domo ad modum carceris detinuit, auxilio ad hunc finem a saeculari potestate implorato. Hisce non obstantibus suum esse duxit Vicarius per encyclicas Literas de completa invasione et usurpatione certiores reddere Vicarios Foraneos, aliosque quorum interesse poterat.

In hoc infando ac detestabili rerum statu, quo Clerus et populus catholicus in Cubensi Metropolitana Ecclesia misere versatur, SSmus Dominus Noster Pius divina providentia Papa IX pro ea, qua divinitus pollet in universam Ecclesiam suprema potestate, gravissima considerans mala ex tristi huiusmodi factorum enarratione scatentia, ac prae sua omnium Ecclesiarum sollicitudine cupiens quo citius fieri potest, efficax adhiberi remedium, quo boni subleventur, et mali corripiantur, ac illuminentur, iussit ut ab hac S. Congregatione Concilii iuxta metem a Sanctitate Sua eidem panditam opportunum in id decretum ederetur.

Quare haec S. Congregatio Concilii prae oculis habita praefata factorum serie, ac perpensis iis, quae statuit Concilium Lugdunense II, Bonifacius VIII in Constitutione *Iniunctae nobis, de elect.*, inter comm., Clemens XI Const. *In supremo* diei 24 aug. 1707,[1] aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, ac praeterea notissimis Pii VII Literis supra allatis, ac etiam Literis Leonis PP. XII datis die 3 martii 1826 ad Patriarcham Lisbonensem, statuit atque decernit ac respective declarat, nempe:

[1] Bull. Rom., tom. 10, p. 212-214.

I. Petrum Llorente a Gubernio Hispanico ad Archiepiscopalem Ecclesiam S. Iacobi de Cuba nominatum, licet huius nominationis seu praesentationis nullum apud S. Sedem extet authenticum documentum, in censuras ecclesiasticas, ac etiam in maiorem excommunicationem ipso iure incidisse, aliasque poenas ecclesiasticas contraxisse, eo quod nulla ab Apostolica Sede obtenta Consistoriali provisione, neque propterea Apostolicis Bullis expeditis multoque minus Capitulo S. Iacobi de Cuba exhibitis, temerario ausu, et a civili potestate protectus, adhibitis etiam militibus, et expoliato legitimo Vicario Capitulari, administrationem et regimen Dioecesis S. Iacobi de Cuba invasit, atque usurpavit: item S. Congr. eumdem Llorente tam Canonicatu, quo gaudebat in Ecclesia Metropolitana Cubensi, quam alio quolibet beneficio ecclesiastico expoliatum, et insuper inhabilem ad alia quaecumque beneficia in futurum obtinenda declarat atque decernit.

II. In easdem censuras et excommunicationem maiorem et poenas ecclesiasticas incidisse etiam tam praedictum Emmanuelem Miura Decanum Capituli, quam alios viros ecclesiasticos et laicos, qui fuerunt auctores, vel auxilium quovis modo activum praebuerunt ad perpetrandam invasionem et usurpationem praefatam.

III. Item actus omnes iurisdictionales post invasionem et usurpationem praedictam exercitos, prorsus nullos et irritos eadem S. C. declarat, ac pro irritis ab omnibus haberi decernit. Attamen acta omnia per ipsum invasorem gesta, quaeque alio canonico vitio, praeter legitimae auctoritatis defectum non laborant, S. Congr. ex indulgentia erga non culpabiles sanare in radice intendit, atque per hoc decretum sanat.

IV. Tandem praelaudatum Sac. D. Iosephum Orbera legitimum Vicarium Capitularem S. Iacobi de Cuba iniquo modo et malitia hominum a suo munere expulsum et expoliatum, S. Congr. in integrum restituit et ab omnibus tamquam Vicarium Capitularem haberi decernit cum omnibus iuribus et facultatibus perinde ac si nunquam fuerit expulsus et expoliatus.

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 169-176].

4226.

S. C. C., *Monacen.*, 28 febr., 28 mart. 1874.

Rmus Archiepiscopus Monacensis Sacratissimum Principem supplici libello adivit exponens: « tam in sua Archidioecesi, quam in coeteris Regni Bavariae dioecesibus, parochorum reditus a civili Magistratu, collatis cum Ordinario consiliis, computari et constitui. In iis etiam Missarum fundationes, singularum parochiarum propriae, et publicae functiones occasione exequiarum vel benedictionis matrimoniorum peragendae numerantur, quibus pro Missis seu fundatis seu casualibus certa stipendia ordinario maiora parocho assignantur, quae stipendia partem integralem beneficii parochialis constituunt. Haud raro autem evenit, ut parochi, quibus istae Missae censentur in partem congruae parochialis, ob causas legitime excusantes impediantur, quominus ipsi easdem persolvant ».

Quaerebat igitur, ut definiretur, utrum parochi impediti, celebrationem harum Missarum alteri Sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium constitutum pro celebratione talium Missarum solvant, an potius sufficiat ordinarium vel aliquanto maius ab Archiepiscopo statuendum, ita ut, quod supersit, ab ipsis parochis, quibus Missae eaedem in partem redituum assignatae sunt, tuta conscientia retineri possit. Addidit autem inibi usum fere generalem et antiquum invaluisse, ut parochi, quibus talia stipendia maiora etiam in publicis tabulis censualibus attributa inveniuntur, legitime impediti, sacerdotibus coadiutoribus vel aliis beneficiatis ordinarium pro ratione Missae vel cantatae vel lectae stipendium solvant. Huiusmodi supplicatione accepta, statim decretum editum fuit a Secretaria S. Congregationis Concilii die 30 iunii 1873: *Per Summaria precum.*

In primis notatum fuit cum Benedicto XIV, *Instit. Eccl.* 56, num. 1, stipendium, quod ex communi Ecclesiae disciplina Sacerdotibus traditur pro comparando fructu medio Sacrificii, loco panis et vini, quae antiquitus offerebantur, suffectum fuisse. Quae quidem disciplina seu consuetudo cum ab universali Ecclesia recepta fuerit, non sine impudentia damnari posset, aequum enim est ut ex altari vivere debeat, qui altari inservit: *unde Sacri Canones*, inquit Fagnanus, in cap. *Fraternitatem, de Sepulturis*, num. 83, *in assignatione stipendii non considerant paupertatem, sed mercedem laboris, cum nemo militet propriis stipendiis*. Cap. *Cum ex officii, de praescript.* Hanc vero mercedem Sacerdos non accipit quasi pretium Missae, quod esset simoniacum, *sed quasi sustentamentum vitae*, ut ait D. Thomas apud Benedictum XIV, loc. cit., n. 4. Nec integram sustentationem sed partem illius ex stipendio sumere debet, ut pergit Benedictus XIV, loc. cit. Nam Sacerdotes, si saeculares sint, titulis patrimonialibus aut beneficiis fruantur necesse est: si Regulares, aut Mendicantes erunt, et a populo fideli eleemosynas in propriam alimoniam suscipient, aut possidentes, et ex Monasterii reditibus alentur.

Ex his consequitur Missae stipendia eo tantum fine in Ecclesiam inducta fuisse, ut supplendae Sacerdotum sustentationi inserviant, non autem ut illi divitiis cumulentur, multoque minus ut inde sordidi quaestus occasionem arripiant: cumque sacrae res sint, commercii aut negotiationis usui nullatenus inservire possunt, nec laicorum hominum procurationi permitti.

Cum tamen ob effraenatas hominum cupiditates innumeris incommodis Missarum stipendia occasionem praebuerint, plures ad haec removenda ab Ecclesia sanctissimae leges ac decreta diversis temporibus lata fuerunt: quae diligenter a Benedicto XIV, cit. *Instit. Eccl.* 56, *De Synod. Dioeces.*, lib. 5, cap. 9, *De sacr. Mis.*, l. 3, cap. 21 recensentur. Et ne veteres adducantur hac in re Ecclesiae leges, audiatur Tridentinum in Sess. 22, Decret. *de observ. et evit. in celebr. Mis.*

Huic Concilii decreto, quo quidquid avaritiam turpemve quaestum sapit, e Missae Sacrificio proscribitur, accesserunt celebres illae H. S. C. declarationes seu *Decreta de celebratione Missarum* Urbani VIII auctoritate edita die 21 iunii 1625 per constit. quae incipit *Cum saepe*, [1] ac postea additis aliis resolutionibus ab Innocentio XII, decimo Kal. ianuarii 1697 per constit. apostolicam quae incipit *Nuper* innovata et confirmata. [2]

Post haec decreta et post plures damnatas ab Alexandro VII propositiones, [3] omnis corruptelae aditus interclusus fuisse videri poterat. Nihilominus eo progressa est Ecclesiasticorum quorumdam et laicorum hominum aviditas, in Pedemontana potissimum regione, uti testatur Benedictus XIV, constit. *Pro eximia*, die 30 iunii 1741 data, [4] ut coactus fuerit idem Pontifex eodem die alteram edere constitutionem, quae incipit *Quanta cura*, [5] qua ecclesiasticas poenas in eos infligit, qui Missas colligentes, eas per alios celebrari curant, eleemosynarum parte sibi retenta.

Ex nuperrima constit. SSmi D. N. Pii Papae IX, quarto idus octobris 1869 data, quae incipit *Apostolicae Sedis*, [6] retenta tantum fuit excommunicatio maior, quae cum *colligentes* in genere afficiat, tam laicos quam Ecclesiasticos comprehendere videtur, sublata contra hos suspensione, de qua mentio non habetur. Dicitur enim ibi sect. 2, num. 12 «Colligentes *eleemosynas* maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent».

Cum autem in cit. constit. Urbani VIII statutum esset, ut Missae intra breve tempus celebrarentur, et controversia inter Doctores orta fuisset, quodnam tempus censendum esset *breve*, Sacra haec Congregatio, die 17 iulii 1765, resolvit *Modicum tempus intelligi infra mensem*, Lib. 19, Decret., p. 597.

Haec quae ab Apostolica Sede diversis temporibus decreta sunt, ad omnem turpis lucri vel negotiationis speciem circa eleemosynas Missarum removendam, satis superque ostendunt quanta cura, quanto studio et zelo Ecclesia curaverit, ut circa Missarum eleemosynas nihil irrepat, quod rebus sanctis haud conveniat, ac turpis lucri suspicionem ingerat. Hisce itaque praenotatis iuris principiis, disquirendum est, utrum in agendi ratione parochorum, de quibus in casu, aliquid existat, quod ex allatis decretis vel animadversione, vel reprehensione dignum reperiatur.

Ab expositis Romanorum Pontificum Decretis sequens regula tuto praestituenda videtur, scilicet eleemosynas Missarum integras tradendas esse Sacerdoti celebranti, quicumque sit qui eas celebret; et hoc tum causa arcendi damnabile lucrum seu mercimonium in re tam sancta, tum etiam ratione iustitiae.

Sed haec regula non adeo generalis est, ut in omnibus prorsus casibus applicari possit; plures enim exceptiones assignantur. Et sane: circa Decretum S. C. Concilii, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat, quaesitum fuit eidem S. C. propositum:

[1] Cf. N. 2460.
[2] Cf. N. 260.
[3] Cf. N. 734.
[4] Cf. N. 312.
[5] Cf. N. 311.
[6] Cf. N. 552.

an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum; idest an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii? Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa ad hoc dubium propositum respondit: *Non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.*

Sanctus autem Alphonsus in Tract. 13, *de Sacram. Eucharistiae*, in lib. 6, num. 321, postquam exposuit suam doctrinam circa turpem quaestum in perceptione eleemosynarum pro Missis celebrandis damnatum ex Decreto S. Congregationis Concilii adprobato ab Urbano VIII et confirmato ab Innocentio XII ita subiungit: « Ab hac tamen prohibitione excipitur I... casus, quo aliquis daret maiorem stipem non tam intuitu Missae, quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis etc. potest tunc Sacerdos excessum retinere, committendo alteri Missae celebrationem. Excipitur II... casus, quo Sacerdos cui committitur celebratio, liberaliter et omnino sponte tibi condonet excessum illum: sicut enim ille potest totum remittere, sic et partem. Verumtamen hoc minime admittendum, si tu indices maius pretium acceptum et Sacerdotem roges ut remittat; vel ab eo quaeras, an consentiat, ut tu partem retineas; tunc enim nequis eam retinere etiamsi ille annuat: nam hoc in praefata bulla: *Quanta cura* Bened. XIV asseritur tamquam execrabilis abusus vetitus a pluribus Pontificibus, qui decretum voluerunt (verba Bullae) nimirum a quolibet Sacerdote, stipendio maioris pretii pro celebratione Missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti celebranti et consentienti (nota) se maioris pretii eleemosynam accepisse indicasset. Excipitur III... Beneficiarius, qui bene potest committere alteri Sacerdoti celebrationem Missae debitam pro Beneficio, tradito stipendio congruo iuxta consuetudinem loci, quin tradat totam ratam fructuum. Et patet ex decreto S. Congr. adpr. ab Innoc. XII in Bulla: *Nuper*, n. 8, ubi dictum fuit Decretum Urbani non habere locum, sed satis, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis, nisi in fundatione beneficii aliter cautum fuerit ». Quibus positis quaeritur:

Utrum Parochi impediti, celebrationem supradictarum Missarum alteri Sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium constitutum pro celebratione talium Missarum solvant, an potius sufficiat ordinarium, vel aliquanto maius ab Archiepiscopo statuendum, ita ut quod supersit, ab ipsis Parochis, quibus Missae eaedem in partem redituum assignatae sunt, tuta conscientia retineri possit?

Die 28 februarii 1874 Sacra, etc. respondit: Dilata.
Die 28 martii 1874 Sacra, etc. respondit: Dilata. [1]
[Liber 217 Decretorum, p. 911, 1011].

[1] Cf. N. 4230.

4227.

S. C. C., decr. 23 maii 1874.

Actuosi iniquarum sectarum asseclae, qui ubique fere rerum potiti omnem pervertere ordinem, ipsaque constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta suffodere conantur, etiam in catholica Italia plebes commovere audent, ut imitantes nefarium quorundam Helveticorum exemplum, ius eligendi proprios animarum curatores sibi audacter usurpent. Nec quod deterius est, defuit inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus parochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire impudenter praesumpserit. Detestabile sane facimus, quod ecclesiasticam hierarchiam evertit funditusque pessumdat! siquidem *docendus est populus*, inquit Caelestinus Papa, *non sequendus, nosque, si nesciunt, eos, quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus.* [1] Temerarius proinde ausus *côntra statuta Sanctorum Patrum! crimen tam ambitionis quam inobedientiae*, ex quo, subdit Gregorius VII, *plurimas perturbationes in Ecclesia (imo ruinam sanctae religionis) oriri, ex quibus christiana religio conculcatur.* [2] Nil propterea mirum, quod ss. canones tantum nefas perpetuo reprobaverint, ac gravissimis poenis devoverint. Praelaudatus namque Gregorius VII, [3] Paschalis II, [4] Alexander II [5] et Concilium Lateranense sub Alexandro III celebratum [6] solemniter decreverunt, investituram ecclesiae per manus laicorum susceptam irritam esse, et clericos ecclesias taliter recipientes ab introitu Ecclesiae interdici, excommunicatione mulctari, et, si in scelere perstiterint, a ministerio ecclesiastico deponi debere. Quin imo scelus huiusmodi eam praeterea redolet nequissimam iurisdictionis, bonorum ac iurium Ecclesiae usurpationem, quam Concilium Tridentinum [7] anathemati tamdiu subiecit, quamdiu usurpatio cessaret, ac constitutio *Apostolicae Sedis*, IV Id. oct. 1869 [8] obnoxiam declaravit excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Cum tamen tot saluberrimae ss. canonum sanctiones haud fregerint audaciam ac nequitiam novatorum, ne in superioribus Italiae regionibus illud ipsum patraretur nefas,quod in proxima Helvetia nuper fuerat apostolica auctoritate disiectum: SSmus D. N. Pius PP. IX, pro maxima qua flagrat erga omnes oves sollicitudine et charitate, mandavit huic Sac. Congregationi Concilii, eidem malo eadem occurrendum esse medela; ideoque

[1] Can. *Docendus*, 2, Dist. 63.
[2] Can. *Si quis deinceps*, 12, et can. *Quoniam*, 13, Caus. 16, qu. 7.
[3] Can. *Si quis deinceps*, 12, can. *Quoniam*, 13, can. *Si quis Episcopus*, 14, Caus. 16, qu. 7.
[4] Can. *Si quis Clericus*, 16, can. *Constitutiones*, 17, can. *Nullus*, 18, can. *Sicut*, 19, Caus. 16, qu. 7.
[5] Can. *Per laicos*, 20, Caus. 16, qu. 7.
[6] Cap. *Praeterea*, 4, *de iurepatr.*
[7] Sess. XXII, cap. 11, *de ref.*
[8] Part. I, § 11. — Cf. N. 552.

iussit ecclesiasticis provinciis Venetae ac Mediolanensi, singulisque Dioecesibus patriarchali ac metropolitanae iurisdictioni subiectis applicari atque inculcari, prout praesenti decreto reapse applicantur atque inculcantur ea omnia, quae pro Helvetica Foederatione quoad popularem parochorum electionem sapientissime constituta sunt in nuperrimis literis encyclicis diei 21 novembris 1873; [1] adeo, ut quicumque in praememoratis Dioecesibus, suffragante populo ad parochi sive vicarii officium electi audeant sive ecclesiae sive iurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, *ipso facto incurrant in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque poenas canonicas, iidemque omnes fugiendi sint a fidelibus iuxta divinum monitum, tamquam alieni aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur, mactent et perdant*. Ita porro eadem Sac. Congregatio Concilii statuit ac decrevit et ab omnibus servari mandavit, sublatis exemptionibus ac privilegiis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

[Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. VI, B, p. 236, 237].

4228.

S. C. C., decr. 25 iul. 1874.

Cum circa eleemosynas Missarum graves quaedam quaestiones S. Sedi propositae fuerint, eas SSmus D. N. D. Pius divina providentia Papa IX Emis ac Rmis DD. S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus Concilio Tridentino interpretando ac vindicando praepositis expendendas ac resolvendas mandavit. Itaque iniuncto sibi muneri, ea qua par est diligentia et consilii maturitate, iidem Emi Patres satisfacere cupientes, infrascripta dubia desuper concinnari voluerunt.

1. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis, et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt.

2. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus, subvenitur.

3. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum, et bonorum operum usum vel incrementum impenditur.

[1] Cf. N. 566. — Cf. etiam N. 567.

4. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine.

5. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro.

6. An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie.

7. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant.

8. An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum seu breve tempus absolvi queant.

9. An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae singulis sacerdotibus, sive quae ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committuntur, accurate et fideliter persolvantur.

Quibus dubiis non semel in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 iulii 1874, iidem Emi Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet:

Ad 1. Affirmative.
Ad 2. Negative.
Ad 3., 4. et 5. Affirmative.
Ad 6. Negative.
Ad 7. Negative, nisi de consensu oblatorum.
Ad 8. et 9. Standum Constitutionibus Apostolicis et decretis alias datis. [1]

Factaque die 31 augusti 1874 de his omnibus SSmo D. N... relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis Apostolica sua auctoritate adprobavit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti iussit, ut ipsi eas intra propriae iurisdictionis limites exequendas, perpetuoque et inviolabiliter servandas curent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1423].

4229.

S. C. C., *Brixinen.*, 22 aug. 1874.

Episcopus Brixinensis anno 1871 exeunte, Sacratissimo Principi exposuit, in sua Dioecesi eos, quibus imminet animarum cura, in duplicem classem dispertiri: ad primam illos pertinere, qui licet parochi Curati et Ca-

[1] Cf. Bened. XIV, *Instit. Eccles.*, 56; *De Synod. Dioeces.*, lib. 5, cap. 8, sq.; *De Sacrif. Miss.*, lib. 3, cap. 21, sq.

pellani vocantur, parochiali tamen iurisdictione praediti sunt; ad alteram spectare eos, qui Expositorum et Beneficiatorum nomine venientes ex propriae praebendae fundatione nonnullas parochiales functiones obire tenentur, quin tamen ordinaria potiantur iurisdictione. Addidit insuper, hisce temporibus praebendarum reditus in ea Dioecesi adeo imminutos esse, ut isti animarum curatores, et careant quo honeste vivant, et insuper alieno aere gravati persaepe decedant. Retulit tandem, istorum nonnullos nedum missa pro populo, sed tot aliis missis beneficio adnexis gravari, quot celebrandis integer annus minime sufficiat.

Has ob causas opus fuit ut cogitaretur de summa quadam pecuniae constituenda, quae congrua esset ad vitam sustentandam: quam non minorem assignandam esse quingentorum Florenorum putabat Antistes, atque ut hunc finem facilius consequi valeret, expostulabat facultatem reducendi praefata Missarum onera, usque ad summam scutatorum biscentum.

Huic Episcopi petitioni Pontifex Maximus per S. Concilii Congreg. rescribendum mandavit « pro facultate reducendi Missas usque dum animarum curatoribus, aliisque in precibus nominatis adsignata maneant scutata centum et octoginta monetae romanae, ita tamen, ut reductio non excedat medietatem numeri in fundatione praestituti, arbitrio et conscientia Episcopi ad quinquennium, et dummodo concessiones faciendae quinquennii terminum non excedant ».

Iamvero, ut retulit Vicarius Generalis praefatae Dioecesis literis die 24 aprilis labentis anni datis, ex huiusmodi rescripto dubitatio suborta est *an in hac summa scutatorum 180 statuenda, debeant etiam includi eleemosynae Missarum adventitiarum, et praestationes stolae, aliaeve oblationes gratuitae pro certis precationibus pro defunctis publice in Ecclesia faciendis vel non.* Acceptis precibus illico editum fuit a Secretaria S. Congregationis rescriptum: *Ponatur in folio*, et causa proposita fuit sub dubitandi formula in calce exscripta.

Neminem latet et saepissime penes S. O. declaratum fuit, summam scutatorum centum, Parochis a iure statutam [1] pro congrua vitae sustentatione non *taxative* sed *demonstrative* tantum accipiendam esse, ita ut ipius taxatio prudenti iudicis arbitrio committi debeat, ut eam in tanta quantitate constitunt, quae sit sufficiens ad commodam et honestam personae sustentationem, habita ratione loci, onerum, qualitatis personae, consuetudinis regionis et similium. Hinc parochialis praebendae tenuitati, ubi aliter suppetiae ferri nequeant, consulere oportet, aut perpetua unione Beneficiorum Conc. Trid., Sess. 21, cap. 5, Sess. 24, cap. 13, *de ref.*, aut applicatione piorum legatorum, vel etiam Missarum reductione. At vero utrum in Parochorum congrua praefinienda ratio haberi debeat etiam emolumentorum, quae incerta dicuntur, quaestio est inter iuris interpretes, qui hanc agitant quaestionem, quando de congrua Vicariis perpetuis adsignanda edisserunt ex dispositione const. S. Pii V, cuius initium *Ad exequendum*, [2] in qua perlegitur « Ita se (Episcopum) continere et arbitrari de-

[1] Conc. Trid., Sess. XXIV, *de ref.*, c. 13.
[2] Die 1 nov. 1567. — Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401, 402.

bere ut non maior centum, nec minor quinquaginta scutatorum annuorum summa, computatis etiam omnibus incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis (vicariis perpetuis) adsignentur ». Quaenam vero sint ista incerta emolumenta, et obventiones communiter percipi solitae, inquirunt DD. et in diversam abeunt sententiam. Nonnulli enim incerta distinguunt inter mere eventualia, quae scilicet pendent ex mera populi devotione, et inter incerta aliqualiter certa, quae ex administratione sacramentorum, et a funeribus derivant, atque haec in congruam imputanda esse censent, minime vero illa.

Alii vero e contrario evincere contendunt congruam solis reditibus et fructibus certis constare debere, non vero emolumentis et proventibus incertis. Inter emolumenta autem et proventus incertos reponunt fructus stolae idest obventiones, quae ex administratione Baptismi, Viatici, Extremae Unctionis, Benedictione nuptiarum, purificatione mulierum, funeralibus etc. percipiuntur easque in congruam imputandas non esse autumant.

Praeter Canonistas vero Rotae tribunal saepe quoad hanc materiam iudicium protulit, et praemissa distinctione inter incerta quae habent aliquam certitudinem, ut sunt decimae frumenti, vini, olei aliique fructus, qui incerti sunt tantummodo ratione summae et quantitatis; atque inter emolumenta, quae omnino incerta sunt, ut reditus funeralium, oblationum nuptiarum, eleemosynarum altaris et similium; prima in congruam imputanda esse decrevit, non vero secunda.

Quid autem in hac iudiciorum varietate S. Concilii Congregatio senserit, fortasse deduci potest ab *Isernien. Vicariae*, 20 aprilis 1697, Lib. 47, Decr., p. 151 et 547 ubi tertio loco proposito dubio: *An eidem Vicario perpetuo assignanda esset congrua et quid in ea imputandum* — responsum fuit — *Assignandam esse congruam, arbitrio Episcopi, dummodo non excedat summam ducatorum sexaginta, computatis in ea fructibus praebendae et aliis ad formam Bullae Beati Pii V.* Iamvero pro executione praedictae resolutionis lata fuit ab Episcopo sententia infrascripti tenoris: « Declaramus supradicto Vicario perpetuo assignandam esse congruam in summa ducatorum sexaginta... computatis tamen in eadem congrua fructibus praebendae omnibus, etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis. Declarantes etiam in congrua praedicta non esse computanda distributiones quotidianas, quae dantur ratione servitii personalis praestiti ob interessentiam choro, caeterisque functionibus, oblationes, candelas, eleemosynas, aliaque emolumenta parochialia solita dari pro funeribus, pro benedictione cadaverum in suis domibus, pro officio absolutionis super defunctis... pro benedictionibus domorum in diebus Paschatis, pro sponsalitiis, pro Baptismis et similibus tamquam non comprehensa in Bulla Beati Pii V ».

Appellatione a Capitulo interiecta, quia se gravatum putabat praesertim ex non facta computatione distributionum, dubium ita concinnatum fuit: *An in congruam Canonici Curati imputari debeant distributiones quotidianae, quae dantur ratione servitii personalis et interessentiae Choro, necnon*

caetera emolumenta parochialia expressa in sententia Episcopi — responsum prodiit — *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Hisce praehabitis, ad propositam controversiam propius accedimus, in qua, secundum ea quae Vicarius Generalis exposuit, duplex incertorum genus distinguendum esse putabatur, unum illorum, quae mere eventualia sunt et nulla gaudent certitudine, uti missae adventitiae, quae ne accensentur quidem inter emolumenta parochialia, nec non oblationes, quae a fidelibus sponte exhibentur pro aliquibus precationibus publice in ecclesia ad fidelium animas suffragandas peragendis; alterum illorum, quae emolumenta stolae respiciunt. Iamvero primum genus incertorum in congruam imputari non posse communissima Doctorum sententia tenet. Controversia igitur ad secundum genus tantummodo arctanda est iuxta ea, quae superius exposita reperiuntur, et circa quam varium ferri potest iudicium prout unam vel alteram iuris interpretum doctrinam amplecti libeat.

Caeterum animadversum fuit in themate, cum de Missarum reductione obtinenda ageretur, prudenti EE. PP. arbitrio relinquendum, utrum opportunius foret in Parochorum congruum stolae fructus imputare. Etenim per rescriptum Pontificis Missae reducuntur usque dum animarum curatoribus Dioecesis salva maneant scutata centum et octoginta monetae romanae; ideoque si ab ista pecuniae quantitate emolumenta stolae deducantur, manifestum erit maiorem Missarum numerum remittendum esse. Revera qui scutata centum et octoginta, computatis istis emolumentis pro congrua haberet, iam Missarum reductione non indigeret. At si emolumenta ista a congrua subtrahantur, summa illa iam amplius non superesset, ideoque ad reductionem necessario deveniendum esset. Quare pronum est inferre a computandis vel non computandis stolae incertis, maiori Missarum reducendarum numero locum fieri; cum autem reductio, utpote in iure odiosa, strictiorem interpretationem inducat, hinc ratio habenda videretur et stolae incertorum in congruae computatione. Verum ex alia parte animadverti potest sententiam, quae ista emolumenta a congrua deducit, communiorem esse, et temporum necessitati melius respondere. Etenim cum vitae sustentatio difficilior evaserit ob annonae caritatem, ea potius sententia seligenda est, quae Parochis favet quam quae ipsis adversatur.

Hisce expositis propositum fuit resolvendum dubium:

An, et quae emolumenta imputanda sint in congruam in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In casu de quo agitur emolumenta in congruam non esse imputanda.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 133, p. 498-505].

4230.

S. C. C., *Monacen.*, 22 aug. 1874.

Bis iam dilata fuit resolutio huius causae, nimirum diebus 28 februarii et 28 martii proximi. [1] Quare eadem modo iterum resolvenda proponitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attento quod eleemosynae Missarum, de

[1] Cf. N. 4226.

quibus in precibus, pro parte locum teneant congruae parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, Missas alteri Sacerdoti committere attributa eleemosyna ordinaria loci, sive pro Missis lectis sive cantatis.

[Liber 217 Decretorum, p. 1327].

4231.

S. C. C., *Leopolien.*, 27 febr. 1875.

Cum anno 1870 Sacerdos Ludovicus Skowronski Parochus Iacobeny iter faceret super currum, ob repentinam et fortuitam pulveris tormentarii explosionem sinistram amisit manum; eo quod illa explosione adeo confracta fuerat, ut ad eius amputationem devenire oportuerit. Ex quo factum est ut Sacerdos irregularis evaderet; sed dispensationem a S. Sede exposcens illam obtinuit. Attamen Archiepiscopus, eiusmodi arrepta occasione, eum paterne monuit, ut parochiali muneri nuncium mitteret; quod facere renuit Sacerdos, paterna consilia haud sequutus.

Interea accidit, ut vertente mense februario anni 1871 apud Curiam Archiepiscopalem plures expositae fuerint querelae quoad eius vitae turpitudinem. Quibus evenit ut processus institueretur, a quo emergere asseruit Archiepiscopus 1. Quod ipse *per impias susurrationes identidem suggestas pacificam duorum coniugum cohabitationem subvertere attentaverit, eum ad finem ut mulierum procliviorem redderet ad turpe cum ipso commercium ineundum.* 2. *Quod mulierem aliam iteratis vicibus ad adulterium cum ipso committendum pellexerit, promittendo ipsi retributionis instar applanationem difficultatum, quae matrimonio fratris dictae mulieris obstare videbantur.* 3. *Quod aliam in servitiis apud ipsum constitutam impraegnaverit, et nonnisi suppeditata largiori dote iuvenem permoverit, ut dictam mulierem uxorem duceret, progenitamque ab ipsa prolem ut suam agnosceret.* 4. *Quod a tribus iam annis scandalosum contubernium habeat cum binis mulieribus, quarum una anno 1870 intra domum parochialem prolem pepererat, et altera tumidum iam gestabat ventrem.* 5. *Quod ad turpia in confessionali sollicitaverit.* 6. *Tandem quod in publico diversorio, vulgo « Locanda » in societate duarum puellarum pernoctaverit, et cum una ex illis in lecto iacens fuerit deprehensus.*

Archiepiscopus ob id sui muneris esse censuit sequens in eum ferre decretum. 1. *A momento quo praesens decretum nostrum admanuatum tibi fuerit, suspendimus te ab omnibus sine exceptione sacris functionibus in quocumque loco peragendis omniaque curae animarum negocia tibi subtrahimus.* 2. *Privamus te beneficio Iacobenensi inde a die qua decretum praesens in vim iudicati abiverit, de quo suo tempore specialiter informaberis.* 3. *Urgemus simul ut non solum capellaniae Iacobennesis sed et totius Bucovinae territorium deseras, et in honesto aliquo loco extra Bucovinam sedem figas. His demum conditionibus per te impletis ad C. R. regimen Nos convertemus, ut ob infelicem defectum brachii pensionem pro sustentatione tua necessariam tibi exoperemur. S. curam animarum in Iacobeny a momento admanuati huius decreti in cooperatorem praesentem R. Ioannem Fischer transfundimus, cui admodum R. Deca-*

nus e mandato nostro in praesentia duorum aut plurium honestorum parochianorum Ecclesiae et paroeciae regimen tradet.

Parochus appellavit ad ecclesiasticum Tribunal Olomucense a S. Sede ad hoc institutum; et per huiusmodi appellationem iudicii alea paulisper immutata fuit. Siquidem Tribunal hoc ad tramites iuris canonici re perspecta decrevit processum ab Archiepiscopali curia Leopolien. institutum nullitate laborare 1. quia reus numquam ad audiendos testes, et ad eorum iusiurandum vocatus fuerit; 2. quia uti testes auditi fuerint ipsimet accusatores; 3. quia testes adhibiti deposuerint de auditu, et nonnisi singulares extiterint; 4. quia omnis aditus ei interclusus fuerit ad sui defensionem peragendam, cum testes ab eo adducti haud fuerint auditi. Hac de re sententiam latam revocavit quoad parochiae privationem, caetera autem quae administrativam primi iudicis iurisdictionem respiciunt, ad tramites S. Concilii Tridentini intacta reliquit.

Tum accusatores iidem ab hac sententia ad Pragae Tribunal, pariter ad id a S. Sede institutum, provocarunt; sed malis ominibus, eoquod Tribunal istud sententiam a Tribunali Olomucensi latam confirmavit, illud tamen adnotatum voluit, videlicet Archiepiscopum quoad suspensionem iure suo usum fuisse ad tradita per S. Concilium Tridentinum, Sess. 14, c. 1, *de ref.;* hinc Parocho recurrendum esse ex hac parte ad S. Sedem. Equidem Parochus S. C. C. obtulit interea preces ad id, ut suspensio contra eum ab Archiepiscopo lata deleretur; quae dispensationem ab irregularitate obtentam frustraneam inutilemque reddit.

Precibus eiusmodi acceptis scriptum fuit ad Archiepiscopum, ut S. Congregationem Concilii de hac re informaret simulque suam panderet opinionem. Praeter ea, quae superius relata fuerunt, Archiepiscopus respondens addidit etiam omnes parochiae proventus in praesens percipi a parocho, exceptis Missarum legatis, nec non reditibus ad cultum servitiumque Ecclesiae destinatis, qui parochiali Vicario tribuuntur, veluti retributio quaedam personalis pro illius opera et labore. Receptis Archiepiscopi Litteris informatoriis sub die 8 iulii 1873 rescriptum fuit: *Ponatur in folio, et notificetur Archiepiscopo, qui moneat partes, eisque praefigat congruum terminum ad deducendum iura sua coram S. C. Congregatione, et de resultantibus certioraret.*

Archiepiscopus de hoc per litteras certioratus, retulit interea temporis Parochum furti accusatum fuisse penes laica tribunalia, et ob id esse in votis eius, ut exitus iudicii expectaretur. His cognitis S. C. C. rescripsit: *Eidem Archiepiscopo, qui referat, an crimen furti, de quo agitur, sit simplex vel qualificatum, et an agatur de re magni vel parvi valoris.* Archiepiscopus respondit: furtum attingere centum florena, quae a scrinio ablata fuerunt; et huius criminis reum a sex ad duodecim menses carceris poena plecti. Verum litteris nuperrimis absolutum fuisse parochum a laico tribunali significavit.

In huius Presbyteri defensione ex officio peracta animadversum est, Archiepiscopi decretum semper videri labe nullitatis infici, sive suspensio, de qua in casu, habeatur uti censura vel uti poena. Si libeat enim uti censuram illam haberi, indubium esse iuris solemnitates requiri nec non monitiones

praesertim ad evincendam contumaciam iuxta DD. sententiam, et S. Concilii Tridentini dispositionem, potissimum in cap. 6, Sess. 21. Si vero ut poena consideretur, tunc licet monitiones impune sperni possint, attamen vel ordo iudiciarius foret servandus, vel saltem de imputationum capitibus cum reo communicandum, ne gravissima poena indefensus afficeretur, quod profecto ab omni aequitate alienum esse omnes norunt. Cum itaque nec monitiones, nec ordo iudiciarius in themate servatus fuerit, ut ex factorum historia deprehenditur, sponte sua fluere videtur decretum in casu nullitate laborare, ideoque etiam ex hac parte appellationis iudices illud annullare coacti fuissent.

Nullam eis difficultatem ingerere potuisse caput 1, Sess. 14 Sacrosancti Concilii Tridentini; siquidem ex actis minime erui posse illud latum fuisse vel *causis nobis notis* vel ex *informata conscientia*, ceu in more et praxi positum esse quisque noscit. Praeterea caput illud ad rem minime facere videtur, ibi enim loqui S. Synodum de criminibus occultis, in themate vero asserta crimina publica fuisse in propatulo esse. Multoque minus ad rem facere cap. 1, Sess. 22 dicti Concilii Tridentini, quandoquidem ibi mandat dicta S. Synodus, quod appellatio interposita executionem sententiae suspendere non valet. Quare concludi posse videtur decretum Curiae Leopoliensis nullum fuisse etiam quoad suspensionem et a iudicibus appellationis processus quoad hanc partem annullandus quoque fuisset.

Verum ex opposito haec animadverti posse videntur. Quamvis decretum Archiepiscopi neque ex *causis nobis cognitis*, neque ex *informata conscientia* latum fuisse videatur, tamen ex omnibus circumstantiis et adiunctis illud in vim cap. 1, Sess. 14, *de ref.* Concilii Tridentini prolatum fuisse forte dici potest. Patet enim ex eo facultatem Episcopis tributam esse poena suspensionis plectendi Clericos *ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter*, docent communiter ss. canonum interpretes. Benedictus XIV, *De Synod. Dioecesan.*, lib. 12, cap. 8, num. 3, ubi plures affert S. C. Congregationis resolutiones et inter alias *Capritanam*, 16 dec. 1730 [1] et *Oritan. seu Tarentinam*, 20 augusti 1735. [2]

Nec obstare videtur, quod in themate crimina Parochi minime occulta, sed potius publica essent, ut apparuit ex processu in ipsum instituto. Animadverti siquidem posset, in iure clausulam *ex quacumque causa*, utpote universalem, comprehendere nedum occulta, sed publica etiam crimina.

Si tandem Archiepiscopalis decreti verba serio considerentur, illud manifestum apparere videtur, quod suspensionem tulerit extra formam iudicii, privationem autem in iudicii forma; ait enim: *A momento, quo praesens decretum nostrum admanuatum tibi fuerit, suspendimus te ab omnibus sine exceptione sacris functionibus in quocumque loco peragendis, omniaque curae animarum negocia subtrahimus.* Quoad privationem ex adverso his usus est verbis: *Privamus te beneficio Iacobenensi inde a die, quo decretum praesens in vim iudicati abiverit, de quo suo tempore specialiter informaberis.* Quare

[1] Cf. N. 3368.
[2] Cf. N. 3445.

patet nullas iuris solemnitates, nullas monitiones ab eo praemittendas fuisse. Huiusmodi enim actus non ad contentiosam iurisdictionem, sed ad politicam et correctionalem pertinere videtur, cuius exercitium arbitrio et prudentiae Episcopi remissum est. Quandoquidem nil magis contrarium et noxium praesertim in regimine spirituali Dioecesis, quam scandalum; hinc prudens esse relinquere Magistratui Ecclesiastico arbitrium agendi vel in forma iudiciali pro delictis, vel pro circumstantiis in forma mere politica et correctionali. Quapropter concludi posse videtur bene se gessisse Episcopum, et iudices appellationis.

Hisce, aliisque praenotatis prudentiae et sapientiae EE. VV. remissum fuit sequens enodandum dubium:

An sustineatur suspensio in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, et ad mentem. Mens est, che se l'Arcivescovo non potrà ottenere la rinuncia del parroco con assegnargli i congrui alimenti, anche sui redditi della parrocchia in deficienza di altri mezzi, faccia regolare processo canonico e provveda.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 134, p. 152-158].

4232.

S. C. C., *Brixien.*, 24 iul. 1875.

Ecclesiam S. Agathae in civitate Brixiae unus tantum Parochus (qui Praepositus dicebatur) administraverat usque ad annum 1502. Hoc anno exeunte, Bartholomaeus quidam a Puteo, eo tempore Praepositus, a Summo Pontifice Alexandro VI petiit, ut tres aliae Capellaniae perpetuae cum fructibus pro Capellanorum sustentatione de suis redditibus magna ex parte adsignandis erigerentur, qui *una cum* pro tempore existente dictae Ecclesiae Rectore horis Canonicis interesse, residere, celebrare, et animarum curam exercere tenerentur. Quae postulaverat Bartholomaeus, obtinuit, uti videre est in Litteris Apostolicis die 5 septembris 1502.

Incontroversum videtur in facto, huiusmodi Capellanos animarum curam semper exercuisse, sacramentaque ministrasse: et quoties Capellanos inter ac Praepositum questiunculae ortae sunt, toties Praepositi eiusdem superioritatem praevaluisse. Verumtamen anno 1790, Praeposito Capellanos perturbante a parochialium iurium exercitio, hi ab Ordinario quaestionem dirimi obtinuerunt per decretum « manutenendos esse dictos Reverendos Curatos in libero exercitio administrationis Sacramentorum Parochianis dictae Parochiae, et praesertim Sacramenti Matrimonii ut est in praxi ».

Recentiori tempore, cum Praepositus Capellanis indixisset delegationes assistendi matrimoniis ad se revocare velle, Capellanorum quidam protestatus est. Tandem cum die 18 februarii 1867 Capellanus Poletti ad celebrandum matrimonium quoddam consensum a Praeposito postulasset, et hic in matrimoniorum Regesto adnotasset: *Liceat Reverendo Curato Poletti in matrimonium coniungere D. Carolum Porro cum D. Elisabeth*

Zuccoli, et similiter Petrum Chiodi cum Maria Bregoli: omnes Capellani hac agendi ratione indignati libellum Ordinario obtulerunt, petentes manutentionem in possessione iurium suorum ad tramites Canonicae Legis. Sententiam tulit Episcopalis Curia: *Admittendam esse Capellanorum possessionem quoad Sacramentorum administrationem et adsistentiam matrimoniorum celebrationi in dicta Paroecia S. Agathae absque Praepositi delegatione: salva in hoc coadiutorali animarum exercitio ab eius praescriptis dependentia.*

Partium neutra huic sententiae acquievit; immo utraque ad Metropolitanam Curiam provocavit: quae limites *possessorii* egrediens, *in petitorio* controversiam diremit rescribens: *plenae parochialitatis iura, et praesertim matrimoniis adsistendi, pariter ac reciproce in vim fundationis spectare tum Coadiutoribus Titularibus, tum Parocho-Praeposito.*

Huiusmodi decisione se laesum videns Praepositus, a S. C. C. tum in petitorio tum in possessorio rem dirimi postulavit: scilicet fundatione inspecta decerni: « 1. Curam habitualem in Paroecia S. Agathae ad Rectorem Praepositum privative spectare, non Capellanis una cum ipso. 2. Actualem curam nequire Capellanos exercere independenter a Praeposito ».

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, Praeposito faventem responsionem S. C. transmisit. Omnibus itaque absolutis causa hodie disceptanda proponitur.

Capellanorum ius erui posse videtur et a fundatione, et a perantiqua trium fere saeculorum consuetudine, et ex pluribus sententiis in sui favorem prolatis et a Praepositis accepto habitis. Quod fundationem respicit, in Bulla Alexandri VI verba occurrere: *ad curam animarum una cum Rectore Reverendo illius tempestatis ac pro tempore successoribus exercendam*, neminem autem latere particulam *una cum* inter eas personas, ad quas refertur, aequalitatem inducere. Aequalitatem vero eam subiectionem respuere quae obligationem Capellanis imponit sacramenta non administrandi absque Praepositi consensu et delegatione. Nec referre quod ex tali theoria ius parochialitatis in solidum exsurgeret. Distinguere enim sedulo oportere ius parochialitatis a libero exercitio curae animarum: et etiam hac distinctione posthabita, in praxi insuetum non esse ius parochialitatis penes plures in solidum manere; praesertim si id expostulent vel circumstantia quaedam peculiaris, vel, ut in praesenti, rationabilis causa et legitima.

His ex Bullae litera deductis adiectum est: dato etiam quod Bullae tenor talis esset, ut aliqua interpretatione indigeret, interpretationem in casu non defuisse. A fundatione usque ad annum 1791, Capellanos exercitium curae animarum continuum habuisse, absque ulla Praepositi delegatione: cum nulla delegationis adnotatio extet in regestris Parochialibus, prouti exigit Rituale Romanum in capite cui titulus: *Formulae scribendae in libro Parochorum;* et quemadmodum diligenter in Paroecia S. Agathae observatum est, quoties vel sacerdotes extranei vocati sunt, vel Parochi isti ad alterius Paroeciae sponsas coniungendas admissi fuerunt. Huiusmodi silentium ostendere, nullam aliam dari posse Bullae Pontificiae interpretationem.

Huius argumenti vim crescere inspecta ipsa consuetudine: quae ex eo quod sit centenaria, naturam haurit veri ac legitimi tituli, suppletque titulum de mundo meliorem. Quapropter concludi posse, observantiam Capellanis opitulari nedum qua legitima fundationis interpretatio, sed etiam qua vera ac plena praescriptio. Demum intrinsecis rationum momentis, factum extrinsecum cumulandum esse: scilicet iudicium ab Ordinario prolatum anno 1791. Tot contra argumenta nihil facere, quod Praepositus Capellanis possessionem nanciscentibus expedire consueverit literas, quibus cavebat ad sui nutum ipsos debere in animarum cura Rectorem coadiuvare. Nullum namque praeiudicium iuribus a Bulla Apostolica derivantibus afferre unquam posse errorem in quo versabatur Praepositus circa eiusdem Bullae valorem. Multo minus ius parochialitatis evanescere, eo quod Capellani gravati non fuerint onere manutentionis Ecclesiae et celebrationis Missae pro populo. Haec enim tum aliquo in pretio habendas fore, cum Praepositus ostenderet Capellanos parochialia munia neque exercuisse unquam, neque exercere potuisse absque Praepositi delegatione.

Altera vero ex parte Praepositi Defensor initio animadvertit, in diversa abiisse Brixiensis et Mediolanensis Tribunalis iudicia: primum enim in *possessorio* prodiit, alterum in *petitorio;* quare ipse, uti confusionem removeret, in possessorio ac in petitorio distinctas causae tractationes proponebat. A *possessorio* incipiens, querebatur antiquissima ac peculiaria facta ex adverso adduci, ut interdicta experiantur retinendae vel recuperandae possessionis. Verum huiusmodi interdictorum neutrum applicari posse in casu, quia vel actualem vel non remotam possessionem requirunt. Hoc errore etiam primi gradus iudices peccasse, qui institerunt Episcopali decreto anni 1791, quod octoginta iam annis locum habuerat, quin ullo in pretio haberent consuetudinem viginti quatuor postremis annis constanter observatam. Statuebat itaque, dato etiam quod antiquae possessionis factum Capellanis prodesset, eos *retinendae possessionis* interdicto uti nequire, quibus obstabant viginti quatuor intermissionis anni. Deterius agere ex interdicto *recuperandae possessionis*, quod non conceditur nisi in possessione quae *vi aut clam aut precario* occupata fuerit.

Obiter etiam notandum esse, quod in possessione animus sibi retinendi ante omnia requiratur: hoc est retinendi suo, non alieno nomine. Hac in re possessionis titulum esse inspiciendum: quia si quis uti conductor possideat vel uti administrator, verus ac civilis possessor nequit haberi. Atqui titulum quo Capellani possident totum esse in Praepositi collationibus: quibus semel accepto habitis iam ab his ne minimum quidquam recedere valent: Rota decis. 816, cor. Merlino. Atqui a Praeposito eos nihil aliud accepisse quam munus coadiuvandi, ad *nutum* Rectoris *ipsius:* quod paritatem quamlibet Rectorem inter et Capellanos excludit. Ergo redire, ex interdictis vel retinendae vel recuperandae possessionis Capellanos nihil proficere. Si interdictorum viam deserant, iam in petitorium incidere.

Et *ad petitorium* progrediens, aiebat: Ut Capellanorum deductiones proficerent, supponendum esse paroeciam non unius regi arbitratu Rectoris, sed quatuor parochorum qui simultaneam curam exerceant. At legem,

consuetudinem, rerum necessitatem vehementer condemnare in gubernio imperii divisionem. Porro Alex. III Ianuensi Antistiti scripsisse *quod* una Ecclesia unius *esse debeat Sacerdotis:* cap. *Sicut*, quaest. 2, et cap. *In quibus*, 7, quaest. 1. Plures presbyteros uni Ecclesiae praefici posse, sed vel quatenus ii presbyteri corpus conficiant, vel quatenus praeter sacerdotes adsit qui coadiutoris personam gerat. In primo casu, cum corpus conficiunt, non plures reapse rectoris vice funguntur, sed unus: scilicet collegii moralis persona. Rectore haud deficiente, unus rector est, alii ad exercitium curae vicarii seu adiutores. Hac postrema in hypothesi, cum a regimine exercitium distinguitur, oportere ut unus se habeat dependenter et tamquam coadiutorem alterius: Rota decis. 39, n. 1, et seqq., part. 15 Recent.

In facto res a iure communi non deflexisse. Praepositum, Capellanorum institutionem a Pontifice impetrasse, oblata redituum participatione. Rectae autem rationi repugnare praesumptionem quod Praepositus beneficii sui dismembrationem proposuerit, suorumque fructuum partem abdicaverit; ut sibi pares atque aemulos, non vicarios ac inferiores adiungeret. Pontificem ipsum provisionem et collationem dictarum Capellaniarum Praepositis asseruisse. Inde duo consectaria derivari. In collatione capellanorum favore non existere *institutionem auctorizabilem*, quae nequit ab illis committi, qui sunt Episcopo inferiores: cap. 4, *de Off. Archidiac.* Quod si quando conferendi ius ex privilegio admissum est, hoc exercuisse nomine Episcopi Vicarium, et facta in singulis collationibus vicariae potestatis mentione. Quapropter coadiutores, quibus confert beneficium Praepositus ordinaria facultate, absque ulla privilegii mentione, parochos esse non posse. Illis accedere quod cum ius conferendi inter ampliores ac maiores iurisdictionis gradus adnumeretur, absonum esset collatorem et electos eumdem dignitatis gradum habere.

Praeter haec omnia, in Bulla fundationis constanter Capellanos ac Rectorem distingui, quae distinctio Rectori solummodo curam animarum pertinere demonstrat. Nec clausulam *una cum* paritatem ministerii inducere: cum nihil prohibeat famulum cum domino, militem cum duce cumulari, quin officii paritas has inter personas existat. Atque hoc loco notabat insuper, clausulam hanc etiam ad singulas quasque operationes et officia relatam (quod non concedebat) facti unitatem ferre, haud vero iurisdictionis. Quam iurisdictionis unitatem repelli inspecto quoque ordine in cura animarum exercenda; ex quo requiritur ut inter plures sit aliquis praeses, ne in matrimoniis caeterisque gravioribus negotiis contingat ut inter singulos diversa ratione eumdem populum regentes, altero concedente quod alter negat, dissensiones ac incertitudines exoriantur.

Capellanis allatam *in possessorio* consuetudinem non suffragari, sed Praeposito: qui anno 1515 in constitutionibus decrevit, nullum de cura animarum se ingerere posse absque Praepositi licentia. Ipsos post saeculum fateri debuisse *se teneri ad coadiuvandum ipsum Rev. Praepositum... et ita semper fuisse observatum.* Haec confirmasse anno 1622 votum Pamphilii (mox ad supremum Ecclesiae Senatum et ad Petri Cathedram evecti)

coram S. Congregatione editum « quod cum Capellani teneantur exercere curam animarum donec Praeposito placuerit, cura ipsa est penes ipsum Praepositum, non autem penes Capellanos ».

Ultimo loco respondebat, iudicium actum anno 1791, in *possessorio tantum* versatum fuisse, nec *petitorium* laedere. In facto res aliter processisse ac ex adverso narrantur; cum anno 1795, Praeposito iudicium instituente *in petitorio*, iudicium ipsum haud expletum fuerit, quia alter ex coadiutoribus quocum ille dimicabat, Praepositi delegationem agnovit. His omnibus culmen imponere constitutiones anno 1848, a Praeposito conditas de ordine servando in exercitio curae, quae hactenus observatae sunt.

Argumentis, quorum haec summa est, expositis, Patribus Eminentissimis oblatum est resolvendum sequens dubium:

An, et quomodo sententia Curiae Mediolanensis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententias primi et secundi gradus esse reformandas; Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso: iuxta ordinationem ab Episcopo proponendam, et ad S. Congregationem transmittendam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 134, p. 571-584].

4233.

S. C. C., *Baren.*, 1 apr. 1876.

Reverendissimus Archiepiscopus Barensis ad S. Congregationem Concilii scripsit quae sequuntur: In Metropolitana Ecclesia Barensi cura animarum tam habitualis quam actualis est penes Capitulum cumulative cum Archiepiscopo, ac per octo Canonicos totidemque Hebdomadarios ad nutum solius Capituli amovibiles solet exerceri. Hinc factum est, ut nonnulli putarint, non eos tantum qui actu curam exercent, sed omnes et singulos Canonicos facultate excipiendi Sacramentales Confessiones praeditos esse, absque Ordinarii approbatione. Quapropter infrascriptus Archiepiscopus sequentia dubia declarari humillime postulat:

I. *An quilibet Canonicus, quando cura animarum est penes Capitulum, Confessiones Sacramentales, absque licentia Ordinarii, valide et licite excipere possit?*

II. *An Canonici, quibus cura animarum committenda est, examen pro Confessionibus excipiendis apud Ordinarium subire teneantur?*

III. *Quid in casu?*

Huiusmodi quaestiones ad *plenam Congregationem* ablegatae sunt, per assuetum decretum *ponatur in folio*, et Patrum Cardinalium iudicio suppositae.

Ad hoc, ut quilibet Sacerdos fidelium confessiones licite et valide excipere valeat, praeter remotam ordinis potestatem et ea proxima potestas requiritur, quae iurisdictionis nuncupatur. Hac postrema sacerdos, ex

communi Doctorum sententia, subditos adipiscitur in quos iudicii actus exerceat. Haec autem iurisdictio, nisi eam aliunde habeat sacerdos, nullo alio modo ei obvenire potest, nisi aut per parochiale beneficium aut per Ordinarii approbationem, quae de sacerdotis idoneitate ad confessiones excipiendas iudicium plerumque continet. Perspicua est in subiecta materia S. Tridentinae Synodi mens, Sess. 23, cap. 15, *de ref.*, ibi: *decernit S. Synodus nullum etiam regularem posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, approbationem quae gratis detur obtineant.*

Huius absolutae praescriptionis rationem praebet Sanchez *de Matrim.*, lib. 3, disp. 20, num. 10 vers. *potest*, ibi: *Quia hanc approbationem tantum petit Tridentinum pro confessionibus audiendis propter magnam prudentiam, scientiam et vitae probationem, quae in tali ministro requiruntur cum sit medicus et iudex animarum.* Propterea absolutio data per sacerdotem non approbatum nulla atque irrita declarata fuit ab eadem S. Synodo, Sess. 14, cap. 7, *de Sacram. Poenit.* ibi: *Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Idque iure ac merito. Sacramentum namque poenitentiae est actus iudicii: iudicii autem natura et ratio exposcit, ut sententia in subditos feratur, quos certe non habet qui iurisdictione caret. Canonici Ecclesiae Cathedralis Baren. neque ordinariam neque delegatam habent iurisdictionem. Non ordinariam quae vi officii communicatur, quia parochiale beneficium haud possident: non delegatam quia certum est, eos approbationem ab Ordinario neque petiisse neque impetrasse. Nec admittitur argumentum, quod scilicet Canonici isti beneficium parochiale possideant eo ipso quod Canonici renuntiantur et sunt pars Capituli penes quod animarum cura reperitur. Exceptis namque octo Canonicis quibus curae exercitium demandatum est, quique cum totidem Hebdomadariis illud adimplent, ceteri Canonici sese ab omni gestione abstinent, et in curae animarum administratione nullatenus sese immiscent: inutiliter ergo ipsi dispositionem invocant iam relati cap. 15, Sess. 23, *de ref.*

Et gravius illud in themate superest, quod neque Canonicis quibus cura animarum commissa est, eadem illa Tridentini dispositio prodesse valeat. Docent enim Canonistae, parochos quantumvis probatos, et in Ecclesiae Paroecialis exercitio existentes, novo examini ab Episcopo subiici posse, novis supervenientibus etiam extraiudicialibus indiciis de eorum imperitia, si parochi ab ipsomet Episcopo approbati fuerint: si vero ab antecessore instituti sint, novo Episcopo licere eos pro sola conscientiae suae quiete iterum examini subiicere. Si ergo id obtinet pro parochis qui in vim facti speciminis iam ab Episcopo expresse approbati fuerunt: multo magis dicendum est de Canonicis qui curam exercent sibi a Capitulo concreditam, quin ullum examen dederint, vel alias approbati fuerint ad curatum officium adimplendum. Et ita revera definitum fuit per S. Cong. Conc. in *Cingulana Curae animarum*, 19 iulii 1732, in qua sequenti dubio:

An Capellanus seu Vicarius ad exercitium curae animarum deputandus, vel de gremio, vel extra gremium Capituli, debeat ab Episcopo approbari ad eamdem curam? responsum est: *Affirmative.* [1]

Ast illud praecipue esse prae oculis habendum in themate, quod nempe Canonici Cathedralis Baren. revera Parochi censeri nequeant, sed sint simplices operarii ad vineam Domini excolendam vocati, vel simplices curae administratores. Etenim in casu res est de Ecclesia Cathedrali curata, et animarum cura iuraque omnia parochialitatis nunquam Capitulo avulsa censentur: et Canonici illi, quibus curae exercitium demandatur, sunt veluti Vicarii temporanei ad ipsius Capituli nutum amovibiles. Quapropter ipsi quoque Canonici a Capitulo quotannis electi pro exercenda cura animarum egent Episcopali approbatione. His ita se habentibus, octo Canonici ad curae exercitium deputati in eadem conditione versantur ac alii eiusdem Capituli Canonici, quibus nullum concreditum est ministerium: et quemadmodum primi ad confessiones audiendas admitti non possunt absque Episcopi approbatione, ita nec secundi; cum neutri parochiale beneficium habeant.

Nec esse oggerendum, hoc ipso quod sermo sit de Cathedrali Ecclesia curata, Episcopo facultatem adimi examinis vel concursus indicendi. Certum namque est Episcopum posse examini subiicere Canonicos a Capitulo, vel ab aliis auctoritatem habentibus ad curam animarum exercendam deputatos, eisque praecipere, ne absque sua approbatione curam exerceant, licet etiam ab immemorabili in exercitio curae versentur absque examine et approbatione Episcopi.

Pro Canonicis vero fundamentum positum est in ea facti circumstantia, quod nempe agitur non de quacumque Cathedrali Ecclesia, sed de tali Ecclesia Cathedrali, penes quam cura residet animarum. Hoc posito, singuli de gremio Capitulares, quemadmodum Canonici fiunt in vim peractae possessionis, et ad omnia officia muniaque parochialia ius habent, sic pariter eo ipso Comparochi evadunt: ac propterea ea omnia munera et iura ad ipsos pertinent quae parochiali officio inhaerent. Et sicuti Sacerdos quilibet eo ipso quod parochus constituitur valet confessiones audire, quin speciali Episcopi approbatione, vel delegatione indigeat; ita et Canonici isti, cum hoc ipso quod Canonici fiunt, Parochi sint. Ad hanc theoriam roborandam afferebatur auctoritas Navarri, Cons. 8, *de privilegiis*, n. 9, qui tenuit non posse ab Episcopis Canonicos Capellanos examinari: quia eo ipso quod a Capitulo Capellani renuntiantur, habent facultatem adnexam curam exercendi. Fagnanus quoque, cap. *Ex parte*, lib. I, Decret. *de Off. Vicar.*, n. 13, animadvertit: quod ubi Ecclesia Cathedralis parochiam habet, non ad Episcopum, bene vero ad Capitulum parochialia iura pertinent. Quare concludi potest parochialibus iuribus vacare posse Capitulum, etiam Episcopo ignaro. Sed sub nomine Capituli veniunt Canonici. Ergo Episcopi approbatio nullo modo requiritur ad hoc ut Canonici Ecclesiae Cathedralis curatae confessiones rite excipere valeant. Ergo Canonici Cathedralis Ecclesiae Baren. rite sui favore invocant dispositionem Conc. Trident., Sess. 23, cap. 15, *de ref.*

[1] Cf. N. 3394.

Haec si Canonicis omnibus, multo magis illis applicanda sunt, qui in curae exercitio a Capitulo demandato reperiuntur. Hi enim Capituli Vicarii sunt in eadem iurisdictione, officio, aut cura substituti, et eamdem omnino iurisdictionem exercere debent eius, cuius locum et vices gerunt: Pirhing, *de Offic. Vic.*, tit. 28, sect. 1, p. 1, num. 23. Ergo sicut Capitulum curatum iurisdictionem ordinariam habet, quod nullo modo ambigitur, ita et Canonici a Capitulo delegati: et quemadmodum cetera parochialia munera exercere possunt, ita et confessiones audire.

Hisce hinc inde notatis, EE. PP. proponebantur quae iam superius transcripsimus dubia. Reformatis dubiis:

1. *An Canonici Ecclesiae Metropolitanae Barensis Confessiones sacramentales absque approbatione Ordinarii valide et licite excipere possint in casu?*

2. *An Canonici praedicti qui nominantur ad curam animarum, et sunt amovibiles ad nutum Capituli, indigeant ad curam animarum exercendam, approbatione Ordinarii praevio examine in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative quoad approbationem etiam praevio examine, si ita in singulis casibus Ordinarius iudicaverit.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 135, p. 202-207].

4234.

S. C. C., *Burgi S. Domnini*, 1 apr. 1876.

Episcopus Burgi S. Domnini in relatione status suae Ecclesiae ad S. C. Congregationem transmissa die 7 ianuarii 1876 haec exponit: « Consuetudo viget in hac Dioecesi, qua Parochi, caeteroquin assidui in Verbi Dei praedicatione diebus Dominicis habenda, tamen plerique omittunt omnino diebus festis de praecepto infra hebdomadam occurrentibus ». Quo posito ab ista Sacra Congregatione humiliter quaerit:

1. *Utrum dicta consuetudo sit toleranda?* Et quatenus negative:

2. *Utrum praecipi possit ac debeat Parochis, ut caeteris quoque diebus festis de praecepto infra hebdomadam occurrentibus, eadem ratione ac Dominicis diebus praedicationis officio incumbant?* Et quatenus affirmative:

3. *Utrum liceat nonnullos excipere solemniores dies, quibus facultas sit Parochis abstinendi a praedicationis officio?*

Comperti iuris est consuetudinem rationabilem ac legitime praescriptam esse tolerandam. Ipsa enim iuri scripto aequiparatur atque vim legis habet: cap. *Cum tanto*, 11, *de consuet.*, l. *de quibus*, 32 ff., *de Legibus*. Idque eo vel magis, quia parochi in themate assidui sunt in Verbi Dei praedicatione diebus Dominicis, ideoque fideles hoc salutari pabulo haud carent.

Verum utrum huiusmodi sit consuetudo, de qua in themate, vehemens dubium exurgit: ipsa enim vergere videtur in praeiudicium animarum, cum rarius pusillis frangatur, et veluti subtrahatur esurientibus panis, quo scilicet Verbi Dei praedicatione omnes Parochi ex praecepto divino, ut ait Conc. Trid., Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, tenentur pascere oves sibi commissas, ideoque utpote irrationabilis nihili est habenda: can. *Consuetudinis*, Dist. 11.

Insuper consuetudo praedicta adversatur nonnullis Concilii Tridentini capitibus satis clare de hac re verba facientibus, nimirum: Sess. 5, cap. 2, *de ref.;* Sess. 22, cap. 8, *de Sacrif. Missae*, Sess. 24, cap. 4, 7, *de ref.*

Cum itaque nulla exceptio admitti posse videatur pro diebus festis etiam solemnibus infra hebdomadam, sed omnibus indistincte Dominicis et diebus festis de praecepto Parochus, nisi legitime impeditus, teneatur per se verba salutis ad populum habere, sponte veluti sua fluit, quod consuetudo contraria tamquam corruptela sit reiicienda: cap. 1, *de consuet.*, in 6, eamque nedum specialiter reprobavit Trid. Syn., Sess. 5, cap. 2, *de ref.*, verbis illis: *Neque huius decreti executionem... impediri valeat*, sed etiam sa. me. Innocentius XIII in const. *Apostolici ministerii*,[1] quam confirmavit Benedictus XIII, const. *In supremo*, 23 septembris 1724,[2] in qua redarguit Parochos qui diebus saltem *Dominicis et festis solemnibus* plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere praetermittunt vel ob consuetudinem, vel ob copiam praedicantium in aliis Ecclesiis; idem docuit f. m. Benedictus XIV in *Instit.*, 10, num. 3, et pluries declaravit haec S. Congr. ex gr. in *Nullius Orbetelli*, 28 aprilis 1736[3] ac praecipue in *Pisana*, 30 augusti 1817.[4] Videtur igitur haud esse dubitandum ab Episcopo Parochos obstringi posse ad concionem habendam singulis diebus festivis de praecepto, maxime cum Trid. Syn., Sess. 5, cap. 2, *de ref.*, *providae pastoralis Episcoporum sollicitudini* committat, ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis. Ier. Thren.*, 4.

Caeterum Parochi, de quibus in themate, qui assidui diebus Dominicis, teste Episcopo, explicationi Evangelii incumbunt, non videntur delinquere saltem contra substantiam ac finem praecepti Tridentini, si una vel altera vice, prout diebus festis, qui rari infra hebdomadas occurrunt, omittant facere verba salutis ad populum sibi commissum. Concilium enim Trid., Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, nihil decernit quoad tempus; et quamvis in supradictis decretis mandet, ut Parochi singulis diebus festis verbum Dei praedicent, haud tamen videtur tam rigorose praeceptum fuisse, ut ipsis non liceat absque culpa interdum hoc munus omittere, ex. gr. si Parochi in audiendis suorum parochianorum confessionibus essent distenti, vel propter solemnitatem, vel aliam iustam ac rationabilem causam. Idque eo vel magis, si prouti in themate praesumi forte potest, quod populi, quorum Parochi assiduam explicationi Evangelii

[1] Cf. N. 280.
[2] Cf. N. 283.
[3] Cf. N. 3457.
[4] Cf. N. 3955.

operam navant, haud tantopere indigeant pabulo Verbi Dei. Quapropter videretur aliquantisper ipsis esse deferendum, si aliquoties attenta diei solemnitate vel alia de iusta ac rationabili causa populum sibi commissum salutaribus verbis haud pascant. Hinc licere videtur nonnullos excipere dies solemniores, quibus facultas sit Parochis abstinendi a praedicationis officio.

His itaque raptim expositis EE. PP. remissum fuit decernere quonam responso essent dimittenda Episcopi Burgi S. Domnini postulata.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Tenentur Parochi diebus Dominicis et Festis de praecepto populo sermonem habere iuxta Conc. Tridentini praescriptionem;[1] *attamen erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus.*

[Liber 219 Decretorum, p. 1111].

4235.

S. C. C., *Oveten.*, 16 dec. 1876.

Vicarius Generalis Illmi Episcopi Oveten. supplici libello Sacratissimo Principi oblato haec exposuit:

In hac Dioecesi perpauci inveniuntur populi congregati, et fere omnes parochiae componuntur ex quibusdam vicis et villis, oppidulis saepe spatio unius vel duarum vel etiam trium leucarum dissitis, adeo ut maiores parochiae illae sint quae pluribus vicis constant. Consuetudo invaluit pro dispensationibus matrimonialibus obtinendis non allegandi causam quae desumitur ex angustia loci, nisi quando oratores pertineant ad paroeciam cuius focorum numerus non excedit tercentum. Haec praxis videtur fundamento destituta et penitus iniusta, quia ratio causae angustiae loci non solum existit, quando parochiae foci non excedunt tercentum, sed etiam in plerisque, quae praedictum numerum superant, quum inhabitantes uniuscuiusque vici, sive villae tantummodo vident eos, qui in aliis eiusmodi paroeciae morantur, quando ad munia religiosa obeunda in ecclesia congregantur, et fere semper evenit plures haberi ecclesias in eadem paroecia vel ad ecclesias Parochiales viciniores concurrere ad Sacrum audiendum, et idcirco deest familiaritas, amicitia et plerumque notitia inter inhabitantes eiusdem parochiae. Omnes auctores, quando de hac causa pertractant, eam unanimiter vocant *angustia loci*, numquam autem *angustia paroeciae*: revera in aliquibus exiguis parochiis nequit allegari talis causa, si alioquin locus non fuerit exiguus prout evenit in suburbanis, ut aperte declaratum est. Item in literis dispensationum, tum Sacrae Datariae tum etiam Poenitentiariae nunquam mentio fit de exiguitate paroeciae, semper autem loquitur de angustia loci.

Hisce rationibus permotus, nec non et bono fidelium consulens a Beatitudine Vestra exposcit, ut declarare dignetur:

1. *Angustiam loci non desumi ex numero focorum paroeciae cuiusdam, sed loci seu locorum, in quo degunt oratores.*

[1] Sess. 5, *de ref.*, c. 2; Sess. 22, *de sacrificio missae*, c. 8; Sess. 24, *de ref.*, c. 4, 7.

2. *Posse evenire igitur, ut praedicta causa habeatur, etiamsi oratores pertineant ad paroeciam, quae tercentum focorum numerum excedat, dummodo locus seu vicus, in quo degant, sit exiguus.*

3. *Quibus in casibus in hac dioecesi Oveten. nequit allegari causa angustiae loci?*

4. *Attendendum ne est ad numerum focorum, qui inveniuntur in unaquaque leuca quadrata?*

5. *Quisnam numerus focorum videri debet sufficiens in uniuscuiusque leucae quadratae spatio, ut locus nequeat dici angustus?*

Angustia loci est una ex frequentioribus causis quarum ope conceduntur dispensationes matrimoniales, praesertim in gradibus consanguinitatis et affinitatis remotioribus. Porro per angustiam loci intelligitur talis locus, in quo puella non invenit sponsum sibi aequalem vel parem, nisi consanguineum aliquem vel affinem; consequenter si tali nubere non liceret, deberet manere innupta, vel nubere cuidam, qui statu, conditione, aut divitiis inferior, vel aetate, moribus, ingenio aut religione dispar esset. Nec enim sola status, generis ac divitiarum, sed etiam alia quaecumque inaequalitas constituit angustiam loci. Hinc est quod in apostolicis literis dispensationum passim inveniatur haec clausula: « Cum oratrix in dicto loco orta propter illius angustiam virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, mandamus quod, quatenus... preces veritate niti repereris... tunc auctoritate nostra dispenses ». Et ratio potissima huius causae ea est, quod valde expediat bono communi matrimonia inter pares iniri. Nam matrimonia inaequalia infelices exitus habere frequenter solent. Sane si vir non ducat coaetaneam, numquam vel raro de ea bonum fructum capiet, et saepissime incidit in calamitatem; contra vero, si maritus et uxor sint correspondentis aetatis, quae placebunt naturaliter uni, placebunt pariter et alteri. Si vir duxerit uxorem pauperem, ponit in domo sua paupertatem, si vero divitem, ponit tempestatem. Si denique nobilis accipiat plebeiam, semper rusticam vocabit et contemnet; quia neque satis firma, nec tuta est pauperum cum opulentis amicitia.

Nec requiritur ut fiat stricta et exacta perquisitio, an aliquis impedimento carens foeminae ad nubendum aequalis inveniatur in loco, sed sufficit moralis diligentia: imo sufficit, si puella decenter ornata, et quasi exposita ad nubendum per aliquot annos incedat, quin tamen ullus pro sponsa illam expetierit. Nam honestas et pudor puellarum non patitur quod sibi ipsis viros quaerant: can. *Honorantur*, Caus. 32, q. 2, ibi: *Non est enim virginalis pudoris eligere maritum*. Praeterea ad verificandam angustiam loci non indagandum est exactissime, an sit nec ne aliquis vir paris in omnibus conditionis, cui foemina nubere possit. Id non videtur esse ita stricte accipiendum sed morali etiam modo. Satis enim est communiter non reperiri in eo loco viros pares, qui non sint consanguinei vel affines. Quia cum matrimonia debeant esse libera, et multas conditiones exigant, ut convenientia et paria iudicentur, expedit valde, ne foemina ad unum vel alterum arctetur, sed sint varia, ex quibus ei optio detur. Nam licet reperiantur duo vel tres,

dicetur non reperiri virum paris conditionis: imo verificatur illa clausula modo maior pars oppidi seu loci sit imparis conditionis, vel dici possit iuxta communem loquendi modum in eo loco non reperiri aliquem aequalis conditionis.

Imo censetur adesse angustia loci etiam si in vicinia foemina posset habere sibi aequalem virum non consanguineum vel affinem, cum dispensatio hac in re communiter sit libera et absque conditione concessa; nam licet ipsa sit stricti iuris et stricte interpretanda: cap. *Quod dilect.*, *de consang. et affin.*, cap. 1 in fin., *de fil. presb.*, in 6, nihilominus est late interpretanda, quatenus verba sonant, et ipsorum verborum natura requirit. Etenim si Summus Pontifex aliud voluisset, profecto id in literis dispensationum exprimere solitus esset, ac propterea dixisset: « dummodo in alio loco finitimo suae patriae oratrix virum paris conditionis invenire nequeat » vel alia verba aequipollentia; sed cum sufficiat oratricem non invenire virum paris conditionis ob angustiam loci, unde orta est, vel domicilium constanter habet, non est recedendum a vi verborum, bene vero absolute dicendum, esse sufficientem causam non invenire matrimonium aequale intra proprium foeminae locum: sicut etiam dicendum est de oratrice, habente dotem minus competentem; nam haec alia causa est sufficiens et satis verificatur, licet in locis finitimis invenire potuerit matrimonium aequale et cum illa dote oratricis non autem in proprio loco.

Verumtamen adhuc inquirendum remanet, qualis, debeat esse locus, qui plerumque oppidum vocatur, ob cuius angustiam dispensatio conceditur: an, videlicet, debeat esse civitas, urbs, aut saltem insigne et populosum oppidum, an vero sufficiat vel potius esse debeat locus magis angustus, ut parva civitas, commune oppidum, seu pagus vel oppidulum, quod ad rem apprime pertinet. Procul dubio haec causa dispensationum matrimonialium, scilicet, ob angustiam loci passim olim admittebatur, non solum in locis angustis, verum etiam in amplis et populatis, quinimo etiam in magnis civitatibus, necnon in ipsa Urbe, ex eo quod oratrices talis qualitatis esse poterant, quod respectu illarum non inveniebant in illis viros paris conditionis, quibus nubere potuissent. Cum vero inverisimile videretur, non solum in tam insignibus, verum etiam parvis civitatibus, posse hanc causam verificari, Paulus V eam sustulit quoad angustiam civitatum, nec deinceps illa amplius admittitur. Neque hac ratione, scilicet, appellatione loci, per cuius angustiam datur dispensatio, veniunt suburbia civitatis, prout rescriptum fuit Episcopo Lauden. a Dataria iussu Clementis VII, nisi per milliare, sive paulo minus distent a civitate. Attamen, quia frequenter contingit in quibusdam civitatibus, et in plerisque aliis oppidulis, revera foeminas ob istorum angustiam non invenire pares sibi viros, sicque causam huiusmodi angustiae verisimiliter hisce in locis verificari posse existimatur, illa quidem admittitur, si tamen locus non excedat numerum tercentum foculariorum, et non aliter: etenim in literis dispensationum reperitur etiam haec clausula nempe: « Et dummodo praedicta civitas tercentorum foculariorum numerum non excedat ». Dicitur in oppido; imo vero per oppidum intelligendum etiam est in hac materia pagus, seu vicus, vel

oppidulum. Ratio profecto id suadet; quia etiam multis mulieribus educatis in parvis oppidis, aut pagis et vicis durissimum et perquam difficile est, extra proprium locum, etiamsi vicinum, nubere deserendo suos et sua, ut sic patris et matris, consanguineorum et amicorum consortio destitutae acerbam et quasi solitariam vitam transigant. Re quidem vera spectando finem et mentem legis, non tantum posset, sed etiam deberet esse locus minor, minusque populosus, ut oppidulum non adeo magnum, aut pagus, seu vicus, quando ob angustiam illius, dispensationem impetrare quis vult, et ut haec petitur sic conceditur: ita ut in civitate (nomine enim civitatis venire solent stylo Curiae solae urbes residentiarum Episcoporum) et ubi sunt plura quam tercenta focularia, angustia loci in ordine ad matrimoniales dispensationes non detur, seu penitus non admittatur, ut dictum est. Tandem confirmatur haec sententia continua et communi praxi, ac stylo Curiae qui pro lege habetur: cap. *Ex literis, de const.;* et cap. *Quam gravi, de crim. falsi:* unde evidenter constat habitantes in pagis etiam minimis ex causa angustiae loci passim sollicitare et obtinere dispensationes matrimoniales.

Profecto omnes enuntiatae rationes legis verificari videntur etiam in casu quo parochia plures pagos, seu vicos aut oppidula, plus minusve distantes inter se complecteretur. Etenim iura absolute loquuntur de angustia loci, non vero de angustia paroeciae: etiam in hoc casu sponsa cogeretur deserere suos et sua, ut sic suorum consortio destituta acerbam et solitariam vitam transigat. Praesertim cum paroecia, quae in casu proposito solummodo distabat dimidiae horulae spatio, aliquibus in locis complectatur non solum duarum vel trium leucarum spatium, ut in themate, sed etiam multoque magis, veluti in America, ubi paroeciae inveniuntur extensae plus quam dioeceses: et cum plerumque una vel altera aut plures ecclesiae sint intra confinia istarum paroeciarum, parochiani nec in eodem loco confrequentare divina consuescunt: ita ut facta dismembratione paroeciae, procul dubio nulla prorsus esset difficultas quominus angustia uniuscuiusque loci per se admitteretur; cum vero contra evenire potuisset ut in loco revera angusto duplex parochia sit. Nulla ergo esse debet relatio paroeciae ad angustiam loci diiudicandam: notum est enim quod in iure expressa nocent, non expressa non nocent; legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluit, et cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio. Igitur dicendum etiam videtur angustiam loci non protrahendam ad angustiam paroeciae.

Hoc statuto principio veluti prono alveo fluit resolutio dubiorum oratoris: 1. Angustia loci desumi non debet ex numero focorum paroeciae cuiusdam; sed ex numero focorum uniuscuiusque loci in quo degunt oratores. 2. Consequenter evenire potest, ut praedicta causa habeatur, etiamsi oratores pertineant ad paroeciam, quae tercentorum foculariorum numerum excedat, dummodo locus, seu vicus vel oppidulum, in quo degunt sit sufficienter exiguus. Etenim in sola Curia Oveten. invaluit consuetudo limitandi angustiam loci ad angustiam paroeciae, cum nec iura, nec DD. certo exigant hanc limitationem, neque praxi communi nitatur. 3. Licet obscurum vel

contradictorium videatur hoc dubium, in genere tamen dici potest: absque dubio angustia loci, veluti alia quaecumque causa dispensationum allegari nequit in casu, in quo revera non verificetur, cum, vel sine, respectu ad paroeciam. 4. Minime quidem attendendum est ad numerum focorum, qui inveniuntur in unaquaque leuca quadrata. Quod absonum prorsus est ex iure, DD. ac praxi communi: praeterquamquod adversus hanc limitationem eadem militant rationum momenta, ac adversus limitationem ad paroeciam. Quaecumque innovatio, praeter novitatem, difficilis admodum esset in praxi, prae angustia loci uniuscuiusque morali quidem modo ac naturali verbi sensu intellecta: igitur satis provisum est a iure in casu.

Sed denique notandum est, quod in themate agitur de consuetudine omnino singulari Curiae Oveten., quae fundamento destituta et penitus iniusta iudicatur, ex eo quod angustia loci strictiori interpretatione intelligatur, cum iura, DD. et praxis communis interpretationem potius latam et benigniorem admittant; idcirco nihil obstare videretur, quominus Episcopus, consulendo AA. et utendo iure suo, aliam consuetudinem seu praxim introducat, quam in Domino melius expedire iudicaverit.

Nihilominus erit sapientiae, religionis ac prudentiae EE. VV. decernere an et quomodo dimittendae sint huiusmodi preces.

Die 8 iulii 1876 Sacra, etc. respondit: Dilata et ad mentem. – Mens fuit, ut hac super re Sacra Poenitentiaria interrogaretur; quae percontata respondit, nil in Archivio reperisse quod certam et determinatam normam constituere valeret quoad declarationem et dubia Vicarii generalis Dioecesis Oveten. Quapropter reproposita quaestione eadem: *Die 16 decembris 1876 Sacra, etc. respondit: Angustiam loci non esse desumendam a numero focorum cuiusque Paroeciae, sed a numero focorum cuiusque loci vel etiam plurium locorum, si non distent ad invicem ultra milliare; in reliquis provisum.*

[Liber 219 Decretorum, p. 1887].

4236.

S. C. C., decr. 20 ian. 1877.

Quod a priscis Ecclesiae temporibus semper fuit in more, ut christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula, qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, idipsum, sacrosancta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit Summus Pontifex Pius IV, qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita idibus novembris 1564 constitutione *Iniunctum Nobis,* [1] formam concinnavit professionis fidei recitandam ab iis, qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praeficiendi forent, quive illarum dignitates, canonicatus, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat: nec non ab iis, quos de monasteriis, con-

[1] Cf. N. 108.

ventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri contingeret. Quod et alia constitutione edita eodem die et anno incipiente: *In sacrosancta* [1] salubriter praeterea extendit ad omnes doctores, magistros, regentes, vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos sive laicos, vel cuiusvis ordinis regularis, quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos.

Iam vero, cum postmodum coadunatum fuerit sacrosanctum Concilium Vaticanum, et ante eius suspensionem per Literas Apostolicas *Postquam Dei munere* diei 20 octobris 1870 [2] indictam, binae ab eodem solemniter promulgatae sint dogmaticae constitutiones, [3] prima scilicet de Fide Catholica, quae incipit *Dei Filius*, et altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor aeternus*, non solum opportunum, sed etiam necessarium diiudicatum est, ut in fidei professione dogmaticis quoque praememorati Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio. Quapropter SS̃mus D. N. Pius Papa IX, exquisito ea desuper re voto specialis Congregationis Em̃orum S. R. E. Patrum Cardinalium, statuit, praecepit, atque mandavit, ceu per praesens decretum praecipit ac mandat, ut in praecitata Piana formula professionis fidei, post verba: *praecipue a sacrosanta Tridentina Synodo* dicatur: *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio*, utque in posterum fidei professio ab omnibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis a Concilio Tridentino et a supradictis constitutionibus S. M. Pii IV statutis. Id igitur ubique, et ab omnibus, ad quos spectat, diligenter ac fideliter observetur, non obstantibus, etc.

[Acta Pii IX, vol. VII, p. 274-279].

4237.

S. C. C., *Catacen.*, 3 mart. 1877.

Episcopus Catacen. in transmittenda ad S. C. Concilii relatione status suae Ecclesiae circa concursus pro parochialibus ecclesiis inter caetera definiendum proponit:

Quoad electionem inter approbatos ab Episcopo faciendam dissimilis Curiarum est praxis. Alibi sufficit aliquem esse adprobatum licet minori suffragiorum numero quam alios, ut valeat illum Episcopus eligere; hic autem non potest Episcopus eligere, nisi quem maior suffragiorum numerus digniorem demonstrat, quia digniorem eligere debet; unde huiusmodi electio non est libera in Episcopo, sed pendet a suffragiis Examinatorum.

[1] Cf. N. 107.
[2] Cf. N. 557.
[3] Cf. N. 10.

Iam ex approbatis renunciatis per Examinatores solus Episcopus, et non ipsi Examinatores debent eligere magis idoneum, ut docent Canonistae ac pluries declaravit haec S. C., ut in *Patavina*, a. 1573. [1] Quibus in medium deductis, dignentur EE. VV. dubio praefato resolutionem praebere.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Episcopum non teneri ad eligendum, tamquam digniorem, quem Examinatores maiori suffragiorum numero adprobarunt.

[Liber 220 Decretorum, p. 1071].

4238.

S. C. C., *Spalaten.*, 3 mart., 21 apr. 1877.

Episcopus Dioecesis Spalaten. exhibens relationem suae Dioecesis exposuit quae sequuntur:

« Parochus residentialis Civitatis Spalaten. habetur vicesgerens Episcopi in officio parochiali. Nominatur et eligitur ab Episcopo absque concursu et est semper unus ex capitularibus, canonicali tantum beneficio provisus. Nulla adest praebenda nec habitatio parochialis, et redditus stolares sunt ita tenues, ut vix exaequent expensas muneri parochiali adnexas pro loco officii, libris et officiosa communicatione. Hac de causa Episcopus antecessor Parocho urbano declaravit, eum ad applicationem Missae non teneri, et reapse ille non applicat ». His relatis duo, quae in calce referuntur, enodanda proposuit dubia.

Qua de re a S. Congr. rescriptum fuit: *Episcopo, qui transmittat praedecessoris declarationem, quoad Parochi urbani exemptionem ab onere applicandi Missam pro populo; ac referret, an idem Parochus seu Vicarius sit perpetuus vel ad nutum amovibilis, et quaenam fuerit praecedens observantia.* Et iterum: *An Episcopus pro tempore vere proprieque sit, et habeatur unicus civitatis Parochus.* Respondit Episcopus: « declarationem Praedecessoris mei, quoad Parochi urbani exemptionem ab onere applicandi Missam pro populo, fuisse tantum vocalem, actuali Canonico Parocho civitatis modo prorsus privato factam, ideoque ad istam S. Congr. exemplar eiusmodi transmitti non posse. Idem autem non est Parochus proprie talis, neque Vicarius perpetuus, sed tantummodo temporalis et ad nutum amovibilis. Praecedens autem observantia fuit, ut Parochus urbanus numquam ad applicandam Missam pro populo duceretur obligatus. Episcopum pro tempore non esse, nec haberi debere vere proprieque unicum Civitatis Parochum, quum omnis cura actualis, omneque iurium, muniorum et officiorum parochialium exercitium, quoad administrationem sacramentorum et caeteras functiones, nec non custodiam et descriptionem librorum parochialium, et documentorum ex iis excerptorum, penes Parochum supradictum resideat; ita ut ex. gr. ad validitatem matrimonii potestas civilis requirat assistentiam Parochi et non sufficiat assistentia solius Episcopi ».

[1] Cf. N. 2123.

Tridentina Synodus innixa sacris textibus tum veteris Testamenti: *Levitic.*, cap. 9, vv. 6 et 7, tum Novi Testamenti: Ioan., cap. 21, vv. 15, 16, 17, et *Actor.*, cap. 20, v. 28 innuit, onus animarum pastoribus incumbens, applicandi Missam pro populo, ex divino praecepto descendere. Et Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, habet: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his sacrificium offerre...* In iure vero nomine Pastorum, qui tenentur ad applicationem Missae diebus festis, veniunt parochi qui actu curam exercent: sive perpetui sint sive temporanei et ad nutum amovibiles, sive habeant congruam sive non. Nam Parochus has applicare tenetur Missas non ob congruam, sed ratione officii. Quod vero animarum curatores actu curam exercentes, etsi amovibiles, teneantur Missam pro populo applicare, triplici probatione evincitur: nempe ex Tridentino, ex constitutionibus Sedis Apostolicae, et ex resolutionibus S. C. Concilii. Verba Tridentini supra relata generalia, clara apertaque sunt. Quoad vero constitutiones Apostolicae Sedis, audiendus est Benedictus XIV, in const. *Cum semper oblatas*, § 4. [1]

Concinit constitutio *Amantissimi* nuperrima Pii Papae IX. [2] Multae afferri possent resolutiones S. C. Concilii idem confirmantes, ut in *Ferrarien.*, 18 martii 1719. [3] Idque eo magis, quia Parochus in casu iam canonicali Praebenda est satis provisus, suisque gaudet incertis stolaribus. Pro nihilo autem habenda est declaratio Ordinarii antecessoris, quoad exemptionem: nam vocalis est et modo prorsus privato facta et a Parocho tantum asserta. Quod documentum authenticum haud est, quia est assertio unius peracta in causa et favore proprio. Neque Episcopus ab onere Missae eximere poterat eumdem Parochum, qui etsi Vicarius amovibilis et ad nutum sit ille, tamen vere ac proprie actualis est Parochus; ceu Episcopus apertis verbis declarat. « Episcopum pro tempore non esse, nec haberi debere vere proprieque unicum civitatis Parochum, quum omnis cura actualis, omneque iurium, muniorum et officiorum parochialium exercitium, quoad administrationem sacramentorum et caeteras functiones, nec non custodiam et descriptionem librorum parochialium et documentorum ex iis excerptorum penes Parochum supradictum resideat, ita ut ex. gr. ad validitatem matrimonii potestas civilis requirat assistentiam Parochi, et non sufficiat assistentia solius Episcopi ».

Verum consuetudo tamen haud leve praebere videtur argumentum favore Vicarii amovibilis. Consuetudo contra ius, ut sustineri possit, debet esse rationabilis et legitime praescripta. Sane consuetudo contra ius in fieri considerata, etsi per se irrationabilis esse videatur, quia contra ius constitutum procedit, quod rationabile semper praesumitur, tamen in facto seu in suo esse formali iam constituta, uti rationabilis habetur, et vim legis habet et ius ipsum scriptum abrogat vel eidem derogat. Legitime vero

[1] Cf. N. 345.
[2] Cf. N. 524.
[3] Cf. N. 3183.

praescripta dicitur consuetudo, si saltem per decennium de facto absque interruptione perduraverit, ceu in themate evenisse testatur Episcopus aiens: « Praecedens vero observantia fuit, ut Parochus urbanus numquam ad applicandam Missam pro populo duceretur obligatus ». Sacra C. Concilii haec uti vera saepe habuit confirmavitque pluribus in casibus. In casu de quo agitur nulla adest praebenda, nec habitatio parochialis, et reditus stolares tenuissimi sunt.

Praeterea plane liquere videtur, declarationem Ordinarii Antecessoris, etsi verbalem, admitti tamen ab actuali Ordinario. Quod autem civilis auctoritas requirat assistentiam proprii Parochi ad matrimonii validitatem, nil Parocho nocet: quia incompetentia civilis potestatis in diiudicandis huiusmodi quaestionibus neminem latet. Dum alia ex parte clare innotescat omnibus Episcopum in sua Dioecesi iure Divino esse primum et praecipuum omnium sacramentorum ordinarium administrum. Quamobrem non Vicario amovibili ad nutum in casu, sed Episcopo utpote Parocho, onus inesse videtur Missam pro populo applicandi.

Quoad secundum dubium videtur quod Episcopus unico Missae sacrificio possit duplici oneri satisfacere; etenim passim contingere videmus unico actu duplex impleri praeceptum. Sicut qui obligatur ad recitandas horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici unica satisfecit recitatione. Idem dic de ieiunio ex voto die veneris; si tali die occurrant quatuor anni tempora, et vigilia alicuius sancti, unico ieiunio satisfit tribus obligationibus, scilicet voto et diebus Ecclesiae praeceptis.

Ex altera parte tamen videretur Episcopus haud satisfacere, unico sacrificio, duplici oneri; capto exemplo a Parocho qui eodem tempore esset etiam canonicus. Exploratum est enim unico sacrificio Missae conventualis, qua teneretur uti Canonicus, haud satisfacere obligationi applicandi Missam pro populo, ad quam obstringitur uti Parochus ex iustitia.

Notatu etiam dignissimae sunt declarationes nuperrime editae a S. C. de Propaganda Fide die 23 martii 1863. [1] Hisce expositis dignentur EE. VV. dirimere dubia:

1. *An Episcopus vel Parochus teneatur ad applicandam Missam pro populo in casu?* Et quatenus affirmative quoad Episcopum:

2. *An ipse unico sacrificio duplici obligationi satisfaciat in casu?*

Die 3 martii 1877: Non proposita.

Die 21 aprilis 1877: Sacra, etc. respondit: Dilata, et exquirantur novae informationes iuxta mentem Domino Pro-Secretario panditam. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 136, p. 165-173, 175].

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1238, 1239.
[2] Cf. N. 4242.

4239.

S. C. C., *Leopolien.*, 15 dec. 1877, 23 mart. 1878.

Post diuturum sex annorum effluxum ab initis nuptiis die 25 augusti 1869, coniugali vitae consuetudine transacta, Comes Zdislaus seu Ladislaus Tyszkiewicz aetatis annorum 36 oppidi Weryniae in Dioecesi Tarnoviensi et Comitissa Felicia Gebriela Mier annorum 24 ex oppido Radziechóu Leopoliensis Dioecesis, ad tramitem Austriaci Codicis a Leopoliensibus laicis Iudicibus dissolutionem matrimonii eorumdem declarari postularunt anno 1875, in iudiciali libello deducta *disproportione membrorum pudicorum apud maritos, quod coitum inter eos facit impossibilem.* Constituto matrimonii defensore, duo etiam periti in arte medico-obstetricia constituti fuere pro coniugis utriusque corporis inspectione peragenda. Hi mandata adimplentes contextualem emiserunt peritiam sub iuramenti religione; declarantes Comitissam impotentia perpeti *relativa;* Comitem vero absoluta; et istam coeundi impossibilitatem matrimonium antecessisse. Iudices huic innixi relationi, matrimonium *nullum esse* pronunciarunt. Quod iudicium confirmarunt duo Tribunalia superiora.

Dein Archiepiscopum Leopoliensem adiverunt, uti ecclesiasticum Iudicem, expostulantes ut ipse quoque *nullum* declararet matrimonium. Ordinarius petitionem ad S. Concilii Congreg. transmisit; et animadverso, quod novus processus nil novi adduceret, dum locorum et temporum conditio graves praeseferret difficultates, proposuit ut super dicta peritia medicorum dispensatio a matrimonio rato et non consummato impetraretur. Venia a SSmo Patre impetrata, normae quaedam Archiepiscopo transmissae fuerunt ut actus iudicii civilis adhiberet pro ecclesiastico; atque ut novum conficeret processum, in quo iuramentum tum a coniugibus, tum a septima manu esset praestandum; deputaretur matrimonii defensor; formiter et seorsim examinarentur periti iam antea adhibiti; aliisque tribus peritis illorum relatio traderetur examinanda.

Archiepiscopus retulit hasce neque impleri posse praescriptiones: quia novo se examini subiici reluctarent coniuges; et quia iuxta instructionem ab Archiepiscopo Vindobonensi anno 1855 evulgatam, atque in Curiis Ecclesiasticis Imperii Austro-Hungarici vigentem, nec examen septimae manus, nec iuramentum coniugum exigitur. Ne ergo coniugibus occasio praeberetur sese gravandi de insueto rigore, nova impetrata fuit a SSmo Patre venia pro dispensatione a canonico processu. Quapropter concessum fuit Archiepiscopo ut copiam actorum processualium laici tribunalis adhibere valeret ad effectum cognoscendi ac definiendi causam a partibus propositam super matrimoni nullitate, defensore vinculi ex officio deputato. Hisce acceptis mandatis, iudices ab Archiepiscopo delegati procedentes in causam die 17 iulii labentis anni pronunciarunt « 1. matrimonium... ob absolutam, insanabilem atque iam ante contractum hocce matrimonium existentem et qua talem per rei peritos medicos rite probatam viri impotentiam, ad

praestandum debitum coniugale, nullum ac invalidum esse. 2. Supradictum Comitem Zdislaum Tyszkiewicz ad nullum aliud deinceps matrimonium contrahendum admitti posse ».

Appellavit matrimonii vindex ad S. C. Congregationem, appellavit etiam Comes Zdislaus contra secundum sententiae articulum, insimul postulans vel sententiam quoad hanc partem infirmari, vel dispensationem a matrimonio rato et non consummato concedi.

Contendit Defensor mulieris ad matrimonium dissolvendum satis esse evincere impotentiam Comitis Zdislai sive ea sit absoluta, sive relativa; dummodo matrimonium praecesserit, sit perpetua et insanabilis: Schmalzgrueber, lib. 4, tit. 15, n. 38. Perpetuam autem, insanabilem, ac matrimonium praecedentem impotentiam Comitis Zdislai evincit defensor ex confessione illiusmet in supplici libello peracta, et ex testimonio medicorum, qui affirmant quod ille *laborat ex atrophia testis*. Eiusmodi atrophiam sic describit Zacchias, *Quaest. med. leg.*, vol. I, p. 285, n. 41: *Non multum abest a paralysis natura atrophia, hoc est partis alicuius consumptio et ariditas, in qua passione corpus seu corporis pars aliqua, non amplius nutrimento fruitur et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum succedentibus summa macies oritur*.

Ex quo fit quod atrophia affectus impotentia perpetua laboret, et numquam coniugalem actum conficere possit. Ad id clarius demonstrandum in themate adiecit defensor mulieris, Comitissam haud virginitatem amisisse post sex matrimonialis contubernii annos. Neque officit methodus probationis; nam per inspectionem a peritis factam melius veritati consultum est, quam per obstetricium intermedium.

Impotentiam viri esse perpetuam statuit defensor ex praesumptione iuris ac ex copulae defectu post sex annorum cohabitationem coniugum iuxta Rotam post *cons. Farinac.*, dec. 65, n. 4: *quod si post triennalem habitationem non potuerint matrimonium consummare, tunc bene intrat praesumptio, quod impedimentum sit perpetuum*. In facto autem peritorum iudicium impotentiae perpetuitatem evincit.

Insanabilitas accedit impedimenti perpetuitati, ut habet Zacchia, l. 9, q. 2, n. 4, et periti medici retulerunt: « vitia commemorata (dixerunt) non possunt operari; non consistunt enim in ulla deformatione quae ultro averti potest, sed potius in defectu regularium functionum genitalium... »

Quamquam Comes contendat sese impotentia laborare relativa, prosequebatur defensor, nullimode nocet nullitati obfirmandae: quia S. C. C. uti posse, assueta reservationis formula: *Vetito viri transitu ad alias nuptias, nisi consulta prius S. Congregatione*. Et quia per procuratorem coram Iudicibus ecclesiasticis admittens peritorum iudicium, quo eius impotentia absoluta constituebatur, postulavit decerni nullitatem ex titulo *impotentiae absolutae atque incurabilis*.

Posita impedimenti perpetuitate locus non fit triennali experimento: Cosci, *De sep. tori*, l. 1, c. 13, n. 26: « quando constat de antecedenti impoentia perp etua per inspectionem corporum a sacris canonibus demandatam, aut est certa, evidens et indubia, tunc statim matrimonium declarandum est

nullum absque triennali experimento cum coniugum iuramento ». In facto enim nedum triennium sed sexennium adfuit.

Neque officit quod coniuges per sex annos tacuerint ex sententia Schmalzgr., lib. 4, tit. 15, n. 74, Cosci, loc. cit., c. 2, n. 33; « constito, per inspectionem corporis mulieris, de eius virginitate, nihil interest, an ipsa intra bimestre reclamaverit, quia post multos etiam annos reclamare et viri impotentiam allegare potest ». Exempla autem admissae nullitatis, utut post multos annos reclamatae, adsunt apud Rotam et S. Concilii Congregationem.

Viri autem defensor exhibuit in primis fidem trium salutaris artis Professorum, qui autumarunt Comitem aptum carnali copulae perficiendae; et atrophiam haud perspexerunt in eo. Requisiti iidem Professores, an admitti possit impotentia relativa, quam pati autumat virum erga propriam uxorem, retulerunt: cum certitudine respondi nequit ex medicinae datis, utcumque haec dari possit perpetua et insanabilis erga datam personam ob peculiares physicas circumstantias.

Exurgens adversus utriusque coniugis thesim matrimonii Defensor, impugnavit viri impotentiam tum absolutam tum relativam, nec non mulieris virginitatem. Prae primis animadvertit quod, etsi perampla fuerit dispensatio ex audientia SSmi *a confectione canonici processus*, tamen non eo tendit, ut aliquid veritas detrimenti sentiat. Dispensatio enim pro usu tantum actorum civilium data fuit *ad effectum cognoscendi et definiendi causam*. Quapropter actus ipsi tantum attendi debent, quanti per se valeant. Et quum unus actus qui iudicio tribunalis ecclesiastici fundamentum praebuit, sit peritia iudicialis, haec ad examen vocari debet.

Duo periti admittunt utramque impotentiam; absolutam in viro, relativam in foemina. Retulerunt virum impotentem *ex atrophia testium*. Sed vir idem hanc impugnat atrophiam errore impetens cognitorum relationem ex sententia aliorum medicorum, quorum fidem iam produxit. Testimonium istorum non est minus attendendum, quam iudicialium peritorum relatio; eo vel maxime quod tres sunt perinsignes eiusdem artis salutaris professores: dum e contra ex duobus iudicialibus peritis alius est quodammodo alterius subalternus. Iunior ex istis locum tenebat inferiorem apud Nosocomium; et ideo non ex parte utriusque libera ac independens dici potest sententia; et potissimum quia nec separatim inspectionem corporum absolverunt, nec seorsum propriam cuiusque pandiderunt opinionem, ceu providissimo consilio praescribit S. C. C. in Instructione 22 augusti 1840: *singuli ex peritis, ac seorsim corpus viri inspiciant, ea qua fieri poterit decentia, et singuli scriptam emittant relationem.*[1]

Perpendens defensor sacramenti rem intimius, thesim sustinere censuit quod vir corporalis inspectionis tempore idoneus copulae fuerit; quia admissa etiam testium atrophia, talem haud attingit gradum, qui ad maritalem actum reddat aliquem impotentem. Eo quod ad veram atrophiam constituendam requiritur *consumptio*, *ariditas* et summa macies partis affectae ceu tradit Zacchias, *quaest. med. legal.*, l. 4, tit. 1, qu. 8, n. 41.

[1] Cf. N. 4069.

Ast ex duorum cognitorum relatione hunc statum haud colligere datum est. Proinde, adiecit matrimonii defensor, cum fundamentum a peritia desumptum necessaria careat soliditate pro adstruenda plena certitudine impotentiae ex atrophia derivantis; et cum nullum ab integritate mulieris, prouti in progressu demonstrabitur mutuari possit adminiculum, etiamsi actualis impotentia agnosci et admitti deberet; eo tamen quia hoc morbum (!) accidentale esset in hoc casu, hinc semper quidem praesumendum esset, quod ipsa non antecesserit, sed sequuta fuerit matrimonium ad tradita per Sanchez, *de matrim.*, l. 7, disp. 103, n. 3.

Quoad mulierem autem defensor sacramenti, vanum esse, ait, fundamentum impotentiae proclamatae sive unius, sive utriusque coniugis ex mulieris integritate desumptum. Nam censent quidem Doctores recentiores, problema virginitatis haud esse insolubile, nihilominus summam ipsum problema praeseferre difficultatem, si agatur de remota defloratione, Zacchia, *quaest. med. leg.*, lib. 4, t. 2, q. 1, n. 24, ita ad rem se habet: « cohaerentia partium... medicamentis procurari talis potest, quae non modo adaequet, sed etiam superet naturam, ut notant medici ». Quod prudenter obfirmatur auctoritate S. C. C. in Instructione anni 1840 dum usum balnei praescribit iniungens « ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat ». In casu ex mulieris confessione habemus, quod prioribus matrimonii temporibus maritali officio incumbere studuerint. Proinde aiebat defensor, cognitores opinionem emiserunt de re pervetusta, et in inquisitione nullam adhibuerunt diligentiam ad fraudes eliminandas; ideo eorum iudicium imprudens et incertum existimandum est.

Adhuc defensor urgens ex analysi iudicialis peritiae contendit nedum fuisse incertum, sed erroneum eiusmodi iudicium: eoquod colligi possit mulierem iamdiu corruptam fuisse. Insuper etiamsi de virginitate constaret, non inde tamen inferri deberet ad impotentiam alterius coniugis, atque ad dissolutionem matrimonii; quoniam non agitur hic de dispensatione a matrimonio rato et non consummato, sed de nullitate coniugii ex capite impotentiae prout demonstrat libellus introductivus. Ergo parum vel nihil confert ad causam disquisitio virginitatis teste Rota Rom., dec. 14, n. 10 post Zacch., *qu. med. leg.*, « non valet consequentia: uxor reperitur intacta, ergo vir est impotens, impotentia naturali et perpetua, quae sufficit ad dirimendum matrimonium ».

Insuper, ait, dandam non fuisse magnam fidem coniugibus; quia collusionis suspicionem ingerit studium viri, qui vix reddita in prima sede a iudicibus laicis sententia, sategit novam obtinere a medicis peritiam, quae impotentiam absolutam excluderet.

His praehabitis Vestrum erit dirimere sequens dubium:

An sententia Curiae Archiepiscopalis Leopoliensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die 15 decembris 1877 Sacra, etc. respondit: Sententiam Curiae Archiepiscopalis esse reformandam, ita ut Comiti Zladislao non liceat transire ad alias nuptias, nisi petita prius et obtenta venia ab Apostolica Sede.

Cum per novam audientiam a defensore vinculi matrimonialis petitam, instaurata fuisset nova discussio, praefatus Vindex quae sequuntur exhibuit animadversiones. Innuit primo quod dispensatio a processu canonico per S. C. Concilii concessa infecta fuerit vitio obreptionis et subreptionis; secundo quia peritia iudicialis, quae fundamentum praebuit eidem sententiae, non suppeditat moralem certitudinem impotentiae Comitis praedicti.

Quoad primam partem ad memoriam revocavit quod S. Congregatio, quum rescivisset ab Ordinario arduum fore coniuges novae subiicere corporali inspectioni, de auctoritate Pontificis remissae, mandavit ut consuetae ac expeditiores aliae complerentur praescriptiones. Hae in huius generis iudiciis sunt iuramentum coniugum, septimae manus auditio, examen verbale peritorum, defensoris matrimonii deputatio. Coniuges vero adeo difficilem reddiderunt praescriptionum salutarium executionem, ut Ordinarius coactus fuerit confiteri *omnia et singula exacte perficerem, nisi inextricabiles sese opponerent difficultates, quibus superandis imparem me sentio.* Quae difficultates a coniugibus parabantur; quaeque fuerunt causa *principalis* seu *motiva* dispensationis a processu. Et quoniam ex illis difficultatibus, illa quidem quae respiciebat modum verificandi impotentiam Comitis, in quo potissimus ac praecipuus scopus processus consistebat, nullatenus veritati innitebatur, quia Comes postulans dispensari ab examine peritiae iudicialis, contra propriam conscientiam agebat, hinc dispensatio in vitium obreptionis et subreptionis incurrit ad tradita per Reiffenstuel, *ius. can.*, l. 1, t. 3, n. 184.

Relationem tandem peritorum examinavit iuxta Scriptorum Medicinae forensis doctrinas; deduxitque imparem omnino esse ipsam peritiam ad certitudinem antecedentis impotentiae Comitis inducendam; atque hoc eo vel maxime quia ex illa exploratione haud obfirmatur Comitem esse impotentem ad carnalem commixtionem.

Hisce iterum adductis propositum fuit EE. VV. decernere, quomodo esset resolvendum infrascriptum dubium:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 23 martii 1878 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 136, p. 601-613, tom. 137, p. 118-124].

4240.

S. C. C., *Virodunen.*, 23 mart. 1878.

Virodunensi Episcopo innotuit Sacerdotem Dominicum Minard parochum amovibilem (vulgo *desservant*) loci Savonnières en Perthois, lapidum commercium exercendo, scandali suo populo esse, ac ob suum inquietum ingenium causam iurgiis persaepe dare, atque effecisse, ut quaedam soror pii instituti, Doctrinae Christianae, quae in paroecia puellarum instructioni atque educationi vacabat, dictum locum desereret. Quapropter Antistes die 13 martii 1874 Dominicum monuit ut a lapidum commercio cessaret, simulque diceret quanam praecise de causa praefata soror suam paroeciam reliquisset. Illico sacerdos coram suo Episcopo stetit, ut ab his accusationibus sese purgaret.

Sed parum profecisse videtur, namque paucos post menses ad ipsum pervenerunt litterae a Curia Episcopali datae die 7 iunii 1874, quibus eius translatio ad aliam minoris momenti paroeciam decernebatur. Obstitit parochus et interposita appellatione ab eiusmodi decreto ad Apostolicam Sedem, a Curia petiit epistolas quas *apostolos* vocant, ut rem totam deferret S. C. Concilii. Elapso termino in Curiae litteris statuto, ut priorem paroeciam desereret, nonobstante appellatione, per sententiam iudicis pacis ipsi iniunctum fuit parochialem domum relinquere, intra terminum viginti quatuor horarum. Tunc ad novam paroeciam loci Mussey perrexit.

Ex hoc loco litteras Curiae dedit, declarans sese subiicere Episcopi iudicio, ac petens tabulas nominationis ad novam regendam Ecclesiam. Vicarius Generalis respondit in votis esse Episcopi, ut ante nominationis susceptionem cum ipso colloqueretur et inde per dies quindecim spiritualibus vacaret exercitiis. Nimium dura sibi mandari reputans Dominicus, prius obedire recusavit; sed cum Vicarius Generalis iterum scripserit sese alium sacerdotem in novam paroeciam missurum, si intra decem dierum spatium Episcopi mandatis non obtemperaret, Curiam petiit, renunciationem antiquae paroeciae scripto emisit atque subsignavit, simulque omnibus Episcopi mandatis exequendis se paratum exhibit, veniam implorans ob scandalum ex sua ortum contumacia.

Post haec litteras nominationis accepit. Ast vix ad novam paroeciam pervenit, facti poenitens, coepit conqueri de damno sibi illato, tum quoad honorem, tum quoad interesse ob passam translationem. Hinc supplici libello oblato S. C. Concilii petiit restitutionem in antiquam paroeciam. S. Congregatio, habita Episcopi informatione, et cognito recurrentem sacerdotem pluries, ob sui malam agendi rationem ab aliis paroeciis translatum fuisse, ac etiam suspensione punitum; comperto ipsum nuncium misisse primae paroeciae, in qua lapidum negotium exercuerat; publicum functionarium, vulgo *Maire* iniuriis scripto affecisse ac suis iurgiis in causa fuisse ut supra memorata magistra paroeciam illam desereret, die 1 decembris 1874 rescripsit: *Lectum ad instantiam, idque notificetur Episcopo.*

Huius decreti rigore haud fractus Dominicus, institit coram S. Congregatione contendens, sese vi et metu coactum, priori paroeciae nuncium misisse et novam acceptasse; ac monumentis exhibitis, curavit ostendere se immunem ab iis criminibus, ob quae amotus fuerat.

Episcopus, cui haec patefacta sunt, retulit falsum esse renunciationem vi metuque extortam fuisse, ceu facile comperiebatur ex epistolis Dominici; causas vero remotionis plures haberi, inter quas sequentes recensebat – ibi – « Plura sunt quae in loco Savonnières nullius amplius existimationis virum esse sinebant, ea vero potissimum: 1. Nimii sumptus quibus prodibat in lautiorem mensam. 2. Aes alienum ingens, quo se obstringebat. 3. Quaestuosae negotiationes, quibus incumbebat indecorumque mercimonium. 4. Eae demum graves controversiae ac contentiones, quibus

perpetuo implicabatur cum publicis tum huius loci, tum etiam regionis seu prefecturae magistratibus et administratoribus ».

Habitis his, quaestio remissa fuit ad Metropolitanum decreto: *Attentis noviter deductis, Orator utatur iure suo coram Metropolitano.* Verum cum huiusmodi iudicium locum non habuisset, rogatus ut super expositis informationes transmitteret ac suam aperiret sententiam, Metropolitanus transmisit depositiones testium, ab ipso parocho iam adductas, atque suam sententiam aperuit pro coactionis exclusione. Tunc suetum decretum editum fuit: *Ponatur in folio.*

Dominici defensor duplicem dubii formulam proponendo, in duas partes orationem suam dividebat inquirendo in prima, an causae legitimae adessent remotionis, in altera an acceptatio novae paroeciae ex parte sui clientis impedimento esse potuisset quominus eius redintegrationi fieret locus.

Praemittebat causas legitimas esse necessarias etiam ad removendos eos parochos, qui *desservants* in Gallia vocantur, quamvis in officio ad Ordinarii beneplacitum perdurent. Nam cum in istiusmodi parochis instituendis recessum fuerit a canonicis sanctionibus quae parochum stabilem praeseferunt, omni studio curandum ut talis recessus in quantum fieri possit, minimus evadat; ac ea propter SS. Congregationes principium statuisse, ne absque ulla causa possent removeri. Iamvero in casu binas tantum afferri causas, nempe magistrae a paroecia discessum et commercium petrarum. Ambas vero falsas esse affirmabat.

Quoad primam causam afferebat litteras scriptas parocho tum a Superiore Sororum a Doctrina Christiana, tum ipsius nomine a Sorore adsistente, tum demum ab ipsa magistra quae a paroecia discesserat. Contendebat defensor constare ex prima, magistram fere triumphantem oppidum ingressam fuisse opere praesertim parochi; ex altera locum deseruisse quia *Maire* ei formalem nominationem recusabat, debitam mercedem ei non solvebat, et domus, quam *Maire* non restaurabat, insalubris erat; ex postrema palam fieri, non modo parochum causam non fuisse discessionis magistrae, sed eam beneficiis esse prosecutum, imo vero etiam ex aere suo illi mercedem in antecessum persolvisse.

Quo vero ad causam commercii petrarum, inquiebat non esse negotiationem, ubi causa lucri cessat: cap. 13, dist. 88: *quid est aliud negotium, nisi quae possint vilius comparari carius velle distrahere?* Dominicum vero non lucri faciendi causa cum quodam lapidicinarum magistro negocium habuisse, sed ut faveret cuidam parocho, qui pro suae ecclesiae restauratione exquirebat lapides melioris qualitatis. Ut haec luculentius ostenderet Orator proferebat litteras susceptoris operum; attestationem illius viri, qui in statione viae ferreae lapidum expeditioni praefuerat, ac tandem testimonium architecti, qui in huiusmodi petrarum negocio nullum compendium favore parochi reperiisse asserit.

Post haec quibusdam exhibitis attestationibus defensor curabat purgare suum clientem ex accusationibus, quod esset triplici iudiciali sententia damnatus; quod ob inconsideratos sumptus aere alieno premeretur; et tanquam tribunus excitaret parochianos in sui favorem; quam rem, si vera

esset, magnum argumentum praebere subdebat, optimae existimationis qua Dominicus in sua paroecia gaudebat.

Quapropter concludebat causas remotionis in casu minime adesse, ideoque parochum recurrentem haud recte remotum fuisse eo vel magis, quod in casu concurrebant causae malitiae, odii, infamiae, scandali, damni propter quas iuxta interpretes iuris a removendo parocho, etiam amovibili est abstinendum. Sustinebat adfuisse malitiam, quia ex supra expositis patebat nonnisi ex pravo animo delatum fuisse Episcopo, Dominicum in causa fuisse magistrae discessus et petrarum negotiationem exercuisse; odium, quia accusatorem quemdam putabat cuius scandala parochus graviter exprobraverat; infamiam, quia per remotionem laesa fama parochi solummodo restitutionis beneficio recuperari poterat; scandalum, quia graviores causae remotionis ab inimicis parochi evulgatae fuerunt; damnum quia ex antiqua paroecia fr. 1985 parocho quotannis redibant, dum ex nova nonnisi fr. 1110 percipiebat, ita ut singulis annis fr. 844 iacturam pateretur.

Hisce absolutis transit defensor ad secundam suae orationis partem, ac enititur ostendere, emissam renunciationem prioris parochiae et acceptationem novae, non obesse, quominus ad primam restitui possit, vel quia nullam vel quia factam animo appellationem prosequendi *in devolutivo.*

Ex eo quod Episcopus scriptam renunciationem a parocho amovibili exegit, deducebat defensor et ipsum scire et admittere, necessariam esse iustam causam pro remotione decernenda; cum vero causa haec in casu deficeret, argumentum haberi subdebat de coactione a parocho passa in renunciatione mittenda. Atqui renunciatio, ut vim habeat, sponte, libere et cum causa emitti debet; quae extrema cum in casu haud verificarentur, renunciationem Dominici aperta nullitate laborare deducebat.

Haec omnia probare satagebat ex antecedentibus renunciationem. Nam vix parochus petiit apostolos, Episcopus declaravit, eius iurisdictionem expiraturam die 1 insequentis iulii 1874, ac apostolos denegavit, nisi prius e domo parochiali supellectilia asportaret; praefixo ad hoc eidem termino viginti quatuor horarum per apparitores tribunalis civilis. Neque satis. Dominicus novam oblatam paroeciam acceptat: ast nominatio ei denegatur, nisi ad Ordinarium se conferat et per quindecim dies vacet spiritualibus exercitiis. Cum vero parere detrectet, ipsi praefinitur tempus decem dierum, quibus inutiliter elapsis, etiam secunda paroecia privatus fuisset. Hinc parocho duas tantum vias mansisse, vel voluntatem Episcopi omnino exequi, vel omnia perdere. Hisce pressus angustiis impositam renunciationem subscripsit. Ast quis credat, libere et sponte eam signatam fuisse?

Verum quae vi metuque fiunt, nullius sunt roboris: cap. *Ad audientiam, de his quae vi metusve,* etc. Ergo nulla omnino iudicari debet renunciatio in casu, eo vel magis quod periculum erat et bona et famam amittendi. Denique etiam ex defectu causae renunciationis nullitatem arguebat defensor.

Quapropter cum causae remotionis in casu minime adessent; cum renunciatio vi metuque facta fuerit ac sine causa, cumque ea quae opponuntur suo clienti, vel falsa vel nullius momenti essent, nihil obstare asserebat, quominus in sua antiqua paroecia restitueretur.

E contra Episcopi Defensor duplici ex capite defendenda suscepit ea omnia quae Episcopus gesserat. In primo totus in eo fuit, ut ostenderet parocho vel metum illatum non fuisse, vel iuste fuisse illatum, ac propterea emissam renunciationem omni ex parte in sua validitate subsistere. Animadvertebat in primis parochum novam paroeciam acceptasse per epistolam antequam ad Curiam sese conferret, quando nempe violentia et metus locum adhuc habere non poterant; insuper ex attestatione quatuor Sacerdotum, qui illi adfuerunt audientiae, erui dicebat nullam parocho factam fuisse violentiam ac sponte renunciationem emisisse. Haec vero confirmari a relatione Archiepiscopi, cui res iudicanda commissa fuerat. Neque opponi posse sustinebat, parochum adductum fuisse ad primam acceptationis litteram scribendam ex metu sine tecto remanendi, cum expulsionis sententiae executio immineret, ad aliam vero ex metu a Vicario Generali per litteras sibi incusso perdendi ambas paroecias; nam iuxta disciplinam vigentem in Gallia, ab eiusmodi vel remotionis vel translationis decretis poterat appellare, quamvis appellatio non suspensivum sed tantum devolutivum effectum obtineret. Quapropter praetensum metum vel omnino exulare dicebat, vel iuste incussum fuisse. Porro si parochus, prout debebat, Episcopi mandatis obtemperasset, et, appellatione pendente, ad novam paroeciam se transtulisset, neque expulsionis sententiae, neque periculo sine tecto et substentationis mediis manendi sese exposuisset. Igitur violentam expulsionem (ceterum a Syndico provocatam non ab Episcopo) e domo parochiali ac metum manendi sine mediis vivendo necessariis, suae imputaret temeritati ac pervicaciae, ob quas Episcopo parere obstinate renuebat, reparare detrectans scandala, quae praebuerat episcopalem auctoritatem contemnendo et mendacia pontificio legato iniuriosa proferendo. Hinc concludebat Orator, vel metum non adfuisse, vel fuisse iuste incussum, atque ideo in utroque casu, factam renunciationem, validam fuisse.

In secunda suae orationis parte, defensor demonstrandum suscepit, Episcopum suo iure usum fuisse decernendo translationem atque legitimas habuisse causas. Haec ut suaderet, recolebat post concordatum anni 1801 in Gallia duas parochorum species inductas fuisse, nempe parochos inamovibiles eligendos cum consensu Gubernii, a quo dotationem accipiunt, et parochos *vicarios*, *desservants* appellatos, minoribus paroeciis seu succursalibus praepositos, qui ab Episcopis libere eliguntur et removeri possunt.

Ex quibus deducebat Episcopum in casu usum fuisse suo iure Dominicum transferendo, quia Ecclesiarum succursalium rectores, ut ipse erat, considerari possunt, veluti Vicarii amovibiles ad beneplacitum Episcopi, qui penes se animarum curam habent, vel uti possessores beneficii manualis, atque in utroque casu pro generali regula constituendum esse videtur, Episcopos posse eos etiam sine causa removere.

Haec vero regula, quamvis ex consuetudine nonnullas limitationes pateretur, quatenus nempe remotio fieri non debeat ex odio, aut cum detrimento vel famae vel gravis iacturae rectoris: in casu tamen has limitationes cessare dicebat, cum Episcopus graves causas remotionis haberet.

Scilicet parochus iste, lautiori mensa, quam deceret eiusque vires sinerent, utendo, frequentes compotationes atque conversationes in domo parochiali habendo, scandalo erat fidelibus ac seipsum aere alieno gravabat; ideoque inidoneus reddebatur ad eum populum regendum. Ob mendacia insuper tristem sibi famam comparasse; ob iniuriosa verba contra superiorem et contra Apostolicae Sedis legatum prolata; ob iracundum ac turbulentum ingenium nec non imprudentem agendi rationem iurgiis et querimoniis causam dedisse, omnemque aestimationem et auctoritatem amisisse. Quae omnia huic parocho semper obiecta fuerunt, etiam cum ceteras rexerat paroecias, uti constare defensor sustinebat ex literis Episcopi, ex quibusdam testimoniis et ex epistola praesidis provinciae.

Aliam iustam translationis causam reperiebat in eo, quod parochus in quadam litera ad Episcopum scripta, quam antequam mitteret pluribus imprudenter manifestaverat, adulterii et falsae in scripto testificationis insimulasset virum municipio eius paroeciae praepositum; qua re vulgata periculum imminebat ut parochus crimine diffamationis ad tribunal raperetur ac utpote recidivus maiori poena plecteretur. Curandum itaque erat huic scandalo occurrere alio parochum transferendo, eo vel magis quod illa imputatio omni veritatis fundamento erat destituta.

Tertiam causam translationis reperiebat Orator in negotiatione praesertim lapidum, quam parochus palam exercebat. Ob hanc enim octies ad tribunal, quod de rebus ad mercaturam pertinentibus iudicat, non sine magno suae famae discrimine, traductus fuit. Recensebat insuper aes alienum a parocho contractum cum quodam iuvene et quadam mercatrice sacrorum ornamentorum, cum quibus non sine dolo et fraude parochum negocium confecisse apparebat.

Neque opponi posse urgebat nullitatem decreti translationis eo, quod nova paroecia sit inferioris conditionis et emolumenti; haec porro tunc tantum inquiri solere, cum Episcopus absque ulla causa ad translationem procedit, non vero cum tot et tam graves causae intercederent. Parochus igitur, etiamsi aliquid damni patiatur, sibi imputet, ex notissimo iuris principio, quod haud videtur damnum pati, qui propria culpa illud experitur. Eo vel magis quod parochus iste ob suam agendi rationem pluries causam translationis obtulerat.

Quibus disputatis concludebat, Dominicum libere renunciasse primae paroeciae et acceptasse secundam, quin vis aut metus intercederent; metum vero, si adfuit, iuste fuisse incussum; Episcopum demum plures et iustissimas habuisse causas decernendi translationem istius parochi.

Hisce ab utraque parte disputatis exorantur EE. VV. respondere ad dubium:

An sacerdos Minard relinquendus sit in possessione paroeciae loci Mussey; seu potius reintegrandus ad paroeciam loci Savonnières in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, imposita sacerdoti Minard retractatione omnium iniuriarum contra Episcopum prolatarum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 137, p. 131-152].

4241.

S. C. C., *Milevitana*, 15 iun. 1878.

Ad Statutorum tramites Sodales Confraternitatis B. M. V. a charitate in civitate Valletta, Dioecesis Melevitanae, die 16 iulii anni 1876 ut novorum officialium electionem peragerent, more solito, convenerunt. Quatuor vero ex congregatis voce activa atque passiva pro illa vice a Gubernatore privati fuerunt, eo quod non interfuissent processioni in die festivitatis B. M. V. titularis sodalitii, ferentibus Statutis ab Episcopo confirmatis die 9 iulii 1789, ut sodales a dicta supplicatione sine iusta causa abstinentes, per unius anni spatium voce activa atque passiva priventur. In tali rerum statu, facta electione, maiora numero suffragia retulit Franciscus Borg, ac Gubernator renunciatus fuit. Insuper quatuor Sodalitii Curatores electi fuerunt.

Id aegre ferentes quatuor confratres, qui utraque voce fuerant orbati, quibus et alter sodalis sese adiunxit, ad Curiam Episcopalem confugerunt ac Praesuli nonnullos abusus in dicto Sodalitio inductos aperuerunt, medelam iisdem expostulantes tum admittendo novos confratres sine scrutinio, tum infirmando factam officialium electionem, novosque sufficiendo.

His adductus Episcopus Gubernatori Sodalitii epistolium conscripsit, ut auditis confratribus referret super expositis, ac statuta transmitteret. Ex responsione plura detexisse scribebat Episcopus, quae haud leve dedecus illis afferebant, qui de iisdem accusabantur, ac proinde sui esse muneris duxit, destitutis nuper electis, novum Gubernatorem, novos officiales deputare, novosque confratres, sine scrutinio admittere, quod revera perfecit decreto diei 25 septembris 1876 sequentis tenoris: « Attentis querelis et praetensionibus hinc inde deductis, quarum nonnullae altiore indigent consideratione et serio examine, ne ulterius careat Congregatio officialibus pro fungendo munere Gubernatoris, Secretarii ac Procuratorum sibi inhaerentium, attentis circumstantiis omnibus in casu occurrentibus, absque ullo praeiudicio partium, eligimus et nominamus hoc interim cum omnibus iuribus et emolumentis cumque omnibus facultatibus opportunis et necessariis in Gubernatorem Confraternitatis D. Philippum Carmi Cecy..... in Procuratores D. Iosephum Farrugia Gay, et D. Antonium Caruana, perpetuo creantes ac constituentes eosdem DD. confratres ac consodales, ac si fuissent ordinario modo recepti ac conscripti ».

Officiales electi die 16 iulii hoc decreto perculsi ad S. Congregationem Concilii nomine Confraternitatis recursum habuerunt expostulantes, ut relatum Episcopi decretum irritum faceret.

Rogatus Episcopus super narratis, retulit confraternitatem gravi fidelium cum scandalo, more veluti haereditario regi et gubernari a parentibus et consanguineis Francisci Borg, qui secreto administrationem gerebant. Plura insuper narrabat, ex quibus apparebat familiam electi Gubernatoris a multis iam annis de Confraternitatis bonis ita disponere, ut haud parva compendia sibi suisque consanguineis compararet vel in locatione fundorum, vel in erogandis pecuniae summis, ac in pluribus aliis exercendis negotiis, quae facile administratores pravae conscientiae in suam utilitatem cum gravi causae piae detrimento convertere possunt. Concludebat Episcopus praefatum decretum adeo acceptum cessisse in sua civitate, ut gratulationes ab omni ordine civium sibi factae fuerint; quapropter reiiciendam esse oratorum instantiam, eo vel magis quod Episcopus approbando Statuta confraternitatis sibi suisque successoribus ius reservavit eadem moderandi, augendi, minuendi vel etiam abrogandi. Tandem observabat recurrentes mandatum appellandi ad S. Sedem ab Episcopi decreto non habuisse. Hisce habitis quaestio dirimenda remissa plenariis S. Congregationis comitiis, atque hinc inde electis defensoribus disputata fuit sub dubii formula in fine huius compendii proposita.

Qui confraternitatis nomine agebat, trifariam suam allegationem divisit. In prima vindicare conabatur legitimitatem electionis diei 16 iulii 1876. Observabat Orator indubii iuris esse electionem officialium libere ad confratres spectare, ac ut electio omnino libera et legitima dici possit requiri: 1. Ut intimatio praecedat. 2. Ut consodales de more coadunati electionem peragant per secreta suffragia. 3. Ut maioritas suffragiorum in electis concurrat, habito respectu tantum ad interessentes: maior enim pars universitatis, collegii, seu capituli constituitur per praesentes, nulla habita ratione absentium. Cum autem haec omnia adamussim servata fuerint in electione diei 16 iulii, de eius legitimitate minime posse dubitari concludebat.

Factam electionem insuper maiorem vim acquirere subdebat ex eo, quod Statutis et praxi Confraternitatis maxime consona fuerit. Statuta enim praescribunt, ut pro electione Gubernatoris, officiales in privato conventu coadunati tres eligant confratres, atque dein omnibus proponant, ut unus ex his tribus Gubernator seligatur. Hanc formam, anno 1788 inductam ac continuo adhibitam, etiam in electione 16 iulii servatam fuisse evincebat tum ex libris consultationum confraternitatis, tum ex testimonio deputati ecclesiastici, qui iureiurando testatus est *electionem officialium... legitime factam fuisse atque ad tramites regularum et Statutorum Confraternitatis*.

Hinc ad secundam suae defensionis partem transvolans orator contendebat decretum Episcopi diei 25 septembris 1876 nullum fuisse. Scilicet advertebat Tridentinum Concilium cap. 8 et 9, Sess. 22, *de ref.* Episcopis nullam aliam tribuere facultatem in Confraternitates, quam easdem visitandi exigendique singulis annis redditionem rationis de administratione bonorum; atque ideo Episcopum non posse neque sese ingerere in administrationem, neque impedire Confraternitates, quominus extraordinarias faciant expensas summam scutatorum viginti excedentes sine sua licentia, neque prohibere vel restringere earum exercitia, aut prohibere, ne congregentur ubi et quoties eis magis placuerit. Cum igitur, ex Concilio Tridentino et ex declarationibus Sacrarum Congregationum aperte dignoscatur, Episcopos super Confraternitates nihil aliud posse quam illas visitare atque redditionem rationis de bonorum administratione exigere, deducebat facul-

tatem ipsis non esse removendi electos, atque novos destinandi rectores, proindeque decretum diei 25 septembris nullum esse.

Neque obstare quod Episcopus, addebat defensor, possit vel per se, vel per suos delegatos assistere Sodalitii congregationibus, ac officialium electioni, nam non potest tamen contra Statuta vel consuetudines vel praxim novitates inducere: S. C. EE. RR. et in *Cosentina*, 24 iulii 1600;[1] electos autem rectores abrogare, alios creare, consodales absque confratrum suffragio inscribere, idem est ac novitates inducere contra Statuta et laudabiles confraternitatis consuetudines. Et si semper, multo magis in casu ab his Episcopus abstinere debebat, quia sodalitium per Breve Summi Pontificis Clementis VIII confirmatum a Paulo V erectum fuit.

Observabat insuper ex cap. *Concertationis, de appell.*, in VI, decem dierum spatium concedi a momento habitae notitiae ad appellationem interponendam, quibus inutiliter elapsis aditus appellandi minime pateat. Iamvero in casu quinque consodalium recursus interpositus fuit elapsis iam viginti diebus; unde ab Episcopo attendi nequibat. Imo etiam ex parte Episcopi in modo procedendi peccatum est, cum nullis praemissis monitionibus officiales electos deleverit, ac inconsulta congregatione confraternitatis, novos adiunxerit. Ex quibus clariorem luce meridiana scatere asserebat nullitatem decreti Episcopalis, prout S. C. Concilii resolutum fuit in una *Balneoregien. Elect. Alum.*, 16 sept. 1769, in qua proposito secundo dubio: *An sint reintegrandi confratres ultimo loco deleti ab Episcopo et respective delendi novi confratres ab Episcopo electi*, responsum fuit: *Affirmative.* [2]

Ulterius progrediens propugnabat Defensor officiales sodalitii sine gravi causa ab Episcopo removeri non posse, ob grave damnum in famam et honorem destituti obveniens; in casu vero absque ulla causa decretum episcopale latum fuisse. Et revera iusta causa esse non potuit, quod aliqui voce activa et passiva privati sint, nam haec poena decreta reperitur a sodalitii Statutis ab Episcopo solemniter confirmatis. Neque opponi posse nullitatem electionis, tum quia nonnulli inter sodales affines essent Gubernatoris, tum quia asserebatur eumdem tricas instituisse, ut in Gubernatorem iterum eligeretur; nam quoad primum explorati iuris esse, fratres etiam germanos posse suffragium ferre, imo et filium pro patre, et hunc pro filio, in iis enim quae iuris publici sunt, non attenditur neque patria neque sanguinis coniunctio, cum praesumatur, quemque moveri potius bono universitatis quam sanguinis affectione; quibus consona sodalitii Statuta dicebat *omnibus consodalibus professis in congregationibus activam vocem concedentia.*

Quoad tricas vero exercitas per Gubernatorem eas omnino falsas esse sustinebat, tum ex testimonio deputati ecclesiastici, qui asserebat electionem peractam fuisse servatis regulis et Statutis confraternitatis; tum ex ephemeridibus catholicis, quae una voce accusationes in Gubernatorem latas

[1] Cf. N. 1585.
[2] Cf. N. 3766.

refellebant: tum demum ex testimonio honestissimorum virorum, ex laico et ecclesiastico coetu, qui de religione et spectata probitate officialium publicam fidem facere minime dubitarunt.

Ex quibus omnibus cum apertum esset, Episcopum potestatem minime habere removendi electos officiales, atque in casu pateret, nullas causas huius remotionis existere, concludebat decretum diei 25 septembris 1876 nulla posse stabilitate subsistere.

Post haec ad tertium suae orationis caput gradum faciebat orator; omnique vi adnitebatur refellere tamquam calumnias, quae electo praesertim Gubernatori malefacta tribuebantur. Scilicet testimoniis undique collatis falsam esse evincebat accusationem eam, qua insimulabatur aliquod obiectum sibi addixisse ex domo cuiusdam legati. Falsum pariter esse quasdam terras et officinas favore conductorum tanti minoris locavisse: si enim a novis procuratoribus pluris locatae fuerant, hoc ideo evenerat quia onus manutenendi muros et officinas hodie spectat ad sodalitium, dum antea conductoribus impositum erat una cum obligatione plura melioramenta perficiendi: praeterea novi portus constructione, prope quem officinae extant, earum pretium auctum fuisse dicebat.

Ex disputatis satis superque apparere dicebat legitimitatem et libertatem electionis; defectum potestatis in Episcopo, ac defectum causarum destituendi electos officiales, de quorum honestate dubitare haud licebat: hinc et sustinendam electionem et decretum Episcopi infirmandum esse concludebat.

Defensor consodalium recurrentium praemittebat, decretum Episcopi a quo appellatum est, esse *interloquutorium* scilicet ortum ex duabus instantiis actu pendentibus coram Curia Episcopali, una propria, altera adversariorum. Cum enim Franciscus Borg, cum aliis electis petiisset confirmationem electionis, sodales exclusi a voto activo et passivo obstiterunt apposito libello, urgentes 1. Admissionem novorum consodalium absque scrutinio. 2. Nullitatem electionis diei 16 iulii. 3. Deputationem novorum officialium pro integro biennio 1877-1878; ut ita et malae Sodalitii administrationi remedium afferretur et vitia praefatae electionis detegerentur. Atque Episcopus delata Curiae cognitione rei, suo decreto novum deputavit Gubernatorem novosque officiales, qui provisorie confraternitatis curam gererent.

Hisce accedere, subdebat Orator, Episcopum nunquam confirmasse electionem diei 16 iulii: ideoque electos dici non potuisse veros officiales confraternitatis ex iure communi atque Statutis, neque ipsos queri posse de ullo iure sibi adempto. Minus autem dedecoris esse provisorie excludi, quam post adeptam possessionem, causa cognita omnino destitui. Neque ullam infamiae notam dimissis irrogari, quia Episcopus declaravit in suo decreto, sese hanc deliberationem secutum fuisse *attentis querelis et praetensionibus hinc inde deductis, quarum nonnullae altiore indigent consideratione.* Ideoque Episcopus appellantes minime deposuit, quasi reos alicuius criminis; sed aliquot officiales creavit, ne pendente rei cognitione, administratio capite et directione deficeret. Quod usque ad evidentiam patere aiebat ex tenore decreti, in quo asserebatur novi officiales deputari *interim et*

pro modo, ne ulterius Congregatio officialibus careret; attentis circumstantiis omnibus, absque ullo praeiudicio partium.

Iustitiam vero appellati decreti crescere si spectentur principia iuris communis, ex quo ut aliquid *definitivum* dici possit, ferre debet vel absolutionem vel condemnationem super quaestione a litigantibus proposita l. 1 ff., *de re iud.* ideoque decretum, de quo fit quaestio, omnino *interlocutorium* dicendum, cum latum fuerit super duabus instantiis adhuc indecisis, circa confirmationem electionis et restaurationem confraternitatis, remotis interim officialibus electis; ideoque ab eo minime appellari potuisse, quia *interlocutorium* iure Tridentini, Sess. 24, cap. 20, *de ref.*, appellari nequit, nisi habeat vim sententiae definitivae, vel gravamen inferat, quod per appellationem a definitiva reparari non possit.

Iamvero praefatum decretum, vim non habere sententiae definitivae sustinebat defensor, ex eo quod interposita appellatione ab incidenti, in Curia Episcopali suspensum fuerat iudicium quoad meritum quaestionis; a quo iudicio, quando prolatum erit, nemo prohibet consodales electos appellare. Multoque minus decretum illud inferre gravamen in definitiva sententia non reparabile, nam iam supra demonstratum esse dicebat, nominationem officialium ex parte Episcopi, eodem tempore, quo utilitati prospicit sodalitii, nullum praeiudicium dimissis officialibus afferre.

Ceterum cum nullo modo possit dubitari decretum esse nedum *interlocutorium*, sed in specie *provisionale*, ceu a tenore eiusdem apertissime patet; cumque ab interlocutoriis et provisionalibus appellatio minime detur: De Luca, *de iudiciis*, Disc. 37, n. 6; concipi mente non posse subdebat, quomodo illius revocatio expetita fuerit, quae locum tantum habet, quoties sententia primi gradus ad trutinam iterum revocetur. Hinc instantiae appellantium forsitan respondendum esse concludebat *non esse locum appellationi*, quae quando non competit appellatio, decerni oportet a tribunali ex officio, quin sententia primi gradus confirmetur; sed in S. Congregatione, quae est tribunal Principis, indifferens est forma pronunciationis, dummodo intimae iustitiae respondeat.

Orator praeterea confirmationem decreti suadere conabatur eo quod Episcopi ex dispositione cap. 7, *de off. Ord.*, in VI, gaudeant iurisdictione super omnibus locis piis Dioeceseos et in electione officialium, quos habent ius approbandi, quique sine Episcopi approbatione exercitium administrationis suscipere minime valent. Qui vero confirmare, inquirere etiam debet, ut recte confirmet, nam confirmatio non est actus necessarius, sed dependens a validitate comitiorum et ab elegibilitate personarum; et si Episcopus inter hanc inquisitionem, nulli tempori alligatam, administrationem retardari videat vel aliquo modo corrumpi, aliqua cautione uti poterit atque debebit, etiam in personis rectorum atque officialium, quae cautio uti pars necessaria tutelae sibi in confirmatione commissae est censenda. Insuper in casu Statuta hanc auctoritatem specialiter concedere Episcopo; hic enim anno 1716 probando Statuta confraternitatis sibi suisque successoribus reservavit facultatem eadem *moderandi, corrigendi, minuendi, augendi, ac in totum abrogandi*, quae omnia multo maiorem important auctoritatem ea, qua Episcopus usus est removendo provisorie officiales electos die 16 iulii 1876.

Quibus disputatis plura singillatim recensebat orator, ut ostenderet electionem destitutam extrinsecis illis solemnitatibus, quae ut valida et legitima habeatur, sunt necessariae. Asserebat enim plurimos dolos et tractatus contra libertatem electionis habitos fuisse: quatuor sodales iniuste exclusos voce activa et passiva sub fuco cuiusdam decreti Ordinarii 9 iulii 1789 a pluribus annis obsoleti et confratribus ignoti: unde qui die festo B. M. V. Charitatis processioni non assisteret, absque causa a Gubernatore recognita, vocem amittebat. Recensebat insuper abusus, arbitria, negligentiam, perditam administrationem electorum officialium iam praecedenti biennio expertam, quaeque promptum remedium ab Episcopo expostulabat.

Quae omnia ut cognoscerentur ab Curia Episcopali congruum tempus fuisse necessarium, ideoque ad recursum seu protestationes confratrum, latum fuit provisorium decretum, a quo appellari minime poterat. Hinc manere adhuc integrum causae meritum super instauratione confraternitatis et definitiva subrogatione novorum officialium penes Curiam. Iudices enim appellationis in incidenti, pronuntiare vetantur super principe causae merito, nisi etiam ab hoc appellatum sit et causa in merito decidi possit absque aliis probationibus.

Quod si per hypothesim concedi vellet S. Congregationem super causa in merito una cum incidenti posse iudicare, illud tamen certum esse dicebat, decretum revocare non posse, quia natura sua erat inappellabile, causam vero non esse in statu expeditionis, cum multis probationibus adhuc deficeret.

Tribunal vero appellationis non cogi, sed posse diiudicare meritum; qua facultate iudices appellationis fere numquam utuntur, et S. Congregationem in casu uti non posse, quia semper pendet apud Curiam altera pars antiquae petitionis super reformationem Confraternitatis ad S. Ordinem nunquam delata.

Haec est summa eorum quae disputata fuerunt a defensoribus, super quaestione, de communi consensu his verbis concepta: *An constet de legitima electione Rectorum Confraternitatis in coetu diei 16 iulii 1876, ita ut sit confirmandum vel infirmandum decretum Archiepiscopale 25 septembris 1876 in casu?* Ast S. Ordo huiusmodi formulam reformandam putavit et sequens proposuit dubium:

An decretum Episcopale diei 25 septembris 1876 sit confirmandum vel infirmandum in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Decretum Episcopale infirmandum esse in ea tantum parte, qua novi confratres perpetuo constituuntur.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 137, p. 301-323].

4242.

S. C. C., *Spalaten.*, 24 aug. 1878.

Dilata fuit resolutio huius causae die 21 aprilis 1877.[1] Habitis vero iam omnibus necessariis informationibus, hodie eadem dubia resolvenda proponuntur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad mentem.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 137, p. 505-516].

4243.

S. C. C., *Nanceyen.-Tullen. et Nemausien.*, 14 sept. 1878.

Episcopus Nanceyen. in Gallia, exposuit ab anno 1842 institutam fuisse in sua Dioecesi Sacerdotum Congregationem S. Iosephi, indulgentia a S. Sede ditatam, cuius sodales semel, pro unoquoque sacerdote confratre defuncto, Missam celebrare debent. Sacerdotes, quibus binare concessum est diebus Dominicis et festis, secundam litarunt Missam pro defunctis confratribus, arbitrantes id se facere posse tuta conscientia. Attamen cum dubium exortum fuerit circa eiusmodi agendi modum, Ordinarius quaesivit:

An Missa binationis offerri possit, ut in casu, pro defunctis Confratribus?

Ex constitutione Bened. XIV, *Cum semper oblatas*,[2] et ex constanti disciplina S. C. Concilii clare patet vetitum esse Parocho aut alii Sacerdoti Missam iteranti, quominus pro secundae Missae applicatione eleemosynam percipiat. Huius constantis decisionis ratio in hoc posita est, ut quodlibet mercimonium a rebus sacris removeatur; et ideo nedum directa eleemosynae perceptio pro secundae Missae applicatione, sed etiam quivis praetextus percipiendi eleemosynam, et quaecumque indirecta eiusdem eleemosynae perceptio est arcenda.

Quibus positis, videtur sacerdotem applicare non posse secundam Missam pro confratribus defunctis: quia si non directe, saltem indirecte videtur eleemosynam percipere, dum applicans Missam pro confratre sacerdote, satisfacit obligationi, cui si per se non satisfaceret vel alii stipendium rependere deberet, ut Missam illam celebraret, ad quam ipse ex obligatione tenetur dando suum nomen praedicto sodalitio, vel saltem eleemosynam Missae amittere deberet. Quare secundam Missam applicando saltem rebus suis parceret, et ita indirecte eleemosynam reciperet.

Ex altera vero parte perpendendum est quod secundam Missam appli-

[1] Cf. N. 4238.
[2] Cf. N. 345.

cando pro confratribus defunctis, Sacerdos eleemosynam nec directe, nec indirecte percipit. Non directe, quia in facto nihil recepit; non indirecte, nam ad ipsam applicandam adstringitur non iustitiae, sed charitatis vinculo. Unde cum nulla lex prohibitiva reperiatur, quae secundam Missam applicare prohibeat pro sua devotione, vel pro suis defunctis aut animabus in Purgatorio degentibus, nihil vetare videtur quominus pro suffraganda confratris defuncti anima secundum applicet sacrificium. Notum enim in iure est, quod illud censetur permissum, quod non est a iure prohibitum.

Hisce praeiactis, prudentiae Eñorum Cardinalium remissum fuit perpendere, quonam responso dimittendum fuisset propositum dubium.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Licere.

[Liber 221 Decretorum, p. 1589].

4244.

S. C. C., 20 sept. 1878.

Episcopus C. supplici oblato libello die 11 sept. 1877 huic S. C. C. exposuit: Anno 1872 Constitutionem disciplinarem edidi pro universo Clero Civitatis et Dioeceseos, in qua inter alia quae utilia et necessaria mihi videbantur, hoc quoque praescribendum censui: Optime norunt omnes quantae sint utilitatis, imo necessitatis ad vitam spiritualem et ecclesiasticam disciplinam servandam et fovendam *Exercitia spiritualia*, quibus Sacerdotes pietatis studiosiores singulis annis interesse solent. Volumus igitur, ut omnes et singuli Sacerdotes spatio quatuor annorum, saltem semel, hisce exercitiis, quae haberi solent domi ad id electae intersint. Eo vel maxime putabam me hoc iure pollere, cum Sacerdotes omnes absque ulla exceptione, hisce exercitiis spiritualibus, quae a Patribus Societatis Iesu constanter diriguntur, absque ulla omnino expensa intersint, quandoquidem pia illa domus tam amplo patrimonio ex antecessorum Episcoporum munificentia gaudeat, ut quotannis, detractis expensis omnibus pro sex vicibus exercitiorum, circiter mille et quingentae libellae italicae supersint, quae iuxta mentem fundatorum in bonum Seminarii convertuntur. Deo favente omnes Sacerdotes, uno dumtaxat excepto, quatuor annorum spatio hisce exercitiis interfuerunt. Nunc vero quidam Sacerdotes scientia et pietate praediti quaestionem proposuerunt, utrum Episcopus auctoritate polleat supradictam praescriptionem statuendi, et quidam dubitant, quidam vero etiam negant, licet et ipsi obtemperaverint... Quare in re tam gravi ad quamcumque dubitationem e medio tollendam, necessarium esse duxi hanc S. C. consulere, hisce propositis duobus quaesitis:

1. *Potestne Episcopus, auctoritate sua ordinaria, supradictam praescriptionem universo clero suae Dioeceseos imponere quatuor annorum spatio adimplendam, cum Sacerdotes omnes et singuli nulli omnino expensae subiiciantur?*

2. *Posita responsione affirmante: potestne Episcopus Sacerdotes eos, qui*

absque legitima causa exercitationibus spiritualibus, de quibus supra, interesse detrectant, aliqua modica poena mulctare?

De primo itaque dubio loquens videretur quod Episcopus edere non possit istiusmodi praescriptionem. Sane Episcopus debet quidem advigilare super clero, ut hic rectam vitae rationem ducat, sed non videtur posse ipsi per leges imponere ea, quae ad spiritualem perfectionem pertinent. Unde fit, quod ex encyclicis literis S. C., de quibus inferius loquemur, eruitur tantum quod hortandi et minime per leges sunt cogendi Sacerdotes ad spiritualia exercitia peragenda. Insuper facta semel Episcopis potestate huiusmodi leges ferendi, illud exurgeret inconveniens quod minus ferventes qui honestam vitae rationem servant, occasionem haberent taedii, murmurationis, contemptus, et sic plus detrimenti quam utilitatis his legibus obtineretur.

Ad secundum dubium quod spectat, admissa etiam in Episcopo facultate has leges ferendi, numquam videretur Episcopus mulctare posse poenis eos qui renuerent interesse spiritualibus exercitiis. Revera exercitia haec praecipiuntur ad bonum spirituale clericorum procurandum, si vero praecipiantur sub poena, ea fiunt opus spirituale coactum; sed experientia constat, opera spiritualia coacta nullam utilitatem afferre. Si enim quis ea peragit sine interna animi dispositione vel cum contraria voluntate, incipit fastidire opera illa, ea spernere, ac nullum exinde profectum consequitur.

Praeterea poenae irrogari possunt ab ecclesiastica auctoritate iis, qui crimen alicuius momenti admittunt, sed omittere aliqua saltem vice exercitia spiritualia, quae nec constituunt opus necessarium ad salutem aeternam, nec per se aliud esse possunt nisi opus de consilio, non deprehenditur profecto tale peccatum, quod debeat aliqua poena coerceri.

Altera vero ex parte animadvertendum est quod Episcopus in sua Dioecesi potest condere statuta vel leges ecclesiasticas, quas opportunas duxerit ad rectum animarum regimen et bonum, quibus Presbyteri etiam inviti ac reluctantes obtemperare tenentur: Bened. XIV, *de Syn. Dioec.*, lib. 13, cap. 1, n. 3, dummodo haec non adversentur iuri communi: cap. *Institutionis*, 7, cap. 25, qu. 2, et cap. *Quod super his*, 9, *de maiorit. et obedient.* Iamvero statutum, de quo sermo, nedum adversatur iuri communi, quinimo huic est maxime conforme. Legitur enim in epistolis encyclicis ad universos Italiae Ordinarios a sacra hac Congregatione datis iussu Summi Pontificis die 1 februarii 1710, relatis a *Ferraris*, *v. Exercitia* – ibi – « Cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam maxime conducere, ut ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent... Sanctitas Sua exoptans, ut pium hoc et saluberrimum exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur ac vigeat, universos... Episcopos Italiae.... enixe admonet ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque Dioecesi, quo maiori poterunt conatu et studio, promovere satagant et (Sacerdotes) excitent ad eadem exercitia, saltem semel in anno peragenda, in domibus religiosorum Societatis Iesu seu Presbyterorum Cong. Missionis... » Cum igitur Episcopus leges condere possit, cumque lex ista maxime congruat bono animarum et Summi Principis placito, videretur quod affirmativo responso primum dubium dimittendum esset; eo vel magis quia pro exercitiis spiritualibus peragendis, nulla expensa a clero sustinenda esset.

Nec secus dicendum de secundo proposito dubio. Quandoquidem dubitari nequit, quod Episcopus valet suas leges poenis communire. Lex enim ex communi doctorum sententia, necessario nexum habet cum sanctione legi apposita, cum lex, quae omni penitus sanctione caret, inutilis et inefficax generatim reddatur.

His praeiactis, remissum fuit EE. PP. sapientiae ac prudentiae decernere quid in themate esset respondendum.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, praevia tamen paterna admonitione.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1501. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XII, p. 609-612].

4245.

S. C. C., *Hipporegien.*, 23 aug., 20 sept. 1879.

Parochialis Ecclesia loci *Scarmagno*, Dioecesis Hipporegiensis, duos inter suos fines complectitur pagos, Scarmagni Communitatem efformantes, ferme aeque inter se ac a parochiali Ecclesia distantes, quorum alteri 223 capitibus frequenti nomen *Bessolo*, alteri *Masero* 140 habitatoribus constanti inditum est. In horum primo extat satis ampla sacrisque supellectilibus provisa Ecclesia S. Ioanni dicata, in qua fundatum est beneficium, pluribus stabilibus conflatum, de iurepatronatus nobilis familiae Perrone Saladino. Labente anno 1878 plures incolae Bessoli et Maseri adiverunt Antistitem enixe flagitantes ut Ecclesia S. Ioannis Baptistae in novam erigeretur Paroeciam, idque propter distantiam utriusque loci a Parochiali Ecclesia S. Michaelis loci Scarmagni, viarumque asperitatem hiberno praesertim tempore.

Ut autem Parochi congruae alimoniae prospici posset, nobilis comes Perrone Saladino ultro suum praebuit assensum, ut beneficium de suo iurepatronatus in memorata Ecclesia existens, ad parochiale evehi posset. Neque ad hoc deesset ipsius Gubernii assensus, quod, dum exquirit pro Parocho congruam in annuis libellis 800, instat ut bona praefati beneficii convertantur in schedulis vulgo *Cartelle di Consolidato*. Pia mulier ad ostendendum, dotem beneficii summam libellarum 800 constituere, prompta esset; beneficii coemere fundos, excepta domo urbana et rustica una cum adnexo viridario, quae Parocho remanerent, atque pro iis syngrapham traderet Consolidatus annui fructus libellarum 800, a taxa quam dicunt *di ricchezza mobile*, prorsus immunis. Cui propositioni nedum consensit patronus, sed et ipsum Gubernium, atque actualis beneficii rector, quem et zelo salutis animarum et doctrinae merito plurimum commendat Antistes. Imo praefata mulier, ut animarum saluti, novae paroeciae erectione quam-

primum prospici posset, oraliter spopondit expensas omnes tam pro erectione, quam pro bonorum cessione soluturam esse, atque congruam ad annuas mille et centum libellas augere, dummodo tesserarum consolidatus valor non excresceret.

Antistes de more rogatus, utilitatem et necessitatem huius dismembrationis evincit, et orat ut iuspatronatus beneficii in novam paroeciam erigendi maneat uti nunc sese habet.

Neminem latet quantopere ss. canones a beneficiorum maxime parochialium dismembratione abhorreant, utpote quae alienationis speciem praesefert, atque ideo odiosissima in iure reputatur. Nullatenus igitur ad hoc dismembrationis remedium deveniri debet, quoties exulat canonica causa, quae in actis per legitimas probationes constare debet, ita ut sola Episcopi assertio non sufficiat. Causae autem canonicae, pro dismembratione Paroeciarum decernenda, in necessitate vel evidenti Ecclesiae utilitate consistunt, veluti fluit ex Tridentini dispositione in Sess. 21, cap. 4, *de ref.*

Sed in themate neutra verificari videtur. Abest sane necessitas sive a magna distantia, sive a viarum emanans asperitate. Locus namque *Bessolo* aeque ac alter *Masero*, vix uno distat lapide a Parochiali Ecclesia. Talem vero distantiam satis non esse ad inducendam novae parochiae necessitatem, docet Fagnanus in cap. *Ad audientiam*, num. 23, centiesque retinuit S. C. C. Neque secus dicendum de viarum asperitate: quandoquidem via, quae ad parochialem ducit Ecclesiam omnibus numeris absoluta manet pro facili ad eamdem accessu. Ipsa enim non difficilis, non ardua vel torrente aut flumine interiecta extat ita, ut nec Parochianos impediat, hyemali praesertim tempore, Ecclesiam petere sine evidentissimo vitae discrimine, nec Parochum illuc contendere pro Sacramentorum administratione occasione infirmitatis, quod alteram necessitatis peragendae dismembrationis causam suppeditaret, ex Tridentino, Sess. 21, cap. 4, *de ref.;* S. Congr. in *Ianuen.*, 16 ianuarii 1694, [1] *Puteolana Erectionis Paroeciae*, 18 ianuarii 1701, Lib. 51 Decret., pag. 340.

Parochus hucusque dicta confirmat. Quare unica ratio dismembrationis ad solam utilitatem reduceretur, quae praecisa evidens atque absoluta esse deberet iuxta cap. 1, *de rebus Ecclesiast. non alienandis*. Ast, si unam excipias in casu viciniorem Parochi praesentiam, nulla alia utilitas Oratoribus incolis obvenire potest. Nunc temporis enim nihil ipsis in spiritualibus deest, nusquam queruntur aliquem absque sacramentis decessisse. In loco *Bessolo* adest Ecclesia cum beneficiato, qui Missam celebrat diebus festis, atque fidelium Confessiones audit. In altero *Masero* pariter beneficiatus residet, qui ex fundatione tenetur et Missam in Sacello D. Eusebio dicato, diebus festis celebrare et catechesim pueris tradere.

Verumtamen dato, at numquam concesso, quod sit in casu deveniendum ad dismembrationem, tamen numquam permitti posse videtur, ut locus *Masero* seiunctus ab Ecclesia matre, uniatur novae erigendae Paroeciae.

[1] Cf. N. 2941.

Quod et ius, et congruentiae ratio suadet. Ius quidem, monendo dismembrationem odiosissimam esse, exigit ut minus quam fieri potest dismembrandae Ecclesiae praeiudicium afferatur. Congruentia vero, quia ipsa non patitur ut incolae *Masero* Bessolum petant pro explendis religiosis actis, et dein Scarmagnum contendant pro actorum civilium implemento. Hinc est quod ipsi hac de re queruntur habitatores, suasque preces tum Ordinario, tum civili Gubernio obtulere, ne a Paroecia Scarmagni separentur.

Sed contra perpendendum occurrit, quod in iure quanta esse debeat conciliaris distantia pro dismembratione peragenda, definitum adhuc non est. Graviter subinde erraret qui, nisus quibusdam S. Congregationis declarationibus, vel Rotae decisionibus, vel quorumdam doctorum sententiis, in sola litera procederet pro nova Paroeciae erectione statuenda vel deneganda. Cum enim quaestio haec nudi facti sit, ex individuis circumstantiis singulorumque casuum particulari qualitate, decidenda est. Notum namque est, sanctam matrem Ecclesiam optime tenentem salutem animarum pro suprema lege, Parochumque populo, non populum Parocho dari, disciplinares suas ordinationes ad varias etiam temporum vices attemperasse. Unde fit, quod etiam pro maiori populi commoditate dismembrationes concessit.

Hisce in iure praemissis, in facto considerari debet, quod praefati vici uno milliario cum dimidio a propria Paroecia distant, et via quae ad ipsam ducit, collis radices lambit ita ut, eveniente nivium dissolutione, aut imbre furente, sit prorsus difficilis. Qua posita distantiae ratione, viarumque asperitate hiberni praesertim tempore, neminem latere potest, iustam necessitatis causam peragendae dismembrationis reperiri. Quandoquidem, ut quis posset suum convenire Pastorem, inter gelidas nives, vel sub ardenti canicula solis eundo et redeundo tria passum millia percurrere deberet, quod fortem fastidiret virum, ac difficile pericolosumque esset pueris, debilibus, foeminis, et senibus, qui numquam pastoris vocem audirent. Quare et ipse praedefunctus Antistes exponebat: evidentem esse utilitatem et necessitatem petitae erectionis in Paroeciam.

Praeteriri ulterius non debet, quod nova erecta paroecia, nonnulla stabilia beneficii S. Ioannis intacta remanerent: adnexa nempe domus cum viridario, quae tractu temporis et ipsa in perditionem abirent. Imo et caetera beneficii bona servarentur. Recognita enim a Gubernio nova Paroecia, etiam congrua pro Parocho sufficiens sarta tectaque maneret, quae ex liberalitate dictae mulieris constitueretur in annuis libellis 800, et mille, si tesserarum Consolidatus valor non excrescat. Verum est quod ipsa pro hoc annuo reditu omnia ferme beneficii stabilia acquireret, sed dum ex una parte venditio vitari non potest, id exquirente Gubernio, ex alia Ecclesiae utilis est, dum neque ad hoc patronus, neque beneficiatus, neque Episcopus obstaculum ponat, imo tam hic, quam ipsius praedecessor, enunciando hanc mulierem tamquam insignem benefactricem, ostendunt venditionem maxime utilem esse, et stante evidenti utilitate Ecclesiae bona ad ipsam spectantia alienari possunt.

Minusque officere videtur quod refert Parochus, novae paroeciae haud locum *Masero* adiudicandum esse; nam incolae illius loci percupiunt novae adiungi paroeciae, et cum incolis *Bessolo* ad hoc enixe contenderunt. Incolis siquidem e Masero commodior est locus Bessolo, tam pro rebus civilibus quam pro rebus religiosis; quod ex factis quotidie evenientibus confirmatur.

Hisce expositis, videant EE. PP., quonam responso sequens dimittendum sit dubium:

An, et quomodo sit locus dismembrationi veteris et erectioni novae Paroeciae in casu?

Die 23 augusti 1879 Sacra, etc. respondit: Dilata ad proximam.

Die 20 septembris 1879 Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus. [Thesaurus Resolutionum, tom. 138, p. 416-426, 507].

4246.

S. C. C., *Caietana*, 24 apr. 1880.

Denuntiationem receperat in scriptis Archiepiscopus Caietanus mense octobris anni 1878, qua Aloysius Perez, Parochus oppidi Montis Sancti Blasii triplicis criminis accusabatur, nempe sortilegii sodomiae et fraudis. Accusationes documentis, idest epistolis propria accusati manuscriptis, instrumentis publicis, ac testibus sustinebantur. De fraudibus in totius populi sibi commissi damnum recidentibus, nec non de sortilegiis probationes aderant: de sodomia non ita; sed graves suspiciones non deerant. Cumque accusatores uno ore minitarentur, se coram saecularibus iudicibus rem propositūros, Archiepiscopus, ut iras contineret documentaque servaret, opportunum duxit regularis processus confectionem indicere, ad rem delegatis Canonicis Cathedralis Archipresbytero, Poenitentiario et Theologo, cum facultatibus necessariis et opportunis.

Iam eo deventum erat ut tria criminum capita ex processu in patulo essent, cum delegati iudices consilio cum Archiepiscopo inito Aloysium alloquuti sunt, eidem ostendentes: ipsum gravissimis poenis canonicis iri mulctatum, si processus ad exitum perduceretur: et suadentes opportunius suo decori provisurum, si paroeciae nuncium mitteret.

Placuit consilium parocho, et ipsemet die 21 ianuarii 1879 de mane scriptam renuntiationem in Ordinarii manibus tradidit ita conceptam: « Attenta mea gravi aetate, probe noscens me esse Ionam cuius causa procella fremit, eam sedaturus in mare me deiicio et hoc actu nuncium mitto Archipresbyterali paroeciae Montis S. Blasii Ecclesiae charitati confisus, ne obliviscatur privationum ac expensarum quae in eiusdem Paroeciae bonum a me latae sunt, veniamque peto ab Ecclesiastica auctoritate, si culpa in me est, ut poenas mitiget sponte comparentis, etc. »

Renuntiationem huiusmodi illico accepto habuit Ordinarius: *mandans, ut praedictus Dominus Aloysius Perez in spiritualibus et temporalibus Ecclesiam ipsam administrare pergat, usquedum per Nos huic de idoneo Oeconomo provideatur.*

Hanc ipsam resignationem ac renuntiationem confirmavit die insequenti, qua die eam iterum scripsit in folio obsignato (vulgo *bollato*), in quo adscripta dies invenitur 10 februarii.

Post biduum, coram Archiepiscopo inopinatus comparuit, folii renuntiationis restitutionem enixe postulans: ast illius sermone iterum ac tertio convictione acquisita, unicam salutis tabulam emissam renuntiationem sibi superesse, ad Montis S. Blasii oppidum reversus est. Quo cum pervenisset, epistoliis ad revocationem renuntiationis redivit: et tandem die 5 februarii civilis apparitoris opera adhibita, protestationis actum ad Archiepiscopum misit, quo declarabat: se retractare ac nullam habere renuntiationem in manibus Archiepiscopi sui emissam: ac velle in officio Archipresbyteri Parochi manuteneri.

Protestationes huiusmodi nihili fecit Ordinarius: et die 18 eiusdem mensis, literis ad hoc editis, Aloysii renuntiationem in vulgus edidit. Tunc nova protestatione emissa, Aloysius ad S. C. provocavit, inquiens nonnisi sub coactionis pressura se renuntiationem emisisse. Precibus pro informatione ad Archiepiscopum ablegatis, hic processus suspensionem indixit. Accepta vero informatione S. C. die 5 aprilis 1879 rescripsit: *afferantur a recurrente probationes assertae coactionis.*

Loco probationum, novam edidit instantiam actor, qua nullas alias se probationes afferre posse asserebat, quam testium, quos indicabat, depositiones; et S. C. die 28 iunii 1879 testium examen in Archiepiscopali Curia, explendum indixit. Testium examine ad exitum perducto, causa Eñorum Patrum iudicio proposita est.

Compertissimum in iure est (ita Aloysius), renuntiationem cuiuslibet beneficii non libere ac sponte, sed metu emissam, nullius roboris esse nullumque parere effectum: cap. *Ad aures, de renunciat.*, cap. *Abbas*, et cap. *Ad audientiam, de his quae vi metusve causa fiunt*, cap. *Sciant*, 12, *de elect.*, in 6, Clement. *Multorum, de poenis.* Atqui in facto consistere Aloysii renuntiationem, non libere ac sponte, sed metu editam fuisse. Ergo nullius esse roboris.

Sane in casu parochum haberi sexaginta annis natum, nervorum morbo laborantem, a suis adversariis, uti talibus Curiae notis, gravissimorum criminum accusatum, quae gravissimas secumferunt poenas, quem ipsi iudices hortati sunt ad nuncium paroeciae mittendum, ut maiora mala vitaret, quin serio librassent, accusatores et testes ex asperrimis parochi inimicis esse.

His accedere, quod ex testium examine eruitur, Aloysium, tamquam ad occisionem ductum, Curiam Caietanam adivisse, ut propositam renuntiationem subsignaret. Nec ipsum Archiepiscopum diffiteri in suis litteris informatoriis renuntiationem editam fuisse « sub impressione timoris cuiusdam non iniuste incussi, sed rationabiliter producti a maiorum malorum praevisione ».

Gravius est (prosequebatur allegatio), quod qui accusatorum caput atque

instigator existebat, scripto declaraverit se malignitate ductum in Parochum calumniis saevisse: quodque perturbatio in familiis excitata, modo opera ipsius Aloysii sedata dici possit.

Ad sortilegium quod attinet, nihil epistolas conficere. Nam illae quas magicus conscripsit, hunc demonstrant potius ad stellionatum exercendum, quam ad sortilegium operandum tendisse. Talibus autem nugis nunquam Aloysius fidem praestitisse: et si quandoque ad scribendum se praestitit, ad iocum et ut amicis gratum faceret egisse, quam ut magici adiutor esset, vel cum eo societatem iniret. Ergo etiam timore seposito, cum crimina quibus accusatio innitebatur in purum phantasma recidant, nullam aeque diiudicandam esse resignationem, quia sine causa.

Duo e contra demonstranda sumebat Archiepiscopi patronus 1. renuntiationem validissimam esse; 2. dato et non concesso renuntiationis vitio, Aloysium talem esse parochum, quem cura privare oportebat.

Primam partem exordiebatur proponens, tria in iure requiri ad validitatem, cuiusvis resignationis 1. Resignationis causam. 2. Actum. 3. Acceptationem. Causam resignationis necessariam esse ex Constitutione Pii V, *Quanta Ecclesiae*, § 3, [1] quaeque sese refert ad aliam constitutionem Pontificis Innocentii III de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis. In hac postrema causas omnes resignationum numerari contentas duobus illis versiculis: *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis. Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.* [2]

Hisce praeiactis adiiciebat: duplex in Aloysio renuntiationis causa reperitur: erat enim *male conscius*, eumque *plebs* oderat. Ex processus actibus constare ipsum societatem inivisse cum praestigiatore magico Nicolao, cumque aliis quorum plerique de eius grege erant, ad thesauros e montis cuiusdam visceribus trahendos. Haec non tam ex testibus, quam ex litteris ab eodem conscriptis eruuntur. Ipse enim dum in Neapolitanam civitatem se contulisset, ut Nicolaum alloqueretur, inde litteras ad consocios scribebat, quibus omnia ad spirituum evocationem necessaria describebat. Cum autem inter cetera quae paranda erant, etiam non indifferens pecuniae vis indicaretur, cumque Aloysius protestatus esset in suo examine, se nunquam spirituum evocationibus fidem praestitisse, incertum manet, num revera se sortilegio immiscuerit, vel particeps fuerit fraudis a magico paratae ad credulos decipiendos, et pecuniam ab ipsis extorquendam. Utrumque, aiebat Archiepiscopi defensor, sacerdote, et praesertim parocho indignum.

Nec minus certum est, prosequebatur, plebis odium in se ipsum excitasse ob fraudes quibus operam dedit, ut Pernarellii cuiusdam bona servarentur, quae ob non solutas herbarum pensiones venui expositurum erat Municipium Montis S. Blasii. Factum huiusmodi in omnium civium damnum recidit, qui eo maioribus subiiciebantur vectigalibus, quo subtiliores reditus exigebantur. Praecipue vero damnum persentiebat ille Syndici cognatus, qui vadimonium pro Pernarellio praestiterat.

[1] Cf. N. 125.
[2] C. 10, X, *de renunciatione*, I, 9.

Duo haec accusationum capita dum eum suae plebi invisum ac male conscium evincebant, binas causas praestabant, utramque gravissimam, editae resignationis, seposito etiam nefando sodomiae crimine, de quo ex processus tabulis quasi ad certitudinem constabat.

Renuntiationis actus existentiam nec ipse Aloysius inficiatur, immo eam intrinsecus admittit, cum editam resignationem revocari postulat. Multo minus in dubium revocatur Ordinarii acceptatio. Quae cum ita sint, concludebat, stat suo robore renuntiatio.

Scire aiebat opponere Aloysium sub metus gravis incussione se paroeciae nuncium misisse; et respondebat: inspecto renuntiationis tempore nihil inveniri quod talis metus existentiam evinceret, unde nullitas exoriretur. Etenim cum iam processus ad exitum properaret, cumque necessitas praevideretur Aloysium gravissimis poenis canonicis puniendi, ipsi iudices delegati suasionibus, ac ratione maioris vitandi mali, de resignatione loquuti sunt, utpote de suprema ac unica salutis tabula, et consilium sibi in omnibus utile recognitum amplexus est Aloysius. Ergo punitionis vitandae ratio ea fuit quae ad resignationem Aloysium impulit: et metus qui a punitionis periculo oriri potuit *ab extrinseco* est non *ab intrinseco*, ideoque actum non vitiat.

Talis timoris existentiam, qui non amplius sui compotem Aloysium redderet, excluditur tum rei facie inspecta, tum testium examine. Nam non semel, sed bis renuntiationem edidit scripto Aloysius, et placide cum Archiepiscopo omnia disposuit circa oeconomicam paroeciae administrationem tenendam, usque ad diem praestitutum. Testes vero vel eum non viderunt ea die qua renuntiationem edidit, vel in eo praetensam mentis alienationem haud inspexerunt.

In secunda allegationis parte iisdem facti circumstantiis innixus, quae contra Aloysium stabant, evincebat: etiamsi nulla renuntiatio existeret, eum esse indignum qui parochi officium diutius adimpleret.

His ita hinc inde disputatis, Eminentissimis Patribus quaestio dirimenda proposita est per dubium:

An constet de nullitate renuntiationis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative, et ad mentem. Mens est, ut scribatur Archiepiscopo, ut provideat Sacerdoti de congrua pensione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 139, p. 178-190].

4247.

S. C. C., *Comen.*, 24 apr. 1880.

Anno 1879 inter Parochum loci Carate-Lario et Praepositum loci Laglio Dioecesis Comen. quaestio agitata est quoad iura parochialia: ambo enim curae animarum addicti sunt. Praesumebat Praepositus, qui Paroeciae S. Georgii praeest, ut parochus Carate-Lario sibi quotannis 125 libellas rependeret, et ut quolibet die festo S. Georgii recurrente teneretur Missae cum cantu assistere in Ecclesia paroeciali eiusdem Praepositi. Nec satis,

sed insuper idem Praepositus asserebat, sibi facultatem factam fuisse, die festo SS̃mae Assumptionis in Ecclesia Carati Missam in cantu celebrandi, oblationesque percipiendi, quae ab interessentibus fierent. Quoties autem de funeribus ageretur, statutum fuisse reclamabat, ut, si ad eadem alii Sacerdotes vocarentur, ipse S. Georgii Rector, ante ceteros omnes, invitaretur eique liceret stolam in eo casu deferre et merces atque candela non aliter ipsi daretur, quam eidem Rectori. Haec omnia reclamabat Praepositus, innixus instrumento, vi cuius Ecclesia Carati die 13 ianuarii 1653 ab Ecclesia Paroeciali S. Georgii separata, atque in Paroeciam erecta fuit. Quaestio autem cum amice componi haud potuisset, Praepositus ad Curiam Episcopalem recursum habuit, quae rationum momentis hinc inde libratis, sub die 23 iulii anni 1879 sententiam Praeposito amicam formiter protulit.

Huiusmodi sententia Parocho Carati haud arrisit; qua de re sub die 3 augusti ad S. Principem illico confugit expostulans, ut eadem, utpote suorum iurium laesiva, qualibet vi destituta renunciaretur.

Praepositus Lalii Curiae Episcopalis sententiam confirmandam esse sustinet, eo quod iura ab eadem asserta, tum in iure scripto, tum in iure consuetudinario fundamentum habere censet. Sane quoad primum Praepositus meminit Ecclesiam Parochi Carati ab Ecclesia Parochiali S. Georgii separatam fuisse atque in Paroeciam erectam; ea tamen conditione, ut parochus Ecclesiae matricis universis iuribus frui valeret, quae superius in factorum historia enucleata fuerunt. Idque ita esse debere, colligi censuit ex verbis ipsis, quae leguntur in instrumento dismembrationis.

Hisce in facto praeiactis, Praepositus ait, nihil rectae rationi ac utriusque iuris principiis tam consentaneum esse, quam ut pacta et conventiones in contractum deductae rite religioseque serventur. Patet id *ex arg. leg. 1, in princ. ff, de pactis* – ibi – *Quid enim tam congruum humanae fidei, quam ea servare quae inter eos placuere?* Iuris autem caesarei sanctionibus chorum agit ius canonicum, idque manifestum erumpit praesertim ex Regula 21, iuris, in 6. – ibi – *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Cui concinit altera iuris regula: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* – Reg. 33, *de Reg. Iuris*, in 6.

Idque fortius in themate, in quo de contractu oneroso agitur. Dismembratio siquidem paroeciae S. Georgii ab Episcopo ideo executioni demandata fuit, et vicissim Ecclesia Carati ab Ecclesia Matrice avulsa fuit atque in paroeciam constituta, ea tamen conditione atque lege adiecta, ut scilicet paroeciae S. Georgii Praeposito, praeter memoratas annuas praestationes et munia exercenda ius insuper incumberet stolam in funeribus, ad quae ante ceteros omnes sacerdotes invitari debebat, deferendi et mercedem atque candelam non secus ac ipse Ecclesiae Carati Rector, percipiendi.

Atque optimo sane iure id factum esse contendit. Explorati siquidem iuris esse ait, Ecclesiam novam teneri antiquae parochiali exhibere competentem honorem, prout habetur in cap. *Ad audientiam*, 3, *de Eccl. aedif. vel reparandis* – ibi – *providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Ecclesiae matrici servetur.* Huiusmodi vero honor iuxta unanimem expositorum doctrinam vel in censu annuo consistit, arbitrio Episcopi

moderando, vel in aliis iuribus ab Episcopo Ecclesiae matrici reservatis in vim decreti, quo novae paroeciae erectio constituta fuit.

Si itaque Episcopus in erectionis limine decrevit, ut Praepositus Lalii in funeribus prae aliis sacerdotibus omnibus ad eadem invitaretur ac ceteris praeficeretur; si decrevit secundo loco, ut ipsi Praeposito stolam deferre liceret; si decrevit tandem, ut eidem merces et candela, non aliter quam dictomet Rectori Carati daretur: sponte sua fluere asserit Parochum Carati ea omnia in praesentiarum praestare teneri, quae ab Episcopo, utriusque Ecclesiae parochis consentientibus in pactum deducta fuere.

Verumtamen admisso parumper quod decreti verba ab Episcopo in erectionis actu editi, sint aliqua ambiguitate involuta et quod per consequens interpretatione indigeant: huiusmodi interpretationem ad tramitem consuetudinis, quae hac de re iugiter inolevit, peragendam esse Praepositus ait. Huiusmodi autem consuetudinis centenariae seu immemorabilis plenam ac perfectam probationem ex testibus elici posse contendit.

Ex his tum in iure tum in facto hactenus delibatis, cum manifestum erumpat iura ab Ecclesia matrici S. Georgii vindicata, nedum in lege scripta verum etiam in consuetudine fundamentum habere; cum pariter resultet praefatam Ecclesiam matricem a tempore, quod vocant immemorabile, seu ab ipso dismembrationis decreto hisce iuribus fruitam fuisse: sponte sua fluere videtur, S. Georgii Ecclesiam, quippe quae matricitatis iure pollet, in huiusmodi iurium exercitio atque possessione manutenendam esse; ideoque Curiae Episcopalis sententiam, utpote numeris omnibus absolutam, substineri et confirmari oportere.

Verumtamen ex alia parte iura, quae Ecclesia Matrix iactitat atque subsecutam a Curia Episcopali, eiusdem favore, prolatam sententiam, ab ipso iudicii limine repellendam esse Parochus Carati totius viribus evincere sategit, ex eo quod nullo fulciantur valido fundamento. Sane rationum momenta pro huiusmodi iuribus tuendis, tum a Parocho Lalii tum a Curia Episcopali deducta, dismembrationis decreto, seu iuri scripto et consuetudini innituntur. Porro utraque parvipendenda esse Parochus Carati urget.

Ad dismembrationis decretum quod attinet, hoc nullam vim sibi captare posse ait, quia iuris canonici regulis refragatur. Profecto Alexander III Eboracen. Archiepiscopo antiquae paroeciae dismembrationem indulgens, eidem praecepit *ut competens in ea honor pro facultate loci ecclesiae matrici servetur:* cap. *Ad audientiam*, 3, *de Eccles. aedific. vel reparandis.* Huiusmodi vero honorem ecclesiae matrici, in obsequii atque reverentiae signum a nova paroecia exhibendum, in exiguis praestationibus vel in re parvi momenti consistere, omnes iuris pontificii expositores unanimi consensu tradunt.

Quae cum ita sint, mirum non est si S. C. C. expositam doctorum doctrinam sequuta in paroeciarum dismembratione decernenda, Ecclesiae filialis Rectori, non aliud onus matrici praestandum imposuerit, quam vel moderati annui census solutionem, vel parvi pretii candelae traditionem aut aliud quid simile. Cum igitur onera Ecclesiae filiali Carati in actu dismembrationis ab Episcopo taxata longe alia sint, cumque eadem a iuris pontificii sanctionibus atque a S. C. C. praxi adeo exorbitent, pleno alveo fluere

Parochus edisserit, ea quavis roboris vi esse destituenda. Explorati siquidem iuris est, Episcopum ea praecipere haud valere, quae iuris communis regulis adversantur, vel ab eis exorbitant.

Porro quaedam ex iuribus Praeposito Lalii ab Episcopo in limine indulta adeo exorbitantia sunt, ut si in honore essent habenda, de libertate atque independentia Paroeciae Carati iam actum esset: huiusce vero Paroeciae Rector nihil aliud evaderet quam Praepositi Ecclesiae simplex Vicarius, seu Vice-parochus. Quae omnia quam aliena sint, tum a iuris communis regulis, tum a reliquis praescriptionibus in ipso erectionis Paroeciae decreto adiectis, quisque ingenio suo facile percipit.

Veruntamen dato, at non concesso, quod Praepositus Lalii in huiusmodi iurium possessione manutenendus sit, mordicus sustinet talia iura ab eo exerceri posse non in funeribus, quae toto anni cursu accidere possunt, sed in iis tantum quae unico Beatae Virginis in Coelum Assumptionis die occurrunt. Id usque ad evidentiae fastigium, e toties memorato erectionis decreto, erui posse edisserit.

Tandem quoad consuetudinem pro controversis iuribus tuendis, ex adverso invocatam, triplici ratione Parochus Carati respondit. Meminit nempe praeprimis huiusmodi observantiam si reapse in vigore fuerit, reiiciendam omnino esse, utpote iuris corruptelam, cum in themate de parochialibus iuribus agatur, quae praescribi nullatenus possunt. Secundo autem loco contendit consuetudinem invocari in themate haud posse, ex eo quod Parocho Lalii facultas facta fuerit stolam et pluviale deferendi in funeribus, quae in paroecia Carati peragebantur. Id enim non ex animo consuetudinem inducendi, quae obligandi vim haberet, sed ex quadam comitatis seu reciprocitatis gratia factum esse autumat. Tandem, admissa etiam adversarii Parochi hypothesi, concludit praefatam consuetudinem in praesentiarum perdere officium suum, cum ea pluribus abhinc annis, per actus contrarios interrupta fuerit, quin aliquid in contrarium obmussitatum fuerit.

Hisce tum in facto, tum in iure positis dignentur EE. PP. dirimere dubium:

An sententia Curiae Episcopalis Comen. sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 139, p. 190-204].

4248.

S. C. C., *Veneten.*, 24 apr., 29 maii 1880.

Sacerdos Ludovicus Lepenn supplici libello diei 20 octobris effluxi nuper anni exposuit, se ab Episcopo Venetensi die 19 martii 1879 sine sententia, sine causa canonica, licet iuridicam inquisitionem postulaverit, e Parochia Monterblanc, quam uti Parochus amovibilis, vulgo *Desservant* ab anno 1875 regebat, ad illam Gestel pariter amovibilem proficisci iussum

esse. Sed huiusmodi mandatum exequi renuisse subdit eo, quod sine ulla ratione Parochiam longe minorem adire cogebatur. Qua de re Vicarium Antistitis a die 9 aprilis dicti anni prohibuisse, quominus ipse in Parochia Monterblanc Missae Sacrificium litaret, quod illico per publicas ephemerides in vulgus editum fuit. Eapropter tali poena afflictus enixe rogabat reintegrationem in dictam Paroeciam.

Requisitus de more Episcopus pro informatione et voto, datis literis diei 10 novembris 1879 retulit, Sacerdotem Lepenn non semel neque bis a suis praedecessoribus ab una ad aliam Paroeciam translatum fuisse, quod quidem ex rationabili causa factum fuisse dicit. Parochus interim invisens novum parochialem domum et ecclesiam, mox in suam sedem reversus est, ac per antiquiorem ex Parochis Episcopum certiorem fecit se malle suam Paroeciam dimittere, quam novam Gestel regere. Illico renuntiatio rata habita fuit assignata tamen pensione 1000 libellarum ex fundo pro Sacerdotibus infirmis statuto repetenda. Addit Episcopus, eundem Parochum aere alieno nimis esse gravatum, et licet bonis honestisque moribus sit imbutus, tamen plures per annos duas iuvenes mulieres domi retinuisse contra praescripta Dioecesanae Synodi.

Parochi Defensor orationem suam exorditur occurrendo difficultati, quae apud Gallos obiici solet: leges nempe canonicas vi conventionis inter rempublicam illam et S. Sedem innovatas fuisse. Quod quam a iure devium sit, nemo est, qui non videt, quandoquidem per initam conventionem, certat, leges canonicas fuisse confirmatas. Cum enim de iure nominandi Parochos sermo est, cavetur, oportere seligere personas, *quas Ecclesiae canones requirunt*. Et postquam electi fuerint, sancitur quoscumque *in vinea Domini, operarios canonice instituendos*. Hinc factum esse subdit, ut sine ulla distinctione inter Parochos regionarios (de Canton) et Parochos subsidiarios (desservants), utrique canonica institutio tribuatur. Nullo ergo modo sunt distinguendi, cum unicuique cura animarum fuerit mandata, iisdem honoribus gaudent et aequa potestas indita fuerit. Ex quo prono alveo fluere subdit causam Rectoris secundum leges canonicas esse iudicandam. Si itaque Rector anno 1871 institutionem canonicam ad suam ecclesiam nactus est: sponte veluti sequitur, quod ius *perpetuum* in Beneficium sit pariter consequutus. Qua de re concludit, huiusmodi Rectores absque iusta et legitima causa hoc perpetuo iure expoliari non posse. Causam vero vel in *necessitate* vel in *utilitate* Ecclesiae repositam esse. In themate autem has causas, necessitatem nempe vel Ecclesiae utilitatem prorsus defecisse autumat, sed Vicarium Generalem Rectoris remotionem decrevisse, ut genio amovendi ad nutum et ad libitum Parochos indulgeret. Ut autem adstruat, nulla suadente legitima causa Rectorem Lepenn amotum fuisse, documentum exhibet, quo eius opera enumerantur, quae tam ad Ecclesiae cultum, quam ad animarum bonum conduxerunt. Ait etiam ipsum optimo praeditum ingenio, ita ut Paroeciae plebs de eius absentia queritur. Si igitur nulla adfuit legitima causa, si Parochus nullo crimine irretitus: sponte fluere ait ipsum iniuria a propria Paroecia amotum eique inferiorem ecclesiam in poenam assignatam fuisse. Huiusmodi quinimo iniuriam non evanescere,

etiamsi Rector Lepenn alicuius culpae reus appareret, cum reus poena plecti non possit, nisi monitiones a iure pontificio praestitutae ac debitis temporibus faciendae praecesserint, quae in casu prorsus defuerunt. Hinc concludit, Rectori Lepenn ius esse, ut ad propriam Paroeciam restituatur, et ut ipsi damna reficiantur.

E contra reintegratio in themate deneganda videtur: 1. quia renuntiatio a Parocho emissa fuit, quae in suo pleno subsistit valore; 2. quia translatio ab Episcopo facta adhuc ad iuris tramites sustinenda videtur. Nullum revera dubium inesse potest, quod parochialis ecclesia possit renuntiari, ut patet ex tit. *de renunciat*, dummodo renuntiatio fuerit spontanea, a legitimo Superiore acceptata, et sit ex iusta causa. Atqui in facto, quod Sacerdos Lepenn Paroeciam Monterblanc dimiserit, constat ex litteris Decani Curati eius nomine ad Episcopum datis; quod autem a competente auctoritate fuerit acceptata, evincitur ex informatione Ordinarii; quod autem fuerit spontanea et non coacta et facta ex causa, ex eo deprehenditur, quod iniit hanc consilii rationem postquam omnia expendisset. In perdita tamen hypothesi, quod renuntiatio a Parocho facta minime subsistat, non melior tamen eius causa evadit. Specialis enim Galliarum disciplina quoad duplicem Paroeciarum speciem vi concordati a. 1801 introducta, secundum quam Parochi amovibiles (annexes), qui libere eliguntur et absque civilis potestatis interventu ab Episcopis ad nutum removeri et transferri possunt, Tridentini menti haud videtur opposita iuxta ea, quae traduntur in Sess. 24, cap. 13, *de ref.* Et si aliquod vitium in ecclesiastica disciplina a pluribus saeculis vigente adfuerit, hoc sanatum indubitanter fuit, ceu videre est in *Virodunen.*, 23 martii 1878.[1] Ex quibus haud ambigi posse videtur, quod Episcopi iure suo utuntur, si alibi transferant Parochos deservitores, quia considerari possunt, ut amovibiles ad nutum. Porro plures in themate causae praesto sunt, quae Parochum a reintegratione in Paroeciam excludunt: reluctantia monitis et praeceptis sui Antistitis locum Paroeciae post renunciationem deserendi; Parochi ingenium turbulentum et ad contentiones proclivum, unde querelae et recursus contra ipsum fere undique eruperant; demum nimia facilitas ad contrahendum aes alienum, quo iam invenitur praegravatus. Omnibus igitur rite perpensis diiudicent EE. PP., quonam responso dimittendum sit sequens dubium:

An sit locus reintegrationis in casu?

Die 24 aprilis 1880 Sacra, etc. respondit: Dilata ad proximam.

Die 29 maii 1880 Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 139, p. 204-212, 286-289].

[1] Cf. N. 4240.

4249.

S. C. C., *Patavina*, 11 sept. 1880.

Caietanus Signoretti, Parochus loci Camponogara Patavinae Dioeceseos, ob avaritiam, animi asperitatem suamque agendi rationem nedum plebis sibi commissae, sed etiam civilis auctoritatis aversionem in se concitavit. R̃mus Antistes nihil omisit sive hortando, sive increpando, ut ad bonam frugem charitatisque semitam rediret. Ast cum haec omnia in irritum cessissent, die 6 maii 1878 decretum edidit: « Ob causas, quae nos digne movent, et de quibus Deo tantum rationem reddere debemus, vigore facultatis a S. Trident. Conc., Sess. 14, cap. 1, *de ref.*, nobis tributae *ex informata conscientia* te ab officio parochiali suspendendum duximus, prout tenore praesentium te suspendimus... ad arbitrium nostrum... Tibi insuper mandantes, ut intra octo dierum spatium... coram D. Provicario nostro in spiritualibus Generali te sistere debeas et cum eodem convenire de mercede tribuenda ex reditibus tui Benefici alteri Sacerdoti a nobis pro cura animarum ecclesiae subiectarum deputando... »

Huius decreti rigore Signoretti perculsus supplici oblato SS̃mo Principi libello die 28 ianuarii 1879 exposuit, quod pro quatuordecim annorum laboribus in Ecclesia Dei exantlatis a proprio Ordinario anno 1870 ad Archipresbyteralem praebendam memorati loci fuit promotus. Octo iam ab annis hanc Paroeciam Orator regebat, cum *dietro frivole accuse di qualche tristo parrocchiano* hac gravissima poena fuit mulctatus. Eapropter enixe postulabat, ut declarata decreti nullitate, in propriam Paroeciam reintegretur, sin minus, ut sibi *altro beneficio migliore o pari al goduto* conferretur, ac gravissima damna reficerentur.

Requisitus Episcopus pro informatione et voto, retulit, quod statim ac Parochus Signoretti, paroeciale munus accepit, coeperunt insimul populi et laicae potestatis inclamationes. Eius indoles dura odium plebis paruit adversus pastorem. Accusabatur etiam, quod onera propria negligeret, quod pauperibus haud succurreret, quod siverit plures aegrotos emori absque Sacramentis, quod pecuniam aucuparet, quae primum eius vitae obiectum constituere videbatur. Hisce ergo modis quamplurimorum animos in se concitavit. Quaprotper impossibile est, ut Sacerdos Signoretti in Paroeciam revertatur.

Postquam ad Oratoris instantiam etiam Venetiarum Patriarchae votum exquisitum fuit, perpendebatur favore Parochi: decretum remotionis seu suspensionis ab officio parochiali *ex informata conscientia* nullitatis vitio laborare, cum Episcopus capiti 1, Sess. 14, *de ref.*, innixus ampliorem potestatem sibi arrogaverit, quam caput illud reapse concedat: nam Episcopus vi illius capitis non suspensionem *ab Ordinibus* Parocho inflixit, sed *ab officio parochiali*. Praeterea Parochus non ob occulta crimina, sed plane publica in se ex informata conscientia fuit suspensus. Atqui, ut in vim cap. 1, Sess. 14 procedere possit Episcopus, opus est, ut crimen sit occultum, uti declara-

tum fuit in *S. Agathae Gothorum*, 26 februarii 1853, [1] et iam antea in *Alerien.*, 24 novembris 1657; [2] demum dubium omne dirimit Bened. XIV, const. *Ad militantis*, 30 martii 1742. [3] Alio etiam ex capite, ex defectu nempe legitimae causae decretum hoc merito impeti posse videtur. Posita enim Parochi inamovibilitate, neque coercitio ad tempus, neque totalis privatio valet infligi, nisi gravissimi criminis plenissimeque probati reus evincatur, quod tamen in casu haud aderat. Nam suspensionis causa in populi aversione, si demas inclamationes paucorum, minime in facto subsistit. Negligentia vero in parochialibus muneribus obeundis non erat tam gravis, ut Episcopum movere rationabiliter posset ad extremum remedium arripiendum. Ceterum notandum Parochum plus iam duobus annis gravissimam suspensionis poenam sustinere: idcirco licet aliqua macula gravatus extaret, ipsam toto hoc tempore expiasse, ac reintegrationem in Paroeciam mereri videtur.

Verum ex alia parte suspensionis decretum *ex informata conscientia* contra Caietanum ab Episcopo prolatum in suo robore consistere plura suadent argumenta. Siquidem videntur Tridentini PP. in cap. 1, Sess. 14 generaliter loqui, et amplissimam Episcopis potestatem facere suspensionem infligendi ex informata conscientia tam ab Ordinibus, quam ab officio. Nec obstat, quod crimina, de quibus Caietanus imputatur, sint notoria et publica: non enim omnes conveniunt Auctores, quaenam delicta dici vere debeant publica; dein fieri non posse videtur, ut omnia adeo vulgata sint, ut ne unum quidem sit adhuc occultum. Insuper, licet communius doceant Canonistae, suspensionem ex informata conscientia in criminibus occultis tantum fieri posse; contraria tamen opinio sua probabilitate carere non videtur, cum Conc. Trid. dicat: *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen.* Negari porro in facto non potest, Caietanum aspera, incivili, imprudenti sua agendi ratione ac nimia lucri cupiditate parochianorum civilisque auctoritatis animos ita acuisse, eorumque indignationem et odium in se ita concitasse, ut pluries eius remotionem enixe expetierint. Cum itaque res ita sese haberent, videtur Episcopus sapienter egisse cogendo, quibus poterat, rationibus Caietanum, ut a sua Paroecia discederet, recteque Parocho Caietano Vicarium in Paroecia regenda subrogasse.

Quapropter EE. VV. erit dirimere dubia:

I. *An decretum diei 6 maii 1878 sustineatur in casu?* Et quatenus negative:

II. *An, et quomodo providendum sit in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, et nisi Parochus renunciare velit, Episcopus procedat ad Paroeciae privationem ad formam iuris, vetito interim Parocho reditu ad Paroeciam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 139, p. 587-608].

[1] Cf. N. 4130.
[2] Cf. N. 2752.
[3] Cf. N. 326.

4250.

S. C. C., *S. Dionysii seu Reunionis*, 11 dec. 1880.

In Insula Borbonica in Indico mari ad Africae orientem posita sub ditione civilis Gubernii Gallici adest Dioecesis S. Dionysii, infra cuius limites extat locus Mafatte, qui 1500 circiter incolis conflatur, cuiusque ecclesia teste Rmo Episcopo *est nullement érigée en succursale, mais simplement détachée d'une grande paroisse voisine de la Possession.* Volvente anno 1876 animarum cura huius ecclesiae ab Ordinario collata fuit Sacerdoti Ioannis de Belly. Aliqua enata iurgii causa inter Sacerdotem Ioannem et Syndicum propter politicas electiones loci illius, Sacerdos inconsulto Episcopo adversus Syndicum typis edidit ac evulgavit famosum libellum. Exinde irae adeo acriter exarserunt, ut res in forum contentiosum penes laicum tribunal deducta fuerit, et Sacerdos in prima et secunda instantia inimicam sententiam tulerit. Quamobrem Episcopus decreto diei 15 decembris 1877 dictum Belly amovit e loco Mafatte, eumque constituit Vice-Parochum oppidi S. Lupi sub dependentia Parochi titularis. Verum cum Episcopi voluntati Sacerdos Belly restitisset, Episcopus epistola sua diei 31 decembris 1877 eidem peremptorium terminum constituit: diem 15 subsequentis ianuarii ad capessendam possessionem Vicariae S. Lupi, quo inutiliter elapso, ad graviores poenas infligendas se processurum declaravit. Huic Episcopi comminationi Sacerdos Belly obtemperavit ac in Paroeciam S. Lupi perrexit, at mox inter ipsum et Parochum titularem dissensiones et controversiae exortae sunt. Insuper ad evulgandum contra Episcopum libellum famosum, qui a Sacerdote quodam conscriptus fuit, et in quo etiam Belly e Mafatte remotio narrabatur, operam navavit. Interea Antistes depositiones recepit duarum mulierum, quarum altera testata est, non solum Sacerdotem Belly cum ipsa turpem relationem habuisse, sed etiam in confessione eam sollicitasse; altera vero retulit, se pluries cum eodem contra sextum peccasse. Hisce gravissimis causis motus Episcopus die 20 iulii 1879 contra dictum Sacerdotem sententiam *ex informata conscientia* tulit, qua titulo Vicarii et omni ecclesiastica iurisdictione eum privavit. Et cum civile Gubernium decrevisset numerum Clericorum insulae imminuere, Antistes arrepta occasione petiit et obtinuit, ut idem Belly e clero Dioecesis expungeretur et in Galliam asportaretur. Hisce omnibus se gravatum persentiens Sacerdos Belly ad S. H. O. appellationem interposuit.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, Sacerdotis Belly inobedientiam arguit, memoratasque contra eundem accusationes de sollicitatione S. Congregationi transmisit, eiusque regressum in insulam impossibilem censuit.

Favore Sacerdotis animadvertendum, decretum remotionis ab officio parochiali loci Mafatte ipso iure nullum videri, editum enim fuit absque citatione partis adversae. Insuper in iure posita inamovibilitate Parochi neque coercitio ad tempus, neque totalis privatio valet infligi, nisi canonica

trina monitione praemissa, vel saltem una peremptoria monitio praecedat: cap. *Sacro*, 48, *de sent. excom.*, cap. *Romana*, cap. *Statutum*, eod. tit., in 6, et S. C. in *S. Severini*, 4 aprilis 1778 [1] et aliis millenis. Nec obiici potest, agi in themate de Parocho amovibili ad nutum; etenim in regionibus, quae Gallicae reipublicae subsunt, ad officia parochialia etiam post conventionem anni 1801 eligendi sunt, *quos Ecclesiae canones requirunt*. Quum autem electi fuerint, sine ulla distinctione inter Parochos regionarios (de Canton) et subsidiarios (desservants) utrisque institutio tribuitur. Hisce in tuto positis adversus Sacerdotem Belly ad tramites iuris erat procedendum, ideoque ob non servatam formam canonicam Episcopi decretum nullum dicendum videtur, eo vel magis, quia editum fuit nulla suadente legitima necessitatis causa. In facto enim constat Sacerdotem nullo umquam crimine neque culpa inquinatum fuisse. Constat insuper, neminem ex incolis loci Mafatte Sacerdotem Belly odio habere. At in damnata hypothesi, qua Episcopi decretum sustineatur, infirmanda videtur eius sententia *ex informata conscientia;* etenim etsi liceat ex Trid., Sess. 14, cap. 1, *de ref.*, hanc infligere suspensionem ab Ordinis exercitio, id tamen non protenditur ad privationem iurisdictionis, uti declaratum fuit in *Patavina*, 11 septembris 1880. [2] Neque obesse, sententiam latam fuisse in vim bullae Gregorii XV, *Universi*, [3] Benedicti XIV, *Sacramentum Poenitentiae*, [4] et decreti S. Off., 5 augusti 1745 [5] contra sollicitantes, Episcopus enim nimis faciles aures praebuit duarum mulierculorum depositionibus, quae inter atrocissimas calumnias amandandae sunt ex litteris ipsius Vicarii Generalis ultimo datis, quibus declaravit mulierculam accusatricem plus anima quam corpore nigram, utpote quae alium quoque Confessarium falso de sollicitatione accusaverat.

Altera vero ex parte animadvertendum, agi in themate non de Parocho titulari proprie dicto, sed de Vicario amovibili ad nutum Episcopi, qui gallico idiomate appellatur *desservant*, ex quo deducitur, in translatione Sacerdotis Belly Episcopum iure suo usum fuisse, ceu perpenditur in *Virodunen.*, 23 martii 1878, [6] et in *Veneten.*, 24 aprilis 1880. [7] Unde sequitur, in huiusmodi translationibus vel remotionibus Episcopos ad canonicam formam et iudiciarium ordinem servandum non teneri. Neque porro in casu Episcopus egit arbitrarie et nulla motus ratione. Sacerdos enim Belly ingenio turbulento et ad contentiones proclivi pollet, quo ductus nedum ss. canones offendit, sed et ipsas Synodales Constitutiones in vulgus edendo libellum famosum adversus Syndicum, ex quo factum est, ut talis inimicitia, tale odium inter eosdem exarserit, cum fidelium scandalo et perturbatione, quod nullomodo sedandum fore sperari poterat. Hinc poena

[1] Cf. N. 3804.
[2] Cf. N. 4249.
[3] Cf. N. 201.
[4] Cf. N. 309.
[5] Cf. N. 795.
[6] Cf. N. 4240.
[7] Cf. N. 4248.

remotionis mulctatus fuit, quia spretis Episcopi mandatis, inobedienter constanter se gessit, et quia bonum animarum id exposcere omnino visum est. Porro Sacerdotes in insula Borbonica non videntur mancipati Dioecesi per veram incardinationem, sed missionariis accensendi sunt. Quapropter Episcopus iustis ex causis removendo Sacerdotem Belly, iure usus est proprio.

Hisce utrinque perpensis videant EE. PP., quomodo dirimenda sint dubia:

I. *An decreta et sententia Episcopi sustineantur in casu?* Et quatenus negative:

II. *An sit locus emendationi damnorum atque refectioni expensarum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: ad I. Quoad remotionem a Paroecia vulgo Mafatte affirmative, quoad reliqua negative.

Ad II. Non esse interloquendum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 139, p. 653-670].

4251.

S. C. C., 12 mart. 1881. [1]

Intra fines Paroeciae dictae *Ripalta Nuova* Cremensem prope civitatem sitae nobilis familia Capredoni villam possidet, in qua per octo circiter anni menses commorari solet; reliquum vero temporis in civitate in Paroecia S. Iacobi. Ruri degens anno 1878 uxor Caesaris Capredoni, gravi morbo perculsa atque Sacramentis a Parocho rurali munita occubuit die 7 septembris; exinde parentalia a rurali Parocho expleta fuerunt atque cadaver intra huius Paroeciae fines tumulatum. Hoc utut ad aures Parochi urbani S. Iacobi pervenit, pro suis iuribus sartis tectisque servandis supplicem ad S. V. O misit libellum, expostulans, ut ad tramites statuti et praxis dioecesanae EE. VV. decernere dignentur restitutionem emolumentorum, quae a Parocho rurali ea occasione percepta fuerunt.

Rogatus pro informatione et voto Episcopus sententiam Parocho rurali favorabilem pandidit.

Praedicta funeris emolumenta spectare ad Parochum S. Iacobi videntur, sive consideretur ius commune, sive statutum dioecesanum et observantia. Ad ius enim commune quod attinet, post dispositionem Bonifacii VIII in cap. *Is qui*, 3, *de sepult.*, et Clem. *Dudum*, eod. tit. omnes fere DD. tradunt, iuris assistentiam Parocho in funeribus decedentium intra limites Parochiae non competere ratione loci materialis, sed ratione spiritualis officii ab eodem exerciti, dum parochianus vitam agebat. Quam sententiam etiam S. V. O. amplectebatur in *Ariminen.*, 18 decembris 1824. [2] Hoc posito dubitari non posse videtur, et ius funerandi et emolumenta percipiendi funeris in casu ad Parochum S. Iacobi pertinere, quandoquidem in hac Paroecia mulier defuncta domicilium habebat, et ibi Sacramentis refici

[1] *Cremen.*
[2] Cf. N. 3990.

consueverat. Idem eruitur etiam ex Dioecesano Statuto diei 31 iulii 1795, ubi decernitur: « Qui *per accidens* in aliena paroecia graviter aegrotant, Sacramenta et assistentiam ab illo Parocho recipiant, sed funus, vel saltem, proventus omnes funerei... ad Parochum domicilii in hac civitate seu Dioecesi existentis spectabunt ». Cui accedit consuetudo, quae plurimi semper facienda est.

Ex adverso vero perpendendum occurrit, nullum ius videri competere Parocho S. Iacobi exigendi in casu funeris emolumenta, quia cum dicta mulier per maiorem anni partem solita fuerit in villa commorari una cum familia Capredoni, dicendum est, ibidem per notabilem habitationem acquisivisse domicilium. Quod vero dicta mulier revera per maiorem anni partem habitare consueverit infra limites Paroeciae *Ripalta Nuova*, nec ipse actor in causa denegat. Cum igitur eadem in utraque Paroecia refici valuerit Sacramentis, et utrique Parocho ea administrandi incubuerit obligatio: tunc inter Parochos datur praeventio, et proinde ius quaesitum manet favore Parochi loci *Ripalta*, qui praevenit. Dato verumtamen aliquam superesse posse dubitationem, adhuc respondendum videretur favore Parochi loci *Ripalta*, quia mulier ab eo recepit Sacramenta tempore infirmitatis, quod nec Parochus S. Iacobi diffitetur. Post haec inutile prorsus videtur confugere ad legem synodalem, cum nequeat dici quempiam *per accidens* mori in loco, ubi cum familia solet per maiorem anni partem commorari. Consuetudo autem secundum Ordinarii relationem neque constans est, neque pacifica. His ergo utrinque perpensis EE. PP. sequens proponitur diluendum dubium:

An sit locus restitutioni emolumentorum funeris in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom 140, p. 212-223].

4252.

S. C. C., *Claromonten.*, 9 apr. 1881.

Antistes Claromonten. supplici oblato libello die 13 novembris elapsi anni huic S. O. exposuit in ecclesiis parochialibus suae dioecesis diebus festis a parocho vel vice-parocho vel etiam ab alio sacerdote Missam parochialem nuncupatam solemniter cum cantu celebrari, et inter Missarum solemnia fieri quoque S. Evangelii explanationem. Fideles porro firmiter putantes illam semper pro ipsis applicari, ad eam audiendam libenter confluunt. At pro populo applicatur nonnisi dum illam parochus canit, qui pluribus distentus curis frequenter cogitur huiusmodi munus alteri sacerdoti demandare. Hinc Episcopus optans fideles in hac erronea persuasione haud diutius versari, ac simul advertens quod, si id pernoscerent, aegre ferrent, et non amplius tam diligenter ad illam Missam audiendam accederent, quaerit:

1. *Utrum praedicta urgens consuetudo sit habenda tamquam causa canonica sufficiens, ut parochus, alii committat Missam pro populo loco ipsius celebrandam?*

2. *Posito quod non sit causa sufficiens, ut pro gratia nihilominus concedatur facultas.*

Certum et extra dubitationem positum esse videtur, Parochos ad applicationem Missae pro suis fidelibus divino iure teneri, ut eruitur ex Conc. Trid., Sess. 23, cap. 1, *de ref.*, ex innumeris S. C. C. declarationibus, praesertim in *Pistorien. et Praten.*, 14 februarii 1699, [1] confirmatis per litt. ap. Innocent. XII, *Nuper a Congregatione*, 24 aprilis 1699, [2] necnon ex const. Bened. XIV, *Cum semper oblatas*, [3] et Pii IX, ep. encycl. *Amantissimi.* [4] Huiusmodi porro Parochi obligationem personalem esse Canonistae et Theologi tradunt. Quibus perpensis atque ponderatis videretur, nedum quod dicta consuetudo ratio sufficens non sit alteri committendi applicationem Missae pro populo, verum etiam nec causa rationabilis indulgendae in proposito gratiae, quin aliquid valeat, quod in contrarium adducitur memorata pia fidelium credulitas.

E contra vero perpendendum est, quod licet Parochorum dicta obligatio ex divino praecepto manare videatur, tamen certum et indubium esse eos, si legitime impediti fuerint, posse huic oneri per alios satisfacere, quemadmodum docent huius S. C. resolutiones praesertim in *Petrocoricen.*, 14 decembris 1872 [5] et S. C. de Prop. Fide, die 11 martii 1843. [6] Quod a fortiori tenendum videretur propter bonum animarum, ne videlicet pro audienda Missa, quae pro ipsis applicatur, assistere Missae, in qua Evangelium explicatur, desistant. Quibus perpensis:

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative.

Ad 2. Non expedire.

[Liber 224 Decretorum, p. 1418].

4253.

S. C. C., *Mohiloven. seu Tiraspolen.*, 9 iul., 10 sept. 1881.

Vertebat annus 1866, dies vero 28 augusti, quando Petropoli in Paroecia S. Catharinae ritu catholico celebratum fuit matrimonium inter Sophiam Kulakowcki et Adam Maletchynski, etsi mulier haud volens ac lubens id egisse videretur. Verumtamen initis nuptiis sponsi rei maritali operam dederunt, et proles adnata fuit. At cum tractu temporis vir inter honestatis limites haud se cohibuisse, sed de die in diem in vitia, praesertim in vinum et vagam venerem praeceps ruere visus fuerit, hinc dissentionibus inter eos exortis Sophia saepe saepius paternam domum petiit, ibique invito viro tamdiu morata fuit, quamdiu parentibus eam degere placuit. Ast Adam a lubrica semita recedere cum nollet, et uxoris valetudo hac de causa in discri-

[1] Cf. N. 2968.
[2] Cf. N. 262.
[3] Cf. N. 345.
[4] Cf. N. 524.
[5] Cf. N. 4222.
[6] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 964.

men iret: Sophia separationem iudicio vindicavit die 20 aprilis 1873 et voti compos facta est. Hoc absoluto iudicio nullitatem matrimonii, utpote ex vi et metu contracti proclamavit penes eamdem Curiam Mohilovien. die 26 aprilis 1877, et victrix ab arena discessit. Verum ab hac sententia appellatum fuit ad Curiam Tiraspolensem, quae priorem revocans, sententiam pro validitate tulit. Tunc Sophia ad S. H. Ordinem die 31 iulii 1880 appellationem interposuit. Similiter et Adam supplicem libellum S. huic Ordini obtulit, ea, ut videtur intentione, ut causa ad Graecas Calendas posset amandari.

Actricis Defensor imprimis notat: matrimonium solo consensu constare, consensumque absque absoluta libertate esse non posse, ut docet Alexander III in cap. 14, *de sponsal.* Iam vero in casu Sophia quoad potuit maritum declinavit, quem toto pectore aversabatur. Parentes autem nuptias conciliandi cupiditate flagrantes, imperio ac dominatus consuetudine quidquid vellent, a filiabus assequebantur. Vicit violentia, cuius in actu ipso matrimonii atque in primo complexu argumenta erumpunt, quare matrimonium nullum asserit, non modo ex metu *reverentiali*, sed etiam *communi:* testes enim omnes deposuerunt, Sophiam paternae indignationis metu coactam consensum praebuisse, cui metui assiduae patris minae iungebantur collocandi eam sicut educatricem liberorum, includendi in monasterium, expellendi e domo, recusandi ei paternam benedictionem. Deinde plurium testium auctoritate probat, ita ferream esse voluntatem patris, ut de resistentia Sophia neque cogitare potuerit. His expensis de diuturno tempore post matrimonium elapso, de concubitu, de prole disserit mulieris Defensor atque ostendit, pluries S. Ordinem pro nullitate respondisse, licet plures annos uxor cum coniuge absumpsisset, et liberos suscepisset, ut in *Herbipolen.*, 18 iunii 1859 [1]. Denique matrimonium ex publico impedimento invalidum nunquam purgatione convalescere tradit, nisi rursus coram Ecclesia contrahatur.

Hisce vero omnibus obsistit officiosus matrimonii vindex. Ait enim, nisi metus fuerit gravis, qui nonnullis subsit conditionibus, pro validitate iugiter standum esse. Iam vero nihil in themate occurrere dicit, quod metum nedum gravem, sed ne levem quidem probet, nihilque haberi, quod ad matrimonium nullum proclamandum sufficiat. Testes enim coactionem nonnisi levem, impossibilem et genericam retulerant. Quare concludit, ex testibus minime probari metum gravem cum suis qualitatibus, qui et consensus et matrimonii nullitatem secumferre posset. Hinc, etsi pater una vice filiam percusserit, per unicum actum requisita saevitiarum consuetudo non probatur. Quodsi aliquis metus adfuisset, is tamen usque ad matrimonii celebrationem certe non perduravit, nam Sophia declarationem libertatis consensus coram testibus sponte ac libere subscripsit ante diem celebrationis matrimonii, quin aliquid relevasset. Quibus mature perpensis EE. VV. dignentur sequens dubium dirimere:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

[1] Cf. N. 4176.

Die 9 iulii 1881 Sacra, etc. respondit: Affirmative, firmo tamen in filia statu et iure legitimae filiationis.

Reproposita vero causa sub consueta forma:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 10 septembris 1881 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 140, p. 473-486, 599-606].

4254.

S. C. C., *Veliterna*, 17 dec. 1881.

Exeunte anno proxime elapso Capitulum Ecclesiae Cathedralis Veliternae in propria aula rite collectum ad electionem officialium devenit. Accidit tamen ut Canonicus Benedictus di Lazzaro, qui in Secretarii electione, per septem scrutinia, suffragiorum paritatem cum altero Canonico obtinuerat, sibi ipsi suffragium dare visus sit ad pluralitatem votorum sibi comparandam, dum in praecedentibus scrutiniis suum votum alii dederat. Quum maiori Capituli parti ratio haec agendi videretur iuri communi contraria, novum indictum fuit scrutinium; in quo tamen ex undecim Canonicis vota novem sibi favorabilia obtinuit Lazarus; qui etiam hac vice votum proprium sibi dedisse videtur. Quapropter arbitratum fuit expetendum fuisse a Sede Apostolica, an electio Canonici Lazari, sic peracta, valida dici posset.

Rogatus pro informatione et voto Emus Episcopus, animi sui sensum non pandidit. Canonici di Lazzaro electionem irritam renunciandam esse Capitulares Oratores contendunt: quia eidem nedum commune ius, sed etiam Capituli Constitutiones et leges synodales refragantur. Sane Ius Pontificium in cap. *Didicimus*, Caus. 21, q. 1, cap. *In scripturis*, Caus. 9, q. 1, cap. *Cum ad nostram, de instit.*, districte prohibet, quominus is, cui beneficiorum vel dignitatum collatio competit, seipsum instituere valeat.

Idque optimo iure decretum fuisse patet. Praesentatio enim vel electio sui ipsius sapit vitium ambitionis, quam in sacris muneribus obeundis prorsus exulare debere ss. canones districte praecipiunt. Quae cum ita sint, nemini mirum esse debere, si S. C. C. exposita principia secuta iugiter fuerit, quoties ipsius decisioni huiusmodi controversiae propositae fuerunt.

Hisce in iure praestitutis, cum in facto consistere videatur, quod Canonicus Lazzarus in comitiis capitularibus, in quibus de novi secretarii electione agebatur, suffragium sibi ipsi dederit, sponte sua fluit huiusmodi electionem irritam ac nullam declarari oportere. Neque obiici potest argumentum desumptum ex cap. *Cum in iure, de elect.*, quo statuitur, Canonicum, citra ambitionis vitium, in sui electionem consentire posse ac aliorum numerum augere, eorum votis accedendo. Huiusmodi enim offensioni occurritur animadvertendo, citati capitis dispositionem tunc tantum utiliter invocari posse, cum electio per vota publica, seu per compromissum, non vero quoties, ceu in themate, per scrutinium fiat. Praeterea nulla dici debet electio taliter facta; quia huiusmodi methodus eligendi adversatur legi synodali et statutis Capituli. Quibus adiungitur, quod in actu scrutinii

aliquae schedae delatae fuerint vicinioribus Canonicis ut legerent, et secretum voti defuit. Ex quibus ergo constat nullam esse renuntiandam electionem hanc.

Ex alia vero parte Canonicus di Lazzaro ait, suam electionem fuisse consonam constitutionibus capitularibus, a quibus praecipitur electiones officialium fieri debere per vota secreta: quod adamussim factum est per schedulas. Ex undecim vero Canonicis votum ferentibus novem eius favore suffragium tulerunt: ex quo facto resoluta mansit eius electio. Quoad votum sibi collatum animadvertit primo id gratis asseri, et ideo etiam gratis negari posse: sed dato et non concesso quod votum sibi dederit, electio tamen per id infici nequit, utpote non contraria iuris canonici dispositionibus, et variis S. C. C. resolutionibus. Hinc in medium proferens textum in cap. *Cum in iure, de elect.* evincere sategit, capitularem qui se videt ab aliis nominari, citra ambitionis vitium in sui electionem consentire posse, aliorum votis accedendo. Ait enim Gonzales ad dictum caput sub num. 5: « Nam ut electio celebretur, tantum desideratur, ut maior pars eligentium concurrat, cap. *Coram, hoc tit.;* nec desideratur, ut maior pars eligendum eligat, sed ut in eo adsit maior pars: sed si ipse electus consentiat, maior pars in eius electione concurrit et reperitur... » Animadversum etiam fuit, ex cap. *Cum in iure, de elect.*, decerni validam electionem illius qui, obtenta suffragiorum medietate, electioni de se factae, voto suo consentit: et ideo eo magis electio Lazari valida dicenda erit, cum ex undecim Canonicis, novem eius favore votum dederint.

Hisce praemissis sequens propositum fuit EE. VV. enodandum dubium: *An Canonici Benedicti di Lazzaro in Secretarium capitularem electio sustineatur in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 140, p. 730-739].

4255.

S. C. C., *Granaten. et Mindonien.*, 28 ian. 1882.

Mense augusti anni 1870 ad exitum vergente, R̃mus Granatensis Episcopus sequens postulatum S. C. C. porrexit: « In cunctis dispensationibus, quae ab Apostolica Sede super matrimonii impedimentis conceduntur, Sanctitas Sua Officiali Episcopi haec graviter imponere solet: *Discretioni tuae... per praesentes committimus et mandamus, quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debes, monemus... de praemissis te diligenter informes... Volumus autem quod si spreta monitione nostra huiusmodi, aliquid muneris aut praemii occasione dispensationis praedictae exigere aut oblatum recipere praesumpseris, excommunicationem latae sententiae incurras...* Haec vero excommunicatio est Summo Pontifici reservata in dispensationibus in forma pauperum expeditis, et nihilominus dispensatio tunc per Officialem facienda nullius declaratur roboris vel momenti.

« Quamvis adeo clara hic appareat prohibitio, ne Officialis quidquam muneris vel praemii etiam sponte oblati, pro dispensationum Apostolicarum executione exigere, nec etiam accipere possit, illudque pluries apud Garcia, Conrado aliosque probatos auctores, istaec S. Congregatio Concilii declaraverit contrariam etiam immemorabilem consuetudinem, si qua sit, abusum et corruptelam declarando et reprobando, ut nemo se illa tueri possit; nihilominus adeo his in regionibus invaluit haec consuetudo, ut nulla, pene in tota Hispania, Curia Episcopalis inveniatur, in qua Officialis ob dispensationum Apostolicarum executionem quaedam munera, praemia vel stipendia nedum accipere, sed et exigere non soleat.

« Officiales hanc exactionem his rationibus, ut arbitror, tueri pergunt, tum ex vi consuetudinis universalis et immemorabilis, tum ob laborem, quem in studendo processu et testibus examinandis impendunt, tum quia salarium ab Episcopo vel ab Ecclesia assignatum, ut plurimum non habent, nec habere possunt, reditibus ecclesiasticis adeo nunc imminutis, tum demum quorumdam non infimae notae scriptorum auctoritate suffulti.

« Cum ergo de re hic agatur summi momenti tum, ut omnium retro Officialium conscientiae consulatur, tum maxime, ut tot dispensationum in forma pauperum expeditarum ad haec usque tempora, cum hoc vitio executioni per Officiales mandatarum, simulque matrimoniorum inde consecutorum validitati pariter consulatur, Sanctitatem Suam exoro, ut per decretum generale declarare dignetur, utrum praefata consuetudo ob allatas rationes tolerari possit, Officialesque tuta conscientia aliquid muneris vel praemii pro dispensationum Apostolicarum executione recipere, vel exigere possint, non obstantibus praefatis clausulis Litterarum Apostolicarum. Quod quidem in his tristissimis rerum adiunctis, in quibus Officiales nulla fere alia emolumenta, praeter illa quae pro dispensationum Apostolicarum executione recipiunt, recipere solent, benigne concedendum videtur.

« Quod si negative huic quaesito respondere necessarium videatur, etiam atque etiam Sanctitatem Suam deprecor, ut de opportuno remedio tantis malis providere dignetur ».

Hisce acceptis et omnibus de S. C. C. disciplina absolutis, causa acta fuit in plenariis comitiis diei 22 iunii 1871, et propositis dubiis: *An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu?* Et quatenus negative: *An et quomodo consulendum in casu?* responsum prodiit: *Dilata et ad mentem D. Secretario panditam.*

Anno 1880 per epistolam Praesulis Mindonensis quaestio haec iterum excitata fuit, ut tandem aliquando hac super controversia resolutio prodiret. Hoc epistolio recepto, quoniam inoliti iuris potissima ratio videbatur rimari posse in allegata consuetudine, abs re haud esse putatum fuit, exquirere vigentem methodum in Tribunali Cardinalis huius almae Urbis Vicarii; et simul rogatus fuit Apostolicus Nuntius in peninsula Iberica, ut referret, an asserta consuetudo esset reapse universalis; eamdem inquisitionem fieri curatum fuit per organum S. Congregationis de Propaganda Fide in nonnullis Americae Curiis.

Eñus Urbis Vicarius retulit, in sua Curia nihil ab aevo omnino lucrari executores dispensationum super impedimentis matrimonii. Officiales vero aliquid muneris vel praemii semper perceperunt et percipiunt: sed ratio et titulus huius perceptionis est labor impensus in conficiendo processu, in testibus examinandis, in exarando decreto executoriali. Quoad Hispaniam vero fere omnes illius regni Praesules unanimi choro asseruerunt consuetudinem in themate universalem et immemorabilem esse, si illud excipias, quod Curiae Episcopales discriminantur in taxarum calculo, et in personis quae eas percipiunt: aliquibus enim locis etiam Vicarii Generales earum participes fiunt, dum in aliis excluduntur.

Alius contra mos vigere comperitur in Americae regionibus, prouti ex literis datis S. C. C. per organum S. C. de Propaganda Fide patet. Inibi enim Curiae Episcopales vel nihil omnino, vel si quid percipiunt, id raro cedit favore Curiae Cancellarii, sed vel ad expensas Cancellariae solvendas, vel tamquam eleemosyna in pium opus impenditur.

Praeprimis minime dubitari posse videtur quin allata Litterarum Apostolicarum verba verum praeceptum importent. Quandoquidem Pontifex casum expendens, quo executor, spreta monitione, aliquid muneris seu stipendii accipere sive exigere praesumat, excommunicationis poena ipso facto incurrenda eum multat, et si de dispensationibus in forma pauperum expeditis agatur, dispensationem ipsam invalidat. Iamvero haec omnia firmam supremi Principis, aliquid iubentis, voluntatem luce meridiana clarius ostendunt.

Illud autem haud praetercam, Auctores non infimae sane notae arbitratos esse discrimen intercedere inter munera ac stipendium impenso labori respondens. Hi licet cum communi DD. sustineant per memorata Apostolicarum Litterarum verba interdici munera seu magna praemia, persuadere tamen sibi nequeunt etiam tenuia stipendia sive sportulas proscribi.

Alii vero Auctores allata distinctione posthabita, tenent per eas clausulas nedum vetari executoribus dispensationum sive Episcopis, sive Vicariis Generalibus, ne praemia remuneratoria recipiant, verum etiam ne stipendia et sportulas titulo laboris, visurae, aut decreti exigant. Et haec sententia praevaluisse visa est.

Nec movet consuetudo, qua Officiales factum suum tueri posse contendunt. Siquidem munerum prohibitio toties expresse renovatur, quoties Litterarum Apostolicarum executio committitur. Praeterea Supremus Princeps in omnibus Literis dispensationum matrimonialium semper apponit et repetit dictam clausulam, qua praemia sive munera cuiuscumque generis interdicuntur. Atqui contradictio Principis, ut compertissimi iuris est, omnem contrariam consuetudinem interrumpit et annullat, cap. fin., *de consuetud.* Immo Pontifex comminatione censurae prohibitionem suam communit, et bina vice in singulis Literis eam repetit.

Ceterum sententia enunciatae consuetudini adversa confirmationem accipit ex causa cui titulus *Dubia super exec. disp. matrim.* et folium legitur ad diem 16 decembris 1766. In ea praemissis ex officio nonnullis animadversionibus, proposita fuere dubia: I. *An liceat Vicario Generali aliquid muneris*

sive stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione, et sigillo sive alia qualibet de causa et titulo in executione literarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis in casu? II. *An, quibus et quomodo sit locus restitutioni in casu?* Die 20 ianuarii 1767 resolutio prodiit: *Ad primum: negative. Ad secundum: ad Dominum Secretarium cum SSmo pro absolutione ad cautelam, et condonatione.*

Verumtamen, si forte, prout coniici posse videtur, Dioecesis et Regnum, de quibus res est in allata causa, ad Hispanias pertinerent, videant Eñi Patres, num mutata hodiedum in peius oeconomica illarum Curiarum conditio aliquam considerationem mereatur. Deinde perpendendum est, quod magnum sibi pondus vindicare videtur consuetudo, de qua sermo est: quippe quae non solum in Dioecesi Granatensi, sed in toto fere Hispaniae regno atque alibi extra Hispaniam, imo in hac alma Urbe ab immemorabili viget, et nimis durum esse videtur tot probos viros gravissimae ignorantiae aut flagitii insimulare. Eapropter misso quod longaevae consuetudinis non levis sit auctoritas per textum expressum in Leg. 2, c., *quae sit longa consuetud.* et cap. fin., *de consuetud.*, observandum in themate est quod si consuetudo admitti non libeat tamquam iuris abrogativa, in linea tamen *praesumptiva* et *interpretativa* fortasse despicienda non videtur, cum adeo graves et extraordinariae intersint rerum temporumque circumstantiae ac adiuncta, ut nemo sanae mentis dubitet quod Summus Pontifex, iis cognitis, praedicta prohibitione Officiales haud obstrinxisset. Eo fortius quia de Officialibus agitur, quibus Episcopi, attentis tristissimis Hispaniae conditionibus, alia ex parte honestam sustentationem assignare nequeant; et aliunde omnia iura clamant ut ab iis quis sustentetur, pro quorum utilitate laborat. Sane ipse Bonifacius VIII, qui iudicibus delegatis munera interdixit, caute decrevit, ut in posterum illi solummodo delegarentur, qui forent de congruo Beneficio provisi cap. 11, *de rescriptis*, in VI. Nec prohibitionem suam extendere voluit ad casum, quo necesse foret delegare ecclesiasticos de congruo beneficio non provisos. Nec alia fuit mens Patrum Conc. Trid., Sess. 25, cap. 10, *de ref.* Praeterea adeo modicum est stipendium, quod Officiales percipiunt, ut omnino cum labore in instruendo processu impenso proportionem dicat, nec pugnet proinde cum fine, quo motus Pontifex munera prohibet: scilicet ne muneribus corruptus iudex officium suum minus probe obeat. Corrumpi namque iudices a munerum liberalitate possunt, non autem a nudo tenuique stipendio, quod non a dantis gratia, sed necessitate largitur.

Hisce itaque praeiactis, EE. VV. enodandum propositum fuit sequens dubium:

I. *An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Quoad executores negative in omnibus. [Thesaurus Resolutionum, tom. 141, p. 38-49].

4256.

S. C. C., *Faventina*, 20 maii 1882.

Sodalitii SSmi Sacramenti erecti in Oppido Russi, Dioecesis Faventinae, administratio, ab immemorabili tempore legibus gubernabatur generalibus. Res ita moderatae pacifice ad annum 1827 pervenerunt; qua tempestate Vicarius Capitularis censuit, inaudito Sodalitio, precarias condere leges ad nonnulla avertenda iurgia inter sodales oborta, nonnullaque vitia, quae in bonorum administrationem irrepserant. Attamen leges effroenes conditae fuere, quae potius controversias, quam pacem foverunt inter Sodales et Archipresbyterum, qui ex novis legibus, munere fungens Delegati Episcopi, censuit posse omnia Sodalitii negocia proprio moderari arbitrio, sub nullitatis poena. Hisce ergo malis ut medelam afferret Sodalitium, unanimi suffragio propria condere statuta decrevit. Quibus absolutis anno 1877 Episcopo eadem exhibuerunt pro approbatione; quam dare renuit, quoniam, ait ille, perfecta haud essent. Hac Sodales pertaesi agendi ratione, ad S. C. Congregationem convolarunt, Apostolicam expetentes approbationem.

Tritum in iure est, quod qualibet universitas, sive Collegium possit legem statuere circa ea, quae concernunt eius particulare regimen. Ac proinde, dummodo statutum sit licitum et honestum, omnes de Collegio obligat, atque inter eos est omnino servandum. Oportet tamen, ut huiusmodi Universitas sive Collegium fuerit per Superiorem approbatum: nam alioquin potius conventiculae nomen sortiretur, nullumque ius statuti condendi haberet. Atqui Confraternitas SSmi Sacramenti ab Episcopis approbata fuit. Quare meridiana luce fulget pollere praerogativa condendi statuta super iis, quae regimen ipsiusmet Confraternitatis pertingunt. Futili at vero studio Episcopus oggerit, statuta adversari Synodalibus Constitutionibus. Siquidem gratis id asserit. Ergo gratis reiicitur, iuxta vetus adagium. Imo tenues in auras abit quaelibet contradictio, si conferatur Caput VII Synodi Dioecesanae, *De Piis laicorum Sodalitatibus* cum capite Statutorum, cui titulus: *De subiectione Sodalitii erga auctoritatem Ordinarii Dioecesani*. Patula enim est devotio et servitus pii Sodalitii erga Ordinarium, et plena huiusmodi statutorum conformitas Constitutionibus Apostolicis hac super re latis.

Inani aeque labore tuetur Episcopus eleemosynas factas a dicto Sodalitio beneficentiae gratia, esse contra naturam et indolem eiusdem Confraternitatis. Siquidem pax est inter omnes scriptores rerum ecclesiasticarum, Sodalitia instituta fuisse ad exercenda officia pietatis, charitatis, et misericordiae.

Praeterea animadversum quoque fuit: si opera beneficentiae homogenea sunt indoli Sodalitii huius, mensuram istorum quisquis videt esse committendam prudentiae et conscientiae administratorum, qui a fratribus eliguntur et ab Episcopo approbationem recipiunt. Auctoritas autem Episcopi interponi tunc solummodo posset, cum administratores, propria auctoritate, alia posthaberent onera, ut locupletiora darent subsidia caritatis. Hoc in casu Episcopus onere obstringeretur corrigendi abusus administrationis. Ast

adhuc omnia completa adamussim fuisse onera iuxta testatorum voluntatem, ipse Episcopus testimonium perhibet, qui onerum regestra vidit semperque collaudavit. Ast obiicit Episcopus, in testamentis nullum fit de subsidiis verbum; quum autem legata relicta fuerint Confraternitati SSmi Sacramenti, praesumendum est eadem eroganda esse in SSmi Sacramenti honorem. Cui obiectioni responsum fuit: recta ratio docet, administratores posse utiliori modo libere disponere de legatis, quibus a donatoribus nulla imposita fuit lex: praeterea administrationis documentis liquidum fit maiorem redituum partem addici divino cultui, longeque minorem erogari quotannis in subsidia caritatis.

Ex hactenus enucleatis erui posse videtur, statuta approbanda fore, quippe quae consona sunt constitutionibus Apostolicis, et resolutionibus S. Congr. Conc. in *Assisien.*, 10 sept. 1785,[1] in *Senogallien.*, 4 iunii 1701.[2]

Altera autem ex parte Episcopus protuetur statuta Confraternitatis SSmi Sacramenti approbatione digna haudquaquam esse. Siquidem omnes norunt, leges repugnantes et Concilio Tridentino et praescriptionibus Synodalibus, et generalibus Decretis laicorum Sodalitiorum penitus amandandas esse. Porro nova statuta Confraternitatis SSmi Sacramenti ita se habere, ostendere sategit Antistes. Et re quidem vera, ait, in art. 3 Statutorum legere est: Confraternitatis obiectum esse divinum cultum, pietatem, et acta publicae beneficentiae. Ast de publica beneficentia nusquam recurrit sermo in legatis favore huius Sodalitii relictis. Beneficentia excluditur a Statuto condito per Vicarium Capitularem, et per duo mei Antecessoris decreta. In art. 7 statuitur: Officiales permanere debere in suo officio tres annos; ast, ait, dispositio haec adversatur decretis S. C. Ep. et Reg., Synodo Dioecesanae et statuto Vicarii Capitularis anni 1827. In art. 23-26 dicuntur validae convocationes fratrum, absente quoque Episcopi delegato. Id adversatur episcopali decreto anni 1773; quo iuxta consuetudines antiquas onus imponitur Archipresbytero assistendi Sodalitii coetibus, sub nullitatis poena. Praeterea hic omittitur, sodalitii resolutiones Episcopo esse transmittendas pro approbatione.

In art. 28 legitur: Congregatio intererit cunctis eiusdem sacris functionibus. Curnam non determinantur, quaenam sint hae functiones? Forsan arbitrium confratrum earumdem numerum moderabitur?

In art. 29 quomodo, ait, omittitur onus visitandi infirmos confratres, eosdemque exhortandi ad Confessionem et Communionem?

In art. 33 minus proprie dicitur: Sodalitium subiici Episcopi vigilantiae; dum eius iurisdictioni subiectum esse debet. Iuxta autem Trid., Sess. 22, cap. 9, *de ref.*, *administratores teneantur reddere rationem administrationis Ordinario*. In hoc autem articulo dicitur, rationem administrationis esse Episcopo reddendam, quatenus eam exposcat.

In art. 35 dicitur: Delegatus suffragium non dabit in coetibus; quod adversatur perantiquis consuetudinibus, decreto Episcopi 1773, et Statuto

[1] Cf. N. 3846.
[2] Cf. N. 2985.

Vicarii Capitularis; hoc si nunc relinquatur, funestae metuendae sunt consequentiae; eo quod mens Sodalitii est, ut ab auctoritate ecclesiastica sese emancipet. Tandem animadvertit Episcopus, nova Statuta esse omnino respuenda, utpote quae nihil innuant, quosnam in actus pietatis et religionis sodales sese exercere debeant, iuxta Constitutionem Pauli III, *Dominus Noster*, § 8,[1] et iuxta Synodum Dioecesanam.

Quibus praenotatis, propositum fuit dirimendum sequens dubium: *An novae Constitutiones Sodalitii sub invocatione SSmi Sacramenti in omnibus et singulis articulis sint approbandae vel improbandae in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative iuxta modum D. Secretario patefactum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 141, p. 300-312].

4257.

S. C. C., *Feltren.*, 15 iul. 1882.

Labente saeculo XVI Feltriensis civitas, eiusque suburbia unicam constituebant Paroeciam, cuius habitualis cura penes Capitulum cathedralis Ecclesiae, actualis vero a duobus Vicariis (Sacristae nuncupati), quorum unus Canonicus, alius Mansionarius, alternis hebdomadis, gerebatur. Cum autem memorati Vicarii omnibus fidelibus sacramenta indiscriminatim administrarent, aliaque parochialia munia promiscue peragerent, huiusmodi animarum curae exercendae ratio multis incommodis obnoxia, ac in spirituale populi detrimentum vergere videbatur. Quod animadvertens Faventinus Episcopus, Visitator Apostolicus, animarum curae aptiori modo consulere satagens, die 30 augusti 1584 decretum edidit, quo statuit, ut Feltriensis Episcopus « quamprimum sibi id expedire videbitur, populum ipsum in duas Parochias distinguat, ita ut Sacristae praedicti suos quisque proprios parochianos agnoscat, ipsorumque curam habeat... iuxta eiusdem Concilii (Tridentini) dispositionem ». Huiusmodi mandatum Rovellius Episcopus Feltriensis suo decreto diei 1 iunii 1593 executus fuit.

Quare nemo unquam exinde dubitavit, duas proprie dictas Paroecias, duosque veros Parochos actuales, seu Vicarios curatos Feltriae extare. Verum parochiale praefatorum Vicariorum officium, ita temporis progressu coarctatum fuit, ut saltem in civitate ad haec tria redactum sit, nempe ad baptismi collationem, matrimoniorum benedictionem, ac sacramentorum vita decedentibus administrationem.

Pueris in christianae doctrinae rudimentis edocendis operam dant Vicarii curati quoad suburbiorum tantummodo pagos; in civitate autem id sibi competere Capitulum arbitratur, ex cuius delegatione quidam, seu Canonici, seu simplices sacerdotes, pueros utique et puellas in diversis Ecclesiis cathechismum edocent, quin tamen ullus curam agat, ut pueri ipsi sacrae huic institutioni fideliter adsint, et quin Vicariis curatis comper-

[1] Die 30 nov. 1539. — Bull. Rom., tom. 4, I, p. 167-170.

tum sit, quinam ex propria cuiusque Paroecia institutionem eamdem frequentent, aut negligant.

Haec et alia cum, pastoralis Visitationis occasione, actualis Episcopus deprehenderit, cumque plura inde in populum detrimenta derivare perspexerit, in id animum intendit, ut remedia, quae his abusibus evellendis opportuniora viderentur, adhiberet. Verum Episcopi praeceptum aegre tulit Capitulum; hinc Decanus, eius nomine, supplicem libellum S. C. C. obtulit. Episcopus a S. C. C. rogatus retulit, Capitulum convocasse, ut, collatis cum ipso consiliis, huiusmodi controversiae, aliaeque exercitium parochialis curae respicientes componerentur; cum autem nihil proficeret, rogavit ut mentem suam S. C. aperiret.

Inter caetera contendit Capitulum, sustinendam esse consuetudinem, qua ius ac directio christianae doctrinae, civitatis pueris tradendae, Capitulo reservatur, suburbiorum puerorum cura Vicariis relicta. Huiusmodi enim munus haud ita exclusivum Parochi videtur, ut aliis etiam ab ipso Parocho independenter competere non possit. Quod si in perdita hypothesi EE. VV. iudicabunt, dictam consuetudinem fore abrogandam, minime tamen sequi videretur, Episcopum adigere posse Sacerdotes, animarum curae non addictos, ut pueros fidei rudimenta doceant. Nulla enim obligatio est imponenda nisi sacris canonibus innitatur. Porro tum Trident. Conc. tum Constitutiones Pontificum hoc munus Parochis demandarunt.

E contra Episcopus sustinet abrogandam esse consuetudinem, qua Capitulum ius sibi vindicat, civitatis pueros, independenter a Vicariis, fidei rudimentis imbuendi. Opposita enim apparet praescriptioni Trid., Sess. 24, cap. 7, *de ref.*, ubi huiusmodi munus Parochis committitur praecipiendo, ut dominicis et aliis festivis diebus pueri in singulis Parochiis fidei rudimenta doceantur. Quare etsi laude dignum Capitulum sit, eo quia in pueris erudiendis opem Vicariis ferat, absonum tamen apparet, ut ait Episcopus, quod in civitate ius hoc et cura huiusmodi habeantur ceu Capituli propria. Hinc decernendum videtur, ut sub Parochorum directione Capitulum operam suam exhibeat.

Cum autem satis experientia compertum sit, Parochos ad id operis impares omnino esse, ambigendum non videtur posse Episcopum exigere, ut Clerici, qui tonsura initiari cupiunt, vel ad Ordines maiores ascendere, aut Sacerdotes, qui ad ecclesiastica beneficia promoveri exoptant, Parochos coadiuvent in christianam doctrinam pueros docendo: Benedictus XIV, const. *Etsi minime*, §§ 6 et 14.[1] Clerici enim alicui Ecclesiae addicti, et Dei servitio mancipati, Episcopi mandatis parere tenentur in iis operibus, quae divinum cultum, et spiritualem populi profectum respiciunt, nam Clerici et Sacerdotes pro populi salute sunt a Deo constituti. Quin imo eorum adiutorium Episcopus, ubi necessitas expostulet, exigere potest, *gravibus etiam statutis poenis*, ut ex citata const. § 14. Concinunt quae statuta fuerunt a S. Carolo Borromaeo in *Synodo undecima Dioecesana Mediolanensi*, part. 2, tom. 1, pag. 320; ibi enim imposita legitur pecuniaria poena Sacer-

[1] Cf. N. 324.

dotibus non coadiuvantibus Parochos in munere docendae christianae doctrinae: « Quicumque Sacerdos, aut beneficium obtinens Parochum non adiuverit, mulctetur duobus nummis realibus ».

Hisce ex utraque parte animadversis dignentur EE. VV. dirimere dubia:

9. *An consuetudo, qua ius, ac directionem Christianae Doctrinae tradendae civitatis pueris Capitulum sibi vindicat, sustineatur in casu?* Et quatenus negative:

10. *An possit Episcopus Sacerdotes, animarum curae minime addictos, ad Christianam Doctrinam docendam adigere in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 9. Negative.

Ad 10. Generaliter loquendo negative; et Episcopus stet constitutioni Benedicti XIV, Etsi minime.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 141, p. 421-445].

4258.

S. C. C., *Neapolitana*, 7 apr. 1883.

Legionis Hungaricae Officialis Leo Kovács famigerato Duci in Siciliae invasione manum praestans, anno 1860 Panormi cum nobili iuvene Eleonora Moleti amicitiae foedus iniit: quod tamen aliquod per tempus abruptum, ob discessum Leonis e civitate Panormitana, anno 1865 per amatorias litteras iterum instauratum fuit. Muliere tandem instigante, Leo ex *Tövis Transilvaniae* mandatum procurationis cum suo nomine et duorum testium inscripto transmisit in *folio albo* Eleonorae, ut matrimonium celebraretur. Quod revera effectum est die 22 februarii anni 1866 Neapoli, ritu catholico servato, procurationis mandatum exequente Iosepho Gangi, haud cognito a Leone, qui cum Eleonora 27 annos tunc nata matrimonium contraxit. Sub fine eiusdem anni Leo Neapolim primum, indeque Panormum, venit, ubi sponsa tunc morabatur, coniugalem vitam cum ipsa praestiturus; paucisque post diebus nempe die 13 decembris contractu civili sese obligarunt, ut vir posset in bona uxoris ius exercere. Paulo post sponsi Hungariam petierunt; verum biennio coniugii nondum expleto, ob iurgia et contentiones inter ipsos exortas, invicem separari statuerunt; atque in Italiam reversi, Eleonora paternam domum, Leo vero iterum Szathmarium se contulit.

Verum iam inde ab anno 1871 exoptans Eleonora religioso vinculo dissolvi, Curiam Neapolitanam adiverat expostulans, ut matrimonium ab ipsa cum Leone, per procuratorem contractum, declararetur nullum ex capite clandestinitatis et impotentiae absolutae et antecedentis, ex parte viri. Quod postulavit et Leo: illam tamen provinciam deseruerunt, actionem instituentes ex defectu consensus viri Matrimonio religioso, et ex vitio essentiali procurationis, utpote *albo folio* continentis nomen subscriptum Leonis et duorum testium, et cuius mandatum limitari hic intenderat ad contractum civile.

Maxima diligentia efformato processu ad normam ss. Canonum et Benedictinae Constitutionis, [1] die 17 augusti 1872 Curia Neapolitana sententiam protulit, qua declaravit: *Constare de validitate Matrimonii initi inter Dominum Leonem Kovács et Eleonoram Moleti die 22 februarii 1866, coram Parocho SSñae Ascensionis in hac Archidioecesi.*

Ut haec sententia Leoni innotuit, intra legitima tempora appellationem ad S. Sedem interposuit. Quin vero appellationis iudicii exitum expectaret, Catholica Religione abiurata, massonicae sectae iam adscriptus, calvinianam quoque ingressus est, omnique vinculo solutum se reputans die 19 aprilis 1873 aliud iniit coniugium, prolemque suscepit.

Eleonora autem, supplici dato libello, petiit ab Apostolica Sede, ut, infirmata Curiae Archiepiscopalis sententia, nullum declararetur suum matrimonium cum Leone. Ad hunc finem obtinendum exhibuit Eleonora epistolium Leonis revocantis mandatum procurationis, conscriptum ex Clausemburg die 10 februarii 1866, paulo ante matrimonium.

Cum vero Eleonora, ex Archiepiscopi Panormitani attestatione, modo in egestate versetur, causa oeconomice proponitur cum animadversionibus defensoris matrimonii ex officio, una cum voto theologi et canonistae, qui in diversas abeunt sententias: et quorum synopsim inferius damus.

Nullimode recedendum sed omnino standum esse neapolitanae sententiae, in favorem vinculi matrimonialis prolatae, censuit Theologus. Et re quidem vera iuxta Decretum pro instructione Armenorum in Concilio Florentino, [2] declaratur causam efficientem matrimonii consistere in consensu, per verba de praesenti regulariter expresso; uti etiam docet D. Thomas in 4 Sent., d. 28, q. unica, art. 5, et in Supp., q. 45, art. 5. Hinc a Trid., Sess. 24, cap. 1, *de ref. matrim.*, sapientissime nulla et irrita declarantur matrimonia clandestina, in quibus praestitus consensus non ita facile semper evinci posset; et constitutum fuit, ut consensus exprimeretur coram parocho et duobus testibus.

Verumtamen matrimonium per epistolam et per procuratorem quoque celebratum, ait Billuart, *tract. de matrim.*, dis. 1, art. 4, esse verum sacramentum; etsi gravissimi theologi eant in contrariam sententiam. Etiam ex Bened. XIV, *De Synodo dioeces.*, lib. 13, cap. 23, n. 9, eruitur, quod matrimonium inter absentes sive per procuratorem sive per litteras, sive per nuntios celebratum, non solum est validum ratione contractus, sed etiam ratione sacramenti.

Ab hisce generalibus principiis descendit consultor ad casum, de quo agitur, animadvertitque matrimonium hoc haud celebratum fuisse instantanee, ac brevissimo temporis spatio conclusum. Ex litteris relatis in actis processus constat, Leonem personaliter cognovisse Eleonoram Panormi usque ab anno 1860. Eruitur autem ex epistola Leonis diei 22 augusti 1865 ad Eleonoram data, pertractari coepisse hoc tempore de matrimonio ineundo. Ex aliis autem litteris quae sequuntur inter utramque partem,

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. N. 52.

clarum fit, Leonem consensum praebuisse pro matrimonio per procuratorem, eo quod politica auctoritas haud sineret illum petere Italiam.

Alia in actis subsequitur epistola, quae maxima diligentia ponderanda est, ab ipso Leone die 5 novembris 1865 conscripta. Siquidem in ea, post nonnulla verba erga Eleonoram maxime affectuosa, subiungit Leo: en chartae quas tu valde desideras... tertia charta est alba, a me subsignata et a testibus tantum. Haud scripsi declarationem ne errarem, sed cura, ut Neapoli scribatur quidquid oportuerit. Atque ita remotam esse omnem difficultatem censeo; de qua re me certiorem scriptis reddet mea adorata uxor.

In primis quod dicit Leo in hac epistola, plene respondet promissioni iam ab ipso factae assentiendi matrimonio per procuratorem; quae promissio expressa invenitur in epistola 12. Dein mittit, quod tantum deerat, *folium album*, in quo conscribendus erat Neapoli actus procurationis pro matrimonio celebrando. Quod pariter folium album a Leone transmissum sit illud idem, super quod Eleonora actum procurationis scripsit, vel ut ab alio scriberetur curavit, certum est; quia testes sunt illi iidem, et quidem propria manu subscripti, quos nominat Leo in sua epistola ex parte relata. Misit ergo Leo illud folium, ea intentione, ea praecisa voluntate, ut in ipso actus procurationis pro matrimonio celebrando scriberetur.

Ex quibus, ni fallor, satis evidenter eruitur, quod dum agitur de validitate matrimonii per procuratorem celebrati investiganda, non tam de modo quo fuit procurator constitutus, non de forma actus procurationis, non de modo quo scriptae fuerunt epistolae, sed de consensu mandantis in matrimonium, tali modo celebrandum, debemus primo et principaliter esse solliciti. Etsi enim ad licite ac prudenter celebrandum tali modo matrimonium, maxima adhibenda sit cautela, ut omnes tum theologi tum canonistae conveniunt, haec tamen praetermittenda omnino sunt, dum quaestio de validitate matrimonii iam contracti agitatur, ac de sola validitate investigandum est. Concedendum ergo est in casu nostro Eleonoram ficte ac imprudenter egisse, dum a semetipsa implevit, vel ut impleretur curavit folium a Leone cum propria subscriptione, cum subscriptione duorum testium, ac publici Notarii ei transmissum et in eo scripsit propria manu, ut ipsa dicit, vel ut ab altero scriberetur curavit actus procurationis; sed fictio ac imprudentia Eleonorae, dum folium, uti in Transilvania a Leone conscriptum exhibuit, haud officit validitati matrimonii, de quo agitur. Statim ac enim accepit a Leone folium cum facultate scribendi vel curandi, ut in illo scriberetur actus procurationis, ipsa *valide* potuit uti hoc medio externo et sensibili ad exprimendum Leonis sponsi consensum coram parocho et testibus. Ipsa in casu constituta fuit a Leone sicut procuratrix cum facultate alium constituendi procuratorem, qui ipsum Leonem in celebratione matrimonii repraesentaret.

Dein ostendere sategit consultor, consensum Leonis perseverasse usque ad diem et tempus quo fuit matrimonium celebratum; qua in re una reperitur ex conditionibus necessariis ad validitatem matrimonii per procuratorem celebrati. Idque eruit ex epistola Leonis diei 6 decembris 1865, ad Eleonoram, quae sic se habet: censeo te iam recepisse meam epistolam, una cum documentis desideratis; nullumque superesse posse obstaculum nostrae

unioni... pro certo habe, omnes cogitationes meas ad te dirigi, meque patientia carere longius praestolandi, ut tibi devinctus, cum te vivere in aevum valeam. Curam habe de valetudine tua, deque vita tua, quae non amplius ad te pertinet. Perseverabat ergo in sponso voluntas et consensus in matrimonium, uno circiter mense post transmissionem documentorum, quae ad matrimonium celebrandum necessaria erant. Sub die 31 decembris 1865 scripsit Leo aliam epistolam ad ducissam Ravaschieri Panormi, ut gratias eidem referret pro curis ab eadem impensis in conciliando hoc matrimonio. Porro celebratis nuptiis Eleonorae gratulatus est per epistolam diei 1 martii 1866, eam sic alloquens: *possum te vocare dulci nomine sponsae meae? somnium mihi videtur! Esse tecum iam vellem*. Iterum die 7 martii 1866 in alia epistola Eleonorae conscripta, eamdem appellat: *mea cara, uxor adorata... aspice, tibi candide scribo ceu maritus: vale uxor adorata*. In hac eadem epistola exprimit desiderium vehementissimum habendi cito apud se sponsam in Hungaria, modumque indicat tenendum, ut cito cum illa uniri possit. Profecto hic modus loquendi, si quid valet, si quid significat, evidenter ostendit, quod Leo haudquaquam retractaverat suum consensum in matrimonium.

Mense novembri eiusdem anni 1866 Leo Neapolim appulit; dein Panormum perrexit, quo tunc Eleonora redierat. Hic contractum civilem, quem civile matrimonium vocant, die 13 decembris eiusdem anni regulariter contraxerunt. Circa hoc factum, quod per seipsum maximam vim habet ad ostendendum, quod Leo in sua voluntate vel consensu perseverabat, notandum venit ipsum, statim ac Neapolim appulit, monuisse, medio telegrapho, Eleonoram de suo adventu; cum qua egit Panormi sicut maritus cum uxore; ita ut matrimonium consummasse uterque referat.

Hisce de medio sublatis, celebris remanet epistola quae dicitur a Leone conscripta sub die 10 februarii 1866, et in qua videtur revocasse suum consensum in matrimonium cum Eleonora, per procuratorem celebrandum.

Doctissimus Consultor omnia adiuncta, quae relationem habent cum epistola, districte examinat comparative ad eamdem, et felici demonstratione colligit epistolam huiusmodi haud conscriptam fuisse tempore utili ad revocandum consensum; sed confictam fuisse ad rem, cum appellandum erat a sententia Curiae Neapolitanae.

Ex gestorum serie duplex enascitur, ait Canonista, distincta quaestio: 1. utrum constet de existentia legitimi mandati procurationis, ante factam revocationem; 2. mandatum procurationis si quod existit, an censendum sit tempore utili revocatum.

A secunda quaestione tamen incepit consultor quia, ait ille, probatio facilior, brevior et per se plena est; et etiam sola ad statuendam matrimonii asserti nullitatem sufficit. Quia in hac causa factum sequutae revocationis ante initum matrimonium: cardo est, quo praecipue innititur appellatio ad S. C. C. Fatetur enim Eleonora epistolam Leonis, qua peremptorie revocatio mandati probatur, non fuisse a se prolatam apud curiam Neapolitanam in prima iudicii sede, quia nesciebat, nec ab aliquo certior facta est de epistolae illius valore. Epistola haec tanti est momenti ut per eam quaestio resolvatur; et ideo quoad eam quaesivit consultor: 1. an ea sit Leonis manu

exarata, et insuper ea die scripta, quae ibi notatur; 2. utrum in ea vera contineatur ac valida procurationis cuiuslibet antecedentis revocatio, et nominatim revocatio in specie, hoc est in ordine ad matrimonium, quod contrahendum erat in facie ecclesiae; 3. utrum saltem factum aliquod posterius matrimonio inito extiterit, quo revocationis vis elidi potuerit; scilicet utrum matrimonium coram Ecclesia sic initum, Leo ut cognovit, ratum habuerit.

Et quoad primum ait: satis constare de illius epistolae authentia, tum relate ad personam, tum relate ad tempus, et nihil proferri posse, quod probet iuridice oppositum. Quod haec epistola scripta fuerit manu Leonis, testis est peritus calligraphus, qui id testari paratus est etiam iuramenti religione. Idem declarant Legatio Austro-Hungarica apud S. Sedem, et Theresia Ravaschieri. In ipsa epistola habetur argumentum: sermo est in eodem de bello, quod imminens dicebatur, quod constat revera exarsisse medio anno 1866: hinc nota realis cohaeret cum nota chronologica, et impossibilis evadit suspicio collusionis. Praeterea confirmatur ex scopo, quem Leo habebat aucupandi bona deceptae mulieris: ad quem pervenire poterat per solum matrimonium civile. Et in hunc finem, quum in Italiam venit exeunte anno 1866, conficere curavit matrimonium civile: et bona, quibus inhiavit, maxima ex parte sibi vindicavit et obligurivit. Hinc intelligitur, quare mandatum revocaverit, quando novit agi de matrimonio vero seu ecclesiastico. Genuina ergo est epistola et iuridice authentica. Quoad secundum, ait Consultor: in ea epistola contineri revocationem cuiuscumque mandati procurationis et in specie exclusionem peremptoriam mandati ad contrahendum in facie ecclesiae; ideoque nullitatem sequuti matrimonii plena et evidenti probatione iure constare. Etenim epistola illa tota in eo versatur, ut quemlibet tractatum matrimonii abrumpat; et in specie excludit matrimonium contrahendum in facie ecclesiae. Imo vero diserte ac peremptorie affirmat, omnia quae praecesserant, unicum hunc scopum agnovisse, ut scilicet iniretur matrimonium civile. Hinc dicendum est Iosephum Gangi nulla legitima procuratione munitum invalide matrimonium contraxisse. Etenim ex cap. fin., *de proc.*, in 6, praeter alia, requiritur ut *ante contractum matrimonium revocatum non fuerit mandatum, etiamsi procurator factum revocationis ignoret*. Id repetendum est ex ipsius matrimonii natura et essentia, quae in mutuo contrahentium consensu tota est.

Ergo, ait Consultor, ex superius dictis duo in tuto posita sunt, nempe authentia epistolae et eius vis probatoria intrinseca pro nullitate matrimonii.

Adversus haec omnia dici nequit constare de facto et de iure ratihabitionis ad matrimonii validitatem. Constat enim nullam verbis factam fuisse coram Parocho, neque per epistolas, neque per consummationem matrimonii, et coniugum cohabitationem, neque per celebrationem matrimonii civilis. Nam haec in casu vel non habentur, vel quae ex iis forte adsunt, non sufficiunt ad probandam matrimonii validitatem. Curia autem Neapolitana falso laborat supposito, quando censuit nullam fuisse revocationem, quae eidem fuit ignota.

Consultor huc quum pervenisset ait: quamvis ex mandati revocatione

satis constet de asserti matrimonii nullitate, tamen ea summatim perpendere in animo est, quae adducunt ad denegandam ipsam legitimi mandati existentiam. Et primo certum est mandatum illud, quod prostat in actis, italica lingua conscriptum, falsum esse; nam omnes consentiunt quod Leo ad contrahendum per procuratorem misit *folium album* adscripto dumtaxat nomine suo et duorum testium, absque ulla authentica confirmatione Legationis Italicae in Austro-Hungaria. Praeterea nomen procuratoris in eo conscriptum fuit a Ducissa Ravaschieri. Et id sufficit, ut documentum tamquam falsum reiiceretur. At dici posset, in iure non praecipi, ut mandatum non sit scripto datum cap. fin., *de proc.*, in 6. Cui respondit Consultor: si aliunde verbis vel litteris constitisset de vera voluntate Leonis contrahendi matrimonium ecclesiasticum cum Eleonora et illum designandi procuratorem, quem ducissa Ravaschieri delegisset, mandatum illud, licet falsum, exhibuisset tamen veram mentem Leonis. Sed nihil horum in casu est: nam Leo dicit omnia quae praecesserunt, facta fuisse pro matrimonio civili.

Dolet Defensor vinculi quod consultores in diversam abierint sententiam; sed tum ex officio tum ex animo adhaeret Theologo, paratus ad diluenda ea, quae in contrario a Canonista afferuntur. Interim animadvertit totam quaestionem duplici cardine versari: nam dubitatum est, utrum datum mandatum respiceret tantum matrimonium civile vel etiam ecclesiasticum. Suppositum vero utriusque quaestionis est, quod vera, legitima et efficax ab initio procuratio extiterit. Negat id Canonista, quia procuratio missa fuit per folium album, et scripta lingua italica in Transilvania: sed respondit id arguere posse falsitatem materialem non formalem. Neque mirandum quod procuratio fuerit scripta lingua italica, ex quo Leo litteras scripsit hoc idiomate ad curiam Neapolitanam, ad R. Pontificem, haud exclusa epistola mandati revocatoria. Quod autem careat confirmatione Legationis italicae, importat tantum, dictam procurationem legali carere authentia, sed non amittere ex hoc naturalem vim, quam Ecclesia semper sequitur, cum deficiunt leges civiles aut sacri canones.

Edicit autem Canonista mandatum procurationis certae et determinatae personae fieri debere ad contrahendum cum certa et determinata persona ad mentem eiusdem S. C. Concilii; quae certe uti nullum haberet mandatum per folium album. Reposuit Vindex: folium dari potest ad matrimonium pro mandante contrahendum, quin sive ex tractatibus antea extantibus, sive ex epistolis super proposito matrimonio scriptis, sive ex testibus negocii consciis, constet quaenam esset persona, cui procurator mandantis nomine nubere debuisset. Hoc in casu convenio nullius ponderis esse mandatum; sed si aliunde constet, quaenam fuerit mandantis voluntas, folii scribendi causa, persona cuius is nuptias inhiabat, dici nequit, huiusmodi folium non respicere determinatas personas. Inter Leonem autem et Eleonoram ita est.

Est ne porro certum, Leonem noluisse matrimonium ecclesiasticum? et ex arbitrio mulier de eo sermonem fecisse in mandato procurationis? Id asserit uterque coniux, id Canonista tenet: sed primi falsum asserunt, alter ex eorum dictis deceptus est. In epistolis nullum verbum reperitur, quamvis

saepe sponsi agant de matrimonio ineundo, quo sponsorum intentio et voluntas ad solum matrimonium civile restricta referatur. Neque inter alia obliviscendum est, Leonem nullam quaerimoniam movisse, quod ritu religioso nuptiae initae essent, praeter eius voluntatem et mandatum, quando Panormum venit. Ibi Eleonoram amplexus est uti veram uxorem, et maritalem consuetudinem cum ea exercuit. Utique Leo aliquot dies post, contractum civile inire studuit, sed non quatenus nullum agnoverit ecclesiasticum, sed ut nuptiae etiam coram gubernio, inspecta nova lege, firmae manerent.

Tandem sacri vinculi vindex ad mandati revocationem venit: dixitque gravissimam esse quaestionem, quae ex genuinitate exhibiti documenti pendet. Ast genuina ne est epistola quae in actis extat? Dubium exurgit circa diem, quem praesefert; nam relate ad scripturam uterque consultor tenet fuisse exaratam a Leone, eo quod peritus calligraphus ita esse iudicavit. Sed haec peritia ab Eleonora provocata fuit et est extraiudicialis; et ideo cum Theologo defensor contendit nullum argumentum positivum pro rei veritate adesse. Et revera epistola neque signum, quod *timbrum postale* dicitur, neque testimonium ullius, qui eam opportuno tempore viderit, et perlegerit, habet. Ipsa enim Eleonora fatetur neminem eam perlegisse.

Ast Canonista habet: ob praesumptionem in iure fundatam genuinitas epistolae per se sustinetur. Cui respondit vindex: iuridicam praesumptionem admitti, quando nihil de facto extat, quod eidem contradicat; quod in themate accidit; nam plures annos haec epistola latuit, dum maxime intererat Eleonorae eamdem exhibere. Tanta enim vis in ea erat ad suum matrimonium nullum declarandum, ut nullum maius argumentum adduci posset. Quomodo tam arctum et longum silentium explicatur, si epistola extitisset et genuina fuisset? Eleonora documenti pondus agnovit, quando ab Hungaria missum accepit. Sibi enim suasit ob illud matrimonio valedicere necesse esse et ideo, ut ipsa enarrat, statim celavit. At si non plene documenti vim agnovit, negari non posse videtur, quod saltem de ea dubitaverit. Cur mulier propositi tenax non contulit rem cum suo procuratore, cui omnia media suggerebat, quae ad opus esse putabat. Contra igitur iuris praesumptionem grave factum existit; nempe inexplicabilis epistolae per plures annos occultatio, quae illam elidit.

Qua de re censuit vindex, epistolam illam scriptam apposite fuisse post iurgia, et solvendi matrimonii propositum, ut facilius nullitatis sententia obtineretur. Neque haec suspicio fundamento caret: nam Leo in epistola 28 novembris 1869 ad Ducissam missa, ait: inter me et Eleonoram adest insuperabile obstaculum. Ego vero prorsus adnitor, ut reddam eidem suam libertatem: hinc scripsit epistolam consensus revocatoriam, adulterata scriptionis die et ad uxorem misit. Mulier tamen epistolam non exhibuit cito dubitans ne facile fraus detegi posset ex cartae et atramenti qualitate, quae recentissime epistolam fuisse scriptam indicia praeberet. Sagax ideo vir in fraude condenda, sed sagacior et prudentior mulier in illa adhibenda! Expectavit itaque tempus, quo dubium quodlibet exularet.

Ad conclusionem deveniendo vindex ait: si suppositum de fraude,

admissa, uti factum admitti nequeat: tamen id esse valde et certe probabile. Quod necessario veritatem praesumptivam sua certitudine expoliat, et documenti genuinitas et authenticitas dubia manet. Ast poterit ne incerta et nonnisi probabili causa matrimonium solvi? Vulgare est ad dissolvendum matrimonium requiri probationes *concludentes, imo concludentissimas.*

Omnibus igitur perpensis sequens propositum fuit diluendum dubium: *An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse confirmandam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 142, p. 171-240].

4259.

S. C. C., *Parisien.*, 7 iul., 1 sept. 1883.

Anno 1875 die 21 aprilis, Parisiis in Ecclesia S. Augustini matrimonium inter se contraxerunt nobilis puella Magdalena d'Auvilliers et Augustus Dugué de Livaudais, civis Americanus, in eadem tamen Parisiorum urbe commorans. Constat vero Augustum pluribus ante matrimonium mensibus inhonesta et turpi consuetudine cum quadam Maria Balot devinctum fuisse, cui perpetuo se Americae iuncturum promiserat, statim ac ipse posset donationem francorum 250,000 sibi a matre intuitu nuptiarum promissam consequi.

Sed cum in solemni nuptiali instrumento reversibilitatis pactum in donantem adiectum fuisset, Augustus putavit, uxore e medio sublata, etiam veneni ope, impedimentum amoveri donationis consequendae. Per quatuor itaque menses et ultra sponsi una simul cohabitarunt modo in familia viri, modo in familia uxoris, modo huc illuc vagantes et rei uxoriae interim operam dantes, licet sponsa confessa sit numquam completo modo id praestitum fuisse.

Verumtamen semel tentato veneficio et hoc in irritum cesso ob sponsae vigilantiam, denuo in Thermis *Vichy* commorantes uxoricidium Augustus pertentavit, exhibita potione Arabica cum stricnyna, quam vix gustatam uxor proiecit; non sine tamen gravis morbi contractione, quo laborantem ad parentes Augustus reduxit. Ipse vero paucis post diebus, quadam pecuniae summa a matre obtenta, cum sua amasia in Americam fugit, non eo tamen felici successu quem putavit, cum ob exortas discordias pellicem a se dimittere coactus fuerit. Tunc ex reditu Mariae Balot ab America, turpi detecta relatione Augusti cum ipsa, ceterisque tricis cognitis causa divortii penes Tribunal urbis Neo-Aurelianensis acta fuit, et lata, ad parentum Magdalenae instantiam, sententia divortii, supplicem penes S. H. O. libellum hi porrexerunt, matrimonii nullitatem ob defectum consensus ex parte viri, postulantes. Hinc mandatum fuit Eminentissimo Archiepiscopo Parisiensi, ut processum canonicum instrueret usque ad sententiam definitivam.

Constituto igitur in Curia archiepiscopali Tribunali, testibus et septima manu formiter examini subiectis, viro autem in contumacia persistente,

sententia prodiit die 24 iunii 1882, qua declaratum est: *Augustum de Livaudais praestando consensu suo matrimonio cum consanguinea* [1] *Magdalena d'Auvilliers non intendisse contrahere verum ac permanens matrimonium; sed finxisse dare consensum, ut dote a parentibus promissa potiretur: ideoque idem matrimonium irritum, nullum, atque invalidum fuisse et esse.*

Interposita illico a matrimonii defensore appellatione ad S. Congregationem mulier advocatum adlegit.

Advocatus mulieris studuit omnino, ut matrimonii nullitatem in themate proclamaret, idque ut consequi valeret, in primis praemisit doctrinam Schmalzgrueber in *Ius Eccl. univ.*, part. 1, tit. 1, sect. 1, num 264, iuxta quam ad matrimonii validitatem requiritur consensus utriusque contrahentis, non modo externus, sed internus etiam, et ita per verba expressus, ut dignoscatur contrahentes habere veram, firmam, ac sinceram voluntatem sese vinculo obligandi indissolubili, atque obligationes exinde manantes suscipiendi. Ex quo deducit autem, simulato consensu, licet verbis et signis expresso, minime consistere posse matrimonium. Eidem subiungit concinere Sanchez, *de Matrim.*, lib. 2, disp. 25, num. 2 et 3. Nullitatis pariter vitio addit matrimonium infici, ubi fuerit contractum sub expressa conditione uni ex tribus matrimonii bonis repugnante, *prolis* nempe, *fidei*, et *Sacramenti;* imo sufficere intentionem bono Sacramenti contrariam, non deductam in conditionem expressam, sed simpliciter in mente retentam ab uno ex contrahentibus, ad tradita per Gonzalez, *Comm. in Lib. 4 Decret.*, tit. 5, cap. 7, num. 3 et 9. Posita hinc quaestione, utrum intentio contra bona matrimonii, quando non deducitur in conditionem expressam sed tantum mente retinetur, vitiet matrimonium, affirmative respondet.

Hisce in iure praemissis, Orator tria in capita allegationem suam divisit, et tum ex matrimonium praecedentibus, tum ex concomitantibus, tum ex subsequentibus, consensus deficientiam in viro demonstrare studuit.

Primum itaque suae defensionis caput aggrediens contendit a duobus circiter annis ante matrimonium, Augustum inhonesta consuetudine cum Maria Balot devinctum fuisse, cui se nupturum promiserat; quodque peregisset, si pater haud renueret. Cum vero matris donatione seu dote francorum biscentum quinquaginta millia, quae nuptiarum occasione ipsi promissa fuerunt, potiri haud posset, deficiente patris consensu, cumque alia media haud ipsi praesto essent, ut Mariae posset copulari, in id devenit consilii, ut matrimonium cum consanguinea Magdalena simularet ad illam donationem a matre carpendam. Hac vero obtenta, quacumque cum supposita uxore relatione remota, immo ea e medio sublata si opus fuisset, etiam veneni ope, cum Maria Americam petens ibidem matrimonium contraheret. Istiusmodi facta ex testium fide dignissimorum depositionibus erui, in Parisiensi Curia exceptis. Haec eadem a Magdalenae parentibus enarrari accepta ab ipsa Maria Balot, tum cum ista Augusti epistolas ipsis tradidit. Hoc animi propositum nuptias cum Magdalena simulandi, et postea hac relicta Americam fugiendi, non modo verbis sed etiam scriptis Augustus ipsi Mariae

[1] Impedimentum consanguineitatis dispensatum ab Apostolica Sede iam fuerat.

significavit. Quandoquidem inter epistolas, quas viderat Advocatus Le Faure, unam adesse, biduo ante matrimonium conscriptam, in qua Augustus Mariae exprimebat sensum perpetuae affectionis.

In secundo capite suae allegationis ex matrimonium concomitantibus deficientiam consensus probare Orator studuit. Ipso siquidem die celebrationis contractus civilis cum hora adventasset, actui civili omnibus paratis unum defuisse Augustum; quem anxium, agitatum, et reluctantem ante Palatii fores deambulantem, impulsum fuisse ad ingrediendum asseruit Advocatus Le Faure ex relatione unius testis modo defuncti, qui actu interfuit. In actu vero celebrationis ritus Augustum fuisse tristem, agitatum, extraneis cogitationibus implexum, oculos ad dexteram partem Ecclesiae, in qua inter ceteras, mulier aderat sponsos irridens, defixos habentem deposuit testis sacramentalis Le Faure, qui in muliere illa Mariam Balot recognovit, quum litterarum cessionem cum eadem pertractavit. Expleto sacro ritu, testantur Magdalenae parentes, Augustum ab Ecclesia subito evasisse, et tam inurbanum ac tam parum sollicitum de sua uxore se praebuisse, ut neque manum eidem obtulerit cum in rhedam ascenderet.

Ad tertium tandem suae orationis caput Defensor adveniens, demonstrare aggressus est, simulatam Augusti voluntatem et intentionem in matrimonio contracto ex subsequenti facto, quod inter sponsos plurimos per dies nullum intercesserit carnale commercium: et si qua fuit postea relatio, minime affectu maritali fuit habita et completa, sed explendae potius libidinis causa ex parte viri, ceu Magdalena in epistola ad iudicem testatur. Sed maiora defensor urget: nam intentionem simulandique voluntatem Augusti luculentissime devinci ex nonnullis epistolis, post initum matrimonium amasiae conscriptis, quas omnes in summario retulit, sed potissimum ex illa Lugduni scripta die 30 aprilis 1875, octo post dies ab initis nuptiis.

Ex quibus omnibus facile deduci posse videtur revera fictum et simulatum fuisse consensum Augusti in nuptiis initis cum Magdalena, emissum cum intentione et voluntate Sacramenti bono omnino contraria: et unice directa ad finem consequendi a matre dotem seu donationem, qua obtenta, vinculum ille abrumperet cum Magdalena, in Americam cum amasia convolaret, cum eaque turpem consuetudinem duceret.

Altera sed vero ex parte sacramenti Vindex totus in eo est, ut matrimonium in themate firmum, ac validum esse proclametur. Idque ut efficacius consequatur, in tria capita orationem divisit. In primo loquitur de simulatione consensus eamque excludit. In secundo de Augusti intentione, substantiae ac naturae matrimonii contraria, eamque utpote in pactum non deductam non obstare dicit. In tertio tandem tradit antecedentia, concomitantia, et consequantia non relevare.

Primum itaque aggrediens orationis caput animadvertit omnia in matrimonio celebrando rite intercessisse, ideoque validum praesumi, siquidem omne factum praesumitur recte factum, donec contrarium non probetur. Neque huiusmodi validitatis praesumptionem destrui posse subdit ab iis, quae ex adverso proferuntur ad matrimonii nullitatem evincendam. Sane

duplici ex capite nullum esse dicitur matrimonium scilicet 1. ex eo quod Augustus non serium sed fictum, ac simulatum consensum nuptiis praestiterit; 2. ex eo, quod ipse nuptias contrahens intentionem habuerit substantiae, ac naturae matrimonii contrariam. Atqui subiungit neutrum in themate substineri posse, hinc de validitate matrimonii in casu minime dubitandum esse conclusit. Et re sane vera quod Augustus fictum, ac simulatum consensum matrimonio praestiterit, hoc neque ipsum Augustum, neque eius uxorem, imo multo minus eam legitime probare posse contendit.

Ad secundum autem suae orationis caput descendens matrimonii defensor tuetur Augusti intentionem, qua putabat matrimonium posse dissolvi, et per breve tempus durare, etsi sacramenti bono, seu eius indissolubilitati adversetur, ideoque naturae, ac substantiae matrimonii contraria sit, nullimode tamen nuptiarum validitati obstare, quandoquidem in pactum haud deductam fuisse ex actis evidenter apparet. Ait enim quod, etsi Augustus huiusmodi privato errore laboraret, simul tamen habuisse praesumitur intentionem contrahendi matrimonium, quale inter christianos contrahitur: siquidem illud externo religioso ritu servato celebravit. Porro qui hoc modo matrimonium contrahit, valide contrahere indubium esse subsumit; siquidem tali casu praevaleret intentio generalis contrahendi matrimonium legitimum, quale revera inter christianos unice est matrimonium insolubile. Idque eo magis urget, quia huiusmodi intentio in pactum deducta haud fuit, prout id evidentissime revelari edicit ex actis processualibus. Ad rem autem refert doctrinam Bened. XIV, *De synod. Dioecesana*, lib. 13, cap. 22, n. 7, et conclusit, inde intentionem Augusti minime officere validitati matrimonii.

Ad tertium tandem suae orationis caput transvolans matrimonii vindex animadvertit, sermonem de antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus impune hic omitti posse eo quod fictionem et simulationem consensus in huiusmodi matrimonio locum habere haud potuisse satis abunde superius demonstratum iam fuerit. Nihilo tamen secius de ipsis loqui utile fore putat, ut controversi matrimonii validitas magis, ac magis elucescat. Praemisit itaque in genere huiusmodi adiuncta tum *antecedentia*, tum *concomitantia*, tum *consequentia* a literis orta fuisse, quas Augustus tum ante, tum post matrimonium Mariae Balot suae pellici, ad instar ceterorum amantium scripsit, ut ipsa ei tantum, et non alteri adhaereret; idque adeo verum esse subsumit, ut sine ipsis praedicta adiuncta haberi, atque efformari haud potuissent. Atqui ex praedictis literis nihil certi, et veri erui posse edisserit, eo quod haud sincero animo scriptae a iuvene qui furioso amore aestuabat erga suam pellicem, quacum turpia desideria explere avebat, uti exitus comprobavit.

At omissis etiam omnibus iis adiunctis et circumstantiis, ipse admittere dicit, quod Augustus coram pluribus protestatus fuerit, quod quaecumque dixerit, quaecumque fecerit, omnia dixerit et fecerit animo non contrahendi matrimonium; at quia postea publice dixerit: *Consentio in te*, nihilominus huiusmodi matrimonium validum pronunciandum esse definit Glossa cap. *Tua nos*, verb. *Mulierem*, *de sponsalib. et matrim.* – ibi – *Sed pone quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicet vel faciet, non dicet et faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat – Consentio in te – Nunquid est hic matrimonium vel non? In casu isto dico, quod Ecclesia iudicare debet pro matrimonio.*

Quibus animadversis, propositum fuit enucleandum dubium:

An sententia archiepiscopalis Curiae Parisiensis sit confirmanda, vel infirmanda in casu?

Die 7 iulii 1883 Sacra, etc. respondit: Dilata ad primam post proximam.

Die 1 septembris 1883 Sacra, etc. respondit: Dilata. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 142, p. 429-451, 639].

4260.

S. C. C., *Albien.*, 1 sept. 1883, 19 ian. 1884.

Oborta quadam controversia inter Hippolytum Marty, Parochum loci Roquecourbe, Dioecesis Albiensis, et fabricae Ecclesiae administratores, Archiepiscopus occasione capta visitationis Dioecesis, eidem finem imponere curavit. At res ad optatum effectum perduci non potuit. Quandoquidem Parochus nimis aegre ferens novam electionem trium administratorum, omnem lapidem movit, ut eam impediret et electionem aliorum trium promoveret; quod cum obtinere non posset, ita impedire illam curavit, ut iuxta leges gallicas ad Archiepiscopum devolveretur.

Hic vero cum nihil haberet contra tres priores administratores, decreto suo eos iterum designavit, atque Parocho imposuit decreti promulgationem. Verum Parochus Archiepiscopi mandatis obtemperare renuens, modo subreptitio a Vicario generali aliud obtinuit decretum, priori oppositum, quod deinde inter Missarum solemnia, non sine populi summa admiratione, evulgavit, non obstante etiam prohibitione facta ab ipso Vicario post deceptionis cognitionem. Huius inobedientiae causa vehementer dolens Archiepiscopus, Parocho denegavit confirmationem novorum administratorum, eidemque iterum imposuit prioris decreti promulgationem. Attamen hisce novis iussionibus Parochus non solum restitit, verum etiam audacior factus, mandavit thesauri custodi, qui exclusus fuerat, ut rationem redderet anteactae gestionis, ipsoque reluctante, in ius rapuit coram civili tribunali. In posterum plura idem Parochus peregit, quae Archiepiscopo haud arriserunt. Quapropter remoto prius Parocho ab excipiendis confessionibus quarumdam Monialium in Paroeciae finibus existentium, utpote quae nolebant amplius eidem peccata sua confiteri, nec non alibi translata, ad instantiam Parochorum districtus ecclesiastici, sede suarum collationum, eo quod nollent accedere ad Paroeciam loci Roquecourbe, Archiepiscopus cupiens tandem aliquando finem imponere scandalis in ipsa Paroecia enatis, iussit canonicum processum confici in Curia contra Parochum eumdem.

Instituto igitur tribunali iuxta leges synodales Dioecesis Albiensis,

[1] Cf. N. 4266.

receptisque denunciationibus et depositionibus, unica peremptoria citatione diei 25 iunii 1882 vocabatur Parochus Marty coram ecclesiastico tribunali, ut se defenderet a variis imputationibus quoad modum agendi cum suis paroecianis, qui aegro animo tolerabant eumdem esse parochum. Attamen Parochus statuta die loco defensionis, ante litis initium libellum obtulit recusationis iudicis, et ad S. Sedem appellavit. Hac vero recusatione non obstante, tribunal Curiae, iterum rogato Parocho ad comparendum die 18 iulii, eoque renuente et reclamante, eadem die sententiam eidem inimicam tulit, per quam *privatus fuit titulo Vicarii foranei, cum omnibus eiusdem tituli praerogativis, facultate verbum Dei praedicandi, et sacramenta administrandi per quindecim annos*.

Ab hac sententia Parochus recursum habuit ad S. V. O., petens ut nulla declararetur sententia, et ut appelatio servaretur etiam in suspensivo. Et simul ac rescivit suam appellationem servatam esse in suspensivo, gaudio repletus, talia edidit laetitiae signa, ut populus scandalo efficeretur. Archiepiscopus omnia retulit S. C. Congregationi; quae die 11 novembris 1882 eidem rescribens iussit iniungere Parocho, *ut ob scandalum fidelibus oblatum per publicas laetitiae demonstrationes, perageret exercitia spiritualia diebus octo in aliqua pia domo, determinanda ab ipsomet Archiepiscopo, qui graviter moneat insuper eumdem Parochum ut a similibus abstineat sub comminatione suspensionis a divinis*.

Affirmavit Oratoris Defensor esse in iudicio Curiae vitia nullitatis, et iniustitiae. De vitio nullitatis dubitari non posse, ait, quia ordo iudiciarius servatus non fuit; qui omnino servandus erat non modo in forma sed etiam in censura, quoties utraque grave afferat detrimentum. Van-Espen, *Ius Eccl., de censuris eccl.*, num 10. Atqui iudiciarium ordinem frustra in causa requiri ait orator: nihil aliud enim inveniri potest, quam accusatio et sententia sine praevia iudiciali inquisitione, et probationibus. Dies reo dicitur: hic declinatoriam exceptionem opponit. Prius de hac exceptione decernendum erat, deinde de principali causa disputandum. At una eademque illa die decima iulii reus sistit, iudex exceptionem reiicit ac sententiam profert etiam in causa principali, postridie vero reo nuntiat se super accusationibus iam sententiam dedisse, eumque vocat non ut se defendat, sed ut audiat sententiam.

Neque obiicere iuvat agi in themate de vera suspensione, quae omnino differt a privatione: nam suspensio quindecim annorum, inflicta seni quatuor supra sexaginta annos nato, adimit officii munus, ex quo complectatur omne reliquum vitae tempus: et suspensio haec, ratione aetatis, aequiparari potest privationi.

Verumtamen Albiensis Curia in hoc iudicio non exhibuit nec monitiones, nec probationes; dum pia Mater Ecclesia iuris rigorem moderando numquam plecti patiatur, nisi paterna monita et charitatis consilia praecesserint. Omnem autem defuisse legitimam probationem patet; nam testimonium vicarii adiutoris omnino spernendum est, quia vicarius agit personam accusatoris ad captandam paroeciae successionem potius quam testis. Insuper actus ille, cui quamplurimi cives Archiepiscopi gratia subscripserunt, nihil certum ac definitum de singulis accusationum capitibus complectitur: et maiore testium numero eliditur, qui pro parocho dixerunt. Qua de causa nihil proficit secreta inquisitio ab Ordinario peracta; dum non probatur, quod sententiam praecesserit.

Neque Curiam obiicere posse contendit se, antequam sententiam ferret, parocho diem dixisse, ut se defenderet: hunc autem defensioni nuntium misisse, quia ad Sanctam Sedem provocans iudicem declinavit. Primo enim Curia ipsa hanc parocho necessitatem fecit, ipsum ad se defendendum appellans, qui se defendere non poterat, cum accusationis fundamenta ignoraret. Praeterea antequam reus se defendat, probationis onus in accusatorem incumbit, qua deficiente, reus respondere non debet. Ante igitur quam Curia parochum ad respondendum vocaret, legitima inquisitio indicenda atque ineunda erat, parocho praesente, ut omnia nosceret et probationes probationibus opponeret, prout iussit Innocentius III in Concilio generali, cap. *Qualiter*, 24, *de accusat*.

His de nullitate expositis, de iniustitia disseruit parochi defensor, quam non minus evidentem censuit. Ex iure enim notissimo ad poenam suspensionis ad quindecim annorum lapsum productam gravia crimina requiruntur.

Postea Curiae incriminationem expendit, atque alias accusationes in iudicio reperiri contendit, alias in literis, atque omnino extra iudicium. Iudiciales accusationes ex prima ad sextam nil aliud respiciunt, quam vel iniuriosa verba vel contumelias, quibus parochus factiosas ac turbulentas mulierculas affecisset. Octava parochum redarguit quod portam cuiusdam sacelli accludi postulaverit. Decima quod fervente iudicio dixerit: archiepiscopalis Curia *ignaviter* me timet! Undecima quod cunctis molestum se praebuit per suas agendi rationes abnormes. Haec omnia vero, ait defensor, facili modo queunt commentitia demonstrari. Unum adiecit: quod huiusmodi accusationes, etsi verae essent, vel ad monendum vel ad obiurgandum, vel ad levissimam forte poenitentiam sufficerent, minime vero ad eam suspensionis poenam infligendam, quae in parochi aetate privationi aequiparatur.

Silentio demum se omittere non posse, ait, atrocissimum crimen, quo presbyter notatur, scilicet quod haereticis faveat. Respondendum scilicet sibi censuit non ex necessitate, quia accusatio haec incredibilis inter iudicii capita non continetur, atque in literas coniecta est; sed ad honorem vindicandum. Illa quidem ab accusatore ipso repudiatur, qui si veram putasset, in iudicii momentis non omisisset. Sed quomodo, ait, responderi poterit, cum Archiepiscopus nihil probet? De sacerdote agitur, qui in ministerio consenuit, ac maxima cum laude semper officio perfunctus est, ceu plurimi testes asserunt. Conclusit igitur quod pleraque accusationum capita tam levia sunt ut, etsi probarentur, longae suspensionis poenam non admitterent: tria vero graviora qualibet probatione destituuntur: atque ideo et nullitate pariter et iniustitia Albiensis Curiae sententia corruit.

Verum ex altera parte Curiae sententiam, quatenus per eam nullius valoris declaratur recusatio iudicis a Parocho Marty facta, observari potest notissimum esse in iure, quod exceptio a reo obiecta, nisi probetur, inefficax censeatur sive ad forum declinandum, sive ad declinandum iudicium, sive

ad illud differendum, quia exceptio non probata impune spernitur: *L. In exceptionibus*, 19 ff., *L. Agere et sequenti*, 1 et 2 ff., *de except*. Iamvero in casu Parochus, licet dixisset se iudicem recusare, quia sibi suspectum ob plures et graves causas, tamen nullam huius suae assertionis probationem dedit, nullum speciale factum praebuit, ex quo inimicitia deduci potuisset. Merito igitur tribunal Curiae reiecit Parochi recusationem. Neque dicatur, iudicem allegatum uti suspectum, non posse sententiam ferre a seipso super suam recusationem, sed potius arbitros constituere debere.

Porro frivolam et frustratoriam fuisse recusationem a Parocho obiectam, nemo est qui non videat. In primis enim Parochus habere praesumpsit ius recusandi Vicarium generalem, qui iudex erat in causa, ob inimicitiam personalem, quam fovere censuit Archiepiscopum contra ipsum. Iamvero inimicitia personalis non potest extendi ab una ad aliam personam. Eo vel magis in casu, cum Archiepiscopus fateatur nullam in processu partem habuisse.

At non solum prior, verum etiam altera sententiae pars, quae meritum attingit, confirmanda videtur. Sane Concilium Tridentinum, Sess. 21, cap. 6, *de ref*. Episcopis mandavit, ut procederent etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, contra imperitos parochialium ecclesiarum rectores, etsi honestae vitae sint. Iamvero, sub imperitorum et illiteratorum nomine in casu venire videntur non solum qui *speculativa*, sed etiam, ex paritate rationis, qui *practica*, ut aiunt, scientia carent; qui nimirum vel ob experientiae aut culturae defectum aliamve causam habiles non sunt rebus, ea qua par est prudentia et consilio, gerendis; seu uti generali loquutione agit Concilium de his *qui sacris minus apti sunt officiis*. Si igitur Episcopis constet, aliquem Parochum talis imperitiae et inhabilitatis esse, non solum possunt, sed imo debent contra ipsum procedere eumdemque a curae exercitio sive in temporalibus sive in spiritualibus suspendere, quod reapse confirmatum fuit a S. C. C. in *Taurinen., Suspensionis*, 7 iulii 1855.[1]

Res igitur cum ita sint, prono alveo fluit, sententiam Curiae sustinendam esse. Dubitari enim non potest de sententiae veridicitate, tum quia innititur plurimorum testimonio, et nota est regula, qua docemur, in qualibet causa ad legitimam probationem plenamque fidem faciendam satis esse duos testes probatae vitae, omnique exceptione maiores, tum etiam quia in casu agitur de factis notoriis et publicis, quae non egent demonstratione, cap. 3, *de test. cogend.*, cap. 9, *de accusat*. Nec aliquid in contrarium probare valet subscriptio 512 Parochianorum, qui aut decepti fuerunt, aut erant aetate minores.

Alia insuper validissima suppetit ratio pro confirmatione sententiae Curiae, nimirum odium et aversio plebis: quae testimonio quampluri-morum, haud exceptis parochis circumstantibus, eo pervenit, ut fideles ecclesiam deserant, cum Parochus ad praedicandum aut ad alia explenda munera parochialia accedit. Iamvero quoties Parochi gravi de causa bonum animarum amplius non valent operari iuxta cap. 10, *Propter malitiam, de*

[1] Cf. N. 4143.

renunc. et Tridentini sanctionem in cap. 6, Sess. 21, *de ref.*, remotione vel suspensione eorumdem animarum regimini consulendum est. Receptum quidem est apud S. C. C. parochum esse officio suo privandum propter odium et inimicitias parochianorum, si eae iustae et rationabiles sint.

Post haec frustra Parochus lamentatur, quod non habuerit monitiones. Omisso enim quod loco monitionum stare poterant anteriores animadversiones, quas ipse ab Archiepiscopo antea habuerat, quando censura consideratur uti poena, monitiones possunt omitti, ut communiter sentiunt DD.

At non solum quoad *intrinsecum*, verum etiam quoad *extrinsecum* sustinenda videtur Curiae Albiensis sententia, quia iuris communis sanctioni conformis. Sane inquisitione super imputationibus a Promotore peracta, institutoque tribunali iuxta synodales leges, reus peremptorie citatur, ut se defendat; contumax, iterum vocatur; verum denuo inobediens punitur per prolationem definitivae sententiae.

Iusta igitur rectaque cum sit quoad *intrinsecum* et *extrinsecum* sententia tribunalis Curiae Albiensis, sponte sua fluit eam esse omnino confirmandam.

Hisce itaque breviter perpensis, proponitur EE. VV. sequens enodandum dubium:

An sententia Curiae Archiepiscopalis Albiensis, diei 18 iulii 1882, sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die 1 septembris 1883 Sacra, etc. respondit: Dilata et ad mentem Domino Secretario panditam.

Mens S. Congregationis fuit, ut Archiepiscopus curaret inducere Parochum ad paroeciam vel permutandam, vel dimittendam cum assignatione aequae pensionis. Antistes mandata faciens dedit parocho optionem inter pensionem libellarum 1200 et aliam paroeciam, alteri praeferendam.

Attamen parochus, reiecta paroecia oblata, utpote quae inamovibilitate non gauderet, pensionem praetulit, quam tamen, ut extolleretur, petiit ad libellas 2150, cum conditione, *sine qua non*, ut sibi in posterum relinqueretur libera facultas concionandi et recipiendi confessiones, veluti ac si parochus adhuc existeret.

Archiepiscopus renuit augere oblatam pensionem, quae, ait, sufficere potest parocho, qui aliunde fortunae bonis haud caret. Noluit pariter aliam eidem conferre paroeciam inamovibilem, ut facilius medela afferri posset, quatenus parochus in nova paroecia veterem agendi rationem sequeretur. Qua de re quaestio in eodem statu permansit; et idem denuo enodandum propositum fuit dubium.

Die 19 ianuarii 1884 Sacra, etc. respondit: Sententiam esse confirmandam iuxta modum, nempe cohibita suspensione ad annum tantum, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 142, p. 672-693, tom. 143, p. 50-54].

4261.

S. C. C., *Lancianen.*, 3 febr. 1884.

Quum Archiepiscopus Lancianensis remitteret ad S. Congregationem Concilii relationem status suae Dioecesis, sequentia etiam proposuit quaesita resolvenda:

1. *Utrum parochi duas aut plures regentes paroecias, ad duas vel plures Missas pro populo celebrandas diebus festis teneantur per se aut per alios?*

2. *Et quatenus per se teneantur, an ipsis ad tramites constit. Benedicti XIV*, Declarasti Nobis,[1] *binandi facultas fieri possit?*

3. *An redditus cuiusdam Canonicatus iuris patronatus laicalis et familiae, qui libellas quotannis sexaginta et octo vix attingat, quod tantummodo adhuc beneficii naturam induat, posset haberi tamquam sufficiens titulus ad sacros et maiores Ordines suscipiendos?*

4. *Quod si non sufficiat, utrum augeri queat bonis patrimonialibus, vel aliunde, et quousque?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Parochum, prout in casu, teneri sive per se sive per alium ad tot Missas celebrandas quot parochias regit.

Ad 2. Non esse locum facultati Missas iterandi, nisi cum ex Cleri deficientia alius sacerdos non adsit, qui parochi loco celebrare et applicare possit.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Affirmative, usque ad taxae synodalis complementum.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1611 et p. 47, nota (*). - Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XVII, p. 377].

4262.

S. C. C., *Anconitana*, 16 febr. 1884.

Anconitanus Praesul in relatione status suae Dioecesis sequens proposuit postulatum: *Non raro accidit, ut ille idem, qui infantem levavit e sacro fonte, ipsum etiam in Sacramento Confirmationis suscipiat. Parochi asserunt frustra se adlaborasse ad hunc antiquum morem tollendum, ac proinde a praedecessoribus meis toleratum fuisse. Quaeritur igitur utrum haec agendi ratio tolerari possit?*

Pro manutenendo dicto more animadverti potest, quod licet cautum in iure reperiatur, ut qui infantem levavit in Baptismo, non teneat eumdem in Confirmatione; id nihilominus putandum non est adeo absolute sancitum, ut numquam ab huiusmodi regula deflecti liceat, vel ut contrarius quoque usus tolerari nequeat. Inspiciatur sane ipsum cap. 100, dist. 4, *de consecr.*, ex quo praefata regula desumitur: *In catechismo et in baptismo et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo romana; sed per singulos singuli suscipiunt.* Huiusmodi autem necessitas, qua recedi potest a *romana consuetudine*, late accipienda videtur, pro quacumque videlicet rationabili causa, ceu tradit Croix cum Busembaum, *de sacram. Confirm.*, num. 398 – ibi – « Et si aliqua causa subsit, potest idem esse in Confirmatione Patrinus, qui fuit in Baptismo ». Post haec contrarius mos ab antiquo vigens in Dioecesi Anconitana haud immerito fortasse traduci posset uti vera consuetudo, cum nulla appareat peculiaris ratio, qua illa impediatur vim suam exerere in casu, sicuti contra alias leges. Verum praetermissa etiam hac consuetudinis provincia, notandum insuper est quod ille antiquus mos recensendus saltem videtur inter causas excusantes a praefato iuris statuto observando, quemadmodum in foro conscientiae excusat a peccato illos, qui iuxta eumdem morem se gerunt hac in re; Chamerota, *de sacram. Confirm.*, cap. 7, dub. 2, – ibi – « Debet esse alius (Patrinus Confirmationis) ab eo qui tenuit in catechismo vel baptismo secundum consuetudinem Ecclesiae Romanae, nisi cogat necessitas: cap. *In catechismo, de consecr.*, dist. 4; nunc tamen *usus contrarius excusat a peccato contrafacientes* ».

Ast contra, si excipias Chamerota et Croix cum Busembaum, quorum textus superius relati fuerunt, ceteri omnes DD. vel absolute tradunt Patrinum in Confirmatione diversum esse debere a Patrino Baptismi, vel ad summum excipiunt casum necessitatis iuxta cap. 100, dist. 4, *de consecr.* Nulla itaque exceptio admittenda videtur in casu praeter illam, quae habetur in cap. 100, dist. 4, *de consecr.* Iamvero necessitatis nomine intelligitur quaedam vis cogens ad aliquid faciendum vel etiam quaedam impossibilitas legem implendi iuxta definitionem traditam apud Ferraris, V. *Necessitas*, num. 1, nov. add. – ibi – « Necessitatis nomine intelligi debet status hominis, in quo parere legi haud potest absque periculo suo ». Consequenter necessitatis vocabulum in cit. cap. adhibitum nullatenus trahi posse videtur ad significandam quamcumque rationabilem causam, sed illam tantummodo causam, quae includit quamdam vim coactivam secus agendi ac praescriptum est, vel quamdam impossibilitatem observandi *romanam consuetudinem*. Eo vel magis, si perpendatur cap. istud non enunciare necessitatem simpliciter, sed expresse edicere: *si necessitas cogit.*

Quibus breviter notatis, quaesitum fuit quodnam postulato Episcopi dandum esset responsum.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Posse tolerari; sed Episcopus curet abusum pedetentim evellere.

[Per summaria precum a. 1881-1884].

[1] Cf. N. 365.

4263.

S. C. C., *Tolosana*, 9 maii 1884.

Emus Cardinalis Desprez, Archiepiscopus Tolosanus, a. 1884 haec petierat:

Cum non raro accidat, ut sacerdotes, quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium, ut aiunt, commissa fuit, otii vel facilioris vitae studio,

muneri suo renuntiare exoptent, cessione apud Ordinarium facta, etiam ante eius acceptationem, eo quod beneficia proprie dicta non teneant, relictis suis ecclesiis ad propria redeant; unde contingit non paucos sacerdotes vitam otiosam, licet adhuc viribus integros, degere tam in urbe episcopali, quam in potioribus Dioeceseos civitatibus, non sine scandalo fidelium: interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus, non sine magno religionis detrimento, eo quod Episcopus, ob sacerdotum penuriam, ipsis de parocho idoneo providere nequit. Quapropter Orator a S. Congregatione quaerit:

1. *Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia?*

2. *An ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam si opus fuerit censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut in suo munere persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat?*

3. *Utrum sub eodem praecepto, iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat Episcopus sacerdotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usquedum illis alio modo providere queat?*

Die, etc. Sacra, etc. attentis peculiaribus circumstantiis respondit ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Affirmative vigore facultatum, quae approbante SSmo D. N. Emo Archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium, si tamdiu, etc.*

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 914, 915. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXIII, p. 608, 609].

4264.

S. C. C., *Verulana*, 9 aug. 1884.

Quidam Philippus Meucci civilis conditionis natus in oppido S. Polo Tiburtinae Dioecesis, Verulas iuvenili adhuc aetate contendit, ibique humaniores literas in Seminario aliquot annis docuit. Interea temporis amore exarsit erga quamdam plebeiae conditionis puellam, cuius nomen Aemiliana Passeri, eamque in uxorem ducere peroptabat. Ut igitur omnem removeret difficultatem fortasse exurgentem ex dissensu parentum et conditionis disparitate, Verulis aufugit Romam cum Aemiliana, et post paucos dies optatum matrimonium celebravit in parochiali ecclesia S. Mariae in Via die 24 septembris 1828. Voti itaque compos factus Philippus Romae una cum uxore permansit usque ad annum 1831. Quo vertente mulier Verulas sola repetiit, vir autem, utpote motis rebellibus studens officio privatus huc illuc commoratus fuit. Huiusmodi separatione perdurante, ineunte mense februario anni 1837 Aemiliana Verulis commorans peperit infantem, quam patris nomine reticito baptizare fecit more spuriorum die 8 februarii 1837. Et die 1 martii proxime sequentis in Archihospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe exposita fuit praedicta infans, ac deinde sub

nomine Caelestis Proietti ad nutriendum tradita, in loco Civitella commorata est usque ad tempus, quo nupsit Caietano Palombi in Urbe residenti a pluribus annis.

Occasione huius matrimonii puella Proietti, cum matris nomen cognovisset, eam quaesivit et invenit; hinc notitiam quoque habere potuit de legitimo patre, qui anno 1849 a Pontificia Ditione migravit, et die 24 iulii a. 1865 mortuus est Pisis. Quinimo eadem Proietti in actis causae exhibuit praesumpti patris effigiem sibi a matre, quae et ipsa mortua est a. 1877, missam sub die 29 aprilis 1865, una cum epistola, in qua mater certiorem facit filiam, quod pater ab amico cum lacrymis notitiam de filia ipsa exquisierat, et an aliquam recepisset educationem. Numquam tamen de tollenda incertae paternitatis nota parentes solliciti fuerunt, nec ipsa mulier Proietti de ea conquesta est usque ad annum 1881. Quo ad exitum properante, cum capitum census Romae ageretur, nomen assumpsit Constantiae Meucci. Ast census schedulam cognomine Meucci signatam recipere noluit officialis status civilis, nisi praefata incertae paternitatis nota ab ecclesiastica auctoritate corrigeretur. Quare mulier Urbis Vicariatum prius adivit, ac deinde Episcopum Verulanum rogavit, ut declararetur filia legitima memorati Philippi Meucci. Et cum huiusmodi preces auditae non fuerint, Sacratissimo Principi res tota delata fuit per ipsum Episcopum Verulanum, qui Oratricis rationibus expositis adiecit: sese vocavisse Canonicum, qui baptizaverat Oratricem, ut rem declararet quoad notam illegitimitatis in libro baptizatorum positam. Illum vero respondisse, se taliter egisse, quia neque obstetrix, neque mater aliquem, uti patrem, designavit legitimum, et spuriorum instar fonti baptismali oblata infans fuerit.

Quamobrem die 3 iunii 1883 eidem Episcopo mandatum fuit, ut magis accurate inquireret per examen testium et propinquorum super causis denunciatae incertae paternitatis et super relationibus, quae intercesserunt inter Oratricis parentes, praesertim tempore conceptionis eiusdem. Ast Episcopus tantum colligere valuit a patruo Oratricis, quod durante separatione Philippus numquam se Verulas contulerit, aut ullo modo cum uxore sua convenerit. Imo addidit, eum post motus rebelles annis 1831 extra Pontificiam Ditionem semper degisse; quod tamen iuxta alios verum non est, saltem si agatur de mora numquam interrupta. Hinc praedictus Oratricis patruus censuit, eamdem esse illegitimam, quia uti spuria ad baptisma ducta fuit. Verum, prosecutus est, nihil obstat, quod Oratrix ab hac S. C. legitima declaretur, quia nemo alius extat praeter patruum, qui possit assentire aut contradicere.

Legitimationi adversantur hac considerationes: Neminem latet, libros parochiales attestantes de iis, quae ad parochi officium pertinent, plenam facere fidem plenamque conficere probationem, cum ex auctoritate Conc. Trid., Sess. 24, cap. 1, 2, *de ref.* Parochi industria et fides electa sit ad huiusmodi libros conscribendos. Porro cum in facto consistat, librum baptizatorum testari de incerta Oratricis paternitate, eidem attestationi standum esse videtur, quoadusque contrarium non probetur. Idque potiori ratione retinendum videtur ex eo, quod praefatus baptizatorum liber clare designat

Oratricis matrem. Haec enim, cum matrimonio iuncta esset, Parochum in describenda incertae paternitatis nota cautius egisse praesumendum est, ne infantis honor et educatio in discrimen adduceretur ex parentum iniquitate. Hisce indicia adstipulantur ex testimonio patrui Oratricis, qui sub iuramenti fide deposuit, sororem suam Aemilianam, utpote a Philippo derelictam, Verulas rediisse, nec amplius cum eodem convenisse. Neque quisquam asserit Philippum et Aemilianam post annum 1831 se invicem aliquando vidisse. Nec ullam difficultatem facessere videtur Aemilianae epistola, in qua Philippus enunciatur Oratricis pater ac de eius sorte sollicitus. Inverosimilis enim ista sollicitudo Philippi videtur, cum ita uxoris immemor fuerit, ut in authentico obitus sui testimonio vocatus sit caelebs Communitatis Pisarum. Nihil insuper prodesse videtur iuris praesumptio edicens patrem esse, quem iustae nuptiae demonstrant. Haec enim cohibenda est, si maritus per longum tempus abfuerit: Ulpianus in L. 6 ff., *De his, qui sui vel alieni iuris sunt*.

Ex altera vero parte perpendendum occurrit, talem vim inesse praesumptioni, quae patrem ex nuptiis demonstrat, ut ab ea nullatenus recedi queat, nisi concludentissimis argumentis contrarium in facto probetur, et quidem taxative ex viri absentia vel physica impotentia, cum id exigat matrimonii sanctitas, societatis bonum et familiarum tranquillitas, quae citra iuris praesumptionem de legitima filiatione sancitam deplorandum in modum turbaretur. Porro indubium est, Oratricem natam esse constante legitimo matrimonio. Onus igitur probationis non Oratrici, sed eiusdem legitimam filiationem neganti incumbit. Ast necessariam huiusmodi probationem in themate exulare videtur, vel talem non esse, quae praeallegatis iuris principiis utiliter opponi queat. Patruus enim Oratricis tempore, quo mater domum paternam remeavit, militiae pontificiae addictus aberat, et post eius reditum in patriam falsa audire poterat quoad mores sororis, quae longe a marito vitam degebat, quaeque partum abscondere coacta fuit. Nam eius maritus exigebat, ut neonata ante baptisma ad Brephotrophium deportaretur, eo consilio, ut nemini innotesceret, propriam filiam oblatam fuisse ad pium locum. Et ipsum matrimonium Romae celebravit, ut in patria sua occultaretur; et in hunc finem Pisis, uti caelebs inscribi curavit in regesto Professorum. Ast hoc non obstante pecuniam uxori mittebat, et quoad filiam certior fieri cupiebat lacrimans, cum ab amico resciret, nulla imbui nobili arte. Porro certum non est, et ab aliis negatur, ceu refert Episcopus, Philippum post motus rebelles anni 1831 extra Pontificiam ditionem semper degisse. Absentia autem unius coniugis ab altero haud permanens supponenda est, quia facile et breve iter est Roma ad Verulas, et satis fuisset, ut coniuges semel convenissent. Quamvis demum filia non sit in quasi possessione legitimitatis, ubi tamen probet coniugium parentum, suamque nativitatem, nihil ambigendum, quin legitimam sibi valeat in iudicio petitorio vindicare filiationem. Cum igitur illegitima filiatio concludentissimis argumentis probata haud appareat, satis constare videtur de illius legitimitate, quam propitio responso declaratam iri confidit Oratrix.

Hisce hinc inde perpensis dignentur EE. PP. sequens diluere dubium:
An constet de legitima Oratricis filiatione in casu?
Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.
[Thesaurus Resolutionum, tom. 143, p. 897-909].

4265.

S. C. C., decr. gen. 16 sept. 1884.[1]

Quamvis ecclesiasticos viros maxime deceat humanos honores non quaerere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiae Praesules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui prae ceteris de re christiana meruerunt: dum enim praestantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno pretio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi conquesti sunt, ut dum Sacerdotes aetate ac omni virtutum genere venerandi amant nesciri et pro nihilo reputari, iuniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, dignitates appetant, insignia titulosque inhient. Et ubi nulla spes illis arrideat haec omnia apud suos obtinere, externos circumeunt Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo saepissime accidit, ut miseri isti in propria Dioecesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis praeditos iactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Iuris interpretes ac vindices, dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confidunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut omnes de Clero Tibi concredito, aemulentur charismata meliora terrena despiciant, ament caelestia, et nonnisi in Cruce D. N. Iesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres Sanctissimi mandata exequentes, auctores Tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1625. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XVII, p. 554, 555].

[1] Ad omnes Episcopos.

4266.

S. C. C., *Parisien.*, 7 mart. 1885.

Bis iam dilata fuit resolutio huius causae, diebus videlicet 7 iulii et 1 septembris 1883.[1] Novis, veteribusque argumentis perpensis, iudicent EE. VV., quonam responso dimittendum sit idem dubium.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam Curiae Parisiensis esse confirmandam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 144, p. 61-69].

4267.

S. C. C., *Veliterna*, 18 apr. 1885.

Vacante ex morte Emi Cardinalis Di Pietro Sede Episcopali Veliterna, Canonici die 10 martii 1884 convenerunt ad electionem Vicarii Capitularis. Undecim aderant, et singuli suam schedulam secreto scripserunt et in urna condiderunt. Notandum quod in veliterno Capitulo electiones ad officia capitularia et deliberationes de gravioribus negotiis, fieri debent, in vim Constitutionum, per *suffragia occulte delata*, ut constat ex *Veliterna Electionis* acta coram S. H. C. die 17 decembris 1881.[2]

Iamvero hac vice, schedulis ab Archipresbytero collectis, inventum est, quinque suffragia lata fuisse pro canonico Di Lazzaro, a secretis Capituli et comitiis praesente; quinque pro sacerdote Iannoni, absente; unum vero pro canonico Vita. Quod cum cognovisset canonicus Di Lazzaro, inutile ducens cum parva aut nulla spe diversi et melioris exitus iterum celebrare scrutinium ad normam constitutionum, quae aiunt: « Si autem vota sint paria, Vicarius denuo faciat scrutinium », declaravit accedere ad seipsum ad formam cap. *Cum in iure*, 33, *de elect.*, seu convertere in seipsum votum quod antea ediderat favore canonici Vita. Et sic obtenta maioritate in Vicarium Capitularem evasit electus.

Cum tamen dubitaretur de legitimitate eiusmodi electionis, res submissa fuit iudicio S. C. C.

Ex Innocentii III celebri capite: *Quia propter*, 42, *de elect.*, quod a DD. consideratur veluti tessera ac fundamentalis norma in materia electionum, auctores deducunt tres electionis esse formas: nimirum *per quasi inspirationem, per scrutinium et per compromissum*. Prima forma est extraordinaria; secunda communior; ultima celebratur, quando uni vel pluribus etiam extra gremium existentibus, clericis tamen (cap. 12, *de elect.*), electio committitur.

[1] Cf. N. 4259.
[2] Cf. N. 4254.

At vero sedulo notandum est, quod dispositio cap. *Quia propter* procedit, quando agitur de electionibus Episcoporum seu illorum Praelatorum, quorum morte Ecclesiae censentur viduatae.

Sed quando agitur de electionibus ad beneficia minora, vel ad officia capitularia et similia, rigor iuris non est necessario observandus, ceu uno ore DD. docent in tit. *de elect.*; ast unice tenendum est id, quod est in electione essentiale, nempe consensus maioris partis congregatorum. Forma vero practica electionis agendae plerumque a statutis peculiaribus determinatur, vel voluntati capituli relinquitur.

Hisce praestitutis de variis electionum modis et de iure in singulis obtinente, via sternitur ad quaestionem, quae in praesenti causa agitatur, num scilicet ad maioritatem obtinendam liceat electori sibimetipsi suffragari.

Cui quidem quaestioni cum distinctione responderi solet; nam, missa electione per quasi inspirationem, ubi de voto sibi dando ne occasio quidem esse potest, in forma solemni scrutinii pacificum est inter DD. neminem posse ullo unquam praetextu sibimet suffragium ferre; neque scilicet ante evulgationem scrutinii, quia nemo potest scribere nomen suum in secreta schedula; sed neque post evulgationem eiusdem, quia publicato scrutinio amplius variare non licet ex iam dictis. Atque hoc docent ii ipsi Canonistae, qui ceteroquin in aliis electionum formis tenent, quemlibet ex vocalibus, data in sui favorem medietate seu paritate suffragiorum, posse utique in se ipsum suffragium convertere; Pirhing, *De elect.*, nn. 217, 218, aliique.

Ast in compromisso alia res esse videtur. Nam Innocentius III in celebri capite: *Cum in iure*, 33, *de electione*, Episcopo Baiocensi rescribens, cavit, ceu legitur in rubrica, ut *si ex septem compromissariis tres eligant quartum et ille consentit et est idoneus confirmabitur electio.* Unde DD. fere universi absque distinctione concludunt in compromissi tenore vocatum a medietate eligentium semper posse, convertendo in se suffragium suum augere numerum et maioritatem obtinere.

Neque hic sistunt praefati canonistae; sed plerique ipsorum ulterius procedentes tradunt, dispositionem cap. *Cum in iure* locum habere atque extendi ad illas quoque electionum formas, quae *minus solemnes* dici possunt, quaeque, ut superius est enarratum, obtinent in provisionibus ad minora beneficia, ad canonicatus, officia aut ministeria.

Neque ista extensio gratuito asseritur; sed ex eo principio, quod ubi eadem est legis ratio, ibi eadem debet esse legis dispositio; et quia Innocentius III in cap. *In causis*, 19, *de sent. et re iudic.*, declaravit sententiam Pontificis legem esse non solum in ea causa pro qua producta est, sed in omnibus similibus. Unde saltem, quando electio fiat palam atque aperte, ut in specie capitis *Cum in iure*, et reperiatur pro uno ex vocalibus concurrere paritatem votorum, utique videretur dispositionem eiusdem capitis esse applicandam. Ceterum DD. huic thesi faventes, ut se expediant a difficultate inde promota, observant quod utique canones vetant eligere semetipsum; at vero data unius favore medietate suffragiorum, talis non eligitur a seipso sed a sociis suis: unde is videretur potius electioni de se factae consentire, et sic augere numerum; quapropter non esset ambitio-

nis coarguendus, quia consensus electi semper requiritur ad electionem. Haec pene iisdem verbis exscribunt Layman, Pirhing, Reiffenstuel aliique.

Theoria usque huc enucleata adamussim applicari posse videretur ad casum Vicarii Capitularis. Etenim cum Vicariatus capitularis sit officium a Capitulo alicui sede vacante commissum: iam non appareret, cur in huius officii provisione non essent applicanda iura, quae in ceteris similibus provisionibus obtinent atque valent ad tradita per cit. DD.

Neque excipias dicendo electionem Vicarii capitularis fieri debere per suffragia secreta. Quandoquidem responderi primum posset cum aliquibus DD. necesse haud esse, ut electio Vicarii capitularis fiat per secreta suffragia. Sed ulterius observari posset facultatem sibimet suffragandi iuxta quosdam DD. procedere etiam in casu scrutinii secreti, dummodo non solemnis, quando nempe publicatis suffragiis locus fiat *accessui*.

Ex his itaque roboratur sententia illorum, qui tenent in electione Vicarii capitularis Veliterni iure merito factum fuisse locum privilegio capitis *Cum in iure*.

Sed supremum in hac re argumentum, ad quod DD. superius citati indesinenter appellant, quod insuper invocat canonicus Di Lazzaro eiusque asseclae, est quaedam resolutio S. C. C., in *Matheranen.*, anni 1649, quae refertur a De Luca in discept. 26, *De canon.*, iuncta auctoritate istius, canonistarum ferme principis.

Ex altera vero parte glossa in cap. *Cum in iure* expresse docet, regulam in capite contentam unice procedere in casu compromissi; quod ceteroquin suadetur ab ipsa saltem magis communi lectione Rubricae. Imo iuxta glossae intellectum neque in omni compromissi casu praefatum caput vim haberet; sed unice in eo peculiari eventu, cum sit compromissariis extraordinaria largita potestas sibimet ob paritatem suffragiorum accedendi.

Et re sane vera votum ferre in seipsum, seu, aliis verbis eligere seipsum vehementem ambitionem sapit, quae si indecora appareret in magistratibus saeculi, indigna prorsus ac damnanda esset in Ecclesiae ministris, quibus Apostoli verba sonant: « nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron »: *ad Hebr.*, V, 25. Unde rubrica cap. 8, *In scripturis*, q. 1 desumens verba ex moralibus Gregorii M., ita habet: *Locus regiminis sicut desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus.*

Ulterius electio sui ipsius ferme implicare videtur cum ipso electionis conceptu: repugnat enim quod unus idemque vir in uno eodemque actu diversam atque oppositam personam gerat, nam electio natura sua fertur in alium, non in ipsum eligentem.

Ubi statuitur, ut qui eligitur, supputetur quidem ad numerum legalem interessentium efformandum: nullimode autem asseritur, quod talis insuper sibimet suffragandi potestatem habeat. Practicum huius distinctionis exemplar habetur in electione Romani Pontificis, in qua Gregorius XV ex bulla *Aeterni Patris*, § 2,[1] expresse cautum voluit, quod, quamvis

[1] Die 15 nov. 1621. — Bull. Rom., tom. 5, IV, p. 400-404.

persona electi in numerum cardinalium praesentium computari debeat, tamen in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam suffragium sibi ipsi dare possit. Neque probavit, sed imo utique damnavit canonicum ius facultatem sibi suffragandi, proclamando non uno in loco, neque incertis verbis, quod nemo potest eligere semetipsum. Ita cap. *In scripturis*, 8, q. 1, cap. *Per nostras, de iurepatr.*, cap. 3, *de exces. praelat.*, cap. fin., *de inst.* etc.

Neque excipias dicendo, cessare ambitionem in eo, qui se novit vocatum a medietate congregatorum, et ideo convertit in se ipsum votum suum ad maioritatem efformandam.

Quandoquidem responderi primum potest, ad instar principii haberi, quod consensus electi non auget numerum eligentium: arg. cap. *Cumana*, 40, et cap. *Quia propter*, 42, *de elect*. Praeterea actus collegii numquam intelliguntur conclusi in paritate votorum; sed ut negotium censeatur capitulariter actum et valeat, requiritur consensus saltem maioris partis ipsius, cap. 1, 2 et 3, *de iis quae fiunt*, etc. Unde in paritate votorum negotium seu propositio non consideratur approbata sed potius reiecta.

Sed, hisce parumper omissis, et dato etiam, quod dispositio cap. *Cum in iure* extendenda sit ad omnem compromissi casum, imo ulterius ad omnem electionem, quae fiat palam et per publica vota, in themate tamen agitur de electione facienda per secretum scrutinium. Et quod electio Vicarii capitularis sit facienda per secretum scrutinium, patet in casu individuo ex ipsis constitutionibus capitularibus Ecclesiae et ex Synodo dioecesana, part. 4, cap. 2, § 19.

Unde commendabilis fieri videtur sententia aliquorum aliorum Doctorum qui tenent in electione Vicarii capitularis numquam dari locum privilegio cap. *Cum in iure;* Pignatelli praeprimis, qui in *Consul.* 23, n. 9, tom. 1, ita ad rem ratiocinatur: « Ac minus electio Vicarii capitularis, de quo agitur in disceptatione, sustinetur ex eo quod electus unus ex vocalibus poterit consentire propriae electioni, ut eius vox computetur pro constituenda maiori parte votorum. Quia ubi electio procedit per secreta suffragia non poterit seipsum eligere, nec suum votum computare in numero ».

Ad haec quaedam breves observationes additae fuerunt, quae practice quaestionem tangere videntur. Canonicus Di Lazzaro ex testimonio sui ipsius votum, in scrutinio, ediderat favore canonici Vita: publicata votatione, retrahendo ipse votum iam datum, illudque convertens in seipsum, « in uno eodemque actu electionis duplex suffragium habuisset, quod ei permissum non erat ex vulgatis » veluti in simili causa notabat Ursaya, *Discept.* 8, tom. 2, part. 2. Esto enim quidem quod accessus liceat in electione Vicarii; tamen in eo variatio non uni tantum est licita, sed omnibus sarta tecta servatur.

Ulterius Di Lazzaro affirmat, se dedisse votum suum canonico Vita: attamen id non evincitur, sed neque evinci potest, cum schedulae illico post lectionem combustae fuerint. Unde quidquid sit de generali principio et, quamvis facultas sibimet suffragandi probanda in genere foret, in praxi tamen electio canonici Di Lazzaro semper impugnanda videretur ex eo, quod

ignoretur, num ipse pro canonico Vita votum reapse ediderit, an potius pro seipso. Eo vel magis quod in *Veliterna* citata anni 1881 pro electione Secretarii idem Di Lazzaro in secreto scrutinio dicatur sibi suffragatum fuisse.

Demum vero, admisso etiam quod ex iteratione scrutinii nulla spes in themate daretur de meliori exitu, recoli certe posset, quod si suffragium in se convertere aliquando utique permittitur ad discordias finiendas et ad beneficia citius providenda; hoc tamen, quod est remedium abnorme et odiosum, praesto esse non debet in iis casibus, in quibus ius ipsum cavit, ut officium, si non possit provideri ex facto Capituli, per aliam viam cito provideatur. Porro hoc praecise contingere videretur in casu Vicarii capitularis, nam si inter octiduum ipse non nominetur a Capitulo, eius nominatio devoluta remanet ad Metropolitanum, aut ad viciniorem Episcopum aut etiam ad apostolicam Sedem iuxta varias iuris normas.

Hisce aliisque consideratis EE. PP. propositum fuit diluendum dubium: *An valida sit electio Vicarii capitularis aliorumque officiorum capitularium peracta per secreta suffragia, in qua, ob paritatem votorum favore duorum, alter ex his ad maioritatem sibi adscribendam, proprium suffragium, quod iam favore alterius ediderat, convertere in seipsum declaret in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 144, p. 200-226].

4268.

S. C. C., *Parmen.*, 17 ian. 1886.

Episcopus Parmensis sequentia dubia S. Congregationi resolvenda proposuit:

1. *Utrum liceat Sacerdotibus, qui beneficiis veri nominis non pollent, et speciatim vicariis curatis, oeconomis et capellanis, derelinquere officia ab Episcopo illis commissa, non obtenta prius eius licentia?*

2. *An ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut persistant in suo officio, saltem usquedum ipsis providere valeat per idoneum successorem?*

3. *Utrum sub eodem praecepto obedientiae et iisdem intentatis censuris possit Episcopus Sacerdotes otiosos, vel ferme otiosos, et sanitate suffultos compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, saltem donec illis fas sit providere pastorem?*

4. *Num praeter poenas a iure statutas ad corrigendos Parochos, qui otiosi et socordes negligunt propria officia, et admonitiones et minas minimi faciunt, hac miserrima aetate, conveniens sit inferre censuras, et speciatim suspensionem a Missa diebus ferialibus, vel etiam extra paroeciam?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Prout exponitur, Negative.

Ad 2. Affirmative, quoties ex officii dimissione grave detrimentum curae animarum sit obventurum. Est tamen Episcopi sollicite providere de idoneo successore, praesertim cum rationabili de causa dimissio expostulatur.

Ad 3. Affirmative, gravi urgente necessitate, et ad tempus.

Ad 4. Episcopus utatur iure suo, prout et quatenus de iure, perpensis tamen temporum et personarum adiunctis.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1650].

4269.

S. C. C., *Dinien.*, 27 mart. 1886.

Plures difficultates, quae in decursu quaestionis exponuntur, suaserunt Episcopo translationem sacerdotis Ludovici Béridon a Paroecia S. Petri, loci vulgo *Entrevaux*, quam regebat uti Parochus *desservant*, ad Paroeciam vulgo *Pontis*. Decretae translationi parochus obtemperare primum renuit, et ad novam paroeciam sibi assignatam ire omnino detrectavit; donec tandem, peractis spiritualibus exercitiis, sibi ab Episcopo indictis, paroeciam loci *Verdaches* acceptavit, et ad eam die 1 octobris 1881 sese contulit. Attamen die 25 eiusdem mensis ad Sacratissimum Principem confugiens, conquestus est de sua translatione, quam ex necessitate, ut haberet quo viveret, se acceptavisse dicebat, atque imploravit restitutum iri in suam S. Petri paroeciam. Hac autem formula se subsignabat: « Ludovicus Béridon, Parochus S. Petri, residens *Verdaches*, ubi expectat sententiam S. Sedis ».

Et in primis quod attinet ad Parochum, recoli debet quod ii, qui apud Gallos vocantur *desservants*, ea omnia praeseferunt, quae Parochorum propria sunt, excepto titulo perpetuae inamovibilitatis; adeoque utique locis suis moveri possunt, quin causae canonicae et leges a iure praescriptae serventur. Aequitatis tamen ratio, et boni regiminis disciplina postulare videntur, ut aliqua iusta et rationabilis causa intercedat, et ut remotiones nec ad purum libitum, nec frequenter, aut prorsus ex improviso, sed prudenter ac paterne locum habeant.

Iamvero si haec ad casum applicemus, conqueritur Parochus se, quinque annorum decursu, quinquies ab uno loco ad alium translatum fuisse; unde pronum suspicari est, quod in ista dioecesi remotio Parochorum, seu translatio inconsulto atque ex mero arbitrio fiat.

At sermonem instituens taxative ad ultimam translationem e paroecia S. Petri, sustinuit parochus nullomodo sufficientes causas adfuisse ad remotionem. Siquidem omnium difficultatum originem exinde venisse, quod cum quidam Marcellinus Pascal assereret sibi competere ius obtinendi scamnum peculiare ac gratuitum in ecclesia parochiali, huiusmodi praetensum ius a Parocho posthabitum fuit. Quod aegre ferens Marcellinus, filiam suam tredecim annos natam impedivit quominus interesset parochiali catechismo, quem frequentare debebat, ut ad Sacram Synaxim prima vice admitteretur; simulque plura contra Parochum minatus est, certe explenda, postquam filia sua ad primam angelicam mensam accessisset. Putavit autem tunc sacerdos Ludovicus opportunum fieri, si puellae communio differretur, remque Episcopo significavit. Sed hic maluit

fidem habere Marcellino, eique permisit, ut filiam suam duceret in aliam paroeciam ad S. Synaxim suscipiendam. Tunc sacerdos Ludovicus litteras Episcopo dedit quibus ait: potest-ne Episcopus permittere, ut puella sibi ignota promoveatur ad primam communionem in paroecia alienae Dioecesis? Dum Parochus proprius prudenter censuit eamdem non promovere, causis innixus legitimis? Ordinarius damnare et derelinquere presbyterum nequit ob calumniosa dicta; iustitia exigit ut ambae audiantur partes, antequam proferatur damnationis sententia. Ratio haec agendi in discrimine ponit auctoritatem presbyteri, et impossibile reddit illius ministerium. Litteras subsignabant una cum parocho novem municipes.

Litterae eiusmodi Curiae episcopali valde displicuerunt; et exinde remotio presbyteri decreta fuit. Verumtamen, si quaerantur causae, quae ad rem sufficerent, non videntur fuisse: aut 1. resistentia erga Marcellinum quoad usum scamni, quia id facere in potestate ac iure Parochi erat, dum praesertim ipsemet Episcopus in suis litteris ad S. C. C. datis non audet asserere, quod Marcellino ius gratuiti scamni certe competeret; non 2. remotio puellae a S. Synaxi, quae a circumstantiis suaderi videbatur, et ad summum errorem, non proprie culpam constituisset; non 3. irreverentia in Episcopum, quae, si tamen adfuit, levissima apparet. Quapropter nulla sufficiens causa ad effectum allegari videretur.

De cetero Parochus ait, se amari a parochianis, qui tribus supplicationibus, in quorum una 75 nomina in alia 65, in alia tandem 63 subsignata inveniuntur, a Summo Pontifice petierunt, ut Parochus remaneret, faventibus ipsis municipibus et Syndico. Nec dici potest factum acceptationis alterius paroeciae nocere Presbytero Ludovico; qui ait, sese minis coactum fuisse a paroecia recedere eoquod eidem alimenta et iurisdictio ab Ordinario subtracta fuerunt.

Renuntiatio autem vi metuque facta nullius est valoris, Pirhing, *De renunt.*, cap. 84; cap. *Ad audientiam*, 4, *de his quae vi metusve causa.*

At ex altera parte sui decreti iustitiam sustinuit Episcopus, qui in primis animadvertit, Parochum bonam fidem posthabuisse in suo recursu ad H. S. C. Et revera dum asserit se residere in loco *Verdaches*, ubi S. Sedis sententiam exspectare se dicit, innuere videtur Episcopum a Paroecia S. Petri ipsum removisse, quin aliam paroeciam ipsi conferret; dum e contra ipsi collata fuit paroecia loci *Verdaches*, in qua iam a die 1 octobris 1881 residet. Imo non solum hanc paroeciam acceptavit, sed et gratias egit Episcopo pro nova provisione, datis ad hoc litteris die 26 septembris 1881. Quod vero spectat ad quinque translationes, quas quinquennii lapsu sibi impositas fuisse ait Parochus, animadvertit Episcopus, tres ex iis locum habuisse sub administratione sui decessoris; ex duabus vero quae supersunt, prior ab ipso Ludovico postulata fuit. Cum enim iurgia et contentiones inter ipsum et familiam suam exorta fuissent, petiit ab Episcopo, ut vellet ipsum ad aliam paroeciam transferre, in qua a suorum consortio prorsus remotus esse posset; qua occasione nominatus fuit ad paroeciam S. Petri loci *Entrevaux*.

Causae vero, quae locum dederunt ultimae translationi, sunt quae sequun-

tur. Cum sacerdos Ludovicus paroeciae regimen suscepisset, populum factionibus divisum invenit. Ipse autem, nedum ab his dissensionibus alienus remanere, ut prudentia suadebat, atque ab Ordinario monitus fuerat, maluit unius factionis patrocinium violenter aeque ac pertinaciter suscipere. Cum vero quidam Marcellinus Pascal, qui alteri factioni praeerat, sibi vindicaret ius obtinendi peculiare gratuitum scamnum in ecclesia, eoquod esset donator princeps soli, in quo extructa fuit dicta ecclesia: quod ius ab uno ex S. Petri Parochis agnitum ipsi fuerat, Parochus Ludovicus, ut huic iuri obsisteret, apertum bellum Marcellino indixit. Marcellini filiae utique permisit, ut ipsa in alia paroecia ad Sacram Synaxim admitteretur. Erat enim 13 annos et amplius nata; aliunde, ipsius Parochi testimonio, sufficienti instructione haud carebat, cum ipsemet paratum se exhiberet ad eam, Dominica sequenti, admittendam. Puella autem, ait Episcopus, iam excesserat aetatem ad primam communionem requisitam, iuxta dioecesana statuta; et si eo anno ad Eucharistiae Sacramentum non fuisset admissa, id peragere non potuisset, nisi post tertium vel quartum annum, quia in parvis paroeciis Galliarum, ut illa S. Petri, haec functio nonnisi quibuslibet trienniis aut quadrienniis solet celebrari. Iuxta autem consuetudines loci nisi magno cum dedecore parentum admissio ad S. Communionem differri poterat ad sequentem Dominicam. Ast parochus offensus ex hac Episcopi agendi ratione, atque indignatione motus, contra Episcopum protestationem emisit, confundens facta, atque Ordinarium suum redarguens, quasi male et contra ius agentem; et quod peius est, protestationis comites adsciscere non erubuit Syndicum et municipes loci.

Sed hoc quasi fastigium ponere videbatur culpae et reitati huius Sacerdotis, atque induxit Episcopum eiusque dioecesanum consilium ad illius remotionem decernendam. Amovibilis enim erat, adeoque non exigebantur aut monitiones canonicae, aut illa canonicarum causarum plenitudo, quae pro Parochis inamovibilibus debent evinci: S. C. C. in *Meten.*, 21 martii 1868,[1] sed ut motiva plausibilia adessent: et talia in facto videbantur sive publicus Ordinarii spretus, sive immixtio sacerdotis in plebis divisionem eiusque propensio pro una parte et aversio pro altera. Quae quidem causae eo vel magis sufficere videbantur, quia non agebatur de remotione simpliciter, sed potius de translatione: in quo neque grave damnum sacerdoti obvenire poterat — emolumenta enim novae paroeciae aequabant atque aequant emolumenta anterioris — neque dedecus, quia causa remotionis nota omnibusque patens erat. Sed si haec omnia suadent remotionem iuste esse factam, a fortiori evincunt redintegrationem in eumdem locum non posse amplius concedi. Eo vel magis, quod statim ac is fuit remotus, pervenerunt ad Episcopum protestationes nonnullorum civium, opera huius Sacerdotis collectae, atque aliae etiam, in quibus auctores minabantur se in pagum suum deducturos fore ministrum protestantem, nisi ibi relinqueretur Ludovicus Sacerdos. Porro instigante sacerdote eodem, Syndicus S. Petri clavem ecclesiae arripuerat, cuius ingressus denegatus fuit novo

[1] Cf. N. 4210.

parocho; ita ut incolae per duos menses officiis divinis carere debuerint. Ad tollendum huiusmodi abusum sanior pars populationis recursum habuit ad Episcopum, qui recursum civili Provinciae Praefecto transmisit; et ex Praefecti interventu factum est, ut in die festo Omnium Sanctorum, summo mane, Syndicus cogeretur ad clavem ecclesiae restituendam, atque ex eo die iterum sacrae functiones fieri coeperunt.

Quapropter non solum culpabilis agendi ratio sacerdotis, sed ipsum spirituale populi bonum exigere modo videtur, ut servetur huius sacerdotis remotio.

Quibus animadversis, propositum fuit enodandum dubium:

An sit locus redintegrationi Sacerdotis Bériden in Paroeciam S. Petri in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 145, p. 308-318].

4270.

S. C. C., *Calaritana*, 29 ian. 1887.

Vacante in metropolitana Ecclesia Calaritana praebenda canonici poenitentiarii, ad concursum legitime indictum pro die 11 octobris 1886, convenerunt Raymundus Ibba canonicus theologus cathedralis Uxellensis, et sacerdos Daniel Vidili, qui, quamvis extraneus, legitime nunc in Dioecesi Calaritana dicitur incardinatus. Canonicus autem Ibba, inconsulto suo Episcopo, illuc venerat.

Ex bulla *Nuper pro parte* Clementis XIV [1] canonici theologi electio in Sardinia competit Episcopo una simul cum capitulo. Itaque examine a concurrentibus peracto, capitulum ad scrutinium convenit; et in eo canonicus Ibba decem suffragia seu unanimitatem votorum reportavit, dum sacerdos Vidili duo tantummodo vota favorabilia retulit, cetera vero contraria.

Archiepiscopus, re cognita, a voto quidem abstinuit; et rem Uxellensi Episcopo communicans, eum hortabatur ne electioni canonici Ibba obsisteret, plura ad hoc adducens motiva. At hic Praesul allegata motiva reiecit, et Archiepiscopo significavit, se ob ecclesiae suae necessitates haud posse permittere hunc sacerdotem discedere. Probus enim omnium consensu est ac doctus, et a pluribus annis dogmaticae ac S. Scripturae lectiones in Seminario Uxellensi tradit. Imo cum scholasticus annus tunc iam inciperet, datis prius amicalibus litteris, et comminata dein suspensione, canonicum Ibba ad residentiam et ad assuetum magisterii munus revocavit.

Paruit quidem Ibba; at nuncium non misit electioni de se factae ad Calaritanam Poenitentiariam, quam imo consequi peroptat, iuxta etiam capituli, imo et Archiepiscopi votum. Quapropter Archiepiscopus litteras ad S. C. C. dedit, postulans approbationem electionis canonici Ibba.

[1] Die 29 nov. 1769. — Bull. Rom. Cont., tom. 4, p. 122-125.

Animadversum fuit favore eiusdem canonici, quod ipse aetate iam sit provectus, et quod bis saltem graviter aegrotaverit, recentissime praesertim, annis nempe 1880-81, quo tempore de valetudine recuperanda ipse ferme desperaverat: artitride enim valde laborabat. Nihilotamen secius tamquam canonicus theologus chori servitio satisfacere et dogmaticae ac S. Scripturae lectiones in seminario tradere adigitur, quibus etiam nunc vacat. Unde quamvis senio et morbis fractus, retinens theologalem praebendam Uxellensem, adhuc tamen imposito gravi oneri incumbere deberet. Adiicias, Uxellensem aerem maleficum omnium consensu esse; sed in specie canonico Ibba omnino contrarium, ceu scribit ipse Calaritanus Antistes. Dum vicissim Calaris salubrior est aer; et poenitentiariae officio minora incumbunt gravamina. Et ideo nuncium mittendo theologali Uxellensi, et ad Calaritanam poenitentiariam optando utrumque canonicus Ibba consequeretur, et inclemens coelum effugere, et a scholasticis laboribus aetati salutique suae gravibus se subtrahere; ac vicissim commodius et honorabilius in principe civitate officium suscipere. Quae quidem emolumenta talia sunt pro canonico Ibba, ut periculum immineat, si gratia ei denegetur, in amentiam eum cito incidere.

Nec dicatur, canonicum Ibba residentiale beneficium in alia Dioecesi obtinere. Siquidem certum in iure et apud DD. est, quemlibet posse ex iusta causa beneficium resignare, prout declaravit S. Pius V in const. *Quanta ecclesiae*, § 3. [1] Atqui canonicus Ibba utrumque iustum titulum potest invocare, valetudinis scilicet, et promotionis ad aliud beneficium. Ergo videretur, eum utique posse theologalem praebendam dimittere, eiusque resignationem esse admittendam.

Neque subsumas canonicum Ibba promotum adhuc plene non esse, sed tantummodo electum: insuper eius electionem invalidam esse, utpote factam in persona alterius dioecesis et alio residentiali beneficio obligatam. Responderi enim ad haec posset, primum quod, hoc non obstante, favore canonici Ibba semper militaret valetudinis ratio, ob quam beneficiis nuncium mitti, et a loco discedere licere dictum superius est. At ulterius electio, quamvis ius in beneficio non tribuat, considerabilis tamen est, et ius ad rem concedit, unde post eam concessio beneficii appareat actus iustitiae. Porro nulla est lex, quae prohibeat extradioecesanum concurrere et admitti ad beneficium, nullaque praescriptio, quae vetet possessorem alterius beneficii novum sibique aptius quaerere, priori adhuc non dimisso.

Neque excipias, theologalem praebendam eiusmodi esse, cui renuntiari non valeat. Siquidem nullum est beneficium, quod adeo personae inhaereat, ut eo ex iusta causa et legitimo modo clericus se exuere non valeat.

Maius obstaculum, quod in re est, id unum videtur, quod Uxellensis Episcopus maxime urget, damnum scilicet ex canonici Ibba discessu Dioecesi suae promanans. Attamen si consideretur ex aetate et infirmitatibus et amentiae periculo, quibus idem canonicus affligitur, posse facile contingere eumdem canonicum aut vita fungi, aut penitus a quolibet opere

[1] Cf. N. 125.

impediri; quod quidem periculum maius et proximum foret, si canonicus Ibba Alesii residere adigeretur; si ulterius consideretur, quod alterutra ex hisce contingentiis eveniente, pro utraque Dioecesi deperitus ille foret nullumque amplius afferret bonum; dum vicissim quum et doctus et probus sit, in salubriori loco et minus oneroso officio diutius vivens, diutius ecclesiam iuvaret; si demum consideretur Calaritanum Praesulem ad hunc sacerdotem habendum et ne Uxellensis Ecclesia damnum patiatur, huius Ordinario usque ab initio proposuisse se daturum alterum sacerdotem eidem benevisum, loco canonici Ibba; ex quo non modo quodcumque damnum tolli, sed imo sub aliquo respectu emolumentum Ecclesiae Uxellensi afferri videretur: hisce inquam omnibus consideratis, etiam haec difficultas cadere forsan potest.

Ex altera vero parte, omissis, quae sunt minoris momenti, defensio ad duo summa capita redacta fuit; nempe Uxellensem Dioecesim canonici Ibba opere et praesentia indigere, hunc autem salutis curandae causa discedendi necessitate non urgeri.

Et re quidem vera Dioecesis ista, ait Episcopus, tali laborat Sacerdotum paucitate, ut quamplurimae paroeciae pastore viduatae reperiantur. Neque affluens est alumnorum numerus in Seminario; qui necessaria insuper imbui nequibunt scientia dogmatica et S. Scripturae, quam illis canonicus Ibba tradit. Qua de re si meam, ait Episcopus, deserat Dioecesim magister hic, ad sacros ordines promovere cogar iuvenes, scientiae istius expertes, quoniam hisce in adiunctis paene impossibile sit eidem magistro alium sufficere, quia nullus adest.

Neque expedit dicere Calaritanum Praesulem Uxellensi Episcopo alium sacerdotem sibi benevisum loco canonici Ibba proposuisse. Quandoquidem haec subditorum permutatio, si omnes interesse habentes ultro citroque consentiant, nihil revera difficultatis habet; at in themate res non placet Uxellensi Episcopo, nec a quolibet Calaritano sacerdote acceptata fuit, et ideo contingere facile posset, ut nemo ex presbyteris Alesium proficisci assentiretur, omnesque, ii saltem qui selecti ad hoc forent, suo iuri innixi discedere e Dioecesi negarent.

Relate vero ad valetudinem canonici Ibba, haec Uxellensis Episcopus adnotavit in litteris ad Calaritanum Antistitem directis: mei esse apprime censeo innuere, quam plurima relata fuisse quoad Canonici Ibba valetudinem, quae veritati omnino consona non sunt. Sic verum non est, illum aliquando amentia laborasse; nisi amentia dici velit illa eius animi demissio, per quam anno 1880-81, morbo affectus, aliquantisper dubius haesit, an valetudinem recuperare pristinam valeret. A veritate quoque abhorrent alia quae relata fuerunt; quod nempe Canonicus Ibba sanitatem amiserit ex contradictionibus passis. Maiorem enim contradictionem numquam passus est, quam cum meus antecessor eum non elegit ad Poenitentiariam, pro qua cum aliis concursum peregerat. Et quamvis tali desiderio flagraret eamdem praebendam consequendi, ut recurreret ad laicam potestatem ad praepediendum cursum Bullis pontificiis, sanitatis nullum passus est detrimentum.

Quoad clima, ait Episcopus: Canonicus Ibba, natus est in loco, quo purior non est aer illo, in quo nunc beneficium obtinet, et in quo triginta annos moratus est cum perfecta sanitate.

Hisce stantibus, si nempe ratio salutis cesset, et Dioecesis Uxellensis canonici Ibba opere indigeat, iam excardinationis gratia eidem foret neganda. Nemo enim, invito Ordinario potest e loco suo discedere; et si tamen discesserit, potest etiam censuris ad redeundum compelli: Tridentinum, Sess. 23, cap. 16, *de ref.;* Concilium Romanum, tit. 6, cap. 6 et S. C. C. in *Nucerina*, 5 septembris 1818,[1] *Reatina*, *Residentiae*, 26 ianuarii 1833.[2] Quae magis valent quoad clericos, qui beneficium in sua Dioecesi obtinent, quia clericus, post acceptationem beneficii et possessionem, manet ecclesiae alligatus; quae multiplex pateretur detrimentum, si quilibet pro libitu ei renuntiare valeret. Unde etiam statutum generaliter est, neminem posse, nisi in manibus superioris acceptantis, resignationem beneficii emittere.

Et quamvis dicatur quemlibet posse iuri suo nuncium mittere, hoc tamen intelligendum est, si fiat sine praeiudicio alterius, et ex iusta causa.

Hisce praemissis propositum fuit diluendum sequens dubium:

An excardinatio et electio sacerdotis Ibba ad Poenitentiariam Calaritanam sit admittenda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative et fiat novus concursus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 146, p. 36-44].

4271.

S. C. C., *Premislien.*, 18 iun., 20 aug. 1887.

In pago Wiezownica Dioecesis Premisliensis ritus latini existit paroecia, quae sub patronatu est viri principis Georgii Czartoryski et 2600 animas complectitur. Eius rector ab anno 1877 est sacerdos Adalbertus Zywicki. Sed hic, licet moribus castis et erudito ingenio ornatus et vigilis publicae honestatis custos, patrono tamen pluribusque parochianis cito displicuit. Ira enim, quam in promptu gerit, saepeque aestuat, ipsum non pudet, nunc e subsellio verbis, nunc domi colaphis ac verberationibus parochianos suos, data occasione, affligere ac torquere: pariterque, hiante avaritia, solere ob spirituale suum ministerium, praesertim matrimoniorum et funerum occasione, contributiones exigere aut etiam manuales labores in suum commodum praescribere excessivos ac saepe saepius importabiles.

Hisce de causis, ex viri principis et quorumdam parochianorum querela, Episcopus anno 1882 parochum in scriptis monuit, ut resipisceret, ac pastoris officio melius fungeretur. Sed cum monitum nihil profecisset, novis querelis compulsus Episcopus iudicium super agendi ratione sacerdotis Zywicki formaliter institui mandavit. Inquisitio igitur acta est, ac tandem die 20 februarii 1885 sententia data est, qua idem iubebatur intra

[1] Cf. N. 3960.
[2] Cf. N. 4044.

biennium ad aliud beneficium optare, quod nisi faceret, post idem tempus ex officio ad aliud esset delaturum; damnabatur insuper ad spirituales exercitationes per mensem, ac tandem monebatur, monitione pro trina valitura, si impactorum criminum adhuc reus inveniretur, absque omni misericordia, parochiali beneficio privatum iri.

Sententiam acceptavit sacerdos Zywicki, exercitationes peregit; sed a via sua, prout asseritur, non recessit. Siquidem crudelium exactionum ob stolae iura, et inhumanitatis in servum principis ac in alium, quem ita percussit, ut diu decumbere debuerit, iterum accusatus fuit: quapropter novo instituto processu, duobus annis adhuc non elapsis, die nempe 18 februarii 1886 Episcopus definitiva sententia in hunc sacerdotem animadvertit, ei in poenam remotionem a paroecia Wiezownica, et translationem in aliam nomine Wolocza tunc vacantem et de libera Ordinarii collatione, ac sufficienter provisam, intimans.

Appellavit statim sacerdos ad metropolitanum consistorium Leopolitanum; sed Archiepiscopus sententiam primae instantiae in omnibus prorsus confirmavit die 14 septembris 1886.

Dicit porro Ordinarius, die 11 octobris ad se venisse sacerdotem Zywicki, ac dixisse, se datae sententiae acquiescere, et solummodo ex gratia petere, ut sibi aliquot adhuc dies concederentur, quibus posset negotia sua in paroecia Wiezownica ordinare; cui petitioni favorabilem se exhibuit Episcopus. At elapsis iam fatalibus, et sententia in rem iudicatam iam concessa, die nempe 17 octobris, eumdem sacerdotem supplici libello exoravisse, ut sententia contra se lata cassaretur, sibique in sua paroecia manere permitteretur. Sed hoc denegatum ei fuit, simulque iussum, ut die 15 novembris e paroecia discederet.

At vicissim parochus dicit, se statim a lecta sibi sententia, coram decano et vicedecano Ieroslaviensi dixisse et declaravisse: sese appellare ad S. Sedem Apostolicam.

Inter haec certum est, die 14 novembris, ante diem scilicet intimati recessus, parochum libellum ad Episcopum transmisisse, in quo significabat appellationem ad Sedem Apostolicam, et in quo continebantur plura de iniustitia iudiciorum contra se institutorum.

Quum tamen utile tempus ad appellationem iam transivisset, Ordinarius haud libellum excepit. Verum ex misericordia terminum commorationis in Wiezownica ad diem 25 novembris inclusive Episcopus prorogabat notans, quod nisi parochus institutionem reciperet in aliam paroeciam intra hoc tempus, poena suspensionis plecteretur ipso facto incurrendae, et irregularis fieret, quatenus, hoc expleto termino, sacras praesumeret peragere functiones.

Die 24 novembris sacerdos iterum insistens personaliter in Curia comparuit, novas effusioresque emittens preces; sed Episcopus pro bono duarum paroeciarum eum monuit et obsecravit, ut latis praeceptis pareret. Ast incassum. Rediit parochus Wiezownicam, ibique mansit, et die 26 novembris, elapso iam termino praefixo, missam celebravit. Quam rem cum novisset Praesul, graves ei dedit litteras. Parochus vero salutaribus monitis territus

die 28 abstinuit a celebratione asseverans se id fecisse ex ignorantia: simulque tam datis litteris, quam personaliter, absolvi a suspensione exoravit.

Sed Episcopus subdebat se id facere non posse, usque dum contumaciam ipse non deponeret. Quapropter etiam super hoc se Romam fore appellaturum parochus conclamavit.

Interea Episcopus ad regendam paroeciam Wiezownica sacerdotem Thomam Blahuta delegavit, qui ipsa die 26 novembris regulariter institutus fuit, reclamante licet sacerdote Zywicki, et hunc actum, qua violentiam canonibus contrariam, praedicante. Blahuta autem, invocato per Episcopum civilis auctoritatis auxilio, cito obtinuit etiam temporalia beneficii, quibus de facto privatus ab hac die extitit sacerdos Zywicki.

Ita res erant cum ianuario mense huius anni litterae utrinque venerunt: Episcopi, qui re enarrata, consilium super ulteriori agendi ratione petebat, sacerdotis Zywicki, qui, nonnullis allegatis documentis, perlongam suae agendi rationis defensionem et violatae iudicii formae narrationem transmittebat.

Haec summatim conscribit sacerdos Zywicki: nempe se institutum in paroecia Wiezownica, ad corrigendos depravatos huius populi mores, iam ab initio vivum Rosarium et Societatem temperantiae introduxisse, quibus piis institutis primum iuventus se adscripsit, ac deinde maxima parochianorum pars; aedificavisse domum pro ecclesiae organario, quaedam alia aedificia et praesertim parochiales aedes reparavisse; passim vero pietatem ac instructionem in populum diffudisse. Unde ipse Ordinarius in sua translationis sententia diei 18 martii 1886 confiteri debuit: « Quia vero dictus dominus Adalbertus Zywicki vitam alioquin ducat sobriam et continentem, et alacer sit in servitiis spiritualibus populo fideli praestandis, ideo etc. » Nihilominus hac praecise de causa ob suum zelum ac religionem, odium plurimorum, ac praesertim patroni, nec non quorumdam vinariorum incurrisse; illud quidem odium, a quo nec praedecessor suus eximere se potuit, unde et ille paroecia abdicare tandem necesse habuit. Sed aversionem patroni in mortalem inimicitiam excrevisse ex lite contra eum suscepta ac feliciter gesta pro vindicatione cuiusdam contributionis lignorum; nec non ex insistentia parochi, ut eumdem patronum adigeret ad contribuendum pro aedificatione ecclesiae ex ligno constructae et nunc incendio pene absumptae. Porro ex huius potentis inimici sui machinatione factum esse, ut apud curiam ipse accusaretur, ut inquisitio contra eum instrueretur ac tandem, quamvis innocens, damnaretur.

De cetero haec omnia dolose parata, dolose etiam omnibusque violatis formis processus, ad exitum esse perducta. Primum enim, inquisitio, quae vulgo processus appellatur, ad quam delegatus fuerat parochus Dorwald, in domo patroni perfecta est: ibi, in inimica domo rogati et auditi testes et accusatores, ibi etiam iudex inquisitionis victum et hospitium recepit. Secundo, ante depositionem calumniatores et accusatores convocati ut iurarent responderunt: « Si nos coget commissio prius iurare, tunc nemo accedet ad commissionem ». Et commissarius neminem iussit prius iurare. Tertio reus ad audienda iuramenta testium et accusatorum non fuit cita-

tus. Quarto solum infimae fecis abiectissimos et nequissimi characteris luridissimos homines ad testimonia admisit iudex. Quinto, finito processu offensivo nulla capitula obiecta reo ostendit iudex, nec quid a quoquam dictum, vel obiectum fuerit, ipsi indicavit.

Si haec, prout exponuntur, vera essent, indubitanter processus esset nullus et sententia illegitima. Siquidem « nullius testimonio, quantumcumque religiosus existat, nisi iuratus deposuerit in alterius praeiudicium, credi debet » ex can. *Nuper*, 51, *de test.*

Verum non modo forma processus fuisset vitiata, sed et ipsae depositiones aut quia falsae, aut quia non concludentes ad poenam, aut quia exaggeratae, extemplo reiiciendae iuxta parochum forent. Et ideo ad singula deveniens accusationum capita orator ad nihilum eadem redigere studet. Quibus expositis infelix parochus plura in iure cumulat, quibus ostendat, iniuste contra canones gravatum appellare semper posse, licet tempus utile praeterierit. Repetit tamen, iterum iterumque confirmat, se statim a lecta Metropolitani sententia, coram decano et vicedecano Ieroslaviensi dixisse: sese appellare ad S. Sedem: et ideo ex motivis adductis orator petiit, ut omnino revocarentur sententiae et quidquid gestum fuerit adversum eumdem, ceu illegaliter gestum.

Iamvero si ita iudiciaria inquisitio processit, ceu sacerdos Zywicki enarrat, quale sit consequens, nemo profecto ignorat. Nam, ubi sententia contra leges et canones prolata sit, nullas habet vires, adeo ut nec provocationis auxilium necessarium sit ex cap. 1, *de sent. et re iudic.* Nam quod nullum est, nullum producit effectum, prout canonistae heic considerant.

Pariter sententia numquam transit in rem iudicatam, ubicumque per evidentiam facti constet de eius iniquitate, aut iudex ex errore, vel falsa causa, processerit, quia iuxta cap. *Inter caeteras*, 9, *de sent.* etc. « sententiae non debet stari, si iniquitatem contineat manifestam ».

In themate contra canones et leges fuisse latam sententiam, ex hoc solum apparet, quod, ad dicta sacerdotis Zywicki, pronunciata fuerit testibus non iuratis ac reo non audito; quod tam enorme est, ut demonstratione non indigeat.

Quapropter in themate, licet retineri placeat sacerdotem Zywicki fatalia labi permisisse, et appellationi nuncium misisse: nihilominus si facta talia sint qualia refert, querelae remedium ei semper supererit super sententiae nullitate, quod quidem remedium post decennium et directe coram iudice superiore interponi valide potest. Et quamvis oppositio nullitatis sententiae ordinarie executionem eius non impediat, tamen hoc verum non est neque potest admitti in casu, in quo sententiae executio irreparabile damnum secumferret: Reiffenstuel, *De except.*, n. 72 et 73. In themate autem si Sacerdos Zywicki sententiae executioni acquievisset, dubitari poterat, num in posterum remedium aliquod aut subsidium sibi foret obventurum.

Relate vero ad suspensionem et irregularitatem animadversum fuit: suspensionem non admittere quidem appellationem in suspensivum, sed tantummodo in devolutivum, si iam fuerit irrogata et contracta; at si tempore intermedio, post comminationem scilicet, sed ante eius eventum appel-

letur, profecto provocatio ista effectum habet suspensivum. Hoc clare docet Pontifex in cap. *Praeterea*, 40, *de appellat.* Porro sacerdos Zywicki post suspensionis irrogationem, sed ante eventum appellavisse videtur. Sane litteris utique a Curia die 26 receptis sed a sacerdote Zywicki die praecedenti (scilicet ante suspensionis eventum) signatis, quaeque ad acta habentur, ipse formiter non modo a sententiis, sed a suspensionis comminatione praecise appellavit. Insuper quum praecedentibus libellis diei 14 et 21 novembris rogasset, ut facta ad S. Sedem provocatio admitteretur, ac interim « nihil contra se attentaturum » sponderet, implicite et contra censurae comminationem appellavisse videtur. Quapropter, et secundum haec, eam forte non incurrisse.

Eo minus vero irregularitatem; quandoquidem haec non contrahitur nisi ex violata *temere* censura, vel nisi censura violata sit *culpabiliter*. At sacerdos Zywicki neque temere neque culpabiliter videtur violasse censuram, 1. quia haec censura quoad effectum suum ob interpositam a sacerdote appellationem reapse suspensa remanserat, iuxta dicta in praecedenti; 2. quia idem sacerdos iuxta veritatem ab initio putavit, quamvis postea Episcopi litteris territus ac confusus de hoc dubitaverit, ob interpositam apud S. Sedem provocationem, censura plecti non posse.

At vicissim considerandum est, quod si sententiarum tenor legatur, si concinnata factorum et processus historia ab Episcopo confecta prae oculis habeatur, et testimonia Apostolici Nuntii, quoad hoc rogati, a S. C. C. pensentur, profecto sacerdos ille videretur aut putide mentiri, aut somniare; nisi retineri malit, eumdem quandoque suae mentis figmenta veluti vera facta allucinando tradere ac putare. Insuper confusio maxima in scriptura huius sacerdotis reperitur, ubi de violata forma processus et de illegitimis depositionibus conqueritur: quandoquidem definiri non potest, utrum de primo, aut de secundo processu, aut de utroque aliquando sermonem habeat: ni fallor, forte utrumque simul complectitur. De cetero quum in positivis et criminalibus nil nisi ex documentis concludi liceat, ideo relata fuerunt tredecim accusationum capita contra Parochum; quae collecta fuerunt ex actis processus.

Qui processus, ait Episcopus, inchoatus est 12 ianuarii 1885, praesentibus Commissario Episcopi, notario adiurato, accusatoribus et accusato; die vero 15 ianuarii terminatus est. Adfuerunt tredecim testes, qui omnes ante depositiones suas praestiterunt solemne iuramentum personale de tota veritate dicenda.

Finita indagatione offensiva die 14 ianuarii hora 2 pomeridiana, ipse accusatus citatus est ad examen, atque provocatus, ut ad singula capitula, quae ei a commissario exponebantur speciatim cum nominibus testium, responderet, vel sincere fateretur delicta, vel vero innocentiam suam probaret. Dicta sua, per notarium conscripta, propria manu subscripsit accusatus. Ex actis etiam constat omnia ad singula accusationum capita fuisse per testes probata. Expleto formiter processu, sententia prolata fuit die 26 februarii 1885, praemissa delictorum enarratione, quae sic se habet: nil mirum ergo, si patronus et primores parochiani in querela sua declarant,

Te omnibus exosum esse. Pensatis itaque, ait iudex, delictis percussionis Tibi obiectis et comprobatis, respectis praegravationibus et iniquissima exactione in iuribus stolae, quas confiteris, vehementia et maledictionibus, quibus in loco sacrato Te abripi sinis, attenta diffamatione coram Iudicio Sieniaviensi et Ieroslaviensi, quam passus es, iustissime possemus Te extemplo privationis poena affligere; idque eo magis, ac tota indoles tua ac conversandi et agendi ratio hucusque monstrata nullam praebeant spem, fore, ut celsissimum patronum ac parochianos tibi reconcilies, ut pastorali opera ac verbi Dei praedicatione apud parochianos proficere valeas.

Abstinemus tamen hac vice eapropter a poena hac, quam promeruisti, tibi irroganda, quia praeter monita, quae oraliter tibi ante duos annos et scripto dedimus, canonicam in scripto ac peremptoriam monitionem nondum obtinueras. Mitiorem igitur propter delicta supra memorata ac comprobata tibi irrogamus poenam decernentes: *a*) translocationem tuam ad aliud beneficium aequaliter vel etiam paulo melius dotatum, praestituendo tibi terminum duorum annorum, intra quem beneficium tale sive per concursum, sive per permutationem a Nobis approbandam obtinere debeas. Quod si intra biennium, ab intimatione huius sententiae computandum, beneficium tale non obtinueris, Nos ipsi ex officio te translocabimus ad beneficium etiam peius dotatum, cuius conferendi copiam habebimus. *b*) Quia vero ex una parte delicta tua supra memorata ac probata severissimam expostulant poenam, ex altera vero parte nulla adsit spes, te alicubi ceu bonum pastorem cum fructu laboraturum, proinde imponimus tibi poenam medecinalem, constantem in recollectionibus spiritualibus, quas per 30 dies in collegio religiosorum SS. Redemptoris in Mosciska absolvere debes proprio sumptu.

Quam sententiam die 19 martii 1885 se recepisse litteris, manu propria subscriptis, accusatus comprobavit; sed eadem condemnatus plane non appellavit, ideoque eadem in rem iudicatam abiit.

Biennio tamen a sententia praedicta nondum elapso, rursus sub 10 decembris 1885 oblatus mihi est a patrono capellaniae Wiezownicensis, celsissimo principe Georgio Czartoryski, libellus accusans praefatum capellanum et inhumanitatis in servum suum, Casimirum 16 annorum adolescentem, speciatim talis percussionis, quae diuturnum morbum percusso causavit, et rursus demonstratae animi duritiei in extorquendis praestimoniis stolae.

Quapropter decreto e 19 decembris 1885 vice decano Ieroslaviensi Romano Hanczakonski novum processum canonicum contra praefatum capellanum movere demandavi, ait Episcopus, atque modum, quo processus eiusmodi summarius perficiendus est, distincte exposui in memorato decreto. Edocui autem condemnatum ipsum intra decem dies ab intimatione sententiae computandos, ad iudicium metropolitanum appellare posse. Observo autem assessores iudicii eius fuisse opinionis meque rogasse, ut sententiam privationis in hunc Clericum pronuntiarem, quod tamen non feci procedens in delinquentem cum lenitate ac amore paterno.

A sententia mea reus reapse intra legitimum terminum appellavit ad

tribunal metropolitae Leopolitani, cui tribunali omnia acta, tam primi, quam secundi processus adversus praefatum capellanum moti, una cum sententiis tradita sunt sub die 12 maii 1886. Post diligentissimam causae perscrutationem iudicium metropolitanum sententia sua e 14 septembris 1886 plene probavit ac confirmavit sententiam primae instantiae. Sententia haec communicata fuit reo, qui de receptione eiusdem sententiae litteras dedit.

Die 11 octobris 1886 comparuit coram me, ait Episcopus, condemnatus, declarans, se acquiescere sententiae contra eum latae. Die 17 octobris petiit condemnatus, ut Episcopus immutaret sententiam latam, quae iam in rem iudicatam abierat, ut remaneret in Wiezownica: cui petitioni respondit Episcopus sub die 19 octobris 1886 deferre prorsus non posse, sed potius exequendo sententiam ipsi sub suspensione mandare, ut in termino ad 15 novembris 1886 constituto compareret ad institutionem canonicam pro beneficio in Wolocza obtinendam.

Dum eius adventum Ordinarius expectaret, excepit libellum pro appellatione ad S. Sedem a sententia iam in rem iudicatam transacta. Reiiciens Ordinarius libellum, significavit non posse admittere appellationem. Die 24 novembris 1886 petiit oretenus vel ut sententia immutaretur, vel sibi concederetur appellatio ad S. Sedem. Utraque res denegata fuit, et insimul significatum fuit reo, ipso facto suspensum fore die 26 novembris, nisi pareret. Sed hoc die non comparuit et missam celebravit. Eadem die paroecia tradita fuit Thomae Blahuta coram repraesentantibus populi et patroni, et consignatum est desuper documentum cum protocollo, in quo condemnatus propria manu scripsit, se hunc actum considerare, qua violentiam canonibus contrariam, contra quam querelam ad Sanctam Sedem interponeret.

Vespere diei 29 novembris comparuit personaliter coram me, ait Episcopus, rogans absolutionem a suspensione, ast quamvis ipsi dixerim, me huic petito solum tum deferre posse, si contumaciam suam deposuerit, tamen nec ad beneficium in Wolocza canonice institui, nec Capellaniam in Wiezownica deserere voluit, declarans, se id facere non posse, donec Sancta Sedes appellationem eius resolverit, quam asseruit per Illm̃um ac Rm̃um Nuntium apostolicum Vindobonae residentem se interposuisse.

Hisce breviter praemissis quoad processuum legalitatem et regularitatem, animadversum fuit vulgatum in iure esse, posse Episcopos aliquem privare beneficio et aliud illi tribuere, « si nempe (prout loquitur Reiffenstuel ad tit. *De rer. permut.*, num. 38, gravis causa id postulet, vel quia beneficiatus minus est idoneus ad praestanda munera beneficii huius, vel hoc in loco etc. »

Item scitum est parochum capitalibus inimicitiis implicatum, licet absque eius culpa, a residentia primum dispensari solere iuxta Fagnanum, lib. 3 *Decret.*, cap. *Clericos*, *de cler. non resid.* ad sex menses; idemque prorsus sentit S. C. EE. et RR. in *Alben.*, *super remotione parochi populo invisi*, die 15 octobris 1601.[1]

[1] Cf. N. 1611.

Porro si hisce de causis, quamvis innocente parocho, ius tamen eius translationem decernit, a fortiori eadem imponi poterit, si vera ac positiva parochi culpa suppetat. In themate autem, sin minus de crudelitate eius in suum populum, de exactionibus excessivis, de furore, quo identidem aliquem percussit, satis constare videtur.

Nec post relata ab Episcopo dubitare licet de forma processus, quatenus scilicet fuerit in substantialibus violata, ita ut nullum possit habere valorem. Testes enim sub iuramento auditos, citatumque esse reum, praeter firmissimum Episcopi testimonium, aperte ostendunt prima et secunda sententia Premisliensis, ipsaque sententia Leopoliensis, in qua edenda Archiepiscopus acta omnia et rei exceptiones prae manibus habuisse, omniaque rite expendisse fatetur.

Insuper cum prima sententia Premisliensis acceptata fuerit a reo, ac transierit in rem iudicatam, nec ab ea appellaverit, licet in ipso eius tenore reus ad provocationem pro libitu faciendam intra decendium excitaretur; et cum in ea sententia Episcopus statuerit hunc sacerdotem intra biennium optare debere ad aliud beneficium, nisi vellet post id temporis translationem ex officio pati; nec non una monitione, pro trina valitura, idem sacerdos edoceretur tunc translationis poenam citius subiturum, si impactorum criminum reus adhuc inveniretur; nulla suppetit pretiosa ratio, cur iniustitiae conqueratur. Siquidem iterum ipse incidit in vexationum et percussionum culpas, sicut utraque posterior sententia ostendit. Praeterea dubium valde videtur, utrum coram decano et vicedecano Ierolasviensi dixerit: ad S. Sedem appello. Quandoquidem in litteris responsivis tam a Zywicki quam a decano signatis, super facta sententiae communicatione, huius appositae reservationis nihil est dictum.

Demum licet supponi velit Zywicki aliquod appellationis ad S. Sedem interponendae propositum expressisse coram decano et vice decano Ieroslaviensi: tamen cum intra tempus utile nihil egerit, cum imo Episcopo fassus sit sententiae se fore acquieturum, priori proposito, si tamen expressum fuerit, nuncium misisse videretur.

Porro acceptata sententia translationis, eam rite Episcopus exequi poterat. Nam quando reus dixerit se velle parere sententiae, statim ipsa executioni mandanda est. Et fortius quia in themate agebatur de exceptione nullitatis sententiae, quae regulariter non impedit executionem ipsius, prout habet textus in can. *Sicut sine*, 2, q. 1, et Clement. *Ut calumniis, de sent. et re iudic.*, nisi forte agatur de executione, quae semel facta fieret irretractabilis, aut res sit de sententia evidenter ac notorie nulla; qui tamen non sunt ad rem casus.

Si autem poterat urgeri executio sententiae, et consequenter appellatio seu querela ad S. Sedem interposita effectum tantummodo devolutivum et non suspensivum habebat; profecto redarguendus non videtur Episcopus in eo, quod comminaverit suspensionem, nisi reus statuta die e paroecia discederet.

Atqui suspensio prius comminata ac subinde inflicta in tempus indefinitum ad frangendam alicuius contumaciam vera censura est, non simpliciter poena, prout uno ore omnes tradunt canonistae ac theologiae moralis DD., quae proinde, si violetur, irregularitatem secumfert; ideo sacerdos Zywicki in irregularitatem incurrisse videtur. Ex cap. enim 1, *de sent. et re iudic.*, si suspensus ab officio actum suspensione sibi interdictum culpabiliter exercet, contrahit irregularitatem.

Aliunde vero ex cap. *Pastoralis*, 53, *de appellat.* appellatio a censuris ab homine latis solummodo quoad effectum devolutivum, non vero quoad effectum suspensivum admittitur; ideoque inutiliter super hoc puncto ad interpositam coram S. Sede appellationem provocaret sacerdos Zywicki, ut a censurae effectibus et ab irregularitatis poena se subtraheret.

Nihilominus quum ipse ignorantia se excuset, ac deinde cognita veritate a celebrando abstinuerit, remissum fuit EE. PP. perpendere, num aliqua benignitas super hoc puncto ipsi indulgenda sit.

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda dubia:

1. *An oppositio nullitatis sententiarum a Sacerdote Zywicki interposita admittenda sit in casu?*

2. *An, et sub quibus conditionibus a suspensione et ab irregularitate absolvendus sit in casu?*

Die 18 iunii 1887 Sacra, etc. respondit ad 1. Negative. Ad 2. Affirmative, postquam mandatis Episcopi paruerit et ad mentem; scilicet, ut scribatur Episcopo, qui, postquam certior factus fuerit ex parte gubernii nihil obstare, et dummodo memoratus Sacerdos iudicio ipsius Episcopi dignus habitus fuerit, eumdem de alio beneficio ad tramitem sententiae provideat.

Hac sententia gravatus sacerdos Zywicki beneficium novae audientiae petiit, et ideo causa reproponitur sub forma:

1. *An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

2. *An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

Die 20 augusti 1887 Sacra, etc. respondit: In decisis et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 146, p. 364-400, 526].

4272.

S. C. C., *Ventimilien.*, 19 maii, 18 aug. 1888.

Die 18 septembris 1871 nuptias inibat in parochiali ecclesia loci Carpasio Catharina Saccheri puella annorum 12 et mensium novem, et Antonius Scarella, vir quintum lustrum attingens, qui a quatuor mensibus e militia redux iam erat, et in familia Saccheri receptus vivebat. Parochus loci nolebat eos in matrimonium coniungere, attenta aetate et parva intelligentia sponsae, et quia insuper quaedam peiora subesse suspicabatur, sed re ad Vicarium Generalem deducta, hic, puella audita, matrimonium fieri iussit. Sponsi octo menses communem vitam duxerunt primum in paterna uxoris familia, dein in ipsa familia viri; sed gravioribus in dies exortis dissidiis, Antonius Catharinam a se reiecit.

Res utut moderno Episcopo in s. visitatione innotuit, processum instrui curavit, qui tamen cum aliqua irregularitate confectus fuit forte ob adiun-

ctorum loci et personarum difficultates. Mater sponsae audita fassa est, filiam suam nuptiarum tempore sufficienti cognitione caruisse; se autem illicito amore Antonium deperiisse, imo cum eo antequam duceret Catharinam quater et cum copula perfecta rem habuisse; ac demum se compulisse filiam ad matrimonium, ut ipsa potius in amore haereret apud Antonium. Addidit, se de dispensatione petenda ad effectum matrimonii filiae non cogitasse et hac in re nihil scire. Catharina autem semel ac bis excussa retulit, se absque plena causae cognitione, ne matri resisteret, imo aegre animo ad matrimonium consensisse, imo post affirmativam responsionem ad altare flevisse; durante contubernio cum viro suo concubuisse, sed haud maritaliter, quia vir saepius quidem, sed incassum copulam cum ea habere tentavit: se autem tunc temporis nec menstruationes habuisse, quae nonnisi in posterum, cum in oppido San Remo famularetur, inceperunt. Tresdecim testes auditi deposuerunt de fama publica pravi commercii matris Catharinae cum Antonio et de tenui corpore et praesumpta incapacitate puellae ad nuptias. Vir demum Niceae, ubi morabatur, examini se sistit, et confessus est turpem suam relationem cum Catharinae matre; circa vero consummationem matrimonii renuit respondere, et ad haec noluit depositioni factae subscribere.

In hoc rerum statu propositis duobus dubiis S. V. O. responsionem distulit, ut complerentur acta. Sed Episcopus datis litteris edixit, innumeris obstringi difficultatibus ad rite acta complenda, quia pagus Carpasio ferme inaccessus est, et Cleri defectu Dioecesis laborat, unde petebat *di assumere e adunare prove estragiudiziali*. Audito Defensore matrimonii S. H. O. ex audientia SSmi annuit, ac proinde Sacerdos Cuneo, Vicarius Generalis ad honorem cum Cancellario se transtulit Carpasium, et ibi novem testes examini subiecit iuxta interrogatoria a vinculi Defensore (absente) conscripta. Porro omnes substantialiter in iisdem affirmandis convenerunt, quae supra dicta sunt, videlicet insufficientem puellae aetatem corporisque evolutionem, copulae cum eadem impossibilitatem et Antonii cum puellae matre prohibitam relationem, demum puellae circa matrimonium ignorantiam.

Canonista contendit matrimonium in themate duplici ex causa fuisse nullum: ob defectum consensus puellae et ob impedimentum affinitatis ex copula illicita Antonii cum matre Catharinae ante matrimonium habita. Prius demonstrat ex defectu evolutionis corporalis et mentalis puellae, ex ipsius et Parochi agendi ratione, qui nuptias benedicere renuerat, porro ex vi morali, qua Catharina a parentibus, praecipue a matre ad matrimonium adigebatur, ac demum ex ipsius Catharinae reluctantia in reddendo debito. Impedimentum vero affinitatis ostendit ex depositione plurium testium ac fide iurata tum Antonii, tum matris Catharinae. Unde impedimentum dirimens necessario ortum fuit: Conc. Trid., Sess. 24, *de ref. matr.*, cap. 4, a quo coniuges dispensationem non obtinuerant.

Theologus e contra ostendere studuit, in themate non constare de vi etme tu sufficienti ad dirimendum matrimonium, neque de matrimonii inconsummatione, demum satis demonstratum non censet impedimentum

affinitatis ex copula illicita. Theologo autem ex officio adhaeret vinculi Defensor.

Quibus positis quaeritur:

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu?* Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die 19 maii 1888 Sacra, etc. respondit ad I. Praevia sanatione actorum, Affirmative.

Ad II. Provisum.

Reproposita vero causa, auditoque matrimonii Defensoris voto, ad dubium:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

Die 18 augusti 1888 Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 147, p. 289-314, 518-520].

4273.

S. C. C., *Lunen.-Sarzanen.*, 18 aug. 1888.

Episcopus Lunen.-Sarzanen., H. S. C. exposuit: Regularis quidam privilegio carens, ut a quocumque catholico Antistite ordinari valeat, Ordinarii, in cuius dioecesi extat conventus, ubi Regularis incolit, attestationes exhibuit extraneo Episcopo, quibus declaratur ipsum Ordinarium extra tempora statuta Ordinationem non tenere. Hinc quaeritur:

1. *An, iuxta constitutionem Benedicti XIV*, Impositi, *27 februarii 1746*,[1] *Episcopus extraneus possit extra tempora a canonibus statuta, regularem praedicto privilegio carentem ordinare in casu?* Et quatenus affirmative:

2. *An sufficiat attestatio Ordinarii dioecesani, ut in casu; vel requiratur attestatio, qua declaratur Episcopum loci, quo regularis degit, non tenere Ordinationem temporibus statutis?* Et quatenus negative ad primum:

3. *An consuetudo contraria ab illa constitutione Benedictina derogare possit in casu?*

Super his precibus dubiisque exquisito Consultoris voto, consideratisque Conc. Trid., Sess. 23, cap. 8, *de ref.*, ac H. S. C. decr. 15 martii 1596[2] cum memorata constitutione Benedictina:

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Requiri attestationem Episcopum proximo legitimo tempore non habiturum Ordinationem.

Ad 3. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 147, p. 594-600].

[1] Cf. N. 376.
[2] Cf. N. 2294.

4274.

S. C. C., *Conimbricen.*, 18 aug., 1 sept. 1888.

Episcopus Conimbricensis et Redactores religiosae ephemeridis *Instituições Christias* S. H. C. exponebant: extremis his temporibus magnam exortam esse controversiam in hoc Regno Lusitaniae et praesertim in hac Dioecesi, apud scriptores catholicos circa interpretationem textus S. Concilii Tridentini, cap. 2 in fine, Sess. 25, *de ref.* Ut igitur veritas clare pateat, ac tuto et efficaciter defendi possit, sequentium dubiorum solutionem Oratores humiliter expostulant:

I. *Utrum in his universitatibus, quae* immediate *Romani Pontificis protectioni et reformationi non subsunt, sed quarum cura, visitatio et reformatio ad Statum civilem pertinet, etiam Statui civili competant omnia illa munia, quae S. Concilium recenset verbis sequentibus: diligenter curent, ut ab eisdem universitatibus... (ea quae) correctione et reformatione digna fuerint... emendentur et statuantur?*

II. Et quatenus affirmative: *utrum in supradictis muniis, quae ad Statum civilem pertinent, comprehendatur etiam supremum officium integritatis fidei curandae, quod officium vulgo dicitur superintendentia doctrinalis?*

III. *Utrum superintendentia doctrinalis, etsi ad Statum civilem pertineat, sit tamen* directa, *quatenus nulla alia intermedia potestate exerceatur, et* exclusiva, *quatenus a Statu civili tantum exerceri possit?*

IV. *Utrum, etsi ad Statum civilem pertineat cura, visitatio et reformatio universitatum et studiorum generalium, supremum tamen officium integritatis Fidei curandae, seu* superintendentia doctrinalis *competat Episcopo ordinario, etiam respectu universitatis, quae in sua dioecesi existit?*

V. *Utrum Episcopus ordinarius possit* per se et immediate *doctorem aliquem illarum universitatum, quarum cura, visitatio et reformatio ad Statum civilem pertinet, admonere de errore, quem forte doctor ipse vel docuerit in universitate, vel scriptis tradiderit per dioecesim vulgatis?*

In themate Statui favere videtur praeter ipsum cap. 2, Sess. 25, *de ref.*, praecipue cap. 20 eiusdem Sessionis, itemque cap. 8, Sess. 22, *de ref.*, ubi eiusmodi scholarum exemptio ab episcopali visitatione declaratur. Verum Concilii iussio, quae in proposito capite universitatum praesidentibus fit, curandi scilicet, ut in eisdem recipiantur Tridentina decreta, et ad eorum normam, quae catholicae fidei sunt, doceantur, et quae sint emendatione digna, pro religionis et ecclesiasticae disciplinae augmento corrigantur: ex logico illius capitis contextu, ex contextu historico ac demum ratione materiae seu obiecti praecepti Episcopis immediate et directe facta videtur. Quibus plane congruit Leonis XIII ep. 26 iun. 1878 ad Emum Card. Urbis Vicarium, [1] itemque Pii IX syllabus errorum, prop. 45, 47, 48. [2]

[1] Cf. N. 574.
[2] Cf. N. 543.

His itaque perpensis videant EE. PP., quomodo respondendum sit ad supradicta dubia.

Die 18 augusti 1888 Sacra, etc. respondit: Dilata.

Die 1 septembris 1888 Sacra, etc. respondit ad I. Ex Conc. Trid., Sess. 25, cap. 2, de ref., *curam, visitationem et reformationem Universitatum, quae Romani Pontificis protectioni et reformationi non sunt immediate subiectae, proprio ac nativo iure pertinere ad Ordinarios dioecesanos, et ad eosdem propterea spectare, pro religionis et disciplinae ecclesiasticae augmento, emendare et statuere, si quae in praedictis Universitatibus correctione et reformatione digna fuerint. Contrariam autem doctrinam damnatam fuisse in Syllabo s. m. Pii PP. IX.*

Ad II., III., IV. et V. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 147, p. 601-618, 637].

4275.

S. C. C., *Tudertina*, 15 sept. 1888.

Supremis quibus decessit tabulis mensis iunii 1887 Franciscus Bianchini domo Collevalenza, Dioecesis Tudertinae, legatum 200 libellarum annualium constituit ad hoc, ut singulis diebus festis in illius pagi parochiali ecclesia secunda missa celebraretur pro anima sua et populi commodo. Verum Sacerdos non invenitur, qui illuc accedat et legato satisfaciat. Aliunde, notat in supplici libello Parochus loci, necessitas duarum missarum pro diebus festis in hac Paroecia videtur evidens, quia parochianorum numerus 700 superat, unica vero pagi ecclesia vix 300 fideles capit, quare etiam tempore praeterito pro secundae missae celebratione semper adfuit Cappellanus. Idcirco Parochus prospiciens necessitatem secundae missae in die crescentem, atque in praebenda paroeciali videns magnum detrimentum, humiliter petit facultatem celebrandi secundam et per eandem satisfaciendi legato defuncti Bianchini. Oratoris preces Ordinarius commendat propter adductas ab eo rationes, quas confirmat.

Quoad binationem animadvertendum est, quoties constet de causis expressis in const. *Declarasti Nobis* Benedicti XIV, [1] Episcoporum esse licentiam impertire; in dubio autem, et a fortiore, si causae desint, ac nihilominus grave necessitatis motivum ad binandum occurrat: dispensationis iudicium ad S. Sedem natura sua reservari. De supradictis causis agunt resolutiones S. C. in *Cameracen.*, 25 septembris 1858, [2] in *Salamantina*, 22 februarii 1862, [3] etc.

Quoad aliud precum caput ex allegata Benedictina constitutione et ex citatis superius causis coram S. C. agitatis liquido constare, eleemosynam pro secundae missae celebratione vetitam prorsus esse. Nec in contrarium

[1] Cf. N. 365.
[2] Cf. N. 4167.
[3] Cf. N. 4193.

valere causam paupertatis beneficii parochialis, ex § 11 cit. constitutionis. Nihilominus pro rei veritate recoli oportet, aliquando S. C. permisisse, ut Sacerdos Sacrum iteraturus aliquid perciperet, non quidem qua missae eleemosynam, sed propter incommodum extraordinarii itineris, laboris, aliusve tituli externi, prout contigit in *Treviren.*, 23 martii 1861,[1] etc. Quibus praenotatis quaesitum fuit, quid esset precibus respondendum.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Quoad binationem affirmative, quoadusque alius Sacerdos reperiatur, qui secundam missam celebret; quoad reliqua negative.

[Per summaria precum a. 1888. - Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXI, p. 547-550].

4276.

S. C. C., *Spalaten.*, 14 dec. 1889, 25 ian. 1890.

In suburbio magno Spalati in ecclesia paroeciali S. Crucis sub initium saeculi XV erecta est Confraternitas quae a *S. Cruce* nomen obtinuit. Verum ab anno 1882 sodales eiusdem Confraternitatis propter quaestiones politicas inter se misere scindebantur, ita ut in processione Corporis Domini vis armata intervenire debuerit, ne maiora inter duas Confratrum factiones mala evenirent. Porro anno 1883 sodalitatis Praesides una simul cum quibusdam senioribus (*vecchiardi*) iuxta statuta convenerunt et futuros sodalitatis Moderatores elegerunt. Quod maioritati confratrum non arrisit. Convenerunt itaque 89 sodales, inter quos nonnulli ex senioribus, aliosque Officiales sibi benevisos constituerunt. Ordinarius rem improbavit, ipseque politicus Urbis Magistratus eidem subscribendum haud censuit: verumtamen electi sub die 3 novembris, utpote a maioritate confratrum suffulti, in officio perstiterunt. Interea sodales bis generalia comitia habuerunt, quin tamen politicum Urbis Magistratum iuxta civilem legem admonerent.

His de causis die 19 iunii 1884 Urbis Praefectus ad Episcopum scripsit ab eoque quaesivit: *se non fosse opportuno per motivi di ordine pubblico di provocare dall'E. Luogotenenza* (*di Zara*) *lo scioglimento della Confraternita sunnominata*. Die 2 iulii respondit Episcopus, suppressionem sodalitatis expedire *rendendosi tale misura non solo opportuna, ma anche necessaria, se si considerino i motivi addotti da esso i. r. capitano* (nempe turbas a sodalitate promotas, Officialium electionem contra statuta factam, necnon comitia sine venia habita) *e che la Confraternita in discorso corrisponde sempre meno agli scopi, per cui dalla Chiesa veniva ammessa; ed anzichè mantenersi religiosa e disciplinata, è insubordinata e violenta*. His habitis Magistratus Spalatensis ab I. Locumtenente Iadrensi Sodalitii dissolutionem impetravit, eamque obtinuit decreto diei 8 augusti 1884.

Verum, cum eo ipso anno die 24 iulii nonnulli confratres a S. Cruce iuxta civilis Imperii legis praeceptum Locumtenenti exhibuissent statuta, ut a politica auctoritate confirmarentur et Sodalitas recognosceretur, factum est, ut ea ipsa die 8 augusti, qua suppressio Sodalitatis a S. Cruce decerne-

[1] Cf. N. 4192.

batur, eadem praecise die signaretur a Locumtenente approbatio statutorum in recognitionem Sodalitatis a S. Cruce. Hinc magna confusio. Nam Ordinarius retinuit antiquam sodalitatem a S. Cruce cum suis iuribus et privilegiis esse vi prioris decreti Locumtenentis suppressam; vi vero alterius decreti, quo statuta approbabantur, censuit novam aliamque omnino laicam Sodalitatem a S. Cruce fuisse erectam. At Metropolita Iadrensis et Sodalitas saltem pro maiore parte, imo et politica auctoritas aliud senserunt. Verum Episcopus innixus opinioni, quod antiqua ecclesiastica Sodalitas a S. Cruce esset suppressa, et quod ea, quae sub hoc nomine veniebat, utpote novis Statutis instructa et ab Ordinario non approbata, ecclesiastica societas non erat, nec ullo pollens iure in ecclesia S. Crucis, ideo vetuit, quominus haec Sodalitas, ut morale corpus ecclesiasticum in loco antiquae Confraternitatis admitteretur; sodales e contra id praesumebant; hinc complura gravia scandala evenerunt, quae non deplorari non possunt.

Interim vero, dum tanta animi firmitate contra Sodalitium S. Crucis ecclesiastica auctoritas dimicabat, cogitatum est novam Confraternitatem in paroeciali ecclesia S. Crucis institui. Idque factum est die 5 ianuarii 1885. Nova sodalitas *a SSmo Crucifixo* nomen habuit, eiusque statuta ab Episcopo et a civili potestate approbata illico fuere, et plures ex sodalibus a S. Cruce (ii forte, qui a maioritate dissenserant) huic novo sodalitio se adscripserunt. At cum veteres confratres a S. Cruce id, quod putabant in sui aemulationem factum, aegrius ferrent, maiora dissidia parabantur. Quapropter insistente Episcopo I. Locumtenens Iadrensis novo lato decreto sodalitatem a S. Cruce iterum suppressit eiusque bona iterum ecclesiae paroeciali adscripsit. Sodalitate ad Ministerium Negotiorum Internorum appellante Episcopus die 24 maii 1887 ad Parochum S. Crucis has litteras dedit: *L'Ordinario non è in grado di ammettere la stessa Confraternita, non ostante, che le superiori autorità politico-amministrative abbiano dato luogo al ricorso della Confraternita, nè in chiesa, nè in luogo sacro, nè in qualsiasi funzione ecclesiastica, alcuno degli atti contemplati dal suo statuto, e le proibisce specialmente il suono delle campane;* (*tanto più*) *che già presso cotesta chiesa parrocchiale si trova attiva coll'approvazione dell'autorità ecclesiastica e politica la Confraternita del SSmo Crocifisso*.

Tunc sodales suppressae Confraternitatis tandem die 9 iunii 1887 ad Metropolitanum recursum habuerunt, qui excepto libello, auditoque in scriptis suffraganeo Episcopo die 8 augusti eiusdem anni 1887 sententiam tulit, quae pluribus perpensis ita explicit: *Questo foro Metropolitano con autorità proprie annulla i decreti curiali 16 febbraio 1884 e 24 maggio u. s., e riconosce tuttora sussistente la Confraternita di S. Croce di Spalato e la ristabilisce nell'anteriore suo stato.*

At Episcopus statim ac notitiam huius sententiae accepit, ad S. Sedem provocavit, et litteris ac documentis litteras comprobantibus nisus est se suaque acta tueri. Vicissim ad sententiae propugnationem Archiepiscopus longam epistolam exaravit. Sodalitatis autem Praeses S. Sedem coram adivit, peculiaremque patronum sibi elegit. Datum itaque fuit die 11 augusti 1888 decretum: *ponatur in folio.*

Patronus, qui sodalitium sibi adlegit, in primis studet evincere, Metropolitanam Curiam in edenda sententia, qua sodalitas in integrum restituebatur, suo iure usam fuisse, et potestate legitima haud caruisse. Siquidem iuxta tit. *de supplenda neglig. praelat.* negligentia inferioris Iudicis, ex qua ius tertii laeditur, corrigi ac suppleri a superiore Iudice debet. Porro sustinet, Metropolitani sententiam esse iuri consonam, quia corrigit decretum Episcopi, qui sine monitionibus et sine canonica inquisitione suppresserat sodalitium olim ab auctoritate ecclesiastica erectum, ad cuius suppressionem neque causae legitimae adfuerunt. Sed etiamsi ex parte quorundam Confratrum adfuissent, alienum omnino est ab ecclesiastica aequitate universam societatem supprimere eo, quod nonnulli socii male se gesserunt et dissidia excitarunt. Nec praetereundum est spirituale bonum, quod sodalitium sibi proponit. Demum sententiae confirmationem sustinet eo, quod illa sit omnino conformis sententiae tribunalis imperii et legi civili ibi vigenti.

Verum, licet perturbationes et scandala, quorum Sodalitas arguitur, gravia adeo non putentur, ut suppressioni sodalitii legitimam causam praebere valuerint: nihilo tamen secius colligi etiam debet, dissidia et perturbationes non tam in se, quam in adiunctis esse iudicanda, et ex realibus loci circumstantiis metienda. In facto vero esse videtur, Sodalitatem instrumentum unius ex politicis factionibus Spalatensibus factam fuisse, nec potuisse corrigi, quia maior pars contra minorem, Parochum ecclesiae Rectorem, ipsumque Municipale Consilium dimicabat et nova dissidiorum consilia in dies moliebatur. Unde cum Sodalitas a primaevo suo scopo mutuae caritatis fovendae defecisse, ad finem suum haud amplius posse restitui, sed contrariis prorsum studere videretur, hinc non immerito de medio esse tollendam iudicatum est. Et quamvis causae contra confratres vel Confraternitates vel eorundem bona ad iudicem ecclesiasticum spectent, nihilominus perpendi etiam debet, quod periculosa res erat Episcopo, ni forte impossibilis, sua auctoritate suoque unice nutu Societatem, quae adeo turbulenta videbatur, dissolvere: ideo brachii saecularis ministerio utendum censuit, quod non videtur prohibitum. De cetero neque ad haec argumenta recurrendum est, ut suppressio Sodalitatis sustineatur. Quandoquidem ipsi sodales e censu ecclesiasticarum congregationum excessisse et suis actibus suoque arbitrio in album laicalium societatum se reduxisse videntur. Siquidem sodalium maioritas, reiectis Moderatoribus legitima forma statutis, quosdam sibi pro anno 1874 constituit contra statutorum formam electos, quos Episcopus non admisit, sed reprobavit, quos tamen maioritas sodalium sequuta est. Sic vero electi nedum in officio perstiterunt, sed insuper die 24 iulii 1884 nova statuta civili magistratui exhibuerunt, quae probarentur. Quibus a Magistratu probatis Episcopus Spalaten. non immerito censuit hodiernam Sodalitatem a S. Cruce diversam esse ab antiqua, et omnino laicam, utpote quae recognita dumtaxat a civili potestate fuit. Ex const. enim *Quaecumque* Clementis VIII sodalitates, ut ecclesiasticae habeantur, sunt erigendae de consensu Ordinarii, a quo etiam debent eorum statuta examinari et approbari. [1]

[1] Cf. N. 192.

His perpensis, aliisque etiam consideratis, quae in defuncti Episcopi Spalatensis epistola, seorsim distribuenda, continentur, rogantur EE. PP. definire:

An sententia Metropolitanae Curiae Iadrensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die 14 decembris 1889 Sacra, etc. respondit: Dilata et audiatur novus Episcopus.

Die 25 ianuarii 1890 Sacra, etc. respondit: Sententiam esse infirmandam et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 148, p. 911-924, tom. 149, p, 76, 77].

4277.

S. C. C., *Neapolitana*, 22 febr. 1890.

Alexandriae Aegypti vespere diei 28 aprilis 1870 Adelia de Dominicis, illustris puella, nuptias inibat cum Petro Ingovitz, viro ferme quadragenario. Adverso prorsus ac reluctante animo id se fecisse affirmat Adelia, et nonnisi ex coactione novercae, cuius custodiae ac tutelae a patre paulo ante defuncto commissa fuerat, quaeque a privigna se liberare magnopere studebat. Per aliquod tempus se cum viro vixisse quidem fatetur, sed quasi cum patre, seorsim, quin cum eo unquam conveniret, imo vel condormiret. Tandem a viro, qui eam in dies magis contrariam experiebatur, post biennium dimissa, Neapolim se recepit ac supplici libello a SS̃mo petiit, ut processus tam super nullitate sui matrimonii, quam super non consummatione instrueretur penes Neapolitanam Curiam, dispensata tamen inspectione, a qua maxime se horrere mulier dicebat. Audito itaque Em̃o Archiepiscopo die 17 decembris 1887 ita rescribebatur: « Em̃o Archiepiscopo, qui processum conficere curet tam super asserta nullitate, quam super inconsummatione et causis dispensationis, servata forma, et cum facultate subdelegandi: quoad vero dispensationem a corporis inspectione habebitur ratio, quum primum ad H. S. C. pervenerint acta processus ».

Iamvero accersita et excussa mulier pluribus successivis vicibus haec retulit: « Essendo io in età di 14 anni andata con mia matrigna a far visita alla signora Levi moglie del direttore del Banco di Alessandria, si presentò in conversazione un uomo, Pietro Ingovitz, che mostrava circa 40 anni, tutto ben composto, il quale scambiò delle parole con mia matrigna, e mentre io con mia sorella eravamo vicino ad un tavolo per curiosare delle fotografie, venne mia matrigna ed autorevolmente mi disse: *Questi sarà tuo marito;* parole, che in quel momento non mi fecero alcun senso. Dopo una settimana l'Ingovitz venne a visitarci in casa, ed allora incominciò in me una grande avversione per lui, non ostante che non faceva passar giorno senza farci arrivare dei fiori e dei dolci. In altre circostanze della sua venuta cercava nascondermi, fin ad appiattarmi sotto il letto. Io stessa al momento non saprei dare spiegazioni, come egli abbia potuto sposare me, che non facevo altro che avversione e rifiuti. Vidi in quei giorni molto occupata

mia matrigna a fornirmi del corredo. Ma per quante premure osservava per parte sua, per tanta avversione io dichiarava per parte mia, finchè una sera risolutissimamente le dissi: *Io non voglio sposare affatto Ingovitz.* E perchè le mie parole erano dette con una determinazione assoluta, mia matrigna mi corse addosso con gesti minaccevoli per farmi del danno; ma io con gli occhi aperti le dissi: *Mamma non lo fare*, e credo che il mio volto dovette atteggiarsi a tale furia da impaurirla, perchè nel fatto ella si ritrasse da me ed io fui presa da una convulsione nervosa che poi si risolvette in un dirottissimo pianto. Fu poi una sera verso la mezzanotte, che fui obbligata a scendere con mia matrigna in una cappelluccia non molto lontana dalla nostra abitazione, che certo non era la chiesa parrocchiale di S. Caterina, che io ben conosceva, e in questa cappelluccia fu trovato Ingovitz con altri. Quel che ricordo è, che tutta la sera piansi da bagnare tutto il velo che portava sul capo, che mi inginocchiai ai piedi dell'altare, che un Sacerdote incominciò a fare un'esortazione sui doveri coniugali, e che un zufolio continuo all'orecchio mi tolse l'udito, poi seguì un abbagliamento alla vista, e che altro fosse seguito, non lo so. Allorchè rivenni, io era ancora vestita con gli abiti nuziali circondata da mia matrigna e mia sorella, che mi prodigarono delle cure. Posteriormente mi fu narrato, che fui presa sulle braccia e portata in casa come morta, e vi fu chi avesse detto: *Povera signorina entra coi piedi avanti*. Dopo due giorni mia matrigna mi presentò l'anello che disse esser l'anello nuziale, che io dispersi dopo due settimane. Ho conoscenza di non aver mai proferito alcuna parola innanzi al Parroco. Come poi fosse stato registrato tale matrimonio nei libri parrocchiali, non potrei affermarlo. Non ricordo neppure, se fosse stato prete o monaco che avesse assistito a quell'atto. Posso solamente deporre, che i testimoni, i quali furono presenti al mio matrimonio, massime Giuseppe Levi, direttore della Banca di Egitto, erano persone interessate del mio matrimonio per favorire la mia privigna, e così altolocate da poter benissimo aver potuto fare delle pressioni sull'animo del Parroco, perchè registrasse il matrimonio. Aggiungo ancora, che in Alessandria d'Egitto la religione meno tollerata è la cattolica, prova, che appena una chiesa cattolica eravi in tutta Alessandria, e che bastava incontrare l'indignazione di uno di questi altolocati, perchè potevano correre il pericolo i frati di essere espulsi. E credo che questo pensiero abbia molto influito sulla condiscendenza del Parroco. Per una quindicina di giorni non vidi neppure Ingovitz, e credo che ad arte non l'avessero fatto venire nella stanza, perchè certo la sua presenza avrebbe ingravato la infermità. Poi passavano cinque in sei giorni, finchè la mia matrigna partì per Firenze. Allora io rimasi in Alessandria con l'Ingovitz. La mia stanza era proprio per una giovine zitella con tutti gli abbigliamenti della mia età di fanciulla, e l'Ingovitz avea la sua stanza molto lontana. Camera nuziale non ve n'era. Io non ricordo d'averlo veduto alcuna volta men che perfettamente abbigliato. Per due anni l'Ingovitz non si spinse neppure per ombra a quegli atti di affetto e di esterna significazione, che sono leciti ancora tra fratelli e sorelle. Ma poi essendo sufficientemente rimessa in salute ed essendo venuta a dimorare con me la zia, che l'Ingovitz pensò spiegare i suoi diritti maritali sopra di me, ma non ebbe il coraggio di dirmelo e fece che mia zia me ne parlasse. L'Ingovitz rimase dispiaciuto del rifiuto, minacciò che mi avrebbe abbandonata. La mia resistenza fu tanto pronunziata, che Ingovitz non credette ritornare a farmi fare altre pressioni. Seppi poi, che egli era partito con grande rancore contro di me, chiamandomi testarda, e che non avrebbe voluto saper più nulla di me. D'allora in poi non vi è stata più alcuna relazione tra di noi, come se fossimo morti l'uno all'altra. Quando si è iniziata la causa, io non seppi neppure dare notizia ove egli dimorasse ».

Interim cum retulisset actrix se putare virum suum Labaci degere, ubi cum alia femina filiisque ab ea susceptis vitam ab aliquot annis ducere compererat: Neapolitanus Iudex Labacensem Curiam interrogavit. Et cum ita esse cognovisset, mandavit, ut instantia mulieris viro notificaretur eique terminus 20 dierum ad comparendum sive per se sive per procuratorem intimaretur. Sed Petrus Iudicem deprecatus est, ut procuratorem sibi ex officio deligeret, quod ille statim praestitit. Deinde vero idem Iudex commisit Labacensi Curiae, ut servata canonica forma et iuxta formulas interrogationum a Defensore vinculi penes Neapolitanum Tribunal concinnatas Petrus excuteretur. Cuius fassione omnia, quae Adelia supra deposuerat: eius aversio a marito, matrimonii inconsummatio, etc. plane confirmantur.

Aegypti Pro-Vicarius Generalis a Iudice pariter interrogatus nihil referre valuit, nisi Sacerdotem matrimonio assistentem fuisse P. Bernardum O. F. M., qui postea in Conventum Assisinatum se contulit. Deinde Neapoli excussus fuit testis Angelus de Petris, qui Adeliae fassionem in omnibus confirmavit. Testes vero septimae manus Adeliae credibilitatem persuaserunt.

Porro medicus Rocco facta mulieris inspectione deposuit: « In seguito a minutissimo e coscienzioso esame fatto sulle parti genitali della signora Adelia de Dominicis ho potuto constatare che la membrana imene, che costituisce la verginità nelle donne, era integralmente normale come nelle donne vergini ». Quam relationem confirmat etiam Theresia Staglianò, in cuius domo inspectio fiebat. Alter autem medicus propter Adeliae repugnantiam et resistentiam eam inspicere non potuit.

Interim rogantur EE. PP., ut his omnibus inspectis, aliisque quae in adnexis votis et animadversionibus super defectum liberi consensus, immo manifestum dissensum puellae continentur, libratis, dignentur enodare dubia:

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu?* Et quatenus negative:

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 149, p. 141-192].

[1] Cf. N. 4279.

4278.

S. C. C., *Calven.*, 28 mart. 1890.

Quaerenti Episcopo Calvensi, cui aeque principaliter est unita Dioecesis Theanensis:

Se possa obbligare i sacerdoti di Calvi col precetto di ubbedienza *sub gravi* e con censura di restar sospesi *a divinis et in divinis* a presentarsi o come economi curati o come parroci titolari per concorso alle parrocchie vacanti di questa Diocesi di Teano... e se possa ancora obbligare come sopra, sacerdoti religiosi, i quali per i tempi attuali dimorano in famiglia?

Die, etc. Sacra, etc. rescripsit: Detur responsum, ut in *Parmen.*, diei 17 ianuarii 1886, ad tertium dubium;[1] quoad vero viros religiosos, quatenus extra claustra vivant de suorum superiorum temporanea licentia, rem agat (Episcopus) cum iisdem superioribus.

[Per summaria precum a. 1890. - Cf. etiam Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 914].

4279.

S. C. C., *Neapolitana*, 10 maii 1890.

Resoluta fuit haec causa die 22 februarii praeteriti.[2] Sed cum matrimonii vindex, prout Benedictina constitutio *Dei miseratione*[3] iubet, ab hac sententia appellasset, et beneficium novae audientiae petiisset, iterum proponitur causa cum novis eiusdem Defensoris animadversionibus. Quibus perpensis dignabuntur EE. PP. definire dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 149, p. 340-342].

4280.

S. C. C., *litt. encycl.* 27 iul. 1890.[4]

Non sine magno animi moerore SSmus D. N. Leo PP. XIII accepit, nonnullos Sacerdotes, ex Italia, praesertim meridionali, ad Americanas regiones emigratos eam ducere vitam, quae a morum integritate et sanctitate, quam ecclesiasticus vir praeseferre debet, prorsus abhorret. Volens itaque Beatissimus Pater tanti mali ulteriori dilationi pro viribus obsistere, eas renovando et ampliando cautelas ac remedia, quae praeteritis annis

[1] Cf. N. 4268.
[2] Cf. N. 4277.
[3] Cf. N. 318.
[4] Ad Episcopos Italiae et Americae.

iam fuerant adhibita, audito voto Cardinalium S. Congregationis Concilii, mandavit eidem Congregationi mittere ad Episcopos et Ordinarios tum Italiae tum Americae sequentes praescriptiones.

1. Quoad italos sacerdotes emigratos in America commorantes, locales Antistites contra delinquentes summarie procedant ad formam sacrorum canonum, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, si opus sit.

2. Quoad futurum vero, prohibetur absolute Italiae Episcopis et Ordinariis concedere suis presbyteris de clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

3. Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et omnino iustam afferente emigrationis causam. Qui tamen bonum testimonium habens intemeratae vitae in operibus sacri ministerii cum laude veri spiritus ecclesiastici et zeli salutis animarum hactenus peractae, idcirco fundatam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos, ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet nunquam a se maculatum iri sacerdotalem dignitatem exercitatione quarumcumque vulgarium artium et negotiationum.

4. Sed in huiusmodi casu idem italus Episcopus et Ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis intermedio, directe agat cum Ordinario americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis praefatae S. Congregationi Concilii referat. Quae si tandem consensum dederit, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando americano Antistiti per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas personales emigrantis sacerdotis, ad effectum impediendi fraudes circa subiecti identitatem. Ex ea dioecesi ad aliam in America idem sacerdos emigrare nequeat absque nova S. Congregationis licentia.

5. Excluduntur in quacumque hypothesi presbyteri ritus orientalis.

6. Quod si non agatur de emigratione, sed de aliquo Italiae sacerdote, qui ob personales et honestas temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de caetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua praefatae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis, expirato praefixo termino, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

7. Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americas ii Sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1734].

4281.

S. C. C., *Vratislavien.*, 9 aug. 1890.

Episcopus Wratislaviensis, his litteris nuper ad S. Sedem recurrit: « Exponitur humillime Sanctitati Vestrae ex parte devotorum illius oratorum Henrici Bienau, Edmundi Holthoff, Francisci Forsche, Iosephi Golenia, Bernardi Ioppich, Antonii Bugiel, Dioecesis Wratislaviensis sub ditione borussica in Seminario meo clericali degentium, quod ipsi sacra tonsura et ordinibus summopere cupiunt initiari. Sed quoniam dicti oratores, in Universitate litterarum Wratislaviensi quondam studiosi, duellorum complices extiterunt, nempe Henricus Bienau semel duellum perpetrando, et centies quinquagies vel cooperando vel spectando; deinde tamquam spectatores Iosephus Golenia semel, Franciscus Forsche bis, Edmundus Holthoff et Bernardus Ioppich pluries, Antonius Bugiel denique quater vel quinquies ad monomachiam provocando vel provocationem acceptando, omnes irregularitate irretiti videntur. Attamen quaestio exorta est, utrum ex defectu famae secundum S. Conc. Trid., Sess. 24, c. 19, *de ref.*, an ex defectu lenitatis irregulares sint. In tali enim casu hucusque, secundum communem opinionem et usum in civitate ac Dioecesi Wratislaviensi vigentem, defectum lenitatis adesse statuebatur; cum duellum, ut fere his temporibus inter Universitatis studiosos committitur, ludus potius temerarius vitaeque periculo carens, quam res magni momenti existimetur, et spectatores mera curiositate, non consensu plerumque adducti sint. A defectu lenitatis absolvendi Sanctitas Vestra, ut praedecessoribus meis, sic mihi quoque facultatem die 23 iunii a. pr. benignissime imperita est. Sed ut in hac re in posterum quodvis dubium tollatur, Sanctitati Vestrae humillime supplico, ut Ipsa gratiosissime velit declarare, a quanam irregularitate in tali casu dispensadum sit ».

Ante iuridicam disceptationem in subiecta materia praemonita fuerunt nonnulla quoad genus ac modum horum duellorum, quae inter ephebos scholarum praesertim Universitatum germanicarum alumnos passim obtinent.

Nonnunquam profecto inter studiosos illarum accademiarum duella eodem more, quo in ceteris regionibus locum habent. Sed plerumque non ita. Duella enim scholariorum, quae etiam peculiari nomine vocantur, in eo consistunt, ut duellantes, armis specialibus, idest parvo quodam cultro, utentes, et ceteris partibus corporis bene tectis, sibi in faciem incisionem seu vulnus inferant, cuius tamen vestigia plerumque brevi tempore oblitescunt. Nullatenus igitur mors vel mutilatio intenditur, atque rarissime et nonnisi per accidens, ex imprudentia aut ex alia causa e duello extrinseca haec tristia facta accidunt. Nec semper proprie ex vindicta vel ob honorem reparandum duella haec committuntur, sed potissimum ludi, crudelis profecto, vel exercitationis gratia. Ad hunc effectum imo, sub specie nempe huius ludi vel exercitationis praestandi ac fovendi, adsunt inter

universitatis discipulos societates, in quibus pro obtinendo altiore gradu certus duellorum instituendorum numerus praescribitur, et, quodam tempore sine duellis transacto, praesides societatum pro praetextibus suscitandis ad duella instituenda conveniunt. Generatim catholici ab his facinoribus se abstinent, non tamen semper, quia, ut Archiepiscopus in suo libello meminit, duella huiusmodi ludus potius temerarius vitaeque periculo carens, quam res magni momenti aestimatur.

De iis itaque, qui hisce certaminibus dant operam, quaerit Praesul, an in irregularitatem incidant, et utrum ex defectu famae, an potius ex defectu lenitatis. Materiam valde implexam ingredimur; nam « irregularitatis cognitio difficilis est et perplexa, non quidem per se, sed quia permulti omnia susdeque verterunt ac vertunt », ut cum Sayrio Emus d'Annibale in sua *Summul.*, tom. I, p. 400, edit. 3 notat. Cuius rei argumentum habetur in ipso, qui proponitur supplex libellus. Nam in eo supponitur, imo communiter receptum dicitur, quod in scholariorum monomachiis irregularitas ex defectu lenitatis contrahatur.

At vero irregularitas ex defectu lenitatis ab iis dumtaxat contrahitur, qui ad iudicium sanguinis, idest ad hominis occisionem vel, ut olim contingebat, ad mutilationem, sponte sua et publica auctoritate iuste concurrunt, aut ab iis, qui in iusto bello offensivo hostem occidunt aut mutilant. Insuper etiam in iis casibus nonnisi mortis aut mutilationis, effectu sequuto, irregularitas contrahitur. Haec communia sunt apud receptissimos DD. ut Reiffenstuel. *ad lib. 5 Decr.*, tit. 12, § 3, n. 75, Emus d'Annibale, l. cit., p. 423, seq. Uno verbo defectus lenitatis contrahitur, quoties humanus sanguis iuste vel in bello vel in causa capitali funditur.

At in duellis nil horum habetur, nam non in publico bello offensivo, non ex formali iudicio, non iuste sed iniustissime, privato arbitrio et crudeli ratione humanus sanguis effunditur. Quapropter tam longe est, ut in his certaminibus quaestio sit de lenitatis defectu, ut de irregularitate ex delicto casus possit potius contingere. Quoties enim ex duello homicidium vel mutilatio sequatur, praeter reliquas poenas, irregularitatem ex homicidii vel mutilationis crimine insuper contrahi nemini dubium videtur. Emus D'Annibale, *Comment. ad Const. Ap. Sedis*, n. 102.

Verum monomachiae, de quibus quaestio, inter discipulos contingentes, ad haec extrema se porrigere non videntur; nam mortem ex his numquam sequi posse nisi per accidens, et mutilationem, quae est membri alicuius, proprium et distinctum officium habentis, ut ecce oculi aut brachii, abscissio, nonnisi extraordinario et rarissime evenire posse fertur. Ceterum quum etiam in his casibus irregularitas non contrahatur, nisi effectu sequuto, idest eruto oculo, brachio abscisso etc., aut morte illata; iam non potest generice quidquam praestitui, sed in singulis casibus quaestio est dirimenda. Habebitur namque irregularitas ex delicto, quoties mors aut mutilatio contigerit; non habebitur, quoties haec facta deficiant.

Ast poena, quae duellis semper affixa est, et ex qua peculiaris irregularitatis macula ortum habet, est *infamia*. Sane Conc. Trid., Sess. 24, cap. 19 duellantes eorumque patrinos, ut perpetuo infames habendos

esse declaravit. Iamvero infames irregulares sunt, et exinde ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur. Can. fin. dist. 51; can. 17, *Infames*, Caus. 6, qu. 1. Et quum agatur de infamia iuris, ipso facto admissi delicti contracta, nonnisi auctoritate Principis seu dispensatione pontificia auferri potest.

Quibus positis, considerandum venit, num duella, de quibus in themate quaeritur, hac lege Tridentina comprehendantur. Porro graves rationes occurrunt, quae sententiam affirmativam suadent. Omnia enim elementa, quae DD. ad duellum requirunt, in casu nostro etiam reperiri videntur. « Duellum proprie dictum, seu monomachia est pugna inita inter duos vel plures in pari numero, privata auctoritate, et ex condicto, statuto loco, et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis *vel vulneris* ». Ita Ferrar., v. *Duellum*, n. 1. Haec definitio in re est communis inter auctores; iamvero cuncta huius definitionis elementa in casu, de quo agimus, verificantur. Licet enim non adsit periculum occisionis, nec proprie dictae mutilationis; adest tamen certum vulneris periculum: quod sufficere videtur, ut duellum proprie dictum haec scholariorum pugna censeatur.

Praeterea, ut sit duellum, non oportet illud esse fatale; nam decernit Clemens VIII, const. *Illius vices*, anni 1592, tanquam duella proprie dicta eiusque poenis subiecta illa etiam esse habenda, quae cum pacto ineuntur « de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit seu sanguinem fuderit ». [1] Imo Bened. XIV, const. *Detestabilem*, anni 1752 sequentem thesim proscripsit: « Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, *quando certo sciunt pugnam non esse secuturam*, utpote ab aliis impediendam ». [2] Duellum igitur haberi videtur, etiamsi periculum occisionis vel mutilationis non adsit.

Ulterius, haec effera certamina, de quibus sermo habetur, rectae rationi et legibus ecclesiasticis ex iisdem motivis repugnant, ac si cum periculo occisionis vel mutilationis instituerentur. Quamquam enim quandoque non proprie ad vindictam sumendam vel ad honorem reparandum sequi videantur, semper tamen sub specie saltem vindictae sumendae aut honoris reparandi ineuntur, atque viam ad graviora duella cum periculo occisionis et mutilationis sternunt. Ceterum nihil refert, qua de causa initum fuit, v. g. spectaculi, ut olim aut virtutis ostendendae causa. Imo, ubi DD. expresse tractant de requisitis, ut quis poenas in duellantes statutas incurrat, eodem omnino loco habent periculum occisionis et mutilationis atque periculum vulneris. Ex dictis igitur asseri posse videtur, duellantes eorumque patrinos irregularitatem ex infamia iuris incurrere.

At ex altera parte perpendendum est, in materia odiosa nos versari; nam agitur de poena, et « in poenis benignior est interpretatio facienda » ex *reg. 49 iur.*, in VI, idest stricta, nec ultra id, quod in lege aut sententia expresse cautum est. Quo posito principio plane liquet in primis, spectatores imo et cooperatores duellorum iuris infamia non notari. Etsi enim « complices vel qualemcumque operam aut favorem (duello) praebentes nec non de industria spectantes illudque permittentes » excommunicationi R. Pontifici reservatae subiaceant ex peculiari praescriptione const. *Apostolicae Sedis*, [1] et ex articulo finali cit. cap. 19, Conc. Tridentini; nihilominus, cum de his nullus sermo fiat in articulo praecedenti eiusdem capitis, ubi de infamiae poena sermo est, iam iuxta legitimas interpretationis regulas concludendum est, complices et spectatores duellorum infamiae poena non multari: et idcirco in themate eos Seminarii alumnos, qui de alio crimine rei non sunt, quam de spectato scholariorum duello, etsi forte haec duella ea sint, quae Tridentinum infamiae nota percellit, nihilominus infamiae poena non irretiri dicendum est.

[1] Cf. N. 176.
[2] Cf. N. 422.

His perpensis dignentur EE. PP. definire dubium:

An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solent in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 149, p. 769-776].

4282.

S. C. C., *Parisien.*, 31 ian. 1891.

Die 12 aprilis 1887 in ecclesia parochiali loci *Neuilly sur Seine* matrimonium inibat Carolina Legrand, puella honesto loco nata, et Carolus Normand, litterarum Professor Parisiis. At laeva auspicia: nam post octo dies, consummato iam matrimonio, vir uxorem improviso reliquit, litteris ac verbis nuncians, se eius iam fastidire. Nihilominus ob minas parentum et consanguineorum post paucos dies veniam petiit et contubernium cum uxore restituit, at tali animo talique proposito, ut videretur sibi praefixisse uxorem defatigare, ut tandem suo nutu recederet. Quae tamen, cum malitiam virtute ac patientia superare niteretur, duos menses inter aerumnas fortis perstitit, usquedum vir iterum coniugale tectum reliquit.

Cum vero nulla spes affulgeret eum ad saniores sensus revocandi, quin imo constaret, prout asserunt, eum aliis inhonestisque esse irretitum amoribus, de redintegrando consortio animum omnes abiecerunt. Quin imo Carolina Legrand eiusque parentes meditati sunt, utrum infaustae huiusmodi nuptiae validae in se essent: et putaverunt eas impugnari posse ex capite consensus, quippe qui a Carolo Normand nonnisi irrisorie et quasi ad experimentum praestitus videbatur.

Adierunt itaque Ordinarium Parisiensem, tamquam proprium, qui audita actrice, testibus ab ea inductis, aliisque, ipso excusso Carolo Normand ac nonnullis denique epistolis ad rem facientibus perpensis, tandem die

[1] Cf. N. 552.

26 iunii 1888 sententiam tulit actrici favorabilem, qua nullum atque irritum matrimonium dicebat ob deficientiam veri consensus ex parte viri, seu potius ob evidenter intellectam conditionem contrahendi matrimonium dissolubile contra bonum Sacramenti.

Ex appellatione Defensoris vinculi causa supremo S. H. C. iudicio definienda proponitur oeconomice tamen, quia familia Legrand, quae olim locuples, nunc fortunarum dispendium passa, haud par dicitur expensis solvendis.

Theologi votum actrici favet; secundum Canonistae vero votum Curia episcopalis Parisiensis nullum hoc renunciavit matrimonium his innixa motivis: 1. quod vir *certe* consensum dederit, non in vinculum *indissolubile* sed *solubile*, ut constat ex ipsius declarationibus coram tribunali, et ex epistolis ad D. Vael scriptis, *tempore non suspecto*. 2. Ex testimoniis habetur, virum non semel affirmasse, nullatenus se matrimonium ullum contracturum, nisi lex « divortii civilis » vigeret. 3. Constat virum in hoc proposito permansisse tum coram magistratu civili, tum coram parocho, contrahendo; iuxta ipsum, matrimonium coram parocho vana est ceremonia, civile autem unice verum est, quamvis *solubile*. 4. Concordia perfecta inter dicta et facta a viro, ante et post matrimonii celebrationem, simul cum circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus illam, quae omnia intentionem ostendere videntur matrimonii solubilis tantum contrahendi.

Processum perlegi, ait Canonista, sed non statim ad conclusionem aliquam deveni. Nam ex una parte habetur processus rite confectus, cum sententia iudicum, de quorum probitate et diligentia nequit dubitari; dum ex altera parte difficultas haud parva sese mihi offert in eo, quod, pars sat notabilis testimonii constituatur declarationibus non *iuratis* Caroli Normand, qui partes « rei » in causa agit, simul cum depositionibus consanguineorum, affinium et amicorum actricis, qui omnes fidem merentur propter bonam famam, sed ut plurimum non proferunt nisi « audita » per ipsos a Carolina. Iam vero in iure « Testis non iuratus non probat » et exceptiones a iure admissae locum non habent in casu; et testes « ex auditu » mirifice quidem dicta ab aliis confirmant, quin constituant pondus aliquod testimonii novum: praeterquamquod infirmari videtur tum actricis, tum amicorum testimonium ob « commodum » quod obvium est, actricis, et ob sympatiam, naturalem et iustam certe consanguineorum.

Insuper, perfectus licet sit processus, quoad formam, pars eius historica amplior desideraretur. Vix explicatur, potissimum, si conclusionem patroni actricis amplectamur, quae visa est a iudice approbari, quomodo et cur tum parentes, tum Carolina connubium ambiverant cum viro quadragenario, indolis perversae, vitiis dedito, qui propriam impietatem nullatenus celaverat. Nec instabilis et irresolutus cum esset Carolus in negotio matrimonii, non satis intelligitur, qui fit, ut nulla gravis suspicio menti ingesta fuerit sive magistratus civilis, sive parochi, vel saltem menti parentum et affinium Carolinae. Aetas eius, forsitan iam 25 annis egressae, motivum suppeditat aliud; ex actis non apparet, quod partes omnes absol-

veret a gravissima et summa imprudentia, in hypothesi quod contentio actricis sustineri possit, prout sustinetur a Curia Parisiensi.

Ut rite procedat inquisitio, in limine afferenda ea sunt, ceu norma et regula in controversia, quae certa et ab omnibus admissa circa consensum matrimonialem, praesertim circa « consensum conditionalem » quia de hoc ultimo tantum in casu praesenti sermo esse debet. Iam vero ex omnibus, quae consensum afficere possunt conditiones, in matrimoniis contrahendis, illae tantum invalidant, quae contrariae sunt substantiae matrimonii vel « bonis » eius. Hoc certum est ex cap. fin., *de condit.*, ubi S. Pontifex decrevit: « Si conditiones contra substantiam coniugii *inserantur* »... matrimonialis contractus, quantumvis favorabilis, caret effectu. Super quo textu, notat Glossa, tres conditiones assignantur irritantes matrimonium, quia sunt contrariae « bonis » ipsius. Prima conditio: « Si generationem prolis evites », contra « bonum prolis ». Secunda: « donec inveniam aliam ditiorem etc. » contra « bonum Sacramenti ». Tertia: « si pro quaestu adulterandam etc. contra « bonum fidei ». Absque ullo dubio, aliae etiam conditiones, licet hic non expressae, invalidant matrimonium quotiescumque, non minus quam istae, substantiae eius adversentur; et proinde certum est, si quis consenserat in matrimonium *solubile* tantum vel temporaneum, talis conditio esset contra substantiam, et nullum esset matrimonium; huiusmodi vero conditio concipi potest vel 1. alia mente reposita *unius* ex contrahentibus, quo casu invalidum foret matrimonium in *foro interno*, sed non in *foro externo* ob defectum totalem probationis; vel 2. in pactum deducta a duobus contrahentibus: et tunc matrimonium invalidum in *foro etiam externo*; vel 3. demum – ita manifestata ab una, ut altera possit intelligere consensum esse conditionalem. Circa hunc casum docet de Angelis, citans Fagnanum cum communi, matrimonium valere: « Si enim, ait, ab uno tantum adiecta fuerit conditio, altero contradicente aut saltem tacente, matrimonium valet, cum censeatur ab ea conditione recessisse, posita contradictione aut taciturnitate alterius », tom. III, par. I, p. 149, quod tenendum puto contra ponentem conditionem, et in favorem innocentis. Si appellatio, ut in casu nostro, fit ab innocente, locus est, existimo, interpretationi magis liberali iuris, ita ut si probari possit conditionem fuisse manifestatam, ut de eius existentia, tempore contractus, ambigi nequat, declarari potest nullitas, non obstante silentio compartis.

Sed nequaquam obliviscendum est, quanti a iure existimetur « pactum » in re praesenti, quod semper in Resp. S. C. S. Off. usurpatur. Sic in responsione ad dubium Episc. Bosnensis: *An sit validum matrimonium contractum inter catholicam et haereticum cum intentione solvendi matrimonium?* Resp.: *Si ita sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta, matrimonia sunt nulla, sin aliter sunt valida.*[1] Ut patet, responsio non respicit conditionem, sed eius manifestationem, seu pactum. Pariter in alia martii 1868,[2] decembris 1872: *Matrimonia inita cum solo contra-*

[1] Cf. N. 755.
[2] Cf. N. 1005.

hentium errore, quod matrimonii consummati vinculum in casu adulterii, vel ob alias causas dissolvi possit, valida sunt. Si vero sub hac expressa *conditione inita sunt, ut invalida habenda esse.* [1] Non abs re erit notare, quod in stylo S. C. *expressa* conditio valeat « pactum », ut ex hac ultima responsione merito infertur.

Fundamentum huius doctrinae traditur a Benedicto XIV, *de Synodo*, lib. 23, c. 22: « Quodsi *expressa* illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo, *apposita* minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut vinculum dissolvi possit, nihilominus locus est praesumptioni, ut dum contraherent, matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerint: praevalente nimirum generali voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente, quo fit ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum in casu adulterii, iam fieri nequit, ut error particularis absorptus maneat a *generali voluntate...* sed potius voluntas generalis extinguitur et suffocatur ab errore particulari, quae manifeste praevalet et dominatur: atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria ».

His praemissis equidem fateor consensum in matrimonium *solubile* tantum, vitiosum esse et insufficiens; non autem in id, quod falso quis existimaret solubile esse. Res identica nullimode sunt « error » circa substantiam et « conditio » contra substantiam. Exempli gratia: puellae interdum horrescunt commercium matrimoniale, cuius naturam omnino ignorabant, et veraciter protestantur se nullatenus contraxisse si vel talia suspicassent. Nihilominus matrimonia sunt valida, quae irrita prorsus fuissent, si *conditionem expressam* de « non reddendo » ipsis apposuissent. Admitto pariter, certitudinem metaphysicam in ista materia non requiri et moralem sufficere. Sed observandum est argumenta, quae valent pro foro interno, ut v. g. « confessio » in casu nostro, per se non sufficiunt praesumptionem destruere, in favorem matrimonii, quae semper adest, cum constat de eius canonica celebratione, iuxta illud: « Cum nimis indignum sit iuxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmari ». In cap. *Per tuas*, 10, *de probat*. Sed a conclusione advocati actricis circa praesens matrimonium recedere cogor et a sententia Curiae Parisiensis, ob rationes, quas nunc sapientissimo EE. iudicio humiliter submittam.

Ut nullum declaretur hoc matrimonium, constare debet *moraliter* Carolum non habuisse intentionem contrahendi verum matrimonium, prout a Christo institutum et ab omnibus intellectum. Atqui hoc non constat, seu moraliter certum non est. Ergo.

Veritas minoris — maior est certa — patebit, si 1. incertum est, Carolum in errore versari circa naturam vinculi matrimonialis; 2. si admisso errore,

[1] Cf. N. 1024.

incertum adhuc est ipsum consensum, per errorem conditionatum et proinde vitiosum dedisse. Iam vero, ad primum quod spectat, impossibile est actus processus legere quin, statim deprehendatur magnam esse discrepantiam inter theorias a Carolo in sua confessione non iurata, sed iuridica proclamatas, et opiniones eiusdem ex depositione testium collectas. Carolo in curia ecclesiastica loquente matrimonium est coniunctio mere temporanea viri et feminae — ad libitum utriusque terminabilis — unio indissolubilis est res absurda, vix concipi potest; sed Carolo, prout eius sermones a testibus referuntur — matrimonium res ardua est — per id homo catenis compedibusque vincitur — libertati suae valedicit — contrahendo « Rubicon transit ». Et notandum, quod haec ultima omnia sive *ante*, sive in puncto celebrationis sui matrimonii prolata fuere, dum priora nonnisi *post* matrimonium, cum interrupto domicilio coniugali, processus pro dissolutione fuerit aut institutus aut mox instituendus. Iudicent EE. quo tendat haec discrepantia

Incertum ad minus est igitur, Carolum errasse circa naturam vinculi et probabile ipsum, dum contraxit, consensum dedisse in matrimonium prout *communiter* intelligitur, id est prout est a Christo Domino institutum. Haec conclusio manifesta fit ex analysi eorum, quae matrimonium praecesserunt, quae in actibus referuntur, quae proinde sedulo perpendi debent ordine, quo acciderunt. Tota enim difficultas, et vis apparens argumenti pro nullitate praetensa, nascuntur, ut mihi videtur, ex neglectu ordinis temporis.

Imprimis loquens Carolus cum D. Gautereau de prole suscipienda dixit tempus iam est de hac re serio cogitari. Verum est illum postea loquutum esse in sensu prorsus diverso, sed hoc contigit *post* matrimonium, cum voluerit uxorem deserere. Verum est, quod ipse de matrimonio interdum loqueretur cum quadam levitate: sed ipsemet deinceps protestatus est, ea quae de lege divortii dixerat, ex *ioco* fuisse prolata, et *ironice* prolata, *sensu iocoso accepta fuere a Carolina et ab aliis omnibus*. Hoc modo, igitur progressi sunt tractatus de hoc connubio. Celebrato matrimonio coram Ecclesia, Carolus timores exprimit, et libertatem deplorat, cui renuntiandum esset.

Iam vero abstrahendo ab omni iuris subtilitate, quodnam iudicium super tota hac historia efformabit vir prudens et rebus versatus? Sane, quod Carolus ab initio matrimonium cum Carolina serio intendit, quam deinde progressu temporis aut amare desiit, aut potius omnem ideam matrimonium contrahendi dimisit: quod quidem facile concipitur, cum agatur de *caelibe quadragenario*, egoista et vaga Venere se delectante, qui ingenue confitetur, se taedio affici aspectu cuiuscunque feminae post paucos dies. Absque dubio, ni animus illi defuerit, totam negotiationem abrupisset.

Salvo EE. iudicio, puto confessionem Caroli esse omnino reiiciendam non tantum ob defectus iuridicos, quod sit *non iurata*, et facta *tempore suspecto* et in *commodum* etiam ipsius, sed etiam ob intrinsecam improbabilitatem suam, et sic cadit principale, quo fulcitur petitio actricis; dum e contra ex narratione verborum et actionum iuxta ordinem temporis apparet

quod incertum omnino sit Carolum in errore circa vinculum matrimoniale versari, et adhuc magis incertum quod *conditionem* vitiosam et vitiantem apposuisset consensui ab ipso, in celebratione sui matrimonii, praestito.

Verum ex instructione S. O. sequentia habemus quoad causas matrimoniales: « Iudex sciat matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi *evidentes rationes* nullitatem eius demonstraverint... iudicium contra matrimonium nunquam erit pronuntiandum, nisi earum rationum complexio *omne prudens dubium* de existentia impedimenti excludat ».

Quapropter cum nullitas in casu non probetur ad exclusionem prudentis dubii, censeo reformandam esse sententiam Curiae Parisiensis et declarandum est: « Non constare de nullitate in casu ».

Cui sententiae vinculi quoque Defensor adhaeret.

Examinatis itaque processus actis, aliisque, quae apud Consultores et vinculi Defensorem habentur, rite perpensis, dignentur EE. PP. definire dubium:

An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse infirmandam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 150, p. 1-32].

4283.

S. C. C., *Foroiulien.*, 31 ian. 1891.

Episcopus Foroiuliensis suis litteris « humiliter implorat ob penuriam sacerdotum facultatem, quae iam concessa fuit Archiepiscopo Tolosano die 9 maii 1884, [1] cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad suscipiendam curam ecclesiarum, pastore egentium vel ad implenda alia munera sub titulo vicarii, eleemosynarii, capellani etc.

Petitio Foroiuliensis Episcopi, quae in causam nunc venit, non alia est ab ea, quae paucos ante annos Emus C. Desprez in tertio sui libelli articulo afferebat, quaeque benigne excepta est, prout ex relato rescripto, patet. Et iustissime quidem id tunc factum fuit; nam licet canonicae leges aequam quamdam libertatem clericis vindicent, nec eos in suorum Episcoporum arbitrium, tamquam regulares in Superiorum manus omnino committant; quin imo statuant, clericos cogi ab Ordinariis non posse ad praestandum aliquod servitium non expressum in iure, ex cap. *Quia cognovimus*, 6, Caus. 10, q. 3 cum Fagnano in cap. *Conquerente*, 16, *de off. Ord.*, n. 8 et Barbosa, v. *Processio*, n. 5, in *Collect. Ap. decr.*, ubi et decreta S. C. C. ad rem facientia afferuntur; nihilominus id absolute statutum non est: Imo quoties necessitas bonumque publicum id exigat, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos cogi posse ad sedulam navandam operam pro salute animarum, certissima sententia est, quam S. C. C.

[1] Cf. N. 4263.

passim probavit ac sanxit. Satis sit consulere, quae in *Urbevetana*, 10 maii 1766, [1] in *Triventina*, *Curae animarum*, 18 augusti 1860, [2] nec non in antiquissimis, ut in *Naxien.*, 23 augusti 1631, [3] aliisque constanter decisa sunt.

Et revera hoc fluit ex ipsa ordinationis natura; nam non sine causa obedientiam et reverentiam Ordinario suo in actu ordinationis spoponderunt Sacerdotes; nec Clerici in sortem Domini otiose vocati sunt, aut sacramenti gratiam receperunt, ut solum sibi prodessent, sed potius, ut et aliis tribuerent. Utique in determinandis huius necessitatis limitibus regula taxativa minime tradi posse videtur, quoniam isthaec determinatio a variis pendet temporum, circumstantiarum et locorum adiunctis. Quapropter in rescripto ad Emum Tolosanum Praesulem facultates ad septennium et perdurantibus iisdem circumstantiis iustissime datae sunt.

Cum autem in casu Episcopi Foroiuliensis eadem sit facti species, nil ulterius videtur ad quaestionis illustrationem addendum, sed rogantur EE. PP., ut definire dignentur dubium:

An, et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, Sacerdotes viribus pollentes, et a quocumque officio liberos, ad curam animarum aliaque munera pro regimine animarum necessaria suscipienda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in terminis rescripti in Tolosana ad tertium, dummodo eaedem circumstantiae concurrant.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 150, p. 71-73].

4284.

S. C. C., *S. Christophori de Laguna*, 9 apr. 1892.

Ut EE. PP. ea, qua pollent iuris peritia, nonnullis quaestionibus ab Episcopo S. Christophori De Laguna seu Teneriffensi propositis benigne responsum dare valeant, eiusdem Antistitis epistolium hic inserere opportunum reputatum fuit.

En itaque eius verba: « Ex novissima conventione inter Sanctam Sedem Hispanumque Gubernium anno 1851 inita, sancitum est, ut ius praesentandi quosdam ad ecclesias cathedrales canonicos potestati civili competeret: sed aliquando contingit, canonicos sic a gubernio praesentatos qualitatibus a iure requisitis carere: evidentissimum igitur est tunc Ordinarium nullatenus posse institutionem et canonicam beneficii collationem talibus viris conferre. Verum enim vero iuridica indignitatis probatio pluries admodum difficilis est, pluries periculis plena; tum quia de occultis delictis agitur, tum quia res versatur circa gravissima crimina, praesertim vero de iis, quae sine maximo ecclesiastici ordinis dedecore et populi scandalo publico

[1] Cf. N. 3750.
[2] Cf. N. 4187.
[3] Cf. N. 2535.

in iudicio adduci nequeunt, cum nihilominus electi indignitas planissime Ordinario constet. Quibus praemissis ab Eminentissimis Patribus sequentem resolutionem dubiorum humillime exquiro:

1. An possit Ordinarius in casu ex informata conscientia, ut aiunt, procedere, et sic indignitate electi patefacta, canonicam beneficii collationem denegare?

Et quatenus negative: 2. An semper Ordinarius in casu strictum ordinem iudicialem servare teneatur, vel sit in sua potestate oeconomice seu gubernative procedere?

Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam: 3. An de sententia ita oeconomice seu gubernative prolata detur ad Metropolitanum recursus, vel tantum ad Sanctam Apostolicam Sedem?

Pauca, ceu de more, quoad singulas quaestiones animadversa fuerunt; et ante omnia, quod *primum dubium* forsan duplici intellectui posset esse obnoxium. Primo enim videretur Praesul quaerere, num sibi fas sit indignos ad canonicatus praesentatos repellere, ea procedendi forma adhibita, quae ex informata conscientia dici solet; scilicet num facultas concessa Episcopis in cap. 1, Sess. 14, S. Tridentinae Synodi possit et ad canonicam beneficii institutionem extendi. Iamvero dubitatum quandoque fuit, utrum vi praedicti capitis extraiudicialiter ab Episcopis ascensus tantum ad sacros ordines interdici, vel etiam suspensio « ab ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis » infligi posset. At huiusmodi quaestionem ab hac S. C. resolutam fuisse testatur Benedictus XIV, *de Syn. dioec.*, lib. 12, cap. 8, n. 3: « Ex quibus verbis nempe Tridentinis, colligitur, posse Episcopum ob occultum crimen, etiam extraiudicialiter cognitum, non solum clericis prohibere ascensum ad superiores ordines, sed etiam a suscepti iam ordinis ministerio eosdem interdicere: quamvis enim in secunda decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba: *etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter;* constans nihilominus et perpetua S. Congregationis Concilii sententia fuit ob continuationem sermonis censeri repetita, eaque utrumque casum complecti ». In cuius asserti confirmationem citat responsum datum Episcopo *Aleriensi*, die 24 novembris 1657,[1] nec non aliud diei 16 decembris 1730,[2] praeter *Oritanam* seu *Tarentinam*, 20 augusti 1735,[3] *Vercellensem*, 21 martii 1643,[4] etc.

Iamvero si Episcopo fas est clericos suspendere ex informata conscientia a beneficio iam possesso, non incongruum esset arguere et eodem extraiudiciali modo procedere posse, ne illius possessionem, qui repellendus foret, obtineat. Idque eo magis in themate, cum agatur de canonicatu ecclesiae cathedralis, per cuius assecutionem indignus consiliarius fieret Episcopi, et quodammodo ad pastoralis regiminis participationem vocaretur. Ceterum animadvertendum etiam est, nonnullos pro regula iuris habere,

[1] Cf. N. 2752.
[2] Cf. N. 3368.
[3] Cf. N. 3445.
[4] Cf. N. 2642.

quod sententia lata super institutione in beneficio iurispatronatus contineat potius actum extraiudicialem. Unde hoc admisso, potestas extraiudicialiter procedendi, saltem in pluribus casibus, Episcopo haud deneganda videtur.

Nihilominus contra huiusmodi conclusionem forte opponi posset, quod Episcopus nequit uti potestate, quae ipsi certo iure non competat. Porro praecedens argumentatio et inde deducta conclusio tota innititur in sententia, quae limites probabilitatis minime excedit; hinc potestas Episcoporum arcendi clericum ab assecutione beneficii, etsi theoretice ut probabilis defendi possit, haud forsan in praxi tuenda esset: magis adhuc forte suadetur ex eo quod Concilium Tridentinum praedicto c. 1, Sess. 14, mentionem fecerit tantum de « gradibus vel dignitatibus » iam possessis, dum e contra quoad ordines expresse distinxit ordines suscipiendos et iam susceptos. Esto ergo quod S. Synodus per illa verba « ordines vel dignitates ecclesiasticae » intelligere voluerit beneficia, non tamen inde sequeretur, quod Episcopus habeat facultatem denegandi clerico praesentato beneficii institutionem. In odiosis enim ex una expressa facultate aliam non expressam minime fas esset eruere; atque in themate si Concilium voluisset utramque potestatem tribuere episcopis, utramque expressisset, veluti quoad potestatem suspendendi ab ordinibus reapse expressit.

His accedit, quod institutio canonica ab Episcopo concedenda praesentatis a gubernio similis prorsus videtur illi, quae in iurepatronatus conceditur, quaeque, nisi constet de electi indignitate, denegari non potest. Ne igitur laesio aliqua iuribus patronorum obveniat, et in casu, ut conventio inita anno 1851 inter S. Sedem et Hispaniarum reginam adamussim servetur, caute admodum in huiusmodi casibus procedendum esset. Iamvero si Episcopis extraiudicialiter seu ex informata conscientia liceret praesentatos, quos indignos putant, a canonicatu repellere, aditus plerumque quaestionibus cum civili potestate praecluderetur, ac tunc forsan prudentiae rationes prae iuridicis sibi locum vindicarent.

Verumtamen, uti superius innui, dubium a Teneriffensi Episcopo propositum posset et aliam interpretationem accipere. Siquidem ea verba « et sic indignitate electi patefacta canonicam beneficii collationem denegare » suaderent hanc esse Antistitis mentem, ut nempe sacerdos ad vacantem canonicatum praesentatus, ex informata conscientia ob crimen occultum ab exercitio ordinis suspendatur, et sic huiusmodi poena factus indignus possit ab assequenda canonica institutione prohiberi. Tunc vero suspensionem, si ad iuris tramites lata fuerit, sustineri videretur: ast haud undequaque certum apparet, num inde causa sufficiens ad beneficii collationem denegandam exurgeret.

Quoad reliquas quaestiones haec animadversa fuerunt.

Scitum est S. C. Episcoporum et Regularium anno 1880 Instructionem edidisse pro ecclesiasticas curiis, quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.[1] Quamvis

[1] Cf. N. 2005.

autem in ea haud expresse caveatur potestatem summarie procedendi tradi Episcopis in casibus, de quibus scribit Antistes Teneriffensis, tamen et hos saltem implicite ibi comprehendi tenendum esset, et aptari posset vulgata iuris regula « ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio ». Et sane cum S. C. praedictam Instructionem dederit, « mature praesenti Ecclesiae conditione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas », auxilium etiam Ordinariis praebere voluisse censendum videtur, qui in ea conditione, quam exposuit Episcopus Teneriffensis versantur. Sin minus haud dicendum esset in casu rationes deesse, quibus facultas oeconomice procedendi extendenda esset.

In citata autem Instructione, cap. 42, legitur: « Quum appellatio producitur a sententia alicuius curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac Instructione traditam ». Ex quo sequitur, et in processu oeconomice peracto ad Metropolitanum appellationem dari. Et reapse agitur de vero iudicio, a quo, nisi aliud expresse caveatur, ex iure sive civili sive canonico, semper provocatio ab inferiori iudice ad superiorem conceditur.

His quoad propositas quaestiones summatim delibatis, rogantur EE.PP. sueta iudicii maturitate resolvere, quae proponuntur dubia:

1. *An, et quomodo possit Ordinarius in casu, ex informata conscientia, ut aiunt, procedere, et sic indignitate electi patefacta, canonicam beneficii collationem denegare?* Et quatenus negative:

2. *An fas sit Episcopo oeconomice procedere in casu?* Et quatenus affirmative:

3. *An a sententia in oeconomico processu lata detur appellatio ad Metropolitam in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Negative.

Ad 2. et 3. Affirmative ad formam instructionis S. C. Episcoporum et Regularium anni 1880.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 151, p. 232-238].

4285.

S. C. C., *Romana*, 6 maii 1893.

R. P. D. Regens S. Poenitentiariae, datis litteris, nuperrime a S. C. C. postulabat, ut significare vellet eidem Sacro Tribunali, an in Italia queant in eadem Dioecesi nominari duo Vicarii generales, *aeque principales*.

Animadversum fuit quoad propositum dubium quod Card. De Luca, qui licet ex professo de hac quaestione non disserat, attamen *de iurisd.*, disc. 22 et 24, et *de benef.*, disc. 10, n. 7 tradit quod « in una dioecesi unus tantum datur Vicarius generalis, cui data sit universa iurisdictio in tota dioecesi ». In tractatu vero *de parochis*, disc. 45, n. 6, idem auctor clarius etiam scribit: quod « per necesse unicus debeat esse Vicarius generalis, neque in eadem Dioecesi dentur duo Vicarii generales etc. ». Cum his

congruere etiam videtur decretum S. C. Episcoporum et Regularium in *Almerien.*, diei 6 septembris 1748, [1] in quo, etiamsi non appareat sermonem esse de duobus Vicariis generalibus, aeque principalibus, nonnulla tamen reperiuntur verba, quae et casum hodie propositum amplecti videntur. Sane ibi haec prostant: eo quod Episcopi nequeant absque expresso S. Sedis indulto constituere duos Vicarios generales in una eademque Dioecesi; nequibit R. Vestra, ex quo retinebat in officio Vicarium generalem, deputare Pro-Vicarium generalem, qui iurisdictionem exerceret una cum Vicario.

Nihilominus e contra Lucius Ferraris in sua *Bibl. Can.*, v. *Vic. gen.* asserit quod « episcopus potest etiam binos Vicarios generales aeque principales seu in solidum constituere, maxime si dioecesis sit multum ampla »; atque ad assertionem suam firmandam plures citat probatos auctores, ceu Reiffenstuel, Rebuffum, Barbosa etc. Ex his sufficiat tantum allegare Reiffenstuel, qui lib. I, tit. 28, *de off. Vic.* haec habet: « Episcopus potest etiam binos Vicarios generales aeque principales, seu in solidum constituere, ut expeditioni causarum facilius consulatur ».

Praeterea commemorare praestat in Adnot. 43, ad vol. I, Reiffenstuel, edit. Parisien. anni 1864, legi nonnulla verba deprompta ex epistola ab Eño S. C. C. Praefecto die 14 iulii 1858 ad Eñum Card. Gousset conscripta huiusce tenoris: « Capitula cathedralia unum dumtaxat Vicarium capitularem, non autem duos vel plures deputare debere, quemadmodum de Vicariis generalibus agere licitum est ». Quae postrema verba controversiam dirimerent, si omnibus locis referenda essent, et non unice praxim in Gallia vigentem, respicerent, ceu ex dignitate, quam Eñus Gousset in Gallia obtinebat forsan arguendum videretur. Etenim notum est, in ultramontanis regionibus, et praesertim in Gallia, duos Vicarios generales plerumque constitui ab Episcopis, hancque agendi rationem a suprema auctoritate nedum haud reprobari, sed quodammodo approbari. Nam refert Santi, *Praelect.*, lib. I, tit. 28, n. 24: « quod Romae expediuntur litterae apostolicae — Episcopo et Vicariis eiusdem in spiritualibus constitutis ».

Verumtamen nescio, an aliquando hi Vicarii generales, qui in Gallia aliisque regionibus simul ab Episcopis deputari solent, vere aeque principales sint. Siquidem generatim unius ex Vicariis auctoritas versatur in iis, quae sunt voluntariae iurisdictionis, alterius vero, qui et officialis dicitur, in actibus iurisdictionis contentiosae et negotiis forensibus. Id, ceteris missis, refert Devoti, *Inst. can.*, tom. I, tit. 3, sect. 9, qui ante adnotaverat: « In Italia unus constitui solet Vicarius, cui committitur administratio rerum spiritualium et simul contentiosa iurisdictio ».

Denique animadvertendum est, in praxi, iuxta plurium sententiam, rem, de qua agimus, praecipue definiendam esse attenta consuetudine. « Hodie solet ita a iuristis solvi haec quaestio, scilicet: ubi consuetudo iam viget, ius patitur ut plures Vicarii in solidum constituantur; at ubi haec

[1] Cf. N. 1863.

consuetudo non est, non permittitur introduci ». De Angelis, *Prael.*, lib. I, tit. 28, n. 9. Atque in hanc opinionem et S. C. descendisse censet Ferraris, loc. cit.: « Ampliatur praedicta conclusio, ut possit Episcopus constituere plures Vicarios generales, si ita servetur de consuetudine ». S. C. Ep. et Reg. in *Lancianen.*, 24 martii 1599.[1]

Quibus animadversis, quaesitum est, quid esset respondendum quaesito S. Poenitentiariae?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Per summaria precum a. 1893. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXVI, p. 171-174].

4286.

S. C. C., decr. *Vigilanti*, 25 maii 1893.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus Missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec Sacra Congregatio, pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam, qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda, Missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur.[2]

Sed quum postremis hisce annis constiterit, salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat, in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum, si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis Sanctae Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala, quae deplorantur, ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior Missarum numerus congeritur, quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII[3] et Innocentio XII[4] in constitutione *Cum*

[1] Cf. N. 1576.
[2] Cf. N. 4228.
[3] Cf. N. 260, 2460.
[4] Cf. N. 260, 2958.

saepe contingat, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni Missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas Missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, quos eis indigere noverint: alias deinde aut Sanctae Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus, quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, Sacra Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque, quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Eminentissimorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit: contrariis quibuscumque minime obstantibus. – Aloisius Card. Ep. Sabin., *Praefectus*. – L. Salvati, *Secretarius*.

[Leonis XIII Acta, vol. XIII, p. 161-165. – Cf. etiam Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1832].

4287.

S. C. C., *Treviren.*, 22 iul. 1893.

Ad normam legis nuperrime latae, in toto Germanico Imperio unum idemque tempus aut meridianum diversarum Imperii regionum in horis computandis observandum est, illudque referunt publica horologia. Inde fit, ut intra fines huius Dioecesis computus horarum legalis spatio semihorae tempus locorum medium superet. Quaeritur:

Possuntne clerici sequi tempus legale in persolvendo Officio divino, tam anticipantes privatim Matutinum, quam recitantes Vesperas?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1842].

4288.

S. C. C., *Firmana*, 9 sept. 1893.

In relatione status ecclesiae Firmanae S. C. C. exhibita, haec cap. 9, *de Postulatis*, secundo loco reperiuntur:

« Alterum dubium respicit necessitatem litterarum testimonialium in sacris ordinibus conferendis iis clericis, qui militare servitium complere coacti sunt, et durante militia, hac illac vagare debuerunt. Equidem scio in constitutione S. M. Pii IX, *Apostolicae Sedis*, [1] statutum esse: « suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes... subditum proprium qui, alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci literis testimonialibus ». Verum haec iuris dispositio adeo generalis, quae ceteroquin haberi potest tamquam extensio obligationis impositae ab Innocentio XII in sua constitutione: *Speculatores*, [2] non videtur omne dubium excludere pro re, de qua agitur, nempe pro commoratione omnino precaria, eiusdemque naturae ac commoratio vagorum, quibus in iure militares comparantur. Accedit quod Congregatio S. Universalis Inquisitionis, cui a SS̃mo Domino munus fuit commissum ad examen revocandi legem militaris delectus relate ad clericorum promotionem ad sacros ordines, cupiens faciliorem reddere, quantum possibile est, eorumdem clericorum promotionem, regulas dedit sub die 16 septembris 1875, [3] quas observare debent Episcopi Italiae in his casibus; neque innuit inter has regulas necessitatem litterarum testimonialium, praescribens tamen habitualem et continuam inspectionem et vigilantiam super moribus clericorum militarium ope informationum ab Ordinariis locorum, ubi degunt clerici, quibus Ordinariis speciali modo sunt iidem clerici a proprio Episcopo commendati. Haec autem habitualis et continua inspectio una cum particularibus informationibus Ordinariorum sicuti efficacior est ad cognoscendam vitae et agendi rationem clericorum ipsis testimonialibus litteris a Curiis ecclesiasticis expeditis, ita loco ipsarum litterarum testimonialium habenda esse videtur.

« Praeterea illa iuris dispositio, quae continetur in const. *Apostolicae Sedis*, eiusdem naturae esse videtur ac altera, quae respicit libertatem status probandam ab iis, qui matrimonio iungi velint. Iamvero pro militaribus, cum praesumatur impossibilitas afferendi documenta status libertatis ex iis omnibus locis, ubi aliquo tempore remorati sunt, indulgetur, ut status libertas iuramento suppletorio demonstrari possit. A pari dicendum videtur pro clericis, qui militiae servitium compleverunt; imo fortasse ne iuramentum quidem hac in re necessario exigendum eo quod pro matrimonio contrahendo verus processus requiritur, qui pro ordinatione nullibi praescribitur. Ceterum grave onus iniiceretur clericis his, si a quovis Ordinario, intra cuius iurisdictionem, etiam tantum per semestre, morati sunt, litteras testimoniales exquirere ipsi deberent. Verum in re tanti momenti EE. VV. iudicium cognoscere exopto ».

[1] Cf. N. 552.
[2] Cf. N. 258.
[3] Cf. N. 1045.

Quum in expositione dubii Ordinarius argumenta adduxerit, quae necessitatem litterarum testimonialium excludere videntur, hinc pauca adnotantur, quae contrariam sententiam persuadere possunt. Imprimis animadversum fuit apertam esse et in suo pleno robore persistere iuris dispositionem in constitutionibus *Speculatores* et *Apostolicae Sedis* sancitam, qua nequeunt Episcopi suis subditis, qui alibi tanto tempore morati sint, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerint, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus sacros ordines conferre. Cumque haec lex ad omnes casus, in quibus expresse non fuerit derogatum, sese protendat, nec in themate legitime exauctorata inveniatur, consequens esset, illam, haud obstantibus congruentiae rationibus ex adverso prolatis, et pro notabili commoratione clericorum in aliquo loco militaris servitii causa, vim suam exerere debere. Hic etiam itaque locum sibi vindicaret distinctio quoad morae tempus, atque huius habita ratione perpendendum esset, num quandoque statuta in iure pro vagis intrare possent, quibus ceteroquin milites generice haud semper sunt aequiparandi. Praeterea, attenta generali et clara legis dispositione, de qua superius, tenendum esset informationes Ordinariorum in Instructione S. C. U. I. diei 16 septembris 1875 praescriptas, loco ipsarum literarum testimonialium minime habendas esse. Omisso enim quod agitur de privata et secreta informatione, quae in sensu iuris a publico documento, ceu sunt testimoniales litterae ordinandis concedendae, quam maxime differt, optime fieri posset, quod Ordinariorum vigilantia, in clericos militiae addictos exercenda, ob peculiaria locorum et rerum adiuncta frustranea evadat, vel aliis de causis quod informatio ab eis danda aut minime completa sit, aut omnino deficiat. Unde et in instructione S. C. super Disciplina Regulari diei 27 novembris 1892, [1] in qua eaedem, ne dicam rigidiores, ac in Instructione S. C. U. I. traduntur regulae quoad vigilantiam et inspectionem ab Ordinariis locorum et Superioribus regularibus super moribus et vitae ratione alumnorum cuiusvis religiosae familiae, dum servitio militari sunt addicti, exercendam, haec leguntur sub n. 5: « Saranno per tutti (qui ad solemnem professionem et sacros ordines admittendi sunt) necessarie le lettere testimoniali degli Ordinari diocesani, nel cui territorio abbiano dimorato almeno tre mesi ». Tandem haud nimium urgenda esset paritas inter milites matrimonio iungendos et clericos ordinandos, praesertim quia pro illis status liberi probatio tantum sufficiat, dum pro his testimoniales litterae non modo quoad statum liberum, sed et quoad alia canonica impedimenta requirantur. Monacelli, *Form. leg. pract.*, *de collat.*, form. I.

Quibus animadversis, quaesitum fuit, quid esset precibus respondendum?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Litteras testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua Dioecesi saltem per trimestre.

[Per summaria precum a. 1893. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXVI, p. 428-431].

[1] Cf. N. 2021.

4289.

S. C. C., *Congregationis Passionis*, 16 dec. 1893.

Eminentissimus S. C. EE. et RR. Praefectus dubia a R. P. Ioanne a Iesu, Congregationis SS. Crucis et Passionis Domini Nostri I. C. Procuratore Generali eidem S. C. EE. et RR. mense septembris proxime elapsi proposita relate ad Missarum celebrationem S. H. C. pro solutione transmisit:

1. *An decreta super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi seu reducendi, etc. emanata a Congregatione S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, et inserta ab Innocentio PP. XII in sua constitutione diei 23 dec. an. 1697, quae incipit:* Nuper, [1] *obligent, cum poenis in iisdem decretis contentis, non solum in Italia et insulis adiacentibus, sed etiam in aliis regionibus in casu?*

2. *An haberi debeat legitime celebratum Capitulum Provinciale extra Italiam, cui interfuit cum voce activa et passiva quidam Superior localis, qui ob meram oblivionem, prout ipse ait, secum non detulerat attestationem ab omnibus Sacerdotibus sui Recessus subscriptam et iuratam de Missarum onerum integra satisfactione in casu?*

Sacrae Congregationis Consultor inter caetera haec animadvertit:

Certo certius Decretum Urbani VIII, ab Innocentio XII confirmatum, ad exteras nationes extenditur, ceu declaravit ipsa Congregatio Concilii in R. ad ultimum dubium. Sed an etiam prima, quae agit de celebratione Missarum, eamque omni modo inculcat, etiam poenas adiiciens, ut negligentes excitet ad hoc onus implendum, heic perscrutari debemus, quia huic puncto tota vis dubii innititur.

Iamvero, nemo ibit inficias Constitutionem Apostolicam ad omnes omnino nationes extendi, quando universaliter loquitur, nec ullum in eadem verbum occurrit, quod restrictionem insinuet, nosque ad arguendum inducat ad Italiam Insulasque adiacentes unice coarctari. Ut enim hos limites admittamus, in ipsa constitutione desiderantur notati atque expressi: alias quonam modo arguimus Pontificis intentionem, qua unum locum prae alio voluit coarctare, cum verba restrictiva non sint, et ab ea potestate promantur, quae nullum agnoscit limitem, et ad omnia loca extenditur? Hoc autem constat etiam ex consuetudine Apostolicae Sedis, qua, ut dubium omne removeat, loca specialia adnotare consuescit, quae obligare intendit, ut alia ab obligatione imposita, loco determinato, tacite eximat. Ipsa decreta Urbani VIII ab Innocentio XII renovata exemplum evidentissimum exhibent. In iis enim praescribitur, quot religiosi Conventum vel Monasterium debeant habitare: quae praescriptio prius afficiebat tantum Italiam et Insulas adiacentes, quae postea ex nova declaratione, ad exteras nationes fuit extensa. Ast nova haec declaratio necessaria non erat, si in decreto prius

[1] Cf. N. 260.

edito universalis locutio occurreret, non restrictiva. Nulla ergo restrictio, nullaque coarctatio est agnoscenda in Constitutionibus Apostolicis, nisi expressa sit: et consequenter quaevis constitutio universaliter lata praesumitur, et omnes omnino adstringit, quoties restrictio illa non legitur, sed desideratur. Porro ut legenti fit palam, nulla expressio occurrit, nullumque legitur verbum in Constitutione Innocentiana de celebratione Missarum, quae Italiam Insulasque adiacentes tantummodo afficere velit, alias vero nationes eximere. Hoc in loco valet illud adagium, *legislator quod voluit expressit, quod noluit non expressit*. Si voluisset, profecto verbum restrictivum occurreret, quod ita non est. Quid ergo? Si universaliter loquitur, omnes voluit obligare, nullum eximere.

Argumento allato sequens adiicere liceat, quod alicuius roboris esse mihi videtur. Decretum Urbani VIII, *Cum saepe*, et constitutio, *Nuper*, illud decretum renovans, novoque robore firmans, *tantae gravitatis sunt, ut in hac materia Episcoporum oculis observari continuo debeant: nihil enim in illis occurrit, quod leve sit, et veluti inutile praeteriri possit.* (Lucidi, *de Visit. SS. LL.*, I, p., pag. 394). Etenim ordinantur ad removendum incommodum, quod gravissimum esse nemo negare potest, et duo decreta verbis apertissimis confitentur. Neque enim duo Pontifices decreta edidissent de celebratione Missarum, poenas gravissimas comminando in eos, qui huic oneri satisfacere negligunt, si de levi re ageretur. Porro incommodum, ad quod eliminandum uterque Pontifex adlaboravit, afficiebatne unam Italiam et Insulas adiacentes? ita ut exterae nationes forent et considerarentur huius defectus immunes? Atqui non puto a veritate alienum asserere inconveniens, quod uterque Pontifex lamentabatur, penes omnes nationes uno aut alio modo fuisse invectum. Ideoque si quis vellet Constitutionem Innocentianam uni Italiae Insulisque adiacentibus fuisse arctatam, consequens inevitabile esset, Pontificem non prospexisse satisfactioni huius obligationis, ea sedulitate, diligentia, amplitudine respondentibus incommodo sat propagato. Interim satisfactio illa, Pontificis maxime cordi erat, eamque in sua constitutione severe considerat. Cur enim tanto calore, tantaque vi satisfactionem inculcavisset, renovans Praedecessoris sui decreta, si malo deplorato viam reliquisset apertam, ut perseveraret, et quidem cum scandalo populi christiani? Ne ergo frustra adlaboravisse affirmemus, ad memoriam revocans adeo strictam obligationem dubio procul sapientissimus Pontifex ad defectum efficaciter dissipandum, ubique inductum ac praevalentem, constitutionem *Nuper* promulgare curavit, quae proinde non obligat solum Italiam et Insulas adiacentes, verum etiam alias nationes. Defectus, quem Innocentius in sua constitutione deplorat, diu perseveravit, et decreta duorum Pontificum non fuisse executioni mandata, coniicio ex schemate consultoribus theologis Concilii Vaticani proposito, cuius praeambulum est: « Etsi felicis recordationis Urbanus VIII et Innocentius XII... plura Decreta de celebratione Missarum religiose curanda ediderint, tamen lamentari cogimur, optima ab iisdem suscepta consilia, ad speratum exitum generatim haud fuisse perducta, atque idcirco pia Missarum onera... non ea, qua par est fide ac diligentia ubique adimpleri ». Et in adnotationibus legitur: « quia

tamen quae in iisdem decretis salubriter sancita fuerunt, non ubique locorum diligenter servantur, inde necessitas conciliare edendi decretum, quod huic malo aptum, et quoad eius fieri possit, remedium afferatur ». Decreta utriusque Pontificis considerantur hic, ut obligatoria ubique locorum. In schemate autem nullum invenitur verbum, quod indicet citata decreta in locis particularibus obligationem inducere, et non ubique extendi. Immo nullum legitur verbum de extensione concedenda utrique constitutioni, ideo quia utraque ubique promulgata censetur, et universaliter obligans. Quod si necessarium et opportunum visum est promovere conciliare decretum, id non est adscribendum legi iam latae, sed ubique locorum non promulgatae et minime obliganti, sed ut eiusdem legis vis obligationem inducens, modo splendidiore elucesceret, nec ullus amplius esset tergiversandi locus, et legem obligantem eludendi tergiversationibus consuetis.

Haec generatim probant Constitutionem Innocentianam ubique locorum fuisse extensam. Propius nunc accedens ad propositum dubium, consideranda est relate ad Congregationem, quae huic dubio occasionem praebuit. Bullam Innocentianam a Congregatione piissima ubique locorum observari non dubito, prout observatur in omnibus Provinciis etiam extra Italiam ab aliis Ordinibus religiosis. Uniformitas enim Ordini religioso maxime convenit: quam uniformitatem ab ea, quae observantissima est, et legum S. Sedis fidelissima custos, esse neglectam, asserere non possum. Si ab aliis Ordinibus religiosis Bulla Innocentiana diligenter executioni mandatur, ab hoc laudabili more nefas est Congregationem observantissimam iudicare alienam. Idque insuper non animo effingo, sed ex facto desumo, scilicet ex dubio a Rm̃o Procuratore Generali proposito, quod insinuat consuetudinem inibi introductam, et Bullam Innocentianam fideliter observatam, quod promulgationi etiam non factae aequivalet.

At dicet aliquis, haec praxis vim ne legis habebit? Seu melius ipsamet constitutio considerabitur ut promulgata? Dubio procul. Neque id mirum esse debet, aut redolet aliquid novi, quoties, consuetudo inducta, est iuxta legem, seu legi conformis. Tunc enim consuetudo applicat legem, et quisque facili negotio concedit, vim legis habere, ac si in loco, ubi observatur, lex fuisset extensa. Norunt omnes caput *Tametsi*[1] obligationem inducere, ubi promulgatum est tempore statuto a Tridentino Concilio; verumtamen si aliquo in loco ex consuetudine observatur, habebitur ut promulgatum, ceu frequentissime Congregatio Concilii determinavit atque sancivit. Quid ergo prohibet, quominus dispositio illa in casu proposito verificetur, eo magis, quia Concilium tot adiuncta optavit ut caput *Tametsi* obligationem induceret, quae pro aliis legibus non sunt necessaria? Unde aut Constitutio Innocentiana inter leges est recensita, quae Congregationem piissimam moderantur, aut saltem fuit semper practice observata.

Quibus perpensis:

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad 1. Affirmative.

Ad 2. Pro gratia sanationis ad cautelam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 152, p. 741-750].

[1] Conc. Trid., Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

4290.

S. C. C., *Nicoteren. et Tropien.*, 16 dec. 1893.

Labente mense septembri currentis anni, Episcopus Nicoterensis et Tropiensis insequens dubium pro solutione obtinenda S. C. C. humiliter subiiciebat:

An Episcopus, dum extra suam dioecesim degit, tempore a sacris canonibus concesso, sive in domo propriae familiae, sive in extranea domo, vel in publico contubernio, gaudeat quoad Missam iisdem iuribus, quibus in Oratorio sui Episcopii ita ut quilibet sacerdos celebrare queat, et christifideles praecepto de audiendo sacro diebus festis satisfaciant?

Recolendum in primis videtur indultum fuisse Episcopis ex cap. 12, *de privilegiis*, in VI, « ut altare possint habere viaticum et in eo celebrare ac facere celebrare, ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina ». Huic autem privilegio neque per disposita a S. Synodo Tridentina, Sess. 22, *decr. de observ. et evit. in celebr. Miss.*, neque per decretum a Paulo V anno 1615 latum[1] derogatum esse, monet cl. Monacelli, *Form. leg. pract.*, parte 2, pag. 38, edit. Rom. 1844, qui praeter ea haec addit: « Imo habet Oratorium illud privilegium oratorii publici: nam interessentes, etiamsi extranei sint, quando Episcopi inibi celebrant, tam in dioecesi, quam extra, satisfaciunt praecepto ecclesiae de audienda missa diebus festis, ut respondit Sac. Cong. Conc., 22 sept. 1640, in *Nullius, lib. 16 Decr.*, pag. 435,[2] et praecedenter 17 augusti 1630, *Provinciae Lombardiae, lib. 14 Decr.*, pag. 818; *in Matheranen.*, 6 augusti 1616, *lib. 37 Decr.*, pag. 147; etiamsi sit Episcopus titularis, ead. Congregat. in *Valentina*, 1616, quia, ut inquit divus Hieronymus scribens Evagrio, « ubicumque fuerit Episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii »; verum est tamen, quod hoc privilegio uti non possunt extra domum propriae habitationis, ut ad tollendos abusus declaravit ead. Sac. Congregatio 15 decembris 1703, quod decretum typis impressum et publicatum SS. D. N. Clemens XI approbavit.[3]

Tandem commemoranda etiam videntur, quae leguntur apud Gardellini, *Decret. Aut. C. SS. RR.*, v. 3, pag. 108 et seq., edit. tertiae, quae licet circa Episcopos mere titulares versentur, nihilominus et Episcopis extra dioecesim degentibus aliquomodo possunt aptari.[4]

Quibus enucleatis, quaesitum fuit, quid esset dubio proposito respondendum?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Detur decretum S. Rituum Congregationis diei 22 augusti 1818.

[Per summaria precum a. 1893. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXVI, p. 391-394].

[1] Cf. N. 2396.
[2] Cf. N. 2621.
[3] Cf. N. 264.
[4] S. R. C., 22 aug. 1818. — Decr. Authent., n. 2585.

4291.

S. C. C., *Varsavien.*, 16 iun. 1894.

Archiepiscopus Varsaviensis sub die 18 novembris 1893 nonnulla dubia quoad processum, in causis matrimonialibus servandum, huic S. C. obtulit. Cum primis memorat decretum Congregationis S. Officii, sub die 5 iunii 1889[1] statuens, quod dum agitur de impedimento *disparitatis cultus* et evidenter constat, unam partem non esse baptizatam; *ligaminis* et certo constat, primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere; *consanguinitatis aut affinitatis* ex copula licita et *cognationis spiritualis;* denique *clandestinitatis* in locis, ubi decretum Tridentinum *Tametsi*[2] publicatum est, vel uti tale diu observatur, dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, Ecclesiae auctoritate non dispensatorum, hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione*,[3] requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententiâ ».

Quapropter Archiepiscopus petit: *Sitne supracitatum decretum generale pro universa Ecclesia eatenus, ut in praxi iudiciali liceat praetermittere quaedam praescripta Constitutionis Benedictinae causamque una sententia claudere?*

Quum ex subiecta materia aperte constaret dubii solutionem ad C. S. Officii competere, ab hac per litteras diei 17 ianuarii currentis anni responsio exquisita fuit: quam illius S. Congregationis Assessor dignatus est reddere, die 19 februarii 1894. A R. Vestra exquiritur solutio dubii insequentis una cum aliis quoad processus in causis matrimonialibus ab Archiepiscopo Varsaviensi propositis: « An decretum S. O. 5 iunii 1889 generale pro universa ecclesia eatenus sit, ut in praxi iudiciali liceat praetermittere quaedam praescripta Const. Benedictinae, causamque una sententiâ claudere? »

In Congregatione fer. IV, 16 febr., Emi Inquisitores generales, cum approbatione SSmi Patris, decreverunt: *Affirmative.*

Secundam quaestionem Archiepiscopus proposuit hoc dubio: *Sitne in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo, coram Iudice spirituali agitatis, necesse exigere, ut testes septimae manus producantur, an vero id in solis causis ex capite impotentiae devolutis observandum, in ceteris autem omnibus praetermitti posse?*

Ut secundae quaestioni satisfieri posset, nempe « an testimonium septimae manus in solis causis quoad impotentiam coeundi actis requiratur », in primis « Affirmative » respondendum videretur.

Nam testimonium septimae manus est testimonium credulitatis, non scientiae. Iurare enim debent hi testes sibi verisimile esse coniuges verum

[1] Cf. N. 1118.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.
[3] Cf. N. 318.

dicere, sicut patet ex instruct. S. C. C. die 22 aug. 1840 edita,[1] in qua praescribitur eos interrogandos esse, *utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis* (a quo inducti sunt) *ut propterea sibi verisimile sit ac credant eum vera dixisse.* Et hinc est huiusmodi testes seligendos esse inter propinquos, his vero deficientibus, inter vicinos bonae famae, nimirum ut melius valeant coniuges cognoscere et de eorum veracitate testimonium ferre. Porro si haec est natura huius testimonii, ut non circa factum, sed circa coniugum veracitatem tantum versari debeat, pronum erit unicuique inferre, tunc solummodo hoc testimonium requiri, quum factum ipsum non positivis argumentis, sed depositione, praesertim coniugum, est statuendum.

Id autem accidit dumtaxat in causis circa impotentiam actis, in quibus propterea solis huiusmodi testimonium videtur requiri.

At ex adverso testimonium septimae manus videtur semper requiri in omnibus causis matrimonialibus, in quibus de nullitate agitur aut de dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

Praecipuum argumentum est ipsa Instructio S. C. C. edita die 22 augusti 1840, quae statuit normam servandam in conficiendis processibus pro causis matrimonialibus. Porro in ea ante omnia dantur generalia praecepta, quae in omnibus causis servanda sunt, inter quae hoc decernitur: « Deinde procedendum erit ad examen septimae manus, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. in cap. *Litterae vestrae, de frig. et mal.* Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verisimile sit ac credant, eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii, citandus erit alter coniux, etc. ». His aliisque in universum stabilitis, gradum facit instructio ad particularem casum impotentiae dicens: « Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt Periti physici, quos coniuges consuluerunt; etc. ». Ex quibus evidenter apparet non ad causas ex impotentia restringi praeceptum exquirendi testimonium septimae manus, sed ad omnes omnino extendi, iis exceptis, in quibus certissima documenta, praesertim si scripta et authentica fuerint, evidentiam nullitatis alicuius matrimonii demonstrant; idque ne lex videatur inutilia praecipere iuxta effatum « in notoriis nulla probatio ». At in aliis casibus, quum lex non distinguat, nec nos distinguere debemus eo vel magis quod saepe, etiamsi non agatur de impotentia, valde iuvare iudicem poterit testimonium iureiurando firmatum de coniugum veracitate. Praeterea id ab ipsa S. Congregationis praxi videtur firmari.

Rem vero evidentiam attingere arbitror, si a sua origine repetatur dispositio exigendi septimae manus testimonium. Advertatur huiusmodi testimonium vel *septimae manus*, vel *septimae* aut *quintae manus*, ut in cap. 8, *de purg. can.*, vel *quartae decimae manus*, ut in cap. 10, h. t. passim adinveniri

[1] Cf. N. 4069

in collectione decretalium Gregorii Noni. Ratio est, quia ius canonicum purgationi vulgari, de qua inscribitur titulus 25, lib. V, sub qua appellabantur usus *duelli iudicialis*, vel probationes *aquae tepentis* aut *frigidae* aut *ferri candentis*, quibus mediis sacrilegis et superstitiosis Curiae civiles conabantur agitare iudicia criminalia, huiusmodi vulgari purgationi ius canonicum opposuit *purgationem* seu *defensiones* canonicas. Haec consistit in productione testium, qui affirment plenam fidem assertioni alicuius adhibendam esse suoque iuramento illius dicta et honestatem solemniter confirment; quocirca isti testes dicti fuerunt *coniuratores, compurgatores, sacramentales*.

Exinde sequitur huiusmodi esse testes de credulitate, qui inducuntur in causis criminalibus vel aliis, in quibus agitur de bono publico, quando in eisdem vel deficiunt evidentes probationes vel haberi non possunt ob eorum naturam, prouti evenire solet in matrimonialibus causis, quae attingunt facta aliquando coniugibus tantummodo perspecta. Quocirca per tales *coniuratores* necessarium fuit quammaxime fidem coniugum roborare et in tuto ponere non solum in causis impotentiae coeundi, sed etiam in aliis.

Denique Archiepiscopus tertiam complexam quaestionem sub hisce quatuor dubiis proponit:

1. *Liceatne sine speciali pro unaquaque vice permissione S. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi?* Et quatenus negative:

2. *Liceatne, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen evicit impotentiam mariti, transmittere acta causae ad S. C. pro impetranda Sanctissimi dispensatione?*

3. *Si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat, — is vero contumax est, vel, comparendo, negat, sed inspectioni succumbere renuit — liceatne unilateraliter, id est ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare ac deinceps acta ad S. C. transmittere, petendae a Sanctissimo dispensationis causa; an vero processus sit inhibendus veniaque S. C. in ulteriorem eius instructionem impetranda?*

4. *Num in supra relatis casibus (1., 2. et 3.) necessario annectendae sint non modo coniecturae Defensoris, sed etiam opiniones Theologi et Canonistae?*

In primis inquirendum, an processus in causis matrimonialibus super dispensatione a matr. rato et non consummato instrui possint ab Ordinariis absque delegatione Romani Pontificis. In propositam quaestionem Bouix haec habet (*De iudiciis*, II, c. 3): « Causa dispensationis matrimonii rati et non consummati semper implicite continet et involvit causam nullitatis matrimonii: nam in causa dictae dispensationis Sacrae Congregationis solvendum incumbit hoc dubium: *An expediat nunc concedi matrimonii* (quod praetenditur non consummatum) *dispensationem*. Hoc autem datum dubium affirmative solvi nequit, nisi prius soluto altero dubio. *Utrum verum sit non intervenisse matrimonii consummationem*. Prout autem hoc ultimum dubium affirmative vel negative solvitur, pronuntiatur validum vel irritum fore post obtentam dispensationem tum novum matrimonium, quod contraheretur,

tum prius matrimonium pro quo solvendo obtenta fuisset dispensatio. Ergo causam dispensationis matrimonii rati non consummati dirimere est simul et indivulse dirimere causam nullitatis vel validitatis alicuius matrimonii ». Quae si vera sint, profecto sequitur, Episcopum quemcumque in sua dioecesi, quum ipse ex Trid. C. de validitate seu invaliditate matrimoniorum iudex sit in prima instantia, posse huiusmodi processum de inconsummatione matrimonii ad effectum dispensationis obtinendae ipsum perficere.

Praeterea Bened. XIV in sua celeberrima const. *Dei miseratione*, expresse statuit, in his causis pro dispensatione matrimonii rati et non consummati actis, supplicem libellum Rom. Pontifici exhibendum esse, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat vel eius examen alicui ex Rom. Congregationibus committat. Porro quemnam valorem habebunt affirmationes in huiusmodi supplici libello contentae, quibus Rom. Pontifex fidere possit, ut causam alicui Congregationi committat, nisi authentice recognitae fuerint ab Episcopo? Quomodo autem id faciet Episcopus nisi processu instituto?

His autem ita se habentibus multo magis, quoad 2. et 3. dubium, videtur fieri posse, ut Episcopus, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstraverit virginitatem uxoris, non tamen evicerit impotentiam mariti, transmittere possit acta causae ad S. Congregationem pro impetranda SS̃mi dispensatione. Itemque, ut si quando uxor contendat per inspectionem probare suam virginitatem, maritum de impotentia insimulans, isque vel nolit comparere vel comparens neget impotentiam suam, simulque nolit inspectionem subire, Episcopus possit ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare, ac deinceps acta transmittere ad S. Congregationem pro dispensatione obtinenda.

Hactenus de prioribus tribus dubiis; quartum vero dubium nullum negotium facessit, nam quando processus transmittendus est, requiruntur etiam Defensoris matrimonii ex officio animadversiones, quibus deficientibus processus in causis matrimonialibus integer non est: at nullibi in iure praescribitur dispositio uniendi actis processualibus etiam votum Canonistae et Theologi; quocirca eadem servanda non est.

At ex adverso primae et principaliori quaestioni prioris dubii, nempe an Episcopos absque Summi Pontificis delegatione possit instruere processus in causis matrimonialibus dispensationis, negative respondendum videtur. Nam admitti debet uti fundamentale principium, ius conficiendi processum in iudice oriri ex obiecto, quod per sententiam iudicari debet, adeo ut processus se habet uti medium necessarium ad finem. Quapropter si iudex in illa materia nullam habeat competentiam iudicandi per sententiam definitivam, processum instruere non valet. Unde non habet imperium ad citandas partes eisque alios actus processuales imponendi sub poena contumaciae, quae non admittitur nisi per inobedientiam iudici competenti; *cum incompetenti*, iuxta effatum, *impune non pareatur*. Revera si Episcopus excipiens instantiam Bertae pro ineundo processu ad dispensationem super matrimonio

rato et non consummato impetrandam, eius virum citaret ad suum tribunal, nonne hic respondere posset, se nolle comparere, quia Episcopus hanc dispensationem impertire non potest et hinc de ea causa incompetens recognoscitur? Sententia enim est pars finalis et substantialis processus, ad quam necessario ordinari debet tela iudiciaria.

Hisce praemissis patet, quomodo intelligenda sit § 14 Benedictinae Constitutionis et praesertim haec verba: « ... *supplex libellus Nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur* (scilicet ab Ordinariis), *in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in ea exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex eo lecto et mature considerato etc.* ». Exinde patet, Pontificem loqui de factorum relatione *extraiudiciali* a supplicante exarata absque concursu strepitus iudicialis. Ita vero decrevit Pontifex, quia omnino gratiosae erant huiusmodi causae et rariores, non vero frequentes, uti nunc, nec implicatae necessario in contentionem iudicialem, prouti hodie evenit, quando causae ex impotentiae capite, vel ex alio quocumque impedimento, si fieri potest, dissolvuntur per dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

Exinde sequitur responsio ad 2. et 3. dubium. Materies enim seu obiectum iudicii est actio. Proinde quando a parte actrice promovetur actio nullitatis ex capite impotentiae, iudex Ordinarius, plane competens, emittit decretum citationis, et contra contumacem mediis coercitivis procedere potest; at, si hoc non expediat, vel si hisce non obstantibus contumacia non perfringitur, tunc ad instantiam partis diligentioris procedit ad comparandas eas probationes suapte natura efficaces in iudicio de nullitate ex capite impotentiae. Quod si vir, impotentiae insimulatus, ipse sit in omnibus contumax aut solummodo corporis explorationi nullimode subesse patiatur, hoc casu sane Episcopus de impotentia sententiam ferre non posset, sed processum iam inceptum deberet sententiâ definire, decernendo non constare de nullitate ex viri impotentia ob huius contumaciam, quamvis gravissima militent indicia in partem affirmativam ob exploratam mulieris originalem integritatem.

Deinde si mulier sibi consulere velit, postulando a S. Pontifice dispensationem a matrimonio rato et non consummato, plane utitur iure suo; et Episcopus acta processus denegare non potest, quaeque, ceteris paribus, nulla indigent sanatione. Nam scitissimi iuris est, debere distingui acta causae ab actis iudicii. *Acta iudicii* dicuntur illa, quae respiciunt ordinationem iudicii: ut sunt citatio, litis contestatio, termini perentorii aut utiles et alii eiusdem generis; *acta causae* vocantur illa, quae concernunt indagationem veritatis ad litem decidendam: prouti sunt testium depositiones, instrumenta, confessiones et in universum aliae probationes in acta redactae. Atqui perempta instantia, seu finito iudicio, *acta iudicii* non habent effectum in alia instantia; at *causae acta* seu *probationes* fidem faciunt etiam in alio iudicio inter easdem personas; uti cum communi inferunt Reiffenst., lib. II, *Decret.*, tit. I, n. 187; Pirhing., h. t., n. 96, ex cap. 11, *de testibus*, et 2, *de except.* Quapropter *acta causae* in iudicio ex capite impotentiae plenum

habent vigorem, si aliunde legitime sint confecta, etiam in alia instantia coram S. Pontifice ad impetrandam dispensationem.

Exinde confirmatur responsio iam facta quarto dubio, nempe requiri Defensoris matrimonii ex officio animadversiones, quando processus in Curia conficitur sive ex Episcopi potestate ordinaria sive ex delegata S. Pontificis, quia a canonibus haec opera Defensoris matrimonii ex officio requiritur, at nullibi exquiritur inter acta processualia Theologi et Canonistae votum.

At Archiepiscopus occurrens casui responsionis negativae, has obtulit preces: *Denique, si decisio S. C. C. ad tria priora dubia futura sit negativa, rogo enixe Eminentiam Vestram, exponi Sanctissimo Domino meas humillimas preces, ut in eiusmodi casibus, identidem recurrentibus, mihi, meisque in Provincia Varsaviensi Suffraganeis, ob periculum incontinentiae, partibus ex mora quippe in locis a Roma multum dissitis imminens, concedatur licentia causam sine peculiari pro quolibet casu impetratione veniae instruendi, praemisso processu informativo de causis dispensationis, ac deinde tabulas ad S. Congregationem transmittendi, ut, si Eminentissimis Patribus visum fuerit, Sanctissimo de concedendae dispensationis beneficio supplicetur.*

Sapientiae Vestrae et prudentiae erit EE. PP. iudicare, an et quomodo his precibus annuendum sit. Interim mihi liceat advertere, nihil *ex iure* videri obstare, quo minus Episcopi petitio benigne excipiatur; *pro praxi* vero admodum accommoda videtur haec ratio agendi illi iudiciorum sollicitae expeditioni, quae Vobis in votis usque fuit.

Hisce animadversis proposita fuerunt diluenda dubia:

1. *Sitne in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo coram Iudice Spirituali agitatis necesse exigere, ut testes septimae manus producantur, an vero id in solis causis ex capite impotentiae devolutis observandum, in ceteris autem omnibus praetermitti posse?*

2. *Liceatne sine speciali pro unaquaque vice permissione S. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi?* Et quatenus negative:

3. *Liceatne, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen evicit impotentiam mariti, transmittere acta causae ad S. C. pro impetranda Sanctissimi dispensatione?*

4. *Si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat, is vero contumax est, vel, comparendo, negat, sed inspectioni succumbere renuit, liceatne unilateraliter, id est ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare ac deinceps acta S. C. transmittere petendae a Sanctissimo dispensationis causâ; an vero processus sit inhibendus veniaque S. C. in ulteriorem eius instructionem impetranda?*

5. *Num in supra relatis casibus* (1., 2. et 3.) *necessario annectendae sint non modo coniecturae Defensoris, sed etiam opiniones Theologi et Canonistae?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: ad 1. *Negative ad primam partem; et testimonium septimae manus, stricto sensu sumptum, exigi ad corroborandam confes-*

sionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii. Ad 2. Negative. Ad 3. et 4. Affirmative. Ad 5. Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 153, p. 778-789].

4292.

S. C. C., *Nanceyen.*, 1 sept. 1894.

Parochiam vulgo *Noviant-aux-Prés*, Nanceyensis Dioecesis, anno 1888 obtinuit Sacerdos Franciscus Hémonet, praesentis controversiae actor. Nam ab Episcopo per decretum diei 24 februarii 1893 ab hac parochia remotus et ad aliam vulgo *Raon-les-Leau* translatus, ad S. C. C. recursum habuit contra Episcopale decretum, intimatum per Vicarium generalem.

Cum parochus Episcopo responderit per literas plures causas nectendo, quibus renuebat exequi impositam translationem, per decretum diei 4 martii 1894 suspensus fuit a divinis quoad Ecclesiam de *Noviant-aux-Prés*. Interposito a Parocho recursu ad S. C. C. ita Episcopo rescriptum fuit sub die 23 iunii 1893: « Relatis in S. C. Concilii literis Amplitudinis Tuae diei 16 iunii curr. circa recursum Francisci Hémonet, Emi Patres rescribendum censuerunt: Ad instantiam praefati sacerdotis Hémonet — *Lectum* — et Orator Episcopo suo humiliter se subiiciat eiusque pareat mandatis, et in posterum non audeat similibus de causis S. Sedem adire, idque notificari mandarunt, prout per praesentes exequimur, eidem Amplitudini Tuae, cui fausta omnia ominamur ».

Episcopus S. C. C. decretum intimavit parocho per literas diei 25 iulii 1893, eidem praefigens terminum octo dierum ad praeceptum congrue adimplendum. Quo termino inutiliter praeterlapso, Ordinarius eumdem Sacerdotem suspendit a divinis, seu a celebratione missae et a quolibet actu ministerii ecclesiastici.

Quia sacerdos Hémonet iterum ad S. C. C. contra hoc decretum recursum habuit, sub die 12 augusti, ita Ordinario rescriptum fuit:

« Dum ad A. T. mitto novum supplicem libellum sac. Hémonet, ut super eo mentem aperias, simul notum tibi facio, praeceptum huic sacerdoti factum rescriptum diei 23 iunii p. p. se scilicet subiiciendi Episcopo eiusque parendi mandatis, praecise respicere dimissionem paroeciae et discessum eiusdem e loco *Novian-aux-Prés*, de quo quaestio tunc agebatur: susceptionem vero novae huius vel alterius paroeciae, rem esse a praecedenti distinctam, ad quam S. C. taxative non respexit in suo rescripto. Quapropter hac de re A. T. procedere quidem poterit ordinaria tua potestate, minime vero S. Sedis nomine et auctoritate ».

Interim sacerdos Hémonet Romam se contulit a divinis suspensus ex praecepto sui Ordinarii; ubi agitabatur causa sub duplici dubio; *primo* nimirum, an causa adfuerit sufficiens obligandi parochum, ab una Ecclesia remotum, ad aliam suscipiendam, et *secundo* an consequenter sustineatur sententia suspensionis. Nam S. C. C. in litera diei 12 augusti supra relata aperte explicat quaestionis terminos. Nihilominus, quia rationes translationis innituntur remotionis rationibus, hae et illac perpenduntur.

Episcopus cum primis refert nonnulla facta, quibus comprobet sacerdotis Hémonet ingenium esse pronum in rebellionem. Narrat enim occasione sepulturae cuiusdam Marchal ob nonnullas difficultates, exinde enatas, se exquisivisse ab Hémonet, qua loci parocho, relationem factorum, ut de iisdem posset inquirenti politicae auctoritati respondere; sed hoc obtinere non potuisse a rebelli sacerdote, quamvis pluries et instantius interrogato. At Episcopus praecipue parocho Hémonet exprobrat factum, cuius ipse fuit auctor, ut parochiae Fabriceria denegaret quemdam succursum pro presbyteris senibus aut infirmis, dari solitum in omnibus parochiis, iuxta morem confirmatum a lege civili. Reclamationibus Ordinarii ob talem iniustam denegationem, Fabriceriae thesaurarius respondit per literas admodum insolentes, quas Episcopus pro certo habet, parocho Hémonet tribuendas esse. Quocirca Curia episcopalis Fabriceriam citavit apud Iudicem pacis; at tali intimationi cessit, certa quod condemnaretur, et solvit debitam praestationem solum currentis anni, non annorum superiorum ob praescriptionem oppositam iuxta leges civiles. Tunc vocatus sacerdos Hémonet a Curia Dioecesana, ut responderet de interposita resistentia, non potuit citare, nisi unam litteram Vicariis Generalis, qui per *unum tantum annum* praeterito tempore Fabriceriam dispensaverat a praedicta solutione. Denique notat Episcopus, hoc rebellionis exemplum statim, malo fato, imitatores adinvenisse et contentiones factiosas in paroecia excitasse, unde quam citius censuit compescendam audaciam Hémonet per decretum remotionis a paroecia *Noviant-aux-Prés*, et translationis ad aliam vulgo *Raon-les-Leau*. Instat quod, eo magis necessariam hanc animadversionem recognoverit, quo insolentius iste parochus se gesserat saepius in suos superiores, praesertim vero in Vicarium generalem relate ad quoddam matrimonium celebrandum in paroecia loci *Menil-la-Tour;* quod in negotium, quamvis illi omnino impertinens, voluit se ingerere sacerdos Hémonet, nec erubuit falsi crimen publice appingere Vicario generali.

Sedulo advertit Episcopus quod nihilominus semper peramanter admonitionibus et paternis correctionibus prosecutus est hunc sacerdotem, quem punire potuit, sed non inducere, ut sui criminis poeniteret. Nam superiorum animadversiones retorquebat in publicas querelas, in ephemeridibus vulgatas aut vulgandas, prouti hoc spiritu ductus publicavit librum inscriptum *Nancy-Juif*, quo sub praetextu fraudes detegendi Iudaeorum, conviciis et probris omnes insequitur ipsos praesules ecclesiasticos, veluti cardinalem Foulon. Has allegationes Episcopus ita concludit: « L'étendue de ce mémoire démontre une fois de plus ma déférence et mon respect à l'égard des Congrégations romaines. Il démontre aussi que j'ai employé, à l'égard de Mr. Hémonet, comme je le fais toujours à l'égard de tous les prêtres, tous les moyens de douceur et que je pousse la patience et l'indulgence aux dernières limites ».

Rationes vero, ob quas transtulerit ita explicat: « Si j'ai insisté pour que Mr. Hémonet acceptât une autre cure, c'est 1) parce qu'il y avait là un moyen de lui faire quitter Noviant-aux-Prés; 2) un moyen de le tirer de l'oisiveté qui ne peut que lui être funeste; 3) de lui donner la possibilité

de se réhabiliter. Certainement, je ne l'aurais pas laissé longtemps dans la paroisse de Raon-les-Leau s'il s'y était rendu avec docilité, et je lui aurais donné une paroisse meilleure dès qu'il aurait demontré sa bonne volonté. Je reconnais qu'un prêtre qui s'obstine dans la revolte et qui s'efforce de faire le mal d'une paroisse, à laquelle il a dû renoncer, ne peut-être un bon curé.

Il est certain, évident (et ceci est de la plus haute importance) que les motifs pour lesquels Hémonet a été frappé de suspense sont: *a*) sa résistance ouverte, scandaleuse, aux décisions de la S. Congrégation au sujet de sa révocation de curé de Noviant, et au sujet de son départ de Noviant; *b*) sa resistance à l'ordre de son Evêque de se rendre à la paroisse de Raon-les-Leau; *c*) ses efforts pour soulever les habitants de Noviant et les curés voisins et pour les exciter à la revolte; *d*) les injures proférées contre la S. Congrégation, et son Evêque et le Pape lui-même.

Demum praetereunda non est responsio iam facta ab Episcopo rationibus ab Hémonet oppositis. Nam translationi cum opposuerit in primis causam adversae valetudinis, sedulo Episcopus reponit, se statim a suo proposito recessarum si medici ad hoc adhibendi, sibi testentur huius Sacerdotis valetudinem exinde detrimentum esse passuram. Quoad vero aliam difficultatem nimirum bonae famae et aestimationis praeiudicium, observat, hoc argumentum nimis probare, quippe omnem poenam valeret impedire. Aliunde protestatur, se quam citius Sacerdoti Hémonet meliorem collaturum paroeciam, quotiescumque suam rectam voluntatem ostenderit et per poenam scandalum reparaverit.

At ex adverso Sacerdotis Hémonet patronus, postquam animadverterit, thesim de parochorum vulgo *succursalistes* amovibilitate haud esse pacificam in Gallia, advertit quod *dato* etiam, sed *non concesso* hoc articulo, nihilo secius parochum quamtumvis amovibilem numquam removeri posse, nisi gravi urgente causa. Quapropter, ait, etiam si *desservantes* mercenariorum confundi velint nomine, cum possideant Ecclesiam proprio nomine, nonnisi ad iuris tramitem datum est eos removere, quia mercenarios quoque tum permissum est removere, si probata existat rationabilis causa ac gravis.

Quocirca sacri Canones restringere videntur remotionis causas ad delictum illius qui removetur, cuius natura saltem ea sit oportet, ut Parochus removendus iam nequeat cum fructu curam animarum inibi exercere.

Atqui in themate delictum illius, qui removetur, non solum deest, sed desunt etiam conditiones illae omnes, quae voluntariam dimissionem beneficii legitimant, duobus notissimis versiculis adnumeratae:

> Debilis, ignarus, male conscius, irregularis
> Quem mala plebs odit, dans scandalum cedere possunt.

Plane consequitur ex defectu legitimae causae remotionem Sacerdotis Hémonet e Paroecia *Noviant* iniustam esse atque aversari bonum spirituale fidelium sibi concreditorum.

Iamvero contra translatum Parochum nil obiicitur circa ea, quae respiciunt curam animarum. Opponit Episcopus Nanceyensis, quod Parochus

minus obsequens fuerit auctoritati episcopali; quod contra Vicarium generalem verba contumeliosa protulerit; quod defendendo fabriceriam Ecclesiae Noviant, administrationi dioecesanae damnum pecuniarum intulerit. Sed nil assignavit, quod directe curam animarum attingeret. Nil de debilitate vel ignavia, cum cognitum sit Parochum pollere scientia sufficienti, nil de pravis moribus, nil de odio plebis, dicitur. Contrariis documentis comprobatur Parochum Sacerdotem ob animi amabilitatem, suamque agendi rationem, dilectionem sibi conciliasse plebis Noviant, viciniorumque Parochorum. Et omnia ab ipso Episcopo in propatulo ponuntur, cum, ad S. Congregationem Concilii scribens, protestatus fuerit Sacerdotem Hémonet ex loco Noviant minime transtulisse, si submissionis declarationem interposuisset.

Igitur, arguit patronus, si Sacerdos submissionis declarationem interposuisset, translatio locum non habuisset, quod importat omnia contra eum ab Episcopo impicta non respicere curam animarum Noviant, personalitatem non excedere, quae etsi vera fuissent, despicienda forent, cum alia iuris remedia praesto fuerint Episcopo ad saniorem sententiam Sacerdotem revocandum.

Posthac orator volens probare non sufficientes rationes ab Episcopo oppositas, recolit Ipsum accusare sacerdotem Hémonet uti minus reverentem erga episcopalem auctoritatem acceptando inurbano modo subsidiariam Curam Minorville, contumeliosa verba proferendo contra Vicarium generalem, fabriceriam Noviant excitando, ne contributum solveret administrationi dioecesanae.

Iamvero, notat, ex eo irreverentiam obiicere Episcopum, quia cum paroecia limitropha nomine Minorville vacasset, Parochus noluit illico eiusdem subsidiariam curam suscipere, ad hoc a superiore vocatus. Sed sacerdos Hémonet, occasione subsidiariae susceptae curae Minorville si aliquas observationes fecit, ex eo provenit quod officium subsidiarium protrahebatur ad menses cum detrimento valetudinis suae, cum spatio quinque mensium magno zelo utramque paroeciam gubernaverit, prouti patet ex quadam epistola, in actis relata, Vicarii generalis Nanceyensis dioecesis.

Deinde advertit patronus, alienum a veritate esse id, quod obiicitur circa verba in Vicarium generalem prolata; nam in citatis literis tantum deprehenditur animi studium necessario explicatum in sui ipsius peragenda defensione contra non iustas oppositas accusationes.

Verum est, pergit Orator, quod Parocho obiicitur circa administrationem fabriceriae Noviant, sed in laudem ipsius potius, quam in vituperium habendum est.

Cum igitur iusta causa remotionis haud inveniatur, necessario consequitur translationem factam ex odio, et per eam oriri damnum et infamiam. Inopinato enim venit translatio, postquam Parochus Hémonet epistolam (Menil-la-Tour) Episcopo misisset iustificationes continentem circa quaedam allegata a Vicario generali Didiejeran, et in tempore publicationis *Nancy-Juif*. Et quando odium accesserit, quando infamia vel damnum consequitur remotionem vel translationem sustineri non posse, tradunt Doctores uno ore.

Atqui, prosequitur Orator, si non constat de legitima causa translationis, sustineri non potest suspensio a divinis, qua adhuc misere tenetur Sacerdos Hémonet. Nam deest ex parte Episcopi ius praecipiendi; ex parte Sacerdotis Hémonet obediendi onus, seu deest contemptus clavium, contumacia, sine qua suspensio nullo pacto sustineri potest, quemadmodum disponit Sacrum Trident. Concilium, Sess. 25, *de ref.*, cap. 3. Animadvertendum est, pergit Orator, non agi hic de suspensione ex informata conscientia ob crimen occultum; de suspensione agitur, cuius rationes, specifice, absque restrictione a iudice assignatae sunt, quibus sententia iustificatur; quae si non existant, vel diversae sint ab eo quod in sententia praesupponitur, sententia corruit tanquam lata ex falsa causa, vel ex falso praesupposito.

Demum putat, suspensionem in casu sustineri non posse argumento externo et interno. Enimvero, compertissimum est, provisiones, quae locum poenae tenent, requirere iudicium saltem summarium, quo iustitia provisionis comprobari possit. Id erumpit ex iure divino, sive positivo sive naturali, et ex iure humano, sive ecclesiastico sive civili, nec non ex unanimi Doctorum sententia; cum tralatitii iuris sit, neminem damnari, nisi legitime probata causa. Praesenti Ecclesiae disciplina, conditione temporum inspecta, auctorante Summo Pontifice, per S. Congregationem EE. et RR. sub die 11 iunii 1880, tradita est instructio pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, qua remediis praevenientibus, reprimentibus, et medentibus assignatis, expresse cavetur, quod debeant applicari iuxta canonum praescriptiones. *Quoad poenalia media animadvertant Rev. Ordinarii, praesenti instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas constitutiones, et alias ecclesiasticas dispositiones, imperatis.* [1]

Et subsequitur: *quando procedi oportet criminaliter sive infractionis praecepti, aut criminum communium, vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper iustitiae substantialibus.*

Insuper notat, ut censura vim habeat, excuti debet contumacia eius, qui censurandus est, per trinam monitionem vel per unam peremptoriam « praecedente bina saltem monitione etiam per edictum », uti praescripserunt Tridentini Patres, Sess. 25, cap. 3, *de ref.*

Quia censurae causa necessaria est culpa eius, qui hoc gladio feritur, gravissima tamen huic perpetuae privationi respondens: rationis enim et aequitatis principia suadent, poenam esse commensurandam culpae et pro culpae modo imponendam, non excepta suspensione, et interdicto.

Verum hic recolendum est, ait Orator, Episcopos esse pastores non dominatores clericorum, ita ut, de illis disponere valeant, posthabita voluntate eorum, eorumque valetudine, praesertim quando periculum animarum non est in mora. Res erat in themate de providenda Ecclesia de novo rectore, cuius officium illico non imminebat, neque quoad locum, neque quoad personam.

[1] Cf. N. 2005.

In casu gravissimae rationabilesque accedebant circumstantiae, ex quibus satius luculentiusque apparet non potuisse Sacerdotem cum fructu curam animarum exercere, neque populum novum suscipere forma facti gregis ex animo. Debilis valetudo eius, prout ex authenticis documentis comprobatur; personalis odiositas iam antea exorta ob publicationem Nancy-Juif; rumor ephemeridum renuntiantium Raon-les-Leau locum esse infestum criminosis; publica existimatio, qua Raon-les-Leau prout locus relegationis censetur; recursus sacerdotis ad iudicium supremum S. Sedis, quo iustitiam praecepti impetebant, abunde evincunt rectam sacerdotis agendi rationem in casu.

Denique altero ex capite arguit patronus, praeceptum non rite latum fuisse, nimirum ex minus recta interpretatione rescripti S. C. C., qua ductus Episcopus Nanceyensis his verbis decretum tradebat « que nous lui accordons huit jours... pour exécuter nos ordres et les ordres de la S. Congrégation, c'est-à-dire pour quitter Noviant-aux-Prés et se rendre dans la paroisse de Raon-les-Leau, que nous lui avons assignée. Que, s'il n'exécute pas ces ordres dans le délai indiqué ci-dessus, il sera frappé d'interdit a divinis ». Atqui nunquam S. C. Congregatio in mente habuit praecipiendi sacerdoti Hémonet adeundi Raon-les-Leau, ut ex authentica interpretatione rescripti diei 23 augusti 1893, prono velut alveo fluit praeceptum viribus non subsistere, et proinde consequentem censuram.

Quibus utrinque relatis, EE. PP. sueta prudentia et iudicio dignabuntur sequentia dirimere dubia:

I. *An constet de legitima causa translationis in casu?*

II. *Quatenus negative, an sustineatur subsequens suspensio in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Ad I. et II. Affirmative et amplius.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 153, p. 1046-1067].

4293.

S. C. C., *Urgellen.*, 26 ian. 1895.

Episcopus Urgellensis animo perpendens tum quae praescribuntur in Bulla *Apostolicae Sedis*, [1] art. 2, III, nempe, Ordinarios incurrere suspensionem per annum ab Ordinum administratione, si ordinent subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci Litteris testimonialibus: tum resolutionem huius S. Congregationis Concilii 9 septembris 1893, in qua decernitur necessarias esse has Litteras testimoniales, quando subditus proprius moratus sit alibi spatio trium mensium, [2] huic S. C. C. exponit:

Frequenter accidere, iuvenes scholares percurrere varias dioeceses tum ratione servitii militaris, tum aliis de causis; ita ut non raro eveniat, quod morati fuerint in pluribus dioecesibus spatio trium mensium; quin aliquis sit, qui testimonium reddere possit de ipsorum natalibus, aetate, moribus,

[1] Cf. N. 552.
[2] Cf. N. 4288.

vitâ, famâ, conditione, scientiâ, neque utrum aliquâ censurâ, irregularitate aut alio canonico impedimento irretiti sint; cum, ut plurimum, omnibus sint ignoti, praecipue cum populosae sint civitates, in quibus parum temporis morati fuerint.

Hisce praenotatis, huic S. C. C. sequentia proponit dubia:

1. *Utrum in omnibus prorsus casibus, ad ordinandum subditum proprium necessariae sint Litterae testimoniales omnium Episcoporum locorum, in quibus moratus fuerit, vel relinqui possit prudenti arbitrio Episcopi proprii, attentis circumstantiis subditi ordinandi?*

2. *Utrum Episcopus ordinans subditum proprium absque hisce Litteris testimonialibus alieni Episcopi in omnibus prorsus casibus incurrat, ipso iure, suspensionem per annum ab Ordinum administratione?*

3. *Utrum sufficientes censendae sint Litterae testimoniales alieni Episcopi, quando testatur nihil constare de ordinando; eo quia nemo sit, qui de ordinando testimonium reddere possit, cum sit, ut iudicatur, omnibus ignotus?*

4. *Utrum in casu sufficiat apponere ad valvas paroeciae, in qua moratus fuerit ordinandus, vel ad valvas palatii Episcopalis Litteras Episcopi dioecesani, praecipientis omnibus et singulis eas inspecturis, ut ostendant, utrum ipsis constet de aliquo impedimento canonico ordinandi?*

In resolvendis quaestionibus ab Episcopo propositis, animadversum fuit, potius indulgentiâ quam rigore utendum esse docet ipsa Innocentii XII const. *Speculatores* praescribens necessitatem litterarum testimonialium solummodo in casu commorationis diuturnae in ea Dioecesi, in qua fortuito quis natus sit ibique moram traxerit sufficientem ad canonicum impedimentum incurrendum.[1] Quamvis vero constit. *Apostolicae Sedis* extendens, ad casus non expressos, Innocentianam Bullam, statuerit, suspensionem per annum ab ordinum administratione, ipso iure incurrere ordinantes... subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus: tamen non eo urgenda videtur haec praescriptio, ut quis tot testimonialibus litteris munitus esse debeat, quot fuere etiam non diuturnae commorationis loca, quae pene innumera esse possunt, praesertim pro addictis militari servitio. Secus lex nimis dura evaderet, implicans inextricabilibus difficultatibus ordinates et ordinandos.

Verum ex adverso perpenditur, etiam ante const. *Apostolicae Sedis* S. C. C. iurisprudentiam, magis spiritum quam literam constitutionis Innocentianae secutam, uti videre est praecipue in *Spoletana et Reatina*, 11 iulii 1840,[2] recognovisse necessitatem litterarum testimonialium Ordinariorum, in quorum Dioecesibus ordinandi *diutius* permanserint.

Promulgata *Apostolicae Sedis* constitutione, ex praxi Romanae Curiae et aliarum, nec non ex iuris communis intentione, tempus diuturnae commorationis, ex qua ab Episcopo illius loci exquiruntur litterae testimoniales de moribus Ordinandi, determinatum fuit ad *semestre*. Deinde adactis, per ini-

[1] Cf. N. 258.
[2] Cf. N. 4068.

quas leges, clericis ad militare servitium, persentita fuit necessitas attentius invigilandi et inquirendi in mores illorum qui, emenso militari curriculo, in sancto proposito perseverarent.

Quapropter S. Cong. U. Inq. sub die 16 sept. 1875[1] Instructionem dedit Ordinariis locorum quoad modum exercendi vigilantiam in clericos stipendia in eorum Dioecesibus merentes, eo maxime consilio, ut de eorum moribus certiores facerent Episcopos proprios Sacrae Ordinationis. Attamen in hac Instructione nihil edicitur de litteris testimonialibus, sed potius sermo habetur de secreta vigilantia et relatione quoad mores huiusmodi clericorum. Has testimoniales quod spectat, sub die 27 novembr. 1892 Decretum prodiit a S. C. Super Disciplina Regulari praescribens, religiosos alumnos militiae addictos ad familiam Religiosam postea revertentes, non ordinandos esse absque litteris testimonialibus Ordinariorum, in quorum Dioecesibus *saltem per tres menses* commorati sint.[2] Ad haec, placuit amplissimo Senatui V. hanc praescriptionem extendere ad clericos saeculares. Nam sub die 9 septembris 1893 in *Firmana, Postulatum quoad litteras testimoniales ordinandorum*, quaestioni: an clerici occasione militaris servitii in diversis locis commorati, absque litteris testimonialibus Ordinariorum, in quorum Dioecesibus aliquo tempore essent morati, possent ordinari, rescriptum fuit: *Litteras testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua Dioecesi, saltem per trimestre*.[3] Exinde legem generalem latam fuisse pro omnibus Ordinariis, dubitare non fas est.

Hac lege cognita, Episcopus Urgellensis nonnullas declarationes expostulat, *primo* petens, an huiusmodi praescriptio aeque teneat omnes clericos, etsi hac illac discurrerint non occasione *militiae*. At si *Postulatum causae Firmanae* inspiciatur, non dubium videtur, responsionem respicere tantum clericos militiae addictos. *Secundo* quaerit, an violans hanc legem, suspensionem incurrat a const. *Apostolicae Sedis*, comminatam. Quod non videretur dubitandum, quum S. C. C. declaratio videatur interpretari et tantum determinare, ea const. verba: «qui alibi *tanto tempore* moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit». *Tertio* postulat, an sufficiant litterae testimoniales *negativae*, seu quae affirment, nihil nec in bonum, nec in malum testimonium de clerico, utpote ignoto, constare; quod saepius accidat necesse est, quum milites in populosis civitatibus praecario morantes pene omnibus sint ignoti. Iamvero in primis denegari non posse videtur, proprium esse litterarum testimonialium aliquam positivam praebere notitiam de moribus et clerici vita; secus illusorie dicerentur testimoniales. Proinde, his deficientibus, S. C. S. Officii solet ad postulationem ordinandi, eidem concedere veniam supplendi huic defectui per iuramentum dictum *suppletorium*, quia supplet attestationem per litteras Ordinarii praebendam. Imo S. C. S. Officii solet Curiis concedere facultatem huiusmodi iuramentum deferendi clericis, in hisce circumstantiis versan-

[1] Cf. N. 1045.
[2] Cf. N. 2021.
[3] Cf. N. 4288.

tibus. Demum *quarto* exponit, an in defectu testimonialium, sufficiat apponere ad valvas paroeciae, in qua moratus fuerit Ordinandus, nec non ad valvas palatii Episcopalis edictum ad invitandos omnes fideles in testimonium illius morum. Plane in negotio tanti momenti nulla sollicitudo videtur supervacanea et rigorosior.

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo esset dubiis respondendum.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Pro clericis ordinandis, iam militiae addictis, sub poena a Const. Ap. Sedis comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cuius Dioecesi per trimestre commorati fuerint; et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per iuramentum suppletorium.

[Per summaria precum a. 1895. – Cf. etiam Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1886; itemque Acta S. Sedis, vol. XXVIII, p. 45-50].

4294.

S. C. C., *Gratianopolitana*, 26 ian. 1895.

Quum Sacerdos Abel paroeciam oppidi *Avenières*, Dioecesis Gratianopolitanae, administraret ab anno 1881 ad 1886, ecclesiam parochialem restaurandam curavit, impendens summam Libellarum L. 48,124. Verum quia ad hunc scopum parochus, ex variis oblationibus, colligere non potuit nisi summam Lib. 38,374; reliquam pecuniam ipse suppeditavit; quod ratum habuit huius paroeciae Fabrica, formiter obligatam se recognoscens erga sacerdotem Abel ex respectiva libellarum summa nempe L. 9749, seque soluturam fore, usque ad integram debiti solutionem, legitimos fructus. Approbatis a competente auctoritate gestae administrationis, et praesertim peractae restaurationis rationibus, sacerdos Abel translatus fuit ad Ecclesiam curatam Archipresbyteralem S. Ioannis, oppidi *de Bournay;* quam novam paroeciam suscepit valde commendatus a fidelibus Ecclesiae loci *Avenières*, nec non ab administratoribus Fabricae eiusdem paroeciae.

In eius locum, die 3 octobris 1886 suffectus fuit sacerdos Franciscus Giroud, qui antea professorem et directorem egerat parvi seminarii, loci Rondeau. Postea secundi eleemosynarii et dein primi ad oppidum Montfleury functus fuerat officio, et moderatoris scholarum, a Nostra Domina nuncupatarum. Fertur, haec munia relinquere coactum fuisse ob querelas non paucas in iisdem exercendis excitatas.

Capta paroeciae loci *Avenières* possessione, recusavit accipere summam Lib. 5000 a sacerdote Abel oblatam ad pia opera explenda, ea tamen sub conditione, ut parochus Giroud succederet in creditum eiusdem Abel adversus Fabricam, quasi ipsius gestor negotiorum. Imo cum idem sacerdos duas literas parocho Giroud dedisset ad repetendos fructus currentis anni, nullam habuit responsionem. Nam parochus iam coeperat significare ipsi Ordinario, se graves concepisse suspiciones circa legitimitatem crediti sui antecessoris, aperte asseverans administrationem patrimonii suae ecclesiae in pessima versari conditione. Ulterius semper ursit sua dubia, eaque clarius manifestavit adeo, ut scripserit canonico Jacquemin, curiae episcopalis secretario: « Personnellement je suis entièrement convaincu que Mr. Abel n'a pas déboursé un centime de son patrimoine pour les divers travaux qu'il a fait exécuter ».

Quum magis in dies sacerdos Giroud in hisce accusationibus disseminandis instaret, ab Episcopo die 3 iulii 1887 invitatus fuit in curiam, ut suspiciones ita graves in presbyterum Abel congrue probaret. At ille in duabus literis evasive respondit, primo petens dilationes ad probationes comparandas, dein declarans se numquam congressurum, iudiciali contentione, cum sacerdote Abel tricarum iudicialium nimis perito; scilicet: « Je ne m'exposerai jamais à une discussion en face de Mr. Abel; il a des habilités et des hardiesses, que je n'ai pas ».

Interim Episcopo tradebat quasdam literas ab administratoribus Fabricae signatas, quibus declarabant, se subscripsisse et rationes approbasse administrationis a parocho Abel peractae, quin easdem perlegerint vel alias examinaverint.

Episcopus accusato statim manifestavit denunciatum crimen, eo consilio ut se purgaret a tali accusatione; quod luculenter peregisse sacerdotem Abel per allatas responsiones arbitratus est ipse Episcopus. Proinde edidit decretum, imponens parocho Giroud quod aut per scriptam declarationem recognosceret veritati et iustitiae conformes rationes redditas a suo antecessore, aut earumdem falsitatem probaret, sub poena privationis paroeciae, si alteri ex duabus conditionibus non satisfecisset. Verum parochus iterum petens dilationem ad probationes ordinandas, vehementius accusationes urgebat. Tunc Episcopus ad viam tergiversationibus praecludendam, aliud dedit decretum sub die 21 iulii 1887, invitans parochum ad subscribendam sub poena remotionis a paroecia, declarationem sequentis tenoris: « Je soussigné curé des Avenières, regrette d'avoir élévé des doutes sur la régularité des comptes relatifs à la restauration de l'Eglise de cette paroisse et déclare par les présentes retirer purement et simplement l'accusation que j'ai portée témérairement à cet égard ».

Subscripsit parochus, at parvo post tempore eamdem retractare conatus est, sub die 24 augusti 1887 postulans a curia declarationis lacerandae restitutionem, aiens in literis: « Vous m'avez demandé une rétractation. Je l'ai signée à la prière de l'archiprêtre et pour faire cesser le scandale que Mr. Abel répandait pour tout le diocèse. Je l'ai faite contre ma conviction, car je sais que les comptes de Mr. Abel ne sont pas exacts ».

Episcopus, ut parochum de suo errore convinceret, eumdem invitavit ad respondendum coram quodam conventu virorum a se electorum, scilicet composito e Secretario curiae generalis et duobus parochis. Habitus est congressus, at negotium componi non potuit. Interim parochus instans in suis accusationibus, scribebat Episcopo: « J'ai dit et prouvé que les comptes du R. Abel sont contradictoires: veuillez me prouver le contraire ».

Tunc Episcopus, ut controversia tandem finem haberet, ordinavit parocho Giroud sub die 19 dec. 1888 quod intra 15 dies curaret executioni demandari obligationem a Fabrica susceptam erga sacerdotem Abel, quo

tempore inutiliter praeterlapso, a paroecia statim removeretur. Parochus, mense decembri, coegit Fabricae administratores, quorum conventui adfuit quidam archipresbyter ab Episcopo et sacerdote Abel delegatus ad proponendam transactionem pro definitiva negotii compositione. Administratores, respuentes quamcumque concordiam, decreverunt, a sacerdote Abel, cum primis exigendam esse probationem legitimitatis allatarum rationum. Hoc facere non recusavit presbyter Abel et in alio Fabricae administratorum conventu per advocatum Blanc ad hoc electum, redditas rationes defendit et declaravit. At occasione huius defensionis, parochus Giroud, praesens congressui, in sacerdotem Abel instantius accusationes protulit. Hoc ad Episcopi aures pervenit, qui statim parocho onus imposuit huiusmodi iniurias retractandi; nec non efficiendi, ut Fabrica suae obligationi satisfaceret, sub poena imminentis paroeciae privationis. At parochus, irâ abreptus, Episcopo insolentes et valde iniuriosas dedit literas, uti ipse dolens fatetur, ad refutandum editum decretum. Episcopus respondit, expresse et plene approbans gestam a sacerdote Abel administrationem, et varias minitatus poenas, decernit, ut Fabrica quamprimum debitam summam persolvat. Parochus Giroud, primo visus est sincere obsequi velle Episcopi ordinationibus, at paulo post, mense iunio 1889, proclamabat in quadam litera: « Mr. Abel n'a aucun titre contre la Fabrique. Les prétendues approbations de ses comptes sont nulles. Il est démontré que Mr. Abel a trompé soit les Fabriciens, soit l'administration, etc. ».

Rebus huc perductis, recurrendum esse ad formale iudicium censuit Episcopus, quare dixit sacerdoti Abel, ut parochum Giroud apud Curiae tribunal conveniret. Hinc Curiae promotor fiscalis Debut, ad instantiam sacerdotis Abel accusationem introduxit petens, ob crimen diffamationis, Parochum Giroud a paroecia removeri. Idem officialis Debut delegatus fuit ad processum instruendum; quamobrem ad paroeciam loci Avenières se contulit, ut instrumenta et facti adminicula examini subiiceret. At sacerdos Abel interrogatus non fuit. Acta inquisitionis publicata fuerunt die 25 octobris 1889 eaque parocho Giroud favorabilia evaserunt. Dicitur enim in conclusione: « Je conclus en disant que Mr. Giroud n'ayant pas eu entre les mains d'autre pièces que celles, sur lesquelles est basé mon rapport, se trouve justifié des accusations portées contre lui, par Mr. Abel. Je prie donc l'Officialité de prononcer en sa faveur une ordonnance de non lieu et de demander que les comptes de Mr. Abel soient soumis à un nouvel examen ».

Reapse ad ulterius examen, iuxta votum promotoris, processit ipse Vicarius Generalis, adhibito etiam vice-officiali Faure. Citati fuerunt ad comparendum sacerdotes Giroud et Abel, qui seorsim auditi fuerunt. Utriusque documentis ad trutinam revocatis, *sententia prodiit absolvens sacerdotem Abel, condemnatoria parochi Giroud, uti calumniatoris; quare publicae reprobationi subiiciendus proponebatur. prouti statuitur in eadem sententia, ab Episcopo approbata, sub die 25 novembris 1889 et executioni demandata.*

Sacerdos Giroud protestatus est contra hanc sententiam, eo maxime quia antequam citationi pareret, quum a Curia veniam postulasset secum

ducendi advocatum die comparitionis, repositum fuerat, hoc contra ius esse, nam ipse non uti accusatus vocabatur, sed solum ad comprobandas conclusiones relationis promotoris Debut. Quapropter cognita sententia, parochus Giroud die 4 decembris 1889 Episcopum adiit cum advocato Grolée. Instaurata de litigioso negotio disputatione, nihil concludere fas erat, verum quia parochus Giroud in advocato Grolée maxime confidere videbatur, Episcopus sperans, ob rei evidentiam, posse persuaderi, advocato hanc quaestionem scriptam, proposuit: « Mr. Giroud a porté certaines accusations contre Mr. Abel; en a-t-il fait preuve? »

Advocatus Grolée resolvendam suscepit quaestionem, quasi arbiter constitutus fuisset et sub hoc titulo relationem exaravit. Interim sacerdos Abel, rei certior effectus, die 11 decembris, scripsit Episcopo, respuens perfracte advocati Grolée arbitratum, quum sententia die 25 novemb. 1889 examinari non posset, nisi ab Archiepiscopo vel a Papa. Dein idem sacerdos Abel, die 11 ianuarii 1890, renuntiatus fuit canonicus honorarius Cathedralis, quare advocatus Grolée persentiens, hac Episcopi deliberatione, publice eius sententiam arbitralem posthaberi aut impediri, Episcopo literas dedit admodum iniuriosas, quas per ephemerides edi et quammaxime in vulgus disseminari curasse videtur.

Gliscente in dies scandalo, Episcopus ratus, parochi Giroud ministerium non amplus utile evadere in oppido Avenières, eumdem per decretum diei 12 februarii 1890 transtulit ad Ecclesiam parochialem loci Chanas, paulisper inferioris gradus. At hic exequi recusavit decretum, arguens quod « les tribunaux religieux et civils étant saisis de la question, qui motive son changement, il ne pouvait quitter son poste, avant qu'ils aient prononcé leur jugement ». Reapse, sacerdos Giroud, die 20 februarii 1890, appellaverat ad Summum Pontificem a sententia diei 25 novembris 1889, tum quia iudicii formae processuales observatae non fuerant, tum ob negatam defensoris constitutionem.

Sub idem tempus Fabricae administratio ad civile tribunal rapuerat, auctore, fertur, parocho Giroud, sacerdotem Abel instans, ut obligatio erga eumdem suscepta, nulla et irrita declararetur idemque adigeretur ad pecuniae summas pro piis usibus perceptas et Fabricae non traditas restituendas.

At quum persisteret parochus Giroud in deneganda executione, Episcopi mandatis, per decretum Vicarii Generalis diei 24 februarii 1890 obligabatur ad suscipiendam paroeciam loci Chanas, sub poena suspensionis incurrendae die subsequente huic praecepto. Insuper Vicarius generalis scribebat archipresbytero Bouvallet, immediato sacerdotis Giroud superiori, ut se conferret ad paroeciam loci Avenières, ibique, si adhuc illum reluctantem invenisset, duarum horarum spatium ad deliberandum concederet, quo inutiliter praeterlapso, commonefaceret, *interdictum personale generale* ipsum incurrisse, quamobrem nec paroeciam loci Chanas amplius administrare posse. Decreti executio facta est die 27 februarii 1890. Nihilominus quia parochum dimovere possibile non fuit, rogatu Episcopi interveniente etiam decreto politicae potestatis, nimirum Praefecturae, apud suos se contulit sacerdos Giroud in oppido Trept.

Hic interea, contra interdicti decretum, aliam interposuit ad S. Sedem appellationem petens in integrum restitutionem. Ad instantiam Episcopi et sacerdotis Abel, Curia metropolitana Lugdunensis, examinata quaestione, relate ad rationes peractae administrationis, ex voto viri periti, ratiocinatoris et Secretarii Tribunalis commercii Lugdunensis, declaravit administrationis gestionem undequaque probandam esse.

Etiam S. C. C. controversia perpensa, potius sub aspectu, an accusationes a sacerdote Giroud in suum confratrem disseminatae, legitimae essent, sub die 2 maii 1891 hoc rescriptum dedit Gratianopolitano Episcopo: « Ad examen revocatis, quae hinc inde allata sunt circa controversiam a F. Giroud motam, iisdem perpensis, Emi PP. rescripserunt: Provisum per sententiam Curiae Episcopalis diei 23 aprilis 1889, confirmatam ab Emo Metropolitano, die 12 octobris 1890, ideoque orator acquiescat. Qui tamen Giroud graviter moneatur, ut conscientiae suae consulat, laesam confratris famam restituat, veniam a suo Episcopo postulet et in posterum abhorreat a similibus ».

Huic rescripto reposuit sacerdos Giroud, non eam fuisse suam intentionem in appellatione interponenda apud S. Sedem, iudicium exposcere circa meritum administrationis sacerdotis Abel, sed impugnare decreta Episcopalia diei 25 novembris 1889 et 27 februarii 1890, quippe iniustas poenas irrogantia.

Revera modo quaestio circa rationes peractae restaurationis a sacerdote Abel absoluta videtur. Nam sacerdos Roustang, successor in paroecia loci Avenières, ratas habuit rationes gestae administrationis antecessoris Abel, cum quo pactum iniit cessionis obligationum et spopondit de consensu Episcopi, ipsum assumere adversus Fabricam creditum sacerdotis Abel, eiusdem actionis cessionarium. Denique ad compescendum omne scandalum, a parocho Roustang et ab administratoribus Fabricae haec transactionis syngrapha subsignata fuit sub die 18 martii 1892: « Le compte qui constituait ainsi la Fabrique créancière est bien simple. Il portait au crédit de M. l'abbé Abel du chiffre de 9749 fr. que l'on reconnaissait exact; puis au débit, on faisait figurer les diverses sommes reçues soit par lui (M. Abel) soit par M. Roustang pour le compte de l'église ou de la Fabrique; d'où balance faite, il resultait que cette dernière restait créancier de 750 fr. que M. Roustang s'engageait à lui verser et lui versait en effect ».

Intera idem Episcopus, etiam ad instantiam quorumdam Sacerdotum, contulit, sed precario, presbytero Giroud paroeciam loci *Vennissieux*, cuius possessionem suscepit. Sub id temporis transmissum fuit S. C. C. rescriptum, cui obsequi promisit parochus ea tamen sub conditione, ut idem rescriptum in publicum non divulgaretur.

Hoc admittere non posse Episcopus arbitratus est, qui e contra eiusdem rescripti exemplaria statim ad clerum universum dedit. Quod aegre tulit parochus Giroud minacesque literas Episcopo scripsit, quare etiam paroecia loci Vennissieux privatus et a divinis suspensus ad suos iterum se recepit, in oppido Trept, ubi adhuc commoratur.

Episcopus suam agendi rationem defendit referens usque ab initio facto-

rum historiam, quae iam relata sunt in facti specie, enixe exorans S. C. C., ut definire vellet per suam auctoritatem hanc quaestionem, quae causavit agitationes et scandala in Dioecesi, et causabit, donec finem accipiat per sententiam Emorum Iudicum.

Ex adverso patronus a parocho Giroud constitutus, postquam factorum seriem enarraverit, advertit modo quaestionem esse de iustitia poenarum, per duo decreta suo clienti inflictarum.

Prius decretum, notat Orator, parocho Giroud vituperationem infligit, uti calumniae reo in fratrem, hocque vulgatur per transmissionem archipresbyteris et superioribus ecclesiarum ea sub ratione, quod uti scandalum a Giroud accusationibus et allegationibus publice allatum fuerit, ita publica reparatio esse debeat. Sed, animadvertit patronus, huiusmodi poenas publicae reprobationis et infamiae non solum extra ius esse, verum et ecclesiasticarum poenarum rationi contrarias esse, cum scandalum adiiciat scandalo et auctoritatem rectoris ecclesiae in fideles evertat. Sed cum de poena certe agatur, poenale iudicium omnino praecedere debuisset. Verum ab expositis patet, nullam iudicii formam nec speciem quidem adfuisse.

Defuit primo loco citatio rei. Accusatus enim invitatus, ut ad dioecesanum tribunal veniret, nulla citationis iuridica forma servata, sed per epistolam, vocationis obiecto non designato. Vocatur ad hoc tantum, ut conclusiones sibi faventes, relationis procuratoris curiae, probe sustineat. Vocationi Parochus paret seque sistit, ne suspicatus quidem de crimine agi. Incipit ergo defectus tum formae tum substantiae ab ipso iudicii limine, cum nulla citatio fuerit, nec ipsa rei praesentia eius defectum sanat, cum ad aliud quam ad poenale iudicium vocatus sit: Can. 2 et 3, caus. III, qu. 9, Clem. 2, *de sent. et re iudic.*

Graviorem defectum adesse notat advocatus, quia postulante accusato, ut advocatum secum duceret, qui iuridice demonstraret male redditas esse rationes et iustitiam relationis promotoris curiae confirmaret, parochi ipsius petitio repulsam invenit, hac adamussim ex causa, quod ipse de nullo crimine accusaretur. Non accusatus, igitur, nec defensus, Giroud acerbissima poena multatus abit. Haec omnia humanae damnant ac divinae leges, nec profecto ius constituunt, sed iniuriam: cap. 19, *de sent. et re iud.*, cap. 1, seq., *Ut lite non contest.*, cap. *Qualiter*, *de accusationibus.*

Quae vero de substantiali primi decreti defectu notavit Orator, eadem dicit inficere secundum decretum.

Hoc die 27 februarii 1890 nunciatur parocho, qui interdicti personalis censura percellitur. Nunciatio decreti facta est per archipresbyterum de Morestel. Et sub eadem decreti die (24 februarii) episcopus auctoritatem suam in Vicarium Generalem, speciali mandato transtulisse testatur his verbis: « respice, ut legitime factum, quod D. Mussel (vicarius) fecit per D. Archipresbyterum ».

Revocat patronus, quae sunt decreti praecisa verba: « Dominus episcopus eum plectit universali interdicto ipso facto et illi aufertur paroecia de Chanas ». Quibus commissarius Archipresbyter oralem explicationem adiicit: « Ei amplius non licere S. Missam celebrare, nec audire, nec accipere Sacra-

menta Eucharistiae et Poenitentiae, sine irregularitatis nota ». Unde patet sacerdotem Giroud iam ab ecclesia *des Avenières* antea expulsum fuisse.

Ad haec, advertit Orator, secundi decreti vitia graviora esse. Nulla enim iudicii species praemissa est, nulla in ius vocatio, nulla accusationum contestatio, nulla sententiae forma, nulla monitio, nullus probationibus et defensioni locus, quae omnia, ut supervacanea neglecta fuerunt.

Hisce notatis relate ad decretorum *formam*, quoad *substantiam*, arguit patronus, non minores adesse defectus: Nam parocho, hoc maxime crimen obiectum fuit, ipsum noluisse imperio episcopi parere, debitum Paroeciae erga D. Abelem agnoscendo et confirmando ad normam et modum rationum ab hoc redditarum, quin eas rationes ullo examini subiiceret. Hoc primum; exinde translationem in paroeciam subsidiariam longe inferioris ordinis noluisse acceptam habere. Haec altera videtur causa fuisse secundi decreti, quae, ut patet, a priore originem petit eique arctissime colligatur.

Insuper notat orator, Episcopi decreto non suffragari rationem *amovibilitatis paroeciae*. Nam ea non hoc efficere potest, ut arbitrio suo Episcopus parochum deiicere et dedecoris nota atque inopia affligere possit.

Episcopi decreta eo magis patrono improbanda videntur, quia eum hominem plectunt, quem, ipso praesente, cum advocato Grolée, ipse Episcopus amplissime laudabat his verbis « Mr. Giroud est un des mes meilleurs prêtres ».

Quoad petitionem alteram *indemnitatis*, revocat orator sapientissimam canonici iuris dispositionem, quae iudicem quoque spolium patrare declarat, cum neglecto iuris ordine aliquem e possessione deiicit: cap. 7, *de restit. spoliat.* Spoliatus ergo ante omnia restituendus et haec est praecipua damni iniuria illati emendatio. Quidquid autem ei sic ablatum, aut quominus habere liceret, vetitum est, in restitutionem venit cap. 51, *de appellat.*, cap. 11, *de restit. spoliat.*, prout fert constans et perpetua S. C. C. iurisprudentia.

Partium iuribus EE. PP. hinc inde relatis, modo vestrum est supremo iudicio enodare dubia:

I. *An decreta Curiae Gratianopolitanae diei 25 novembris 1889 et diei 27 februarii 1890 sustineantur in casu?* Et quatenus negative:

II. *An sit locus refectioni damnorum in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I: Quoad decretum diei 25 novembris 1889 affirmative; quoad decretum diei 27 febr. 1890 affirmative quoad translationem a paroecia et privationem; quoad interdictum generale negative, et quatenus Sacerdos Giroud det vera resipiscentiae signa, eum provideat de congrua sustentatione. [1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 154, p. 105-126].

[1] Resolutio 2. dubii desideratur.

4295.

S. C. C., *Galtellinoren.*, 7 sept. 1895.

Anno 1779 Summus Pontifex Pius VI constitutione, quae incipit: *Eam inter caeteras,* [1] Dioecesim Galtellinorensem in Sardinia denuo restituens, habitualem et actualem animarum curam totius Norensis civitatis Cathedralis Ecclesiae capitulo demandabat. Idcirco simul decernebat, ut nemo in posterum inter canonicos cooptaretur absque praevio examine, sicut in paroeciarum provisione coram Ordinario peragenda, et absque expeditione bullarum. Praeterea capitulum canonicis et beneficiariis coalescens, una cum parochialibus muneribus etiam exclusivum ius obtinuisse videtur peragendi sacras functiones sive institutas sive deinceps instituendas, non modo in Cathedrali sed et in aliis ecclesiis, quae improprie filiales vocantur.

Istiusmodi vero functiones vel ab integro capitulo, vel ab uno ex canonicis cum assistentia beneficiariorum, quos patria voce nuncupant *domieri*, vel a beneficiariis tantum perfici solebant. In primo casu fructus inde provenientes trifariam dividebantur, quarum pars beneficiariis cedebat, duas autem reliquas interessentes tantum canonici, etiam aegrotis exclusis, lucrabantur. Exceptis tamen funerariis emolumentis, quae pro rata portione singuli, sive canonici, sive beneficiarii percipiebant. Si vero de iis functionibus ageretur, quas vel unus ex canonicis cum beneficiariorum ministerio vel soli beneficiarii explebant, tunc inde derivantium proventuum medietate capitulo tributa, reliqua pars beneficiariis assignabatur.

Anno 1834, rogante R. P. D. Ioanne Bua Archiepiscopo Arboreensi et Galtellinorum apostolico administratore, Gregorius XVI fel. rec. constitutione *Ad supremae,* [2] paroeciae Norensis curam uni canonico parocho concredere autumavit. Ad hoc, canonicatum sub titulo S. Rosae Viterbiensis tunc vacantem in canonicatum curatum cum quibusdam clausulis et conditionibus erexit, « archipresbytero et canonicis animarum curae exercitio perpetuo exoneratis ». Huiusmodi litterarum apostolicarum executio ipsi Archiepiscopo administratori commissa fuit; ita tamen, ut pro suo arbitrio et conscientia libere et licite disponere valeret.

Facta praedictarum litterarum executione plures inter ecclesiae cathedralis Parochum et Capitulum controversiae exortae sunt atque S. C. primo propositae die 27 iunii 1891, sub sequentibus dubitandi formulis, videlicet: 1. *An ius administrandi Baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes Capitulum vel penes Canonicum curatum in casu?* – 2. *An Capitulum, praeter functiones capitulares, ius habeat committendi alternative uni vel alteri ex canonicis cum assistentia beneficiariorum, vulgo* domieri, *celebrationem aliarum functionum, scilicet Missarum festivarum vel defunctorum, novendialium, vel triduarum precum, processionum etc. ac stolae fructus inde percipiendi in*

[1] Bull. Rom. Cont., tom. 6, p. 116-122.
[2] Bull. Rom. Cont., tom. 19, p. 599-602.

casu? - 3. *An Canonicus curatus iure distincto frui possit in defunctorum exequiis, Capitulo assistente, et an a Capitulo, vel a Canonico curato perficiendae sint rituales absolutiones in casu?* - 4. *An beneficiarii, vulgo* domieri *ita dependeant a Canonico curato, ut ab hac dependentia exturbari nequeant a Capituli Archipresbytero in casu?* - 5. *An iidem beneficiarii teneantur coadiuvare Canonicum curatum in Evangelii praedicatione, et in catechesibus in casu?*

Propositis dubiis placuit Sacrae C. C. rescribere, ad primum: *Dilata et coadiuventur probationes de usu Capituli constanti et nullo reclamante, administrandi baptismum et retinendi libros baptizatorum.* Ad secundum: *Affirmative, dummodo non agatur de functionibus et iuribus mere parochialibus.* Ad tertium: *Si agatur de exequiis parochianorum, praecedentiam spectare ad Canonicum curatum ratione stolae, et rituales absolutiones spectare ad Eumdem, ratione muneris. Si vero agatur de aliorum exequiis, omnia spectare ad Capitulum, scilicet praecedentiam et rituales absolutiones.* Ad quartum: *Affirmative, quatenus agatur de cura animarum.* Ad quintum: *Affirmative, dummodo parochus sit impeditus.* [1]

Insuper quaestio haec, iterum proposita fuit die 9 aprilis 1892, cui fuit rescriptum: *dilata ad proximam cum iisdem.* Quamobrem tertio iudicio S. C. C. fuit proposita in generalibus comitiis diei 21 maii 1892 non solum quoad primum dubium, cuius resolutio in suspenso mansit, sed etiam quoad tertium et quintum, pro quibus Capituli Patronus novae audientiae beneficium obtinuit. Dubia tunc erant: 1. *An ius administrandi baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes Capitulum, vel Canonicum curatum in casu?* 2. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?* 3. *An sit standum vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu?*

In comitiis autem generalibus diei 23 iulii 1892 S. C. C. placuit rescribere propositis dubiis, ad primum: *Cumulative spectare ad utrumque.* Ad secundum: *In decisis.* Ad tertium: *In decisis et amplius.* [2] Parochus vero beneficium novae audientiae obtinuit quoad primum dubium. Quare quaestio haec denuo proponitur. Interim sciendum est, Capitulum renunciationem emisisse beneficio novae audientiae, quod eius Patronus postulaverat.

Dubium vero hodie definiendum, nempe an sit confirmanda decisio, qua EE. PP. rescripserunt: *cumulative ad parochum et Capitulum spectare ius administrandi baptismum et custodiendi libros baptizatorum.*

Capituli Galtellinorensis patroni, postquam fusiori calamo facti speciem descripserant, in quinque capita orationem suam distribuunt. Ac primo contendentes ius capitulo inesse administrandi Baptismum et libros baptizatorum custodiendi, id promanare adnotant ex cura habituali, vi cuius parochus actualis uti famulus seu operarius capituli censendus est, qui iuribus et emolumentis iam inde a sua institutione assignatis contentus esse debet. Curam vero habitualem penes Norensis cathedralis capitulum residere evincunt, tum ex ipsius apostolici executoris verbis « il capitolo verrà esonerato della stessa cura attuale, ritenendo la cura abituale », tum ex condi-

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 150, p. 431-443.
[2] Thesaurus Resolutionum, tom. 151, p. 254-267, 360, 361.

tione a capitulo in paroeciae erectione apposita, qua curae actuali nuncium mittebat: « ritenendo la cura abituale ». Quibus adstipulatur et alia eiusdem capituli declaratio paulo ante executionem apostolicae constitutionis, et ipsius tenor decreti executorialis, quo indulgetur, ut canonici sacramentales confessiones excipientes vel in curati adiutorium in civitate concionantes tamquam in choro praesentes habeantur. Neque dicatur ex hoc argui non posse curam habitualem explicite fuisse indultam, cum apostolicus administrator expresse declaraverit conditionem a capitulo appositam in praefatae constitutionis executione prae oculis habuisse et religiose servasse.

Ex his igitur autumant ortum duxisse, quod canonici absque praevia curati venia Baptismatis sacramentum administraverint, et locus pro libris custodiendis, in quo statim baptizatorum nomina minister scriberet, iam ab initio fuerit designatus.

Verum nedum in linea interpretativa, sed et in praescriptiva, monent, observantiam suadere, ut capitulares in quasi possessione iuris manuteneantur, cum exploratum sit in caesareo et canonico iure in quacumque causa vel quacumque persona, ius personae, ius privatum vel publicum quadraginta annorum iugi silentio extingui l. 4, Cod., *de praescript.* 30 vel 40 an.; cap. 6, *de praescript.* etc. Cui doctrinae consonat S. C. C., quae in una *Marsorum Iurium parochialium*, diei 30 ianuarii 1830, in qua capitulo ius baptizandi pueros ac retinendi claves baptisterii et olei sancti reservatum fuit, non obstantibus sacrae visitationis decretis, *ad formam consuetudinis.* [1] Quare Archiepiscopus Arborensis anno 1879 apostolica delegatione functus in Galtellinorensi dioecesi mandabat: « in virtù dei poteri accordati dalla S. Sede che la chiave del battistero, e il libro dei battezzati, non siano più rimossi dal cassetto comune, nel quale in questa Cattedrale furono finora conservati, e ciò fino a che alla S. Sede non piaccia di ordinare diversamente ». Quod decretum cum a S. Sede fuerit approbatum, censent patroni reiiudicatae vires et auctoritatem acquisivisse.

In nova causae propositione diei 9 aprilis 1892 ad suam intentionem melius declarandam et sustentandam has Capitulum addebat attestationes. Nimirum attulit depositionem trium sacerdotum seniorum, qui a pluribus annis servitio ecclesiae cathedralis addicti sunt, quae ita se habet: verum esse existere in Cathedrali *un tiretto comune*, in quo servantur claves fontis baptismalis, et regesta, quibus dietim quilibet notat administratum sacramentum, apud quemlibet canonicum esse clavem fontis baptismalis et nulla *habita venia* sacramentum administrat: quemlibet canonicum iure hoc usum esse tum ante annum 1836, tum sequenti tempore, donec praesens parochus reclamavit; quod si per vim parochi claves, inscio capitulo, subtractae fuerunt, statim res ad priorem redactae fuerunt statum operâ Vicarii generalis; constare etiam, canonicum sacramenta administrantem gavisum semper esse exemptione a punctaturis, ceu refert Beneficiatus Chrismi, qui a 40 annis munere punctatoris fungitur.

[1] Cf. N. 4027.

Demum Capitulum in sui favorem invocat Capituli Vaticani exemplum, in quo mos non admodum dissimilis observatur.

Patronus in primis utitur testimonio Parochi, qui ait, sese, in actu possessionis praebendae canonicalis, accepisse a praedecessore suo librum baptizatorum, quem apud se tenebat quemque singulis vicibus tradebat administrantibus baptisma, ut actum in dicto libro notarent propria manu et solummodo duos canonicos clavem obtinuisse; quorum alter habuit etiam antequam praebendam canonicalem obtineret, alter sibi arripuit, dum munere Vicarii generalis fungeretur. Canonicus hinc Parochus arguit: capitulum, clavis gratiâ, nullum sibi arrogare valet ius. Et iure, infert advocatus, nam si clavis est apud Parochum, profecto liquet, absque Parochi consensu, Canonicos non potuisse baptismum administrare iuxta proprium arbitrium.

Postea haec habet parochus: consuetudinem in civitate et Dioecesi foveri, qua fit, ut sacerdotibus vocatis a parentibus baptizandorum indulgeatur facultas baptizandi et notandi propria manu actum in libro. Quae facultas facilius traditur praecipue ecclesiasticis, dignitate praefulgentibus, ceu factum fuit cum Canonicis, donec id praesumerent ceu ius illis quaesitum. Praeterea patronus clientis intentionem roborat per alios testes.

His positis, concludit Orator, quod traditionis horum librorum in manus parochi manifesta profecto est ratio; nempe quia libri baptizandorum custodiebantur a Parocho dumtaxat. Haec confirmat patronus ex peculiari attestatione Episcopalis Officialis.

Suam thesim Orator aliis attestationibus comprobans, urget attestationem iudicialem cum iuramento editam ab iis, qui servitium Ecclesiae Cathedrali assiduum praestiterunt per discretum temporis spatium. Demum testem affert patronus ipsum Episcopum Norensem, qui decursu Sacrae visitationis pastoralis visitans librum baptizatorum, reperit carentem signaturis administratorum huius sacramenti; monetque canonicum parochum, ut curet ne id in posterum eveniat.

Adamussim ob has potissimas rationes, notat patronus, Tridentina Synodus, cap. 13, Sess. 24, *de ref.*, mandat Episcopis populum in certas parochias distingui, unicuique suum perpetuum parochum assignando. Ad tramites huiusce dispositionis conciliaris Pius V constitutione *Etsi omnibus*, 5 novembris 1571, motu proprio, varias ad maius divini cultus augmentum animarumque commodum erexit Vicarias perpetuas in almae Urbis Basilicis et Collegiatis.[1]

Porro eumdem finem, instat orator, nempe augendi divinum cultum, et maius commodum exhibendi fidelibus, sibi proposuit Summus Pontifex Gregorius XVI in sua constitutione diei 1 februarii 1834 pro Sardiniae insula. Ipse enim conspiciens animarum curam, qua par erat diligentia a Capitulo Noren. minime exerceri ob simultaneum parochialium munerum et Capitularium officiorum adimplementum, ab animarum curae exercitio perpetuo illud exoneravit, atque eam concredidit uni presbytero in Theologia Magistro, vel iure canonico laureato, qui una cum presbyteris auxiliaribus curam huiusmodi universam exerceret.

[1] Bull. Rom., tom. 4, III, p. 183, 184.

Et iure meritoque exclamat patronus, Minister baptismi solemniter et ex pastorali officio celebrandi est proprius parochus. Contendit postea Orator idem dicendum esse quoad custodiam librorum, quia parochi tenentur « quatuor libros sive matriculas habere, ut ait Barbosa, in quibus describant primo omnes, qui in Ecclesia sua baptizantur, cum nominibus parentum, si de legitimo matrimonio nati sunt, et patrinorum, qui eos de baptismo susceperunt ».

Quapropter, etsi fiat hypothesis, quod vigeat consuetudo ac usus baptizandi favore Capituli enunciati, autumat patronus non sustineri, quia huiusmodi consuetudo seu usus ordinem hierarchicum subvertit, et consequenter irrationabilis, imo abusus et corruptela foret. In casu vero observat patronus, consuetudinem probatam non dici, si constet de unico actu contrario, quamvis darentur mille actus pro consuetudine; unicus enim actus contrarius, vel difformis illam rumpit, et ad eam destruendam satis est. Porro ex documentis allatis, iuxta patronum, constat ex consensu parochi praedecessoris, quandoque canonicos administrasse Sacrum baptisma et ex concurrentibus circumstantiis veniam indulsisse; et actualem parochum semper custodivisse libros baptizatorum. Quare concludit, adversarios inutiliter ad testes appellare, siquidem adducti testes consuetudinem in themate non probant 1) quia non sunt testes de visu per quadraginta annos; 2) quia non sunt testes de auditu a suis maioribus, qui ab aliis suis maioribus, etiam audiverint; 3) demum quia non testantur, se numquam audivisse, vel vidisse servari contrarium. Etenim ex illorum depositionibus constat, illos actus non fuisse repetitos, ita parochi patronus argumentatur.

Utriusque partis allegationibus libratis EE. PP. enodandum proponitur dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Recedendum a decisis, facto verbo cum SSmo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 154, p. 870-882].

4296.

S. C. C., *Liburnen.*, 7 sept. 1895.

In civitate Liburnen. inter alias Sodalitates, anteactis retro temporibus, constitutas a saecularibus hominibus, eo consilio, ut *saeculo vacare coacti, aliquos dies haberent, in quibus spiritu congregati, Deo vacarent eique debitum exiberent obsequium* (*Syn. Dioec. Liburnen.*) principem tenuit locum Congregatio a SS. Cosma et Damiano nuncupata, sub anno 1575 erecta, quae a suo scopo et origine naturam induisse Confraternitatis laicalis videtur.

Quum Leopoldus I Hetruriae Rex anno 1785, spiritu Ecclesiae infenso imbutus, nequiora praecurrens tempora, decretum ediderit suppressionis Ordinum Religiosorum et Confraternitatum, etiam Confraternitas a SS. Cosma et Damiano dicta, ab albo entium moralium iuridicorum coram lege

civili expuncta fuit. At populus christianus aegerrime ferens huiusmodi usurpationes, turbis in civitate Liburnen. hac de re excitatis, obtinuit anno 1790, ut haec Sodalitas in pristinum restitueretur et, accedente decreto ecclesiasticae potestatis, unita alteri Confraternitati, a S. Barbara appellata, addicta fuit servitio Ecclesiae S. Catharinae. Deinceps Sodalitas suo titulo nomen addidit S. Barbarae.

Anno 1809, Ordine etiam PP. Praedicatorum restituto in Ecclesia S. Catharinae, quam vi suppressionis dereliquerant, a Regina Hetruriae edictum fuit, ut PP. Praedicatores paterentur Confraternitatem vigere uti nunc est; scilicet cum iure inibi exercendi sacras functiones.

Non obstantibus nuperis decretis, quibus leges civiles huiusmodi Sodalitatibus quamcumque denegant iuridicam personalitatem easdemque proscribunt, viguit dicta Confraternitas usque ad hos dies in Ecclesia parochiali S. Catharinae, inibi PP. Praedicatoribus curam animarum agentibus: an vero adhuc iure vigeat, vel potius iure meritoque a competente auctoritate dissoluta fuerit, est praesentis controversiae obiectum.

Re quidem vera hisce postremis temporibus videntur sodales a proprio instituto defecisse adeo, ut Parochus dictae Ecclesiae ad Episcopum retulerit: ex eiusmodi Sodalitio nihil aliud sibi parari quam cruces et tribulationes. Etenim idem sese censet independens a Parocho, ceu eruitur a Statutis, anno 1889 concinnatis, sine approbatione Ordinarii. Eius cappellanus est presbyter saecularis, qui functiones in Ecclesia paroeciali peragit absque dependentia a Parocho. Reprobanda omnino est, ait, negligentia fratrum quoad servitium sibi impositum; etenim paucissimi ex eis Ecclesiam petunt, ut functionibus adsint, et saepe vocandi sunt pueri rudes, qui vices fratrum peragant in eorum absentia cum scandalo fidelium. Saepe enim ab eisdem ascititiis fratribus turbae fiunt et non raro blasphemiae audiuntur, a non piis sodalibus. Petiit ideo Parochus, quid esset sibi facendum in casu.

Episcopus permotus his relationibus, iussit Parochum dissolvere Sodalitium, petere rationum redditionem, constituere tres, qui statuta redigerent pro nova Sodalitate, ab Episcopo approbanda. Parochus iussa Ordinarii faciens, per decretum declaravit Sodalitatem esse dissolutam.

Confratres decretum ratum habere recusarunt, causantes incompetentiam auctoritatis, idem emanantis. Quare Parochus statim hoc nunciavit Episcopo, qui non solum probavit et decretum confirmavit sua addita subscriptione suique Cancellarii, sed exceptioni Sodalium revocavit tritum adagium: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.*

Nihilo secius neque taliter ab Episcopo confirmatum Sodales decretum accipere voluerunt, asserentes, semper idem perseverare Parochi decretum, iam legitime repudiatum. Quocirca Sodalitas antea recursum habuit ad Metropolitanum, qui decretum extraiudicialiter confirmavit, postea ad S. C. C.

Notatu dignum est, quod interim Curia Liburnen. nunquam voluerit in dubitationem adducere vim editi decreti, proinde pro legitime dissoluta habuerit Confraternitatem, quam sub hoc nomine unquam amplius appellare voluit novamque Confraternitatem in locum dissolutae sufficere intendit. Imo post editum decretum, Archivio Confraternitatis apposita fuerunt

sigilla, quae ne a sodalibus resignarentur, auctoritas Ecclesiastica recursum habuit ad publicos politiae officiales, ut impedirent, prouti factum est, ne Archivio Sodalibus ullus pateret aditus.

Contra haec omnia Sodalitas recursum habuit ad Sedem Apostolicam, exponens pro nihilo habendum esse decretum Ordinarii, quoad Sodalitii dissolutionem, quia caret causâ motivâ, et quia innititur opinione, idem Sodalitium esse exclusive *paroeciale;* dum e contra illud sit Confraternitas omnino *laicalis*, quae nullum subiit discrimen per leges Hetruriae anni 1785.

Ex officio animadversum fuit circa iuris quaestiones, quod Confraternitas autumat se non *ecclesiasticam sed laicalem* esse; quapropter subiectam haud esse Ordinarii iurisdictioni. Quin vero fiat longa disquisitio quoad naturam huius Confraternitatis, cuius origo in antiquitatis tenebris delitescit, quod ad hodiernum statum, consuetudine magis quam centenaria confirmatum, videtur *ecclesiastica* potius dicenda haec sodalitas. Nam sub fine saeculi praeterlapsi in pristinum restituta, addicta fuit servitio cultuique divino in Ecclesia S. Catharinae, ea sub expressa conditione, *ut parocho subesset et loci Ordinario.* Quae conditio etsi non expressa fuisset, subaudiretur; nam ex fine potissimum res suam naturam desumunt: et perabsurdum esset, qualecumque Collegium cuidam Ecclesiae parochiali inservire et cultui divino incumbere, tamen immune ab ecclesiastica potestate.

Quum sodalitas in themate subsit correctioni Episcopi, subintrat praescriptio Bullae Clementis VIII: *Quaecumque* ad confraternitates moderandas editae in § 5 statuentis: « Statuta pro regimine Ordinum Regularium et Institutorum erigentium et instituentium... edita Confraternitatibus et Congregationibus erigendis et instituendis et aggregandis... impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis et moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant ».[1] Ex quo consequitur, posse Episcopum auctoritate ordinaria mutare et variare statuta confraternitatum, eisque novas leges, quando opus fuerit, servandas proponere: S. C. C., in *Ferrarien.*, 14 septembris 1782.[2]

Verum sodales excipiunt contra decretum dissolutionis, quippe a parocho editum non habente in foro externo iurisdictionem. Quae exceptio exploratissimo iure innititur, si parochus, *qua talis*, admittatur Decreti auctor; an vero potius, qua delegatus, gesserit, auctoritate ab Episcopo demandata, sufficienter in ipso decreto expressa, saltem post Episcopi additam confirmationem.

Quomodo autem vis et vigor auctoritatis ordinariae, huiusmodi in casibus canonica aequitate et prudentia temperanda sint, docet S. C. C. in *Balneoregien., Admissionis alumni*, diei 26 augusti 1769,[3] qua inter alia proponebatur dubium sub n. II: *An sint redintegrandi Confratres, ultimo loco deleti ab Episcopo et respective delendi novi confratres ab Episcopo electi in casu?*

[1] Cf. N. 192.
[2] Cf. N. 3825.
[3] Cf. N. 3766.

Et omnibus perpensis EE. PP. rescripserunt proposito dubio: Ad II. *Affirmative in omnibus*. Nihilominus sane EE. PP. noluerunt Episcopis denegare potestatem nonnullos expungendi a numero confratrum, sed solummodo modum suggerere canonicae aequitatis quoad modum executionis: nam in *Asculana*, 24 martii 1725, proposito IV dubio: *An liceat Reverendissimo Episcopo removere Officiales et Ministros a confratribus electos, quatenus non sint idonei, et graves exceptiones patiantur*, rescribere censuerunt: *Affirmative.*[1]

Quocirca liceat concludere, Episcoporum sollicitudini in sodalitatibus moderandis quamplurimos eosque efficaces praesto esse modos; sive statuta corrigantur, aut omnino mutentur, sive nonnulli sodales expungantur, sive ipsa sodalitas ex integro deleatur, congruis et legitimis praemissis monitionibus, prout casus ferat.

Quapropter pro sueta prudentia et aequitate EE. PP. enodabunt dubium: *An, et quomodo decretum dissolutionis Confraternitatis sustineatur in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative in omnibus.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 154, p. 883-894].

4297.

S. C. C., *Spalaten.*, 14 dec. 1895.

Mense iulii 1884 sacerdos Ioannes Lucic, in districtu Almissae Spalatensis Dioecesis, parochiale beneficium in oppido Zezevica adeptus est. Statim ac in paroeciam advenit, factiosum suum manifestavit ingenium, ut municipii negotia, prout sibi aequa et opportuna visa fuissent, ita gererentur. Animo audax, propositique tenax, municipalibus administratoribus totius districtus Almissae cito adversarius extitit acerrimus, et die 28 octobris 1884 aculeatas mittebat epistolas ad supremum Almissae magistratum (vulgo Podestà di Almissa), qui illas tradidit Curiae episcopali, Sacerdotem Lucic multiplici accusatione insimulans, scilicet, quod publice detraheret constitutis auctoritatibus, quod municipalibus legibus adversaretur, imo populum ad resistendum iisdem legibus concitaret.

Hisce litteris commotus Ordinarius Sacerdoti Lucic die 4 novembris eiusdem anni primam monitionem canonicam in Protocollum Curiae, insertam significavit. Frustra tamen, nam inimicitias civilis magistratus oppidi Zezevica et totius administrationis municipalis Almissae ita asperavit, ut contra illum gravissimas accusationes tum apud ecclesiastica, tum apud saecularia tribunalia moverint. Verum Ioannis condemnationem non obtinuerunt, quippe crimina ei impacta non potuerunt probare. Plane haec Sacerdotem Lucic vehementius commoverunt, qui praeterea, quum sibi persuasum haberet, municipale patrimonium pessum abire ob administratorum surreptiones, proposuit hos e municipalibus sedibus prorsus depellere suosque fautores in Municipii regimen inducere, ac tribus sequentibus

[1] Cf. N. 3293.

annis in hoc opus totus incubuit. Hinc nullum non movit lapidem ad constituendas electorum societates, itinera suscepit, electorum comitia provocavit, magno cum scandalo suorum parochianorum, ea maxima de causa, quia ad haec fovenda comitia saepe saepius inconsulto Decano districtus, legem residentiae perfregit. Hoc modo adversariorum iras contra se magis magisque acuit, unde de eo in vulgum graviores querelae disseminabantur. Quocirca Ordinarius eo adductus est, ut opportunum duxerit die 14 novembris 1887 Sacerdotem Lucic secundo monere, imo et minitari brevi in aliam paroeciam translatum iri.

Episcopi iussis morem gerere visus est Sacerdos Lucic usque ad mensem augusti 1889. Tunc iterum exarserunt irae occasione conventus municipalis: Ioannes edidit in ephemeride dicta *Katolicka Dalmacijà* literas iniuriarum plenas, quamobrem eo res devenerant, ut civitatis Magistratus politiae Officiales commonuerit, Sacerdotis huius vitam in discrimine esse, quam neque leges neque mores ab inimicorum furore tuerentur. Verum Ordinarii monitionibus contemptis Sacerdos in fovendis inimicitiis pergebat. Tandem novus Episcopus die 28 februarii 1892 ad tertiam monitionem devenit. Qua non obstante Sacerdos quaestionibus politicis se immiscet. Pars, cuius ipse est anima, contrariam partem vincit; ipse Consiliarius municipalis nominatur, ac statim discedit a paroecia ad res publicas tractandas, et a meridie Dominicae palmarum usque ad feriam IV Maioris Hebdomadae abest, mox Comitatus electoralis Vice-praeses eligitur. His auditis Episcopus ipsi tres designat dies, quibus municipale officium reiiciat. Ioannes vero nuntium quidem misit officio Vice-praesidis Comitatus, sed non Consiliarii municipalis. Quapropter Episcopus devenit ad promulgationem decreti diei 12 maii 1893, quo Sacerdotem propter sollicitationem rerum politicarum, et residentiae non observationem modo oeconomico a paroecia in perpetuum removit et in aliam Zagvozd dictam transtulit, quia in Zezevica sine pacis populi ac disciplinae ecclesiasticae praeiudicio manere non posset.

Contra tale decretum Sacerdos Lucic appellationem interposuit antea ad Tribunal Metropolitanum, sed incassum; postea apud S. H. C., petens, ut infirmaretur. Interim vero, licet obedientiam praebuerit Zezevica discedens et Zagvozd adiens, non abrenuntiavit tamen officio Consiliarii municipalis, imo duobus plenariis conventibus interfuit. Novum decretum promulgavit Episcopus die 7 augusti, et Sacerdoti Lucic praecepit in virtute sanctae obedientiae, ut officia Consiliarii municipalis dimitteret, contumaci poenam suspensionis ipso facto incurrendae minans.

Iterum appellationi confugit apud H. S. C. Sacerdos Lucic contra tale decretum. Quare modo exquiritur: *An decretum diei 12 maii 1893, nec non aliud decretum diei 7 augusti 1893 sint confirmanda vel infirmanda in casu?*

Iamvero duplici oblato memoriali Sacerdos Lucic utrumque decretum impugnat, et postulat, ut infirmetur. Contra decretum 12 maii notat imprimis poenam permutationis paroeciae Zezevica cum Zagvozd esse gravissimam, quae excedit potestatem Pro-Vicarii Generalis, et quae infligi non potest, nisi ob causas in iure expressas. Contendit autem, non agi de rebus

religiosis, sed mere civilibus et politicis. Alterum vero decretum diei 7 augusti dicit falso inniti supposito. Siquidem, ait ipse, officium Consiliarii municipalis est honoris plenum et Sacerdotali coetui apprime conveniens, quippe absque detrimento ministerii sacerdotalis maximum Ecclesiae bonum procurare potest. Demum observat, quod per decretum 7 augusti finis obtineatur contrarius intentioni Ordinarii. Hic sane exoptat animarum tranquillitatem, at timendum est, ne magis exardescant factiones, si Sacerdos Lucic a munere Consiliarii removeatur, pars enim, cuius caput est, sibi factum reputabit, quidquid ille pati debuit, et exinde a sua sede, depulsis Administratoribus catholicis, quidquid adversarii committant mali et vindiciarum in honestiores viros, isti tribuent Ecclesiasticae auctoritati, cum maximo omnium fidelium damno et scandalo.

Alia vero ex parte plura et sane maximi ponderis adsunt momenta, quae expostulare videntur, ut controversa decreta confirmentur. Non repetam, quae *in facto* consistunt, quaeque Ordinarius assumit, ut motiva sufficientia, imo necessaria emanatis decretis. Potius perpendi debet iuris quaestio in casu, an nempe huiusmodi translatio, non praemisso privationis processus ad tramites Concilii Tridentini in Sess. 21, *de ref.*, c. 6 substinenda sit. Solemne enim est in iurisprudentia H. S. C. et concors Doctorum sententia, quod Parochus suo beneficio privari non possit, nisi per processum canonicum probetur, unam existere ex illis causis de iure necessariis ad privationem decernendam: *S. Severini*, 4 aprilis 1778. [1] Verum Episcopus subsumit, se non processisse ad simplicem beneficii parochialis privationem; bene vero ad *oeconomicam remotionem*, quem modum prospiciendi ab H. S. O. improbatum non esse, imo ratum habitum fuisse, ut in *Eystetten.*, 21 iulii, 11 augusti et 22 septembris 1742, [2] item in *Limburgen.*, 27 iunii et 19 decembris 1857. [3] Alterum vero decretum urget Episcopus, officium Consiliarii municipalis theorice tantum esse honorificum, verum *de facto* 10 annorum experimentum satis ostendit illud ad factiones, odia et inimicitias conduxisse cum maximo causae religionis detrimento.

Modo vestrum est, EE. PP., pro ea, qua polletis iudicii maturitate et prudentia, sequentia enodare dubia:

I. *An, et quomodo sustineatur decretum diei 12 maii 1893 in casu?*

II. *An, et quomodo sustineatur decretum diei 7 augusti 1893 in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata. [4]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 154, p. 1030-1053].

[1] Cf. N. 3804.
[2] Cf. N. 3538, 3542.
[3] Cf. N. 4156, 4158.
[4] Cf. N. 4299.

4298.

S. C. C., decr. 10 iun. 1896.

Ut norma haberetur uniformis in exactionibus pro variis actibus iurisdictionis ecclesiasticae non contentiosae, ac immodicarum taxarum onus, pluriumque controversiarum occasio tolletur, Innocentius PP. XI legem tulit, quae *Innocentiana* vulgo appellata, huiusmodi exactionum rationem apte moderabatur. [1]

Sed cum haec lex italico idiomate esset exarata, et idcirco communiori Doctorum sententia eam nonnisi Italiae et adiacentium insularum dioeceses proprie afficere traderetur, ceteris autem congruentem dumtaxat agendi regulam praebere; haud universim videbatur consultum incommodis, quibus amovendis lex illa prodierat.

Praeterea post tria ferme saecula a legis promulgatione, pecuniae valore et aestimatione mutatis, et in novis diversisque adiunctis societate versante, plena Innocentianae legis observantia in ipsis Italiae dioecesibus difficilis evasit, et quandoque etiam incongrua; unde Ordinarii maiori in dies numero postulare coeperunt, ut novae peculiaresque exactiones ab Innocentiana diversae, probarentur aut tolerarentur.

His mature perpensis, et per officium S. Congregationis Concilii Archiepiscopis nedum Italiae, sed et aliarum regionum de sententia rogatis, Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII particularem Commissionem penes S. Concilii Congregationem constituit, eique in mandatis dedit, ut de hoc recognosceret suamque sententiam emitteret.

Iamvero in conventibus semel atque iterum ab ea habitis, tria quae sequuntur dubia, quibus universa quaestio comprehendi visa est, ad examen revocata sunt, nimirum:

I. *An, et quae taxa imponi possit iuxta prudentiae et iustitiae regulas in materia sacramentali, ac speciatim in matrimoniali, itemque in materia beneficiaria?*

II. *An generalibus quibusdam editis normis, specifica praefinitio taxarum in singulis dioecesibus Ordinariorum arbitrio sit relinquenda; an potius praescribendum, ut hac de re agatur in synodis provincialibus, et quatenus synodi haberi nequeant, in conventibus Episcoporum in singulis provinciis et in Italia in singulis regionibus, ad hunc effectum peculiariter habendis, sub lege nempe, ut uniformis taxa in singulis provinciis seu regionibus quoad fieri possit statuatur, Sacrae Concilii Congregationi pro approbatione subiicienda?*

III. *An, et quaenam aliae provisiones hac de re sint adhibendae?*

Quibus Eminentissimi Patres, praevio Consultorum voto, respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative, ita tamen, ut quoad actus, qui directe respiciunt sacramentorum administrationem, servetur dispositio cap. 42 Decret., de simonia, *scilicet*

[1] Die 1 oct. 1678. – Bull. Rom., tom. 8, p. 58-61.

ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta et piae consuetudines observentur. Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensatio a denunciationibus matrimonii, venia conferendi baptisma in privatis domibus, et cetera huiusmodi:

1. Servandas laudabiles consuetudines, et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum;

2. Vere pauperes eximendos a quibusvis expensis;

3. Taxas non adeo graves esse debere, ut arceant fideles a receptione sacramentorum;

4. Quoad matrimonium in specie, remittendas ipsas taxas esse in casibus, in quibus adsit periculum, ne fideles in concubinatum proruant;

5. Tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxas esse non debere proportionaliter inadaequatas reditibus beneficiorum.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative, et taxarum descriptionem seu notulam modo et normis superius expositis confectam, quam primum transmittendam ad S. Concilii Congregationem pro approbatione; quae tantum concedenda erit ad instar experimenti, pro dioecesibus Europae ad quinquennium, pro reliquis vero ad decennium.

Facta exinde de his omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro per infrascriptum S. Concilii Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua dignata est resolutionem Emorum Patrum plene approbare et confirmare: simulque mandavit, ut ab omnibus ad quos spectat sedulo atque integre servetur, contrariis quibuscumque minime obstantibus. – A. Card. Di Pietro, *S. C. C. Praefectus*. – Beniaminus, Archiep. Nazianzenus, *Pro-Secretarius*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1939. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXIX, p. 433-435].

4299.

S. C. C., *Spalaten.*, 25 iul. 1896.

Proposita fuit haec controversia in Congregatione diei 14 decembris 1895, eamque placuit hoc dimittere responso: *Dilata.* [1] Quare nunc eadem dubia iterum proponuntur resolvenda.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. et II. Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 155, p. 594].

4300.

S. C. C., *Concordien.*, 20 febr. 1897.

In oppido vulgo *Vigonovo*, dioecesis Concordiensis, parochiale obtinuit beneficium mense novembris 1887 Valentinus Maniago, translatus ab alia parochia, loci *Rivarotta*. Sui muneris parochus Maniago habuit coadiuto-

[1] Cf. N. 4297.

rem, seu capellanum, sacerdotem Matthaeum Bressan, pluribus iam abhinc annis praefectum fabricae ecclesiae parochialis, et arcarium, qui vacantis beneficii adlectus fuerat oeconomus spiritualis.

Hi duo Sacerdotes, quamvis bonis moribus instructi, ita disparis videntur esse ingenii, ut diu ambulare non possent cum consensu in domo Dei, siquidem ipsa sententia iudicialis curiae Concordien. fatetur, alterum nempe Bressan animum habere ardentem et praecipitem; alterum vero, nimirum parochum, rudem esse et propositi tenacissimum.

Exinde statim dissensiones ortae sunt; quamobrem parochus ad curiam se convertit efflagitans, ut alio transferretur capellanus, non in poenam, sed contentionum ad removendam occasionem, quae gravior in dies fiebat, quippe plures cives, nonnulli etiam ex proceribus, aperte favebant partibus capellani et altas movebant querelas in parochum. Verum hic a curia obtinere potuit, ut alii officio destinaretur sac. Bressan; sed parvo tempore hic abfuit ab oppido Vigonovo; nam sui fautores nullum non moverunt lapidem ad eius reditum implorandum; eumdemque redeuntem magnis conclamationibus et gaudii significationibus amplexi sunt.

Hinc asperior lucta parochum inter et capellanum, non sine perturbatione publicae tranquillitatis in oppido, adeo ut ipsa auctoritas politica, ne turbae in populo excitarentur, pertimescere visa sit.

Interim, Ecclesia suo viduata pastore, Vicarius Capitularis mense martio 1893 ad S. C. C. recursum habuit, petens, an statim removendus esset parochus a loco beneficii, ei tenui reservata pensione; vel potius antea processus canonicus instituendus esset. S. C. C. die 8 apr. 1893 reposuit: *Emi Patres tibi scribi mandarunt, ut iubeas praefatum parochum Maniago statim discedere a paroecia loci Vigonovo sub poena suspensionis ipso facto incurrendae nisi pareat; et deinde nisi idem parochus malit nuncium mittere paroeciae cum tenuis pensionis reservatione, processum contra eum instituas ad tramites*, etc.

Parochus, rescripti praetexens nullitatem, renuit obedire, quare ipsum poenas suspensionis et irregularitatis incurrisse Curia suo edicto declaravit. S. C. C. rescripto diei 20 maii eiusdem anni eum absolvit, addens: *Quo vero ad confectionem processus, aut ad restitutionem parochi, Sacra Congr. rescribendum censuit: Expectetur novus Episcopus.*

At parochus, urgentibus etiam lictoribus, domum parochialem et beneficii administrationem relinquere coactus est, et hanc Fiscus capessere non destitit, spiritualem autem curam animarum gessit Matthaeus Bressan, huic muneri substitutus a Vicario Capitulari. Res cum ita se haberent, novus Episcopus decreto diei 12 aprilis 1894 quosdam delegavit iudices ad processum conficiendum et die 16 febr. 1895 haec prodiit sententia a iudice delegato:

I. Redintegrandum esse Parochum de Vigonovo D. Valentinum Maniago in exercitio sui ministerii, immunem ab interdicto, in eundem illato, modo provisorio a S. C. C. die 8 aprilis 1893. — II. Redintegrandum esse praefatum Parochum in suis iuribus canonico-civilibus super administrationem et reditus Beneficii paroecialis; in quem finem episcopalis Curia oneratur eumdem coadiuvare. — III. Quoniam istis in adiunctis D. Valenti-

nus Maniago resumere nequiret per se officium Parochi e Vigonovo, absque sui et animarum discrimine, de consensu Ordinarii consulet curae et spirituali administrationi Paroeciae, donec, aut valeat illuc redire, aut altero investiri beneficio ecclesiastico.

Deinde de expensis reficiendis aliam parochus Maniago movit quaestionem, sed infausto exitu. Controversa vero sententia, publicata die 1 martii 1895, *quoad meritum*, habuit oppositores oppidanos, qui die 7 martii eiusdem anni appellationis instantiam apud Curiam proposuerunt.

Quamobrem partium procuratores haec dubia contestati sunt, videlicet: I. *An appellatio vel recursus admitti debeat in casu?* Et quatenus affirmative: II. *An sit confirmanda vel infirmanda sententia Curiae episcopalis Concordien. in casu?*

Parochi advocatus contendens appellationem admittendam non esse, notat ad hanc requiri: 1) ut provocatio intra decem dies fiat a die latae sententiae et scientiae numerandos; 2) ut provocatio appellatoris intersit; 3) ut, reprehensa sententia alicui appellatoris iuri detrimentum inferat. Deducitur ex Auth. in lib. 6 Cod. tit., *De appellationibus*, ibi: « Hodie autem cuilibet tribuitur spatium decem dierum a sententiae recitatione numerandum ». Item *Decret. Gratiani*, par. 2, caus. 2, quaest. 6, cap. 28; *Decret. Gregorii IX*, lib. 2, tit. 27, cap. 15. Itaque appellatio inita a quibusdam incolis oppidi Vigonovo apud S. C. C. die 23 mensis februarii 1896 adversus sententiam, de qua agitur, die 16 februarii 1895 prolatam, procul dubio suscipi nequit, instat orator.

Quoad alteram conditionem hic notat, exploratissimum in iure est appellare non posse quemlibet, cuius haud interest provocatio: l. 1 dig. *de appel. recip.*, et cap. *Non solent*, caus. 2, qu. 6, et cap. *Cum inter*, 16, *de elect.* Hisce animadversis, pergit advocatus, quum Parochus Maniago iuxta rem iudicatam ne commorari quidem in oppido Vigonovo possit, provocatio interesse nequit oppidanorum, ideoque prorsus irrita habenda est. Et si animarum cura Parocho vel eius Vicario committatur, hoc Episcopi et non oppidanorum est munus; quemadmodum imperantium et non civium est eligere Iudices.

Tertia conditio, advertit patronus, posita in appellatoris detrimento, apprime advertitur: lib. V *Extravag. Comm.*, *De poenis*, ubi haec leguntur: « Contra oppressiones debuerat esse appellatio ipsa remedium ». Glossa recinit: « Appellatio est remedium contra oppressiones ».

Descendens orator ad alterum dubium, defensionem repetit ab ipsis sententiae verbis, quibus innuitur, processum instructum adversus Parochum Maniago haud peperisse eiusmodi gravamina, ut suo officio indignus declarari posset. Etenim ex decem et septem testibus eruuntur accusationes sequentes: I. Praxim viae crucis Parochus peragere recusavit. II. Onera Missarum pro defunctis distulit. III. Posthabuit praedicationem. IV. Praedicatores extraordinarios haud accersivit. V. Chatechismum neglexit, et promovit ad primam communionem pueros instructione carentes. VI. Tardus et frigidus fuit erga aegrotos. VII. Nimium potavit vinum, absque tamen ebrietate. VIII. Avarus non fuit, sed sordidus in vestibus, et valde pecuniae inhians. IX. Prandia de more haud fecit. X. Capellano facultatem denegavit celebrandi primam Missam in quadragesima et verbum Dei praedicandi. XI. Odium aluit erga capellanum, et moribundum qui de pace et remissione rogavit. XII. Indolem exhibuit duram, litigiosam, perfidam atque mendacem.

Testes vero, qui aut de visu aut de auditu praedicta gravamina evincere studuerunt, de moribus eiusdem parochi nihil esse dicendum retulerunt. Haec omnia tamen satis fuerunt, ut invisus populo et esset et haberetur. Alii vero testes deposuerunt veram omnium dissidiorum radicem exquiri debere in contentionibus et simultatibus inter parochum et capellanum, et inter amicos utriusque partis dissidentis. Advocatus totus est in refellendis gravaminibus praecipuis. Piae praxis viae Crucis Parochus voluit in principio tantum immutare horam, quam parum aptam censuit; sed tandem eam posthabuit omnino in contentionis igne. Vetuit Capellano praedicare et primam dicere Missam quadragesimae tempore; aliaque sacri ministerii officia, et innixus consuetudini loci, quam nonnulli canonistae sequuntur, censuit posse eundem posthabere. Hinc mirum non est, si solum se reputans, distulit mortuorum suffragia, quae saepe saepius eidem affluebant. Quoad negligentiam in instituendis pueris ad primam Communionem promovendis pauci adsunt testes, ita ut Parochus dici vere possit *nimium negligens in doctrina christiana edocenda* et poenâ iuridicâ multandus. Negligentia Parochi quoad praedicationem verbi Dei haud formiter probatur, quia diversimode testes deponunt. Parochus insuper accusatur de odio erga capellanum; quin alatur studium deminuendi culpam, haud obliviscendum, ait defensor, capellanum saepe saepius occasionem praebuisse sese nimis ingerendo in rebus Parochi.

Melius erat pro utroque, si remotus fuisset capellanus initio simultatum, dum pro parocho militat vinculum, ius et canonica investitura: dum huius indignitas haud evicta fuit neque post pugnam et per quamplures probationes. Praeses extraordinariae sessionis Tribunalis, qui processum instruit contra dictum parochum, invocat Tridentinum, Sess. 22, cap. 6, *de ref.* Sed nullus iudex colligere potuit ex actis processus, Parochum turpiter aut scandalose vixisse; aut *in sua nequitia permansisse, postquam praemonitus fuit*.

Ex his omnibus, concludit advocatus, probatam non fuisse noxam, qua, ex iure parochi destitutione puniuntur.

Ex adverso advocatus qui oppidanis patrocinatur ad S. C. C. recurrentibus, quoad primam quaestionem, an nempe haec appellatio vel recursus sustineri debeat, advertit hos non statim apud S. C. C. appellationem instaurasse, quia apud curiam Metropolitanam pendebat iudicium de expensis iudicialibus reficiendis, quae quaestio tandem mense ianuario 1896 definita fuit. Notat oppidanorum sane querelam non esse despiciendam quia « omnes et singuli, quorum interest possunt appellare ».

Demum, ait patronus, etsi *appellatio* admittenda non esset, tamen oppidanis negandus non est *recursus*, quum « Recursus ad principem supremum numquam censetur interdictus, a quo quemadmodum iurisdictiones omnes fluunt, ita etiam conveniens est ut postea refluant ».

Ingressus vero patronus alteram quaestionis partem, nempe *meritum* causae, contendit rem iam definitam fuisse rescripto diei 8 aprilis 1893, cuius rescripti mentem hanc esse contendit orator, ut parochus etiam invitus deberet removeri a paroecia et dein, ut eidem renunciaret, cogi, si ex processu constaret vera esse quae opponebantur. Iamvero, instat orator, ex processu patuit Valentinum habere indolem extravagantem, acrem, mendacem et inexorabilem, seu parochum esse altercationibus et rixis pronum.

Ex testibus, alius deponit, parochum loqui solitum esse de rebus pietati et religioni alienis; alius, pueros ignorare fidei mysteria; alius, sese impedire debuisse filii proprii promotionem ad primam Communionem utpote non praeparati. Suum capellanum acriter exagitasse referunt testes, et parochum noluisse reconciliari cum paroeciano morti proximo, qui pacem moriturus efflagitabat. Notat orator, testes haec et alia plura facta deponentes, esse fide dignissimos et istos fuisse delectos. Sane, urget advocatus, haec omnia confirmari a Vic. Foraneo. In suis literis Card. Patriarcha Venetiarum confirmat de rudi natura parochi omnia quae a testibus relata fuerunt.

Quare, concludit orator, sane locum esse remotioni a paroecia. Et re sane vera exploratissimum est, duplicem ad Parochos amovendos patere viam: quarum una *privatio*, altera, forensi vocabulo, *remotio* nuncupari solet. Illa poenae naturam induit: quae quidem exigi nequit, nisi causam subesse gravissimam, instituta inquisitione, approbetur. Haec contra, haud poena, sed remedium est, quo paroeciae periclitanti prospicitur: quodque recte praetermissa inquisitione, decernere fas est, quum satis aliunde constet, parochum, licet vita integerrimum et sceleribus purum, paroeciam sibi concreditam, sine animarum discrimine, gubernare non posse. Imo ad parochum beneficio expoliandum, opinatur orator, adesse rationes, si inimicitiae parochianorum iustae et rationabiles sint, parochus est officio privandus non modo removendus.

Sed potissimam adesse remotionis causam in themate contendit patronus, quia « Parochum populo exosum, ita ut grave immineat scandalum, si manebit in paroecia, de qua est provisus, potest etiam invitum Episcopus compellere ad permutandum vel alia via illum exinde amovere ». (Bellettus, *Disquisitiones clericales*, p. 1, § 15, n. 19, Romae 1654, p. 93). « Populi odium... attendi oportet ad hoc, ut coacta abdicatio privationi aequivalens imponatur Parocho ». (De Nigris, *De vacat. benef.*, lib. 2, cap. 2, n. 16). Ita S. C. C. in *Taurinen.*, diei 7 iulii 1855;[1] in *Limburgen.*, diei 27 iunii 1857;[2] in *Eystetten.*, diei 22 sept. 1742;[3] in *Herbipolen.*, diei 22 dec. 1860[4] et denique in *Bergomen.*, diei 12 augusti 1865.[5]

Dein patronus contendit iudicialem formam in remotione minime servandam esse: quum « non officit in remotione defectus formalis processus,

[1] Cf. N. 4143.
[2] Cf. N. 4156.
[3] Cf. N. 3542.
[4] Cf. N. 4190.
[5] Cf. N. 4201.

cum de poena irroganda non agatur, sed de simplici remedio afferendo scandalis et inimicitiarum periculis ». D. Secretarius in *Bergomen.*, diei 12 augusti 1865.

Neque, urget advocatus, obiicere potest parochus, ut aliud aequale ei concedatur beneficium. Nam in facto est, quod ubi primum Valentinus suspensione et irregularitate, benignitate S. C. C. solutus est, illum in oppido Predipozzo Oeconomum Episcopus nominavit. Hoc hodie ille fungitur officio: sed rogatus, an Parochus eligi cuperet, abnuit. Quum S. C. C. die 20 aprilis 1896 visum est Valentinum parochiali officio imparem esse, « Episcopus curet meliori, quo fieri potest modo, rem componere conferendo praefato Parocho Maniago beneficium sine cura animarum », Concordiensis Episcopus, mansionariale Valentino beneficium in Ecclesia Cathedrali pollicitus est, sed hoc etiam acceptare renuit.

Modo vestrum est, EE. PP., pro sueta iudicii sequentia et maturitate infrascripta dirimere dubia:

I. *An constet de legitima appellatione vel recursu in casu?* Et quatenus affirmative:

II. *An sententia Iudicis Delegati Concordiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative pro recursu.

Ad II. Sententiam esse confirmandam iuxta modum. Modus est, ut parochus Maniago intra quindecim dies a notificatione huius decreti renunciet beneficio parochiali; et nisi pareat, Episcopus illum removeat nomine et auctoritate huius S. Congregationis, eumque provideat de congrua sustentatione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 156, p. 164-180].

4301.

S. C. C., litt. encycl. 15 mart. 1897.[1]

De clericorum seminariis agens S. Tridentina Synodus in Sess. 23, cap. 18, *de ref.*, praescriptis pluribus, quae ad alumnorum admissionem et ad religiosam et litterariam eorum educationem spectant, haec addit: « Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli, cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, saepius visitando operam dabunt ».

Pergens deinde ad ea quae oeconomicam administrationem respiciunt, statuit, ut « iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat », omnibus provideant, quae ad collegii fabricam instituendam, ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, ad alendam iuventutem et ad alios sumptus referuntur.

[1] Ad Ordinarios Americae Meridionalis.

Duplex itaque S. Synodus iubet adesse consilium in seminariis constituendis et regendis, alterum pro re disciplinari, alterum pro temporali administratione, distincta personarum numero, electionis forma ac officio; etsi nihil vetat quominus duo canonici, qui in coetu sunt consultorum pro re oeconomica, ipsi ab Episcopo eligantur et deputentur etiam pro disciplina, dummodo muneris distinctio servetur.

Quae omnia quam sapienter ordinata fuerint, quisque facile intelliget, qui secum reputet, quantum a propsero seminarii statu et a sana clericorum institutione profectus religionis pendeat: unde duplicem hunc consultorum ordinem adesse, qui in seminariorum regimine et administratione Episcopis adsit suppetias ferens, et in tanto pondere sustinendo eisdem opituletur, nonnisi prudentissima cautio ac saluberrima provisio est. Eo vel magis quod Episcopi aut visitatione dioecesis aut aliis negotiis, quibus necessario debent intendere, ita saepe occupentur, ut sui seminarii curae indesinenter vacare, et omnibus per se et directe consulere, plerumque omnino impediantur.

Nec opponi potest, exinde Ordinarios in expedita pii instituti gubernatione impediri; si quidem recepta regula est, a S. C. C. inde ab anno 1585 tradita ac saepius deinde confirmata, ut Episcopi adhibere quidem deputatorum consilium teneantur, non item sequi. Sane in *Oscen.*, mensis octobris 1585 S. C. censuit: « sufficere quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito posse Episcopum statuere et deliberare, quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit ».[1] Quod autem solummodo pro consilio stat, impedimento esse non potest: sed lumini potius, directioni et auxilio inservit.

Noverint ergo Episcopi quanti intersit, quantoque studio satagendum sit, ut haec tam salubriter instituta lex executioni ubique demandetur, et fideliter servetur.

Quod si ex cleri defectu, aut ex gravibus aliis conditionum adiunctis, in quibus Americae Meridionalis dioeceses plerumque versantur, haec omnia impleri non possint, universam legem corruere, aut eius observantiam in iis quoque, quae possibilia sunt, praetermitti pati non debent Ordinarii: sed S. Sedem adire opportune tunc poterunt, quae pro variis locorum circumstantiis et casuum diversitate consilio suo Episcopis aderit, et salva legis substantia, in iis, quae ad formam pertinent, opportuna temperamenta adhibere non omittet.

Pro viribus tamen nitendum, ut, si fieri potest, in omnibus lex vigeat, nihilque ex ea detrahatur; adeo ut uterque consultorum coetus ad praescriptam formam constitutus munere suo iuxta legem defungatur.

Quae vero sit electionis forma in deputatis constituendis servanda, ex adducto Concilii textu perspicue patet.

Nec minori claritate innotescit, in quibusnam negotiis consultorum votum sit exquirendum; in omnibus scilicet, quae tum ad disciplinam et educationem clericorum, tum ad sumptuariam piae domus rationem spectant. Unde S. C. C. in *Oscen.* anni 1585 superius adducta declaravit: « Episcopum cum

[1] Cf. N. 2144.

consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere... exactionem vero, quae fit pro seminario, ad solum Episcopum spectare ».

Et in *Salernitana*, mensis iulii 1589 propositis dubiis:

II. An eorum (duorum scilicet deputatorum super disciplina) consilium adhibendum sit tam in constituendis regulis universalibus seminarii, quam in electione puerorum singulorum introducendorum, in electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris, punitione discolorum, expulsione, visitatione et similibus?

III. An alii quatuor sint deputandi, et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum et in aliis difficultatibus, ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur vel perturbaretur; an etiam in exactione et temporalium administratione tam dicti seminarii, ut, puta, deputatione vel expulsione ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis, provisione bladorum; quam etiam bonorum quorumcumque et redituum ipsius seminarii, etiam ex beneficiis unitis, ut, puta, locationibus, concessionibus, aliisque contractibus et litibus? Responsum fuit:

Ad II. In omnibus his esse adhibendum.

Ad III. Teneri Episcopum adhibere deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem ».[1]

Cum autem unus ex consultoribus, super temporalibus negotiis deputatus, a clero sit eligendus, clerus ius suum exercere potest in synodo, si haec tunc habeatur, prout Doctores tradunt: aliter electio in peculiari totius cleri civitatis conventu est peragenda.

Omnium denique electorum munus perpetuum esse debere, et neminem nisi ex legitima causa amoveri posse, S. C. C. in cit. *Salernitana* anni 1589 resolvit, idque saepius deinde confirmavit.

Quod si ex morte, ex discessu, aut ex alia iusta ratione alter eorum a suo munere cesset, eius subrogatio per eos facienda est, per quos prior electio est acta.

Haec praecipua sunt canonicae disciplinae capita, quibus deputatorum seminarii institutum continetur et regitur, quae de mandato SS̃mi D. N. Papae Leonis XIII, praesentibus S. C. litteris, omnibus Americae Meridionalis Ordinariis in mentem revocantur, ut consultissimae legis observantia, ubi obsolevit, restituatur, et ubi adhuc inducta non fuit, quam primum in usum adducatur.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1961. - Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXIX, p. 680-682].

[1] Cf. N. 2211.

4302.

S. C. C., 16 mart. 1897.

Extat decretum S. Congregationis Concilii 12 iulii 1794: « Foetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo sub conditione rebaptizetur ».[1] Rationem dant nunc temporis theologi, quia certum esse non potest aquam caput infantis revera attigisse; etsi amplius non valeat ratio exhibita a S. Thoma, III P., q. 68, art. 11, quod generatim « corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua ».

Quaeritur: *Si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur, per methodum longe perfectam, perfectiorem, quae nunc adhibetur, aquam sine dubio caput infantis in utero attigisse, debeturne infans iterum sub conditione baptizari post ortum?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Servetur (*citatum*) *decretum S. C. Concilii diei 12 iulii 1794.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1962].

4303.

S. C. C., *Malacitana*, 10 maii 1897.

Emi Patres: Post Benedictinam Constitutionem *Declarasti Nobis*,[2] communis esse videtur theologorum sententia, qua necessitatis casus ad Missam eodem die iterandam is in praxi reputetur, quo presbyter duas paroecias habet et in alterutram nequeat populus convenire, nec alius praesto sit sacerdos, praeter parochum, qui Missam valeat celebrare.

Nec absimilis ad hunc effectum reputatur etiam casus, quo parochus, etsi minime praesit duabus paroeciis, vel duos regat populos adeo inter se dissitos, ut alter ipsorum parocho celebranti nullatenus adstare valeat ob maximam locorum distantiam, vel tametsi una tantum sit ecclesia, in qua Missa a parocho iteranda sit, universus tamen populus in ea simul adesse non possit.

Nunc autem, cum ad Malacitanam sedem nuper translatus fuissem, consuetudinem inveni, vi cuius aliqui sacerdotes diebus festis bis Sacrum conficiunt: semel in ecclesia cuiusdam civitatis, ubi et alii adsunt sacerdotes, et diversa sacra templa, paroeciae, et sanctimonialium monasteria erecta inveniuntur; et iterum in oratorio suburbano vel rurali.

Item, aliquis sacerdos rem divinam iterato facit vel in eadem civitate, et fortasse in ipsamet ecclesia, in qua etiam alter celebrat sacerdos.

Pro huius binationis causa adducitur paucitas sacerdotum; convenientia distinctae celebrationis horis distinctis, ut commoditati fidelium fiat satis;

[1] Cf. N. 3890.
[2] Cf. N. 365.

nec non et necessitas celebrandi Missam parochialem in paroeciis, et conventualem in monasteriis.

Cum igitur de huius agendi rationis liceitate dubitem, ad hanc Sacram Congregationem confugio, dubiaque mea et postulationes admodum reverenter exponam:

I. An liceat Episcopo licentiam binandi concedere presbytero unam Missam celebranti in oratorio suburbano vel rurali, aliam vero in civitate vel loco, ubi etiam adsint alii sacerdotes Sacrum facientes?

II. An liceat huiusmodi licentiam concedere presbytero ambas Missas celebraturo in diversis ecclesiis eiusdem civitatis vel loci, in quo et alii sacerdotes celebrant, et hoc etiam si una ex Missis celebranda sit in ipsa ecclesia, in qua et alius sacerdos sacrosanctum Sacrificium eadem die litat?

III. An expediat Episcopo Oratori ob expositas rationes et allatas causas huiusmodi licentiam et agendi rationem confirmare: et etiam ad similes casus, in aliis locis et civitatibus suae dioecesis, prout necessitas expostulet, extendere?

Haec dum ab hac S. C. cum debita reverentia expostulo, et quaero, Emtiis VV. cuncta fausta et prospera in Domino adprecor. Malacae, die 25 aprilis anni 1897. Ioannes, Ep. Malacitan.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Emi Patres rescribendum censuerunt ad I., II. et III. Non licere; et Ordinarius, quatenus in aliquo ex enunciatis casibus necessarium iudicet, ut Sacrum iteretur, recurrat ad Apostolicam Sedem.

[Acta S. Sedis, vol. XXX, p. 624, 625].

4304.

S. C. C., ep. 28 aug. 1897.[1]

Non obstantibus perspicuis normis decreti *Vigilanti*, datis ab hac Sacra Congregatione die 25 maii 1893 [2] poenisque gravissimis in eodem sancitis ad cohibendam pravam quorumdam licentiam, qui ad ephemerides, libros, aliasque merces facilius cum clero commutanda, Missarum ope utebantur: non sine dolore rescitum est, saepe et in pluribus locis per Italiam, a librariis et mercatoribus, praesertim sacrarum supellectilium venditoribus, oblata fuisse et adhuc offerri libros aliasque merces pro Missarum celebratione.

Ex quo necessario deducitur quosdam esse, qui in istorum manus congerant Missarum obligationes una cum respectiva eleemosyna, iisdem committendo curam eas obligationes adimplendi; a quibus proinde aperte violantur leges ecclesiasticae, speciatim salutaria decreta: *Cum saepe contingat* et *Nuper*, Urbani VIII,[3] Innocentii XII,[4] necnon praedictum decretum

[1] Ad Ordinarios Italiae circa observantiam decreti *Vigilanti*.
[2] Cf. N. 4286.
[3] Cf. N. 260, 2460.
[4] Cf. N. 260, 2958.

Vigilanti; manifestum incurritur periculum, ne Missarum celebratio oblivione negligatur, aut saltem nimis retardetur, neve disperdantur eleemosynae, praeter casus maioris adhuc culpae aut malitiae.

Praeterea, ex repetitis mercatorum vetitis invitamentis aperte demonstratur sacerdotes esse non paucos qui, vel circa verum legis sensum decepti, vel supposititiis indultis confisi, huiusmodi illicito commercio se faciles praebent, non advertentes a decreto *Vigilanti* gravissimis poenis plecti utramque partem, nempe et dantem et accipientem pro Missis mercem quamcumque.

Quamvis autem haec S. Congregatio casibus sibi delatis pro posse suo providere curavit, haec tamen satis non esse habita sunt ad impediendam et reparandam tam gravem deordinationem, unde necessarium visum est hac super re animum Ordinariorum Itali e speciali modo revocare.

Quapropter hac praesenti epistola circulari precor Amplitudinem Tuam, ut monere curet istius dioecesis clerum, et alios quoscumque, qui in hoc deplorando commercio partes habere aut se complices exhibere, suo iudicio, possent, ad hoc ut deinceps a quocumque actu huiusmodi omnino abstineant, secus incurrant poenas a Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII in decreto *Vigilanti* sancitas, et quoad praeteritum, conscientiae suae, si oportuerit, provideant; item meminerint quod si haec Congregatio quadam benignitate usa est, in casibus determinatis, ut facilius clerus nomen det certis catholicis ephemeridibus benemeritis, quoad existentiam, durationem et modum indultorum huiusmodi quisque ad Ordinarium se referat, secus in se assumet quaecumque etiam in hoc speciali casu ex violata lege cuique obvenire possunt.

Certus sum quod Amplitudo Tua, eo quo praestat zelo, huius Sacrae Congregationis sollicitudini obsecundans, quemcumque abusum, si quis adhuc sit, in ista dioecesi, extirpare et scandalum quodcumque praevertere valebit, in re tam gravi, sacra et fidelium conscientiae reverenda, prout est sanctum Missae sacrificium. — A. Card. Di Pietro, *Praef.* — B. Archiep. Nazianzenus, *Pro-Secret.*

[Acta S. Sedis, vol. XXX, p. 625-627].

4305.

S. C. C., *Nullius Caven.*, 11 dec. 1897.

Iam a sua fundatione seu ab anno 1011 Monasterium SS̄mae Trinit. Caven. pluribus honestatum fuit privilegiis et potissimum spirituali iurisdictione in fideles agrum Monasterio finitimum late incolentes; immunitatem vero a quacumque iurisdictione Archiepiscopali seu Episcopali obtinuit idem monasterium a Gregorio VII decreto anni 1073, ab aliis dein Pontificibus amplissime confirmatam. Prae ceteris Urbanus II, qui monachum egerat in monasterio Cavensi et huius ecclesiam, postquam Pontificalem sedem obtinuerat, suis manibus consecraverat, auxit Abbatis dicti monasterii dignitatem ei conferendo, constitutione 14 septembris 1092,[1] munia episcopalis iurisdictionis; haec enim statuebat:

« Concedentes et edicto perpetuo confirmantes, ut tam tu, quam successores tui per terras tui monasterii habitas, et habendas, libere possis ecclesias construere, cum cruce signare, aliaque Pontificalia, et spiritualia exercere, sacrorum ordinum collatione; Basilicarum, et altarium consecratione, atque chrismatis confectione tibi, tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate, etc. ».

Dein ob privilegium ab Alexandro III concessum iurisdictionis Episcopalis insignia quoque Episcopalia accesserunt seu usus Pontificalium adeo, ut huiusmodi ecclesia in commendam coeperit concedi Episcopis, ipsisque S. R. E. Cardinalibus. At ob abusus inde derivantes Alexander VI Bulla diei 10 aprilis 1497 res in pristinum statum restituit, Abbati iura et privilegia Episcopalia confirmando.

Verum civitas Caven. dolens exinde eius praestantiam admodum diminutam iri, expetiit et a Leone X impetravit, ut ad sedem Episcopalem eveheretur, quod factum est sub anno 1514 *per dismembrationem* territorii Abbatiae SS̄mae Trinitatis.

At haec, diminutis licet suae iurisdictionis finibus, suorum privilegiorum iacturam non passa est, ut declaratum fuit a S. Rota in *Marsicen. seu Nullius, Iurisdictionis super bono iure*, 7 iunii 1700:

« Abbates indistincte in eodem territorio exercuerunt omnes actus iurisdictionales. Ipsi enim literas dimissoriales Episcopo Marsicano direxerunt, primam tonsuram, minores ordines, chrisma et beneficia contulerunt, illorumque resignationes admiserunt, iurapatronatus confirmarunt, concursum ad parochiales indixerunt, sacramenta administrarunt, Synodos convocarunt, iurisdictionem in causis spiritualibus, temporalibus, civilibus, criminalibus et mixtis in territorio Tramutulae et promiscuo exercuerunt, et ad hunc effectum vicarium constituerunt,... loci ecclesias, locaque pia visitarunt, actus pontificales faciendo in visitatione etc. ».

Atque haec omnia extra controversiae aleam hodie quoque versantur; quaeritur vero hac mane apud S. C. C., *an Abbati liceat Sacramentum confirmationis conferre alienis subditis in aliena dioecesi ex Episcoporum venia?*

Hoc dubium anxie animum occupavit Abbatis, iam vita functi, qui anno 1892 hoc libello supplex adiit Sacratissimum Principem:

« L'odierno Abbate... seguendo la consuetudine de' suoi predecessori, suole anche fuori del proprio territorio amministrare la Cresima ai fedeli delle limitrofe diocesi, sempre con la esplicita venia dei loro Vescovi, segnatamente nei casi estremi, qualora in assenza del Vescovo diocesano ne viene richiesto d'urgenza o dal Vicario generale, o almeno dal parroco del luogo. Essendogli pertanto venuti dei dubbi sulla legittimità del suo operare, l'Abbate oratore ricorre alla clemenza della Santità Vostra supplicandola di voler confermare con opportuna sanzione Apostolica la pratica surriferita; e ciò sia per tranquillare la sua coscienza, sia ancora per evitare l'am-

[1] Bull. Rom., tom. 2, p. 74-76.

mirazione e lo scandalo che ne verrebbe al popolo fedele se l'Abbate Cavense, desistendo dalla antica pratica, dovesse per l'avvenire rifiutarsi alle consuete richieste, segnatamente nei casi di urgenza ».

Preces ablegatae fuerunt S. C. C. et die 7 ian. 1894 rescriptum fuit: *Non expedire*. Hoc aegre ferens Abbas Morcaldius, ipse a Summo Pontifice, cuius adloquio recreatus fuit, dubium auferri efflagitavit, *ed ottenne, vivae vocis oraculo, la detta facoltà personale, vita sua durante.*

Hodiernus Abbas qui Morcaldio successit, supplici libello petiit, eamdem gratiam sibi ad vitam prorogari. Sed ex Audientia SSm̃i die 3 iulii 1894 rescriptum prodiit: *Non expedire*. Tunc Orator instantius petiit a Sacratissimo Principe, ut sibi expetita facultas concederetur ad vitam, sed Beatissimus Pater tantum *precario* gratiam concedere annuit; quamobrem iteratis denuo Abbatis litteris Cardinalis, qui publicis Status negotiis praeest, ita respondit:

« Sua Santità non ha inteso pronunziarsi sulla questione di diritto. Per questa soluzione è necessario ricorrere al competente Dicastero, cioè alla S. Congregazione del Concilio. Ad essa quindi potrà la S. V. sottoporre le sue ragioni, per far dichiarare che l'Abbate di Cava ha in se stesso il privilegio, che Ella sostiene, fondato sopra una legittima interpretazione, e sanzionato dalla pratica di molti anni ».

Abbas per suum procuratorem plura deduxit in iure et in facto. In primis procurator recolit, etiam simplicem presbyterum a Summo Pontifice posse delegari ad conferendum Sacramentum confirmationis. Dein notat non posse negari hanc ministrandi potestatem per summos Ecclesiae Pontifices in Abbates Cavenses amplissime fuisse collatam. Nam octo ab hinc saeculis Urbanus II integram ac perpetuam episcopalem iurisdictionem Abbati iamdiu commissam sancivit, tribus tantummodo iuribus exceptis, nempe « Sacrorum ordinum collatione, basilicarum et altarium consecratione atque chrismatis confectione, tibi tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate ». Quo in loco, cum chrismatis confectio tantum excipiatur, plane sequitur eiusdem chrismatis collationem admitti.

Sed hanc aliasque iurisdictiones nedum agnovit, sed amplissime definivit, etiam per novam « adiectionem, suppletionem, concessionem », si opus esset, anno 1596 sancta Gregorii XIV memoria, post votum S. Ordinis vestri, ita constituens « omnia et singula, quae per Congregationem dictorum Fratrum... approbata fuerant privilegia, immunitates, gratiae, facultates et indulta, praesertim conferendi sacramentum chrismatis, dummodo illud foret prius per catholicum Antistitem, gratiam et communionem dictae Sedis habentem consecratum... Apostolica auctoritate perpetuo confirmavit et approbavit ».

Iuxta rerum adiuncta tribus modis distinguit advocatus exercitium in confirmandi potestate: quatenus Abbas sibi subditos confirmat in sua dioecesi: quatenus in sua dioecesi confirmat alienos: quatenus alienos confirmat in aliena ditione.

Hac mane tantum res est de postrema quaestione; seu de iure confirmandi alienos subditos in aliena dioecesi, sed advocato opportunum videtur

dicere etiam de facultate confirmandi alienos in sua dioecesi, ut via sternatur facilis expeditioni hodiernae quaestionis.

In hoc propositum advertit patronus, iuris pontificii scriptores docere, cuilibet episcopo licere alienos subditos in suam dioecesim convenientes confirmare, non modo expressa vel tacita, sed praesumpta competentis Episcopi delegatione, si usus consuetudine invaluerit. Sanctus Ligorius, in lib. 6, tract. 2, cap. 2, dub. 2, n. 172 haec habet: « Quaeritur an Episcopus in sua dioecesi alienos confirmare possit. Per se loquendo certum est non posse... Certum est et commune apud doctores quod ubi ex consuetudine id permittitur, licite fieri potest ».

Hoc etiam in sacris ordinibus conferendis praestare solent Abbates Cavenses, nempe ut in suo territorio conferant alienis: quod post S. Rotae sententiam conceptis verbis sancivit S. C. C. diebus 26 iunii et 31 augusti 1634. Propositis enim dubiorum formulis: I. *An Abbates SSm̃ae Trinitatis Cavae habentes iurisdictionem ordinariam, gaudeant privilegio conferendi Ordines minores subditis non suis*. II. *An sit valida ordinatio uti in casu*. III. *An in casu negativo ordinatio repetenda sit etc.*, rescripsit: *Ad primum et secundum Affirmative. Ad tertium Negative.*

Hinc, arguit orator, si haec iure communi obtinent Abbates ope consuetudinis, pro alienis subditis, etiam sine competentium Episcoporum venia, multo magis obtinebunt cum Episcopi ipsi consentiant, concedant vel requirant. Non modo theologi ad unum omnes licitam et validam cuiusque Episcopi confirmationem renuntiant, sed etiam demonstrant aliorum Episcoporum expressam veniam non requiri, sed eorum consensum praesumi. Reapse divus Ligorius, loc. cit., n. 173 ait: « Bonacina sentit probabilius esse quod in hoc (in confirmandis alienis) non sit praesumenda ratihabitio Episcoporum, nisi constet... Alii vero communius et probabilius censent Episcopis licitum esse confirmare alienos subditos, quia semper praesumitur, nisi aliter constet, tacitus consensus aliorum Episcoporum, qui credendi sunt velle suas oves non privari hoc sacramento, cum nullum incommodum ex eo ipsis proveniat ».

Ac paucis S. R. E. Cardinalis D'Annibale in *Summula*, l. 3, § 282, not. 13: « In sua vero dioecesi (Episcopus) licite confirmat extraneos; quod consuetudine et tacita episcoporum consensione est introductum ». Hanc facultatem vero competere Abbati declaravit S. Cong. Rituum die 17 novembris 1881, quae primo constituit: « Abbas etc. sacramentum confirmationis conferre consuevit non tantum fidelibus sibi subiectis, sed etiam iis, qui ex finitimis dioecesibus in territorium propriae iurisdictionis eiusdem sacramenti suscipiendi causa advenire solent ». Deinde vero « ut omnis haesitatio in re penitus abigatur, Sanctitas sua referente etc. declaravit Revm̃os Ordinarios praefatae Abbatiae posse in territorio propriae iurisdictionis sacramentum confirmationis, etiam fidelibus ad aliam dioecesim pertinentibus ministrare, dummodo plane constet eos ab Ordinariis veniam obtinuisse, quibus collatae confirmationis fides ab ipsis Revm̃is Abbatibus post transmittenda est ».

A potestate vero confirmandi alienos in propria dioecesi argui posse ad

potestatem confirmandi alienos in aliena dioecesi, probat orator notans priorem facultatem derivare ex venia Episcoporum, praesertim cum usus antiqua consuetudine nitatur. Atqui et consuetudo et venia pro Cavensi Praesule in utroque pariter casu conspirant, tum in propria dioecesi, tum in aliena. Unum discrimen animadverti posset, aliam esse causam ordinarii collatoris vel Episcopi, aliam delegati, sive Abbatis. Sed hoc nominis discrimen esset, non substantiae ac veritatis. Quippe communi iure par est utriusque conditio, et ab alienis confirmandis prohibentur non modo inferiores antistites, verum etiam Episcopi. Nihil igitur, instat orator, utrumque vetat alienis ministrare, in suo vel alieno, quoties proprius Episcopus consentiat vel postulet. Cum autem Pontifex, posita hac venia, Abbatem ministrare posse decreverit, eo ipso definivit, ordinarios pariter et delegatos praesules in eadem conditione versari. Sed altius in iure repetens quaestionem patronus, notat Episcopos nativa facultate confirmationis sacramentum ministrare: Abbatem vero Cavensem insigni privilegio pontificiae delegationis. At neminem latet, per delegationem ad aliquem actum non partem iurisdictionis, sive minorem iurisdictionem conferri, sed integram, quantam leges in illo ministerio requirunt, ut tradit Schmalzgrueber, lib. 1, tit. 29, § 6: « Delegatus ille censendus est, cui iurisdictio non iure officii sui, aut habita ratione ad illud, sed ex speciali tantum commissione competit, ita ut ratione illius censeatur habere totam ».

Unde deducit procurator, Abbatem Cavensem ad confirmationes a Pontifice delegatum toto Episcopi iure potiri. Quippe idem auctor ita sequitur § 10: « Quaeritur 2. an subdelegare possit delegatus a Papa, vel alio supremo Principe... Certa est affirmativa sententia etc. Delegatus a supremo Principe aequiparatur Ordinario ».

Proinde quia in Abbate pro exercitio concessae facultatis ministrandi Sacramentum confirmationis etiam in aliena dioecesi tantum obstare videtur Ordinarii consensus, advertit nefas esse non debere Episcopo, permittere Abbati, ut exerceat huiusmodi actum suae facultatis in eius ditione et in eius subditos.

Verum obiici posset, datam a Pontifice facultatem, privilegium esse, et iuxta privilegiorum naturam dimetiendam, ita nempe, ut ne latum quidem unguem excedat fines concessionis. Atqui Urbanus II anno 1092, quamquam de confirmationis ministerio non loquitur, privilegium tamen omnimodae iurisdictionis indulget « per terras tui monasterii habitas et habendas »; ac propterea extra monasterii fines exerceri nequit. Cui difficultati occurrens advocatus, notat, argumentum hoc nimis probare et hinc nihil probare, quia non Abbati dumtaxat haec verborum conceptio convenit, sed cuilibet Episcopo. Nam auditum nunquam fuit omnimodam iurisdictionem Episcopis committi « extra terras dioeceseos... » Idipsum omnino semper intelligendum in qualibet iurisdictione adscribenda, quia concipi iurisdictio nequit sive Episcopi sine dioecesi, sive parochi sine paroecia, utcumque clausula adiecta non reperiatur. Adiecta fortasse fuit, opinatur orator, pro Abbate Cavensi, quod nova tunc erat haec dioecesis Nullius inter finitimas sedes; ac propterea demonstrative, ut aiunt pragmatici, Pontifex significavit tantum patere Abbatis iurisdictionem, quantum illius territorium.

Sed pressius notat procurator, obiecta verba non posse traduci in sensum privilegii restrictum, quia verba illa « per terras tui monasterii » alias concessiones respiciunt — ibi — « Concedentes... ut tam tu quam successores tui per terras tui monasterii habitas et habendas, libere possis ecclesias construere, cum cruce signare etc. ». Si congrua congruis referantur, arguit orator, haec specialia sunt, quibus aptari potest peculiare illud adiunctum: « per terras tui monasterii ».

Alia quae sequuntur verba, iuxta patronum, plenitudinem totius iuris ordinarii conferunt, nullis limitibus septam vel rerum, vel etiam loci, quae implicite complectitur ius confirmationis ministrandae. Qua in privilegii parte quaestionem conficere arbitratur procurator hac brevi animadversione. Pontifex universam Episcoporum potestatem in Cavenses Abbates contulit, tribus solummodo iuribus exceptis, ut initio animadverti. Ex hac trina vero exceptione quid sit in iure definiendum, respondet pro Cavensi Praesule Rota in cit. *Marsicana* num. F: « In eodem brevi Urbano transferente iurisdictionem in Abbatem excipitur collatio SS. Ordinum, confectio chrismatis et consecratio basilicarum et altarium, quae cum exerceri non possint, nisi ab habentibus iura episcopalia, ab hac exceptione aliquorum iurium episcopalium infertur alia omnia eiusdem generis, quae exceptuata non fuerunt, Abbatibus fuisse concessa ».

Hactenus de privilegii interpretatione iuxta Urbani literas, quae, ait orator, peculiarem huius sacramenti mentionem non fecerunt. Sed aliae prostant literae Gregorii XIV, in quibus non modo mentio fit confirmationis, sed ius conceditur « praesertim conferendi sacramentum chrismatis ». Accedit quod Gregorianum privilegium nititur S. C. Congregationis sententia: quod hanc sententiam sanciverat Xistus V, 16 kal. Septembris, Pontificatus sui anni sexto; et quod uterque Pontifex perinde omnia probavit, ac si ex integro conceptis verbis constituerentur « approbatione, adiectione, suppletione, concessione ».

Inspecta vero privilegii litera, recolit patronus, in narratione dicit Abbates perpetuo « sacramentum chrismatis contulisse ». Mox in iudiciis de hac facultate praehabitis adiicit « probata fuerant privilegia, immunitates, gratiae, facultates et indulta, praesertim conferendi sacramentum chrismatis » et nihil de conditionibus, praeter unam quae sequitur « dummodo illud foret prius per catholicum antistitem, gratiam et communionem dictae sedis habentem consecratum ». Ubi concessio rursus definitur, haec verba leguntur: « Nec non sacramentum chrismatis per catholicum Antistitem, gratiam et communionem dictae sedis habentem, consecratum conferre ».

Hisce in iure enucleatis, descendit procurator ad facti momenta.

Et in primis narrat, vi Bullae Leonis X divisum fuisse Abbatiae territorium; et hinc novus Episcopus ordinario iure omnimodam iurisdictionem nactus est in civitate: Abbas autem antiqua iura integra servavit in omnibus, quae novae dioeceseos erectioni non repugnarent, per transactionem initam cum Cardinali de Aragonia, hisce verbis « quod per huiusmodi ere-

ctionem et assignationem nullum penitus inferatur praeiudicium libertati et exemptioni, quas dictum Monasterium de praesenti habet, quin imo potiatur suis omnibus et singulis iuribus, privilegiis, immunitatibus et dignitatibus quibuscumque, etiam intra fines suprascriptos Cavenses, in his tantum quae suprascriptis iurisdictionibus et aliis praedictae ecclesiae cathedrali concedendis non repugnant, et in eorum diminutionem non tendunt. Extra vero praedictum territorium indistincte et indifferenter in omnibus et per omnia sit et remaneat dictum Monasterium, sicut de praesenti est, et perinde ac si suprascripta assignatio et praesens conventio nunquam facta fuisset». Et haec omnia Leo X apostolicis literis sancivit. Omnino hoc exploratissimum est, instat orator, consuetudinem circa huiusmodi facultatem Abbati Caven. excedere hominum memoriam. Duobus ab hinc saeculis « Abbas Cavensis plures moniales civitatis Salerni, de licentia eiusdem Illmi Antistitis, sacro chrismate insignivit ». Tum de eadem dioecesi exacto saeculo testimonium edidit Salernitanae ecclesiae canonicus, antea vicarius generalis, ac deinde capitularis « più volte diede licenza alli revmi Padri Abbati pro tempore di conferire il sacramento della cresima alle signore monacande, ed altri di detta città ».

Refert vero orator, hunc morem praecipue vigere in dioecesi Cavensi, in Salernitana, in Murana (Muro Lucano), in Amalphitana. Si autem verba delegationum attendantur, deprehenditur perinde Abbates accerseri, ac si frequens esset usus, ut in epistola num. 13 Summ. « Comunico a V. E. anche in iscritto tutte quelle facoltà che altra volta le comunicai » (n. 5), « confermando quanto Le ho detto altra volta, potrà avvalersi sempre della facoltà di amministrare il detto argomento » (n. 9). « Perdoni la continua noia che Le procuro etc. ». Praeterea, superiori anno, cum « Abbas ordinarius salernitanum Archiepiscopum adivisset eius invitatu, in eius privato oratorio uni ex eiusdem subditis sacramentum chrismatis contulit ». Idemque triginta fidelibus praestitit in privato sacello Cavensis Episcopi, « ex eiusdem invitatione ».

Ipse vero Abbas suis litteris animadverterat: « Notisi che gl'inviti più recenti non sempre furono fatti per lettera, ma più volte solo personalmente e verbalmente ». Ipse Pontifex vero, arguit orator, quamvis quaestionem in iure definiendam non censeret, semel nihilominus atque iterum possessionem interea servandam esse iussit, ut Vir Emus publicis Status negociis Praefectus testatur: « Allorchè trattossi di concedere a V. S. la stessa facoltà di cui godeva il suo Predecessore, di buon grado il Santo Padre aderì a tale richiesta, e la autorizzò ad amministrare il sagramento della Cresima anche fuori del suo territorio, col consenso dell'Ordinario. Questa concessione però è temporanea etc. ».

Huiusmodi morem fuisse inductum ob fidelium utilitatem, docet ipse Abbas, explicans conditionem locorum.

Deinde Praesul geometrae peritissimi testimonium edidit, unde liquet quindecim oppida in illa regione longe amplius à Sede Sarnensi distare quam a monasterio. Ita factum est ut assidua Abbatum frequentia proximis in locis etiam Salernitanos Archiepiscopos alliceret ad eos accersendos com-

moditatis causa, cum Hospitium Abbatis et Cellerarii sit « meno di un miglio distante da Salerno ».

Proinde deducit advocatus, si hic mos prohibeatur, magnam iacturam passuros esse fideles, ipsosque Abbates offensiones et populi accusationes incursuros fore.

Quum vero obiici possit annis 1892 et 1894 Abbates ipsos in discrimen adduxisse hanc facultatem in alienos, quia illam a Pontifice postularunt, advertit patronus, Abbatem Morcaldium nihil negavisse, imo usum confirmari petiisse « per tranquillare la sua coscienza »; et in propositum citat auctoritatem Rotae in cit. *Marsicen.*: « Sicut nec aliqua vis fieri potest in supplici libello porrecto de anno 1620 f. m. Paulo V, in quo fuit ab Abbate petita licentia concedendi dimissorias et conferendi ordines, quasi ex hoc inferatur talem licentiam prius non habuisse; siquidem hoc totum petitum fuit ad bene esse, et quia, ut dicitur in dicto supplici libello « da alcuni scrupolosi si fa difficoltà se l'Abbate possa dare dette dimissioni etc. ». Si itaque facultas haec petita fuit a Pontifice ad tollendos scrupulos, difficultatem et occasionem litium, ex hoc elici non potest aliqua confessio Abbatis super talis facultatis deficientia. Verba enim quae ad bene esse et ad maiorem cautelam proferuntur, non praeiudicant ». Rota in Rec. dec. 212, n. 12 et dec. 320, n. 47, par. 6.

In primis ne aequivocationi fiat locus, innuere praestat magnum quod intercedit discrimen inter Abbatis potestatem *ad confirmandam* delegatam, et aliam Episcoporum ordinariam. Siquidem Episcopi confirmationis Sacramentum conferunt *ex potestate ordinis*, alii simplices sacerdotes ex potestate *iurisdictionis* a Summo Pontifice *delegatae*. Ad rem Benedictus XIV in op. *De Syn. dioec.*, lib. 7, c. 8, n. 7 (*sub. med.*) ait: « ... quamvis confirmare sit actus ordinis episcopalis, cuius firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, *delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi eiusmodi actum, potius ad iurisdictionem quam ad ordinem pertinet* etc. ». Rem ita conficit Card. D'Annibale (III, n. 282): « Minister ordinarius huius Sacramenti est Episcopus et ex delegatione (penes Latinos solius Romani Pontificis) quivis presbyter. Ille hoc sacramentum confert ex ordinis cum primis episcopalis, hic cum primis ex iurisdictionis potestate; *ideoque valide hic* (simplex sacerdos), *si non excedat fines mandati nec quoad territorium, nec quoad personas nec quoad modum; ille* (Episcopus) *omnibus ubique, sed si extra suum territorium, gravi non caret* ». Hoc consectarium rem nostram quod spectat, probe advertere iubet, ne Abbas Caven. confirmando alienos in aliena Dioecesi, etsi ex Episcoporum venia, *limites mandati excedat* et hinc *invalide agat*. Quamobrem in propositum fortior urget difficultas, quam iniiciunt ea verba constitutionis Urbani II, concedentis iurisdictionem utendam *per terras tui monasterii habitas et habendas*.

Ceteroquin Abbati, qui territorium habet immune a iurisdictione cuiusque Ordinarii, sane conferenda erat potestas confirmandi suos et alienos subditos in suo territorio; sed quoad alienos in alieno territorio aliter res se habet. Namque Abbas simplex Sacerdos est minister confirmationis *extraordinarius*, tantum a Summo Pontifice delegandus, sed aliqua gravi instante causa.

Sane docet Benedictus XIV, op. cit., lib. 13, cap. 15, n. 1: « Quare omnis difficultas eo redigitur, ut iusta ratio et causa proponatur, ob quam dispensatio sive indultum concedi merito possit. *Neque enim extraordinarii ministri expetenda est opera, ubi minister Ordinarius per se ipsum agere valet* ».

An vero ex facti adiunctis et ex receptis moribus satis constet de necessario indulto, sueta iudicii maturitate edicent EE. PP. enodantes, quod proponitur, dubium:

An Abbati Nullius SS̃mae Trinitatis Cavensis competat ius confirmandi alienos subditos in aliena Dioecesi ex Episcoporum consensu in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 156, p. 1073-1086].

4306.

S. C. C., *Hildesien.*, 21 ian. 1898.

Sacra Congregatio declaravit: In legatis Missarum in aliqua ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redituum portionem, quae in limine fundationis, vel alio legitimo modo ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplemento.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2192, p. 455].

4307.

S. C. C., decr. *A primis*, 20 iul. 1898.

A primis Ecclesiae saeculis plura Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum, cap. 8, Sess. 23, *de ref.*, neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari.

Proprius autem alicuius Episcopus, iuxta ea quae praefinivit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret. cap. *Cum nullus, de tempore Ordin.* « intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem ». Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcopi familiares suos, etsi alienae dioecesis, sacris initiarent, et Sancta Tridentina Synodus, cap. 9, Sess. 23, *de ref.*, id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus ius fiebat Episcopis aliquem ad ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de huiusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII ap. litt. incipientibus *Speculatores*, datis die 4 nov. 1694, [1] determinavit ac constituit, quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius

[1] Cf. N. 258.

fieret alicuius Episcopi subditus, quo legitime ordinari valeret. Quae constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quaestiones diremptae.

Verum nostris temporibus novae contentioni frequens se praebuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est, ut clerici, qui e sua dioecesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem, quam vocant, id est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario peterent; eaque innixi in alia dioecesi incardinationem seu adscriptionem implorarent: qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ulteriores ordines suscipiendos admitterentur. Quae agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam saepenumero patefecit.

Quapropter Em̃i S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, praesenti generali decreto haec statuenda censuerunt:

1. Excardinationem fieri non licere, nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

2. Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo praescribit.

3. Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4. Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut « nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis » in cap. 16, Sess. 23, *de ref.* Tridentinum statuit: ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

5. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. *Speculatores*, quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SS̃mo Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare dignata est, contrariis quibus-

cumque minime obstantibus. — A. Card. Di Pietro, *Praef.* — B. Archiep. Nazianzenus, *Pro-Secret.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2011. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXI, p. 49-51].

4308.

S. C. C., 21 nov. 1898.

N. N. inchinato al bacio della S. Porpora, umilmente chiede all'Eminenza Vostra Rm̃a la soluzione del seguente dubbio.

Tizio, Sacerdote spagnuolo, ha occasione favorevole di raccogliere grande quantità di Messe nel Portogallo, ricevendo lo stipendio in moneta portoghese, la quale cambia con moneta spagnuola, ricavandone un beneficio di 35 ed anche di 40 per cento. Queste Messe le fa celebrare da Sacerdoti spagnuoli, ritenendo per sè il beneficio del cambio.

Molti pensano che Tizio abbia operato bene, perchè non vi è legge veruna che proibisca detta operazione, ed il diritto naturale lo consente come frutto dell'industria. Inoltre, Tizio con questo guadagno fa fronte alle spese che occorrono per raccogliere e distribuire tante Messe, si rifà delle perdite subìte, quando non può riscuotere stipendi di Messe fatte celebrare, riceve un compenso dell'opera sua, e fa insieme una carità a tanti poveri Sacerdoti, che altrimenti non avrebbero stipendio per la S. Messa. Ma siccome una tale dottrina comincia a diffondersi per la Spagna, è conveniente che cotesto S. Tribunale si dichiari coi seguenti dubbi:

1. *È lecito a Tizio ritenere il beneficio del cambio della moneta portoghese con quella spagnuola?*

2. *In caso negativo incorre nella scomunica riservata al Papa della const.* Apostolicae Sedis? [1]

Die, etc. Sacra, etc. ad suprascripta dubia rescripsit: Ad 1. Negative. Ad 2. Recurrat in casibus particularibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2026. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXI, p. 623, 624].

4309.

S. C. C., *Theanen.*, 17 iun. 1899.

Ecclesiae Cathedralis Theanen. Capitulum, quod hactenus lege usum est non scripta, videlicet moribus regebatur iampridem receptis, hodie iussu S. C. C., suis constitutionibus conscribendis et stabiliendis rite incumbit. Interea consuetudinibus ad examen revocatis Capituli Decanus, Collegii prima dignitas, ratus est se adhuc onere gravatum fuisse, quo revera non obstringitur. Siquidem in hac ecclesia antiquus est mos, quodam decreto

[1] Cf. N. 552.

Episcopi De Vecchis, edito a. 1803, confirmatus, quapropter in festis solemnioribus, Decanus, impedito vel absente Episcopo, Missam solemnem celebrare debet. Cui oneri hodiernus quoque Decanus non secus ac eius decessores ita satisfecit ut Missam caneret eamque, veluti conventualem, applicaret pro benefactoribus; quod si per se hoc praestare non potuisset, alteri, eius nomine celebranti, in more habuit eleemosynam in hunc scopum praebere. Exinde ab onere Missae conventualis relevabatur unus ex quatuor canonicis Hebdomadariis quorum est, alternis hebdomadis, Missam celebrare et applicare conventualem. Hoc autem non iure fieri arbitratus est Decanus; postquam perlegens Canonistas de hisce quaestionibus pertractantes ob oculos habuit quoddam S. C. C. rescriptum datum in *Sebenicen.*, die 4 martii 1876, [1] quo edicebatur canonicos hebdomadarios non eximi ab onere celebrandi et applicandi Missam conventualem, quando Missa solemnis canitur vel ab Episcopo, vel ab aliqua Capituli dignitate, vel ab eius substituto; siquidem in dicta causa propositis dubiis: I. *An Episcopo impedito vel Sede vacante dignior Capituli, qui Praeposito demortuo succedit, iure devolutionis, in celebratione missae in diebus Episcopi, teneatur ad illam applicandam pro Benefactoribus in genere, in casu?* Et quatenus affirmative: II. *An hic primus substitutus legitime impeditus teneatur subministrare eleemosynam Missae in diebus Episcopi illi Canonico qui ipsi succedit iure devolutionis in casu?* rescriptum fuit: *Ad I. Negative et Missam pro Benefactoribus applicandam esse eo die ab hebdomadario; Ad II. Provisum in I.*

Intentionem Decani, huius decreti vim sibi asserentis, impetunt in themate Hebdomadarii qui contendunt Decanum in praescriptis diebus Missam non tantum celebrare sed et applicare quippe conventualem, debere.

Episcopus de suo voto et pro informatione percontatus permulta retulit quoad historiam huius quaestionis.

Quidquid sit de his, quae historice et erudite narrat Antistes de origine et munere Cardinalium Hebdomadariorum; et eius placitis certe non assentiuntur eruditi omnes; nostra quod interest, Capitulares, intentioni Decani contradicentes, maxime notant ea verba: « Chori praefecturam in diebus solemnioribus Episcopalibus agunt, pro ordine Dignitates, et Episcopo nolente aut absente, debent Missam canere. Ipsis deficientibus succedit Canonicus Hebdomadarius ». Ex quibus verbis Hebdomadarii inferunt, constitutiones capitulares hoc expostulare, nempe Hebdomadarios hisce diebus solemnioribus missam non celebrare conventualem, nisi deficientibus Dignitatibus, quarum proinde est satisfacere oneri missae conventualis in huiusmodi diebus festis, excepto casu legitimi impedimenti.

Unde inferunt, male argumentari Decanum, qui rescriptum editum in causa *Sebenicen.* referre contendit et applicare hodiernae controversiae. Fatentur enim contradictores, resolutiones SS. Congregationum vim habere in casibus similibus, sed minime easdem urgendas esse ad casus plane dissimiles. Iamvero notant in hisce quaestionibus rem definiendam esse ex statutis et fundationibus Capitularibus. Sed, aiunt, in Capitulo Sebenicen. non

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 135, p. 147-156.

aderat Massa communis, cui participarent, suam praebendam inde desumentes, omnes et singuli Canonici, prouti fit in Ecclesia Theanen.; sed capitulares Sebenicenses praebendis fruuntur omnino distinctis. Praeterea hi capitulares, et sex recensentur, duo dignitates, et quatuor simplices canonici, per alternas hebdomadas, certo ordine, Missam celebrant conventualem; dum in Capitulo Theanen. quatuor ex duodecim canonicis constituti sunt, hebdomadarii nuncupati, quippe onere gravantur celebrandi per hebdomadam Missam conventualem, iuxta tabellam Episcopi De Vecchis. Quare, concludunt, toto coelo distare inter se unius et alterius Capituli fundationis tabulas.

Quocirca, instant, nullo fundamento inniti in themate, distinctionem in medium adductam a Decano inter Missae celebrationem, eiusque applicationem; quia et receptis moribus et ex scriptis documentis obligatio faciendi Sacrum pro Benefactoribus, usque expressa fuit per verba celebrare aut Missam canere. Reapse in libris Missarum Decani iam a 150 annis qui Missam celebrarunt, eamdem se applicasse professi sunt, prouti hactenus perfecit hodiernus Decanus, qui praeterea, uti referunt adversarii, cum inter Hebdomadarios recenseretur, anteaquam Decanalem praebendam obtineret, mordicus obstitit intentioni Decani contendentis se eximere ab onere applicandi Missam, istud refundendo in Hebdomadarios.

Proinde ad observantiam centum et quinquaginta annorum appellant contradictores seu ad praescriptionem, quae cum sit tam diuturna et pene memorabilis, sane dicenda est *melior titulus de mundo*.

Denique provocant ad *aequitatem;* quia dum ceteri canonici parva fruuntur prebenda, nempe Poenitentiarius lib. 83, alii lib. 200 aut 300, audire tenentur sacras confessiones, et explanare sacram scripturam. Decanus autem percipit annuas libellas 1400.

Ex adverso Decanus suam tuetur intentionem in primis recolens monitum Benedicti XIII in Concilio Rom., a. 1725, tit. II, cap. V, nimirum: « Episcopi in examinandis Statutis Capitularibus, consuetudines nonnisi rationales et honestas admittant, et si quas compererint a ratione declinasse, eas vel corrigant, vel omnino delendas decernant, nihilque in eis sit quod a iuris dispositione, vel Congregationum decretis exorbitet ». Arbitratur vero inter consuetudines haud rationales et honestas illam recensendam esse quam ipse improbat; quandoquidem, ait, non est rationi consonum et honestum, Decanum in diebus solemnioribus ferre onus quod ordinario competit Hebdomadariis, scilicet canendi missam; et praeterea eidem onus imponere eamdem missam applicandi quasi conventualem; unde omne incommodum infertur Decano; et omne commodum comparatur Hebdomadariis, quamvis hi, ex suo speciali munere, Missae Conventuali satisfacere debeant.

Quare deducit Decanus standum esse decisioni S. C. C. in *Sebenicen.* iam cit. quae distinguens onus Missae celebrandae ab onere eamdem applicandi respondit ad I. *Negative et Missam pro benefactoribus applicandam esse eo die ab hebdomadario.*

Decanus autumat hanc decisionem S. C. C. in *Sebenicen.*, die 4 martii 1876 rem efficere iudicatam etiam in praesenti quaestione, quippe ista interpretatur authentice ius disciplinare et pro omnibus casibus similibus facit certam

legem. Contendit vero Decanus, casum hodiernum nedum similem sed identicum esse quaestioni Sebenicen.; quia in hac agebatur de canonicis, ex munere suo, adstrictis Missae conventuali, certo ordine, celebrandae et quaerebatur, an ab hoc onere eximerentur, quando in diebus Episcopi dignitates aut digniores Capituli Missam celebrant. Atqui, instat, eadem quaestio hodie agitatur. Et in facto advertit: « che l'obbligo di cantare e di applicare assolutamente la messa quotidiana conventuale *pro benefactoribus in genere* nella nostra Cattedrale per una speciale circostanza ricade assolutamente su di quattro Sig. Canonici. Sicchè *ab immemorabili* furono create quattro prebende, alle quali fu annesso l'obbligo intrinseco di cantare ed applicare la Messa conventuale, per cui questi quattro Canonici hanno pure il titolo di Prebendati o di Eddomadari... Per tale motivo i quattro Preb. Eddomadarii oltre alla congrua canonicale che ricevono dalla massa comune capitolare, eguale a tutti gli altri canonici, hanno pure annualmente chi circa 300, chi 400 e chi anche 500 lire dalle rispettive prebende, però coll'obbligo intrinseco di cantare ed applicare ciascuno di essi circa 100 annue Messe Conventuali, oltre poche altre Messe di legati particolari che debbono applicarsi lette dagli investiti della Teologale e dalla Cardinalia ».

Quia Hebdomadarii ex adverso, opponunt consuetudinem contrariam magis quam centenariam et appellant ad Tabulam Missarum praescriptam anno 1803 ab Episcopo De Vecchis, in qua firmantur veteres mores, respondet Decanus post const. *Cum semper oblatas*, Bened. XIV, frustra provocari ad consuetudinem vel immemorabilem; siquidem Summus Pontifex hanc irritam reddidit et declaravit iubens: « Missa conventualis de officio currente singulis diebus pro benefactoribus in genere applicari debet, etiamsi in erectione Capituli nullum verbum de applicatione factum fuerit, et non obstante consuetudine immemorabili, exiguitate redituum neque alia quacumque ratione ». [1]

Denique haec advertenda videntur. Sane, ex iure communi, prouti aperte docet S. C. C. responsio in citata *Sebenicen.* si in diebus Episcopi vel in aliis solemnioribus diebus Capituli Praepositus vel aliae dignitates aut respective seniores, ex certo ordine Missam canere debeant, eamdem quasi conventualem applicare non tenentur. Siquidem onus celebrandi pro Benefactoribus in genere Missam conventualem ad eum spectat, qui eamdem canere deberet, nisi dies incidisset solemnior. Ast explorati iuris est, legi communi per praescriptionem aut per privilegium non semel derogari, unde oritur ius speciale. In themate quaestio est, an per observantiam centum et quinquaginta annorum, Decani sibi onus imposuerint *celebrandi* Missam eamdemque applicandi in diebus solemnioribus. Siquidem extra quamcumque dubitationis aleam positum est, Decanos et Missam celebrasse et applicasse veluti conventualem. Sed hodie Decanus Maniglia obiicit, praeter legem communem, expressam voluntatem Pont. Benedicti XIV, qui in const. *Cum semper oblatas* statuit adversus Missae Conventualis onus, nullam valere consuetudinem vel *immemorabilem*.

[1] Cf. N. 345.

Verum advertere praestat, mentem Pontificis fuisse, tectum ac sartum custodire onus Missam celebrandi pro Benefactoribus adversus quamcumque consuetudinem, quae abusus potius dici debet seu corruptela; sed non adeo urgendum esse huiusmodi praeceptum, ut nulla et irrita sit quaecumque *praescriptio* tendens non ad extinguendum onus, sed ad idem de una in aliam *personam transferendum*. Quae distinctio inter praescriptionem *extinctivam* et *translativam* haud incognita est Canonistis. Ita in iure perspectum est, subditos non posse praescribere obedientiam contra superiorem, ex textu expresso in cap. *Cum non liceat*, 12, *de praescript*. Sed hoc caput ita commentatur Reiffenstuel, *De praescript*., 53, advertens: « Etsi nemo praescribere possit contra obedientiam, et visitationem extinctive; ita videlicet ut obtineat omnimodam et absolutam exemptionem respectu omnium Superiorum Ecclesiasticorum, atque a nullo eorum visitari valeat; nihilominus visitatio et obedientia superiori debita potest praescribi translative, ita nimirum, ut alteri quam Episcopo (puta, Praelato Regulari aut alii Praelato vel saltem immediate Summo Pontifici) debeatur obedientia et competat visitatio. Ita innuit Abbas..., atque ex professo tradit Barbosa citans alios... Pirhing..., Engel..., et alii ».

Quamobrem in themate deliberabit sapientia EE. PP. an posito, quod ab initio seu vi tabularum fundationis onus Missae Conventualis Decano non competeret, eidem postea translative accesserit, vi praescriptionis. Sed inquam, posito quod ab initio competeret, nam primordia huiusmodi onerum in tenebris delitescunt remotioris antiquitatis et prudentissimum videtur criterium Antistitis Giordano... *nihil de illo immutandum visum fuit, etsi illius origo ignota sit; non enim de omnibus, quae a maioribus nostris praescripta sunt, ratio reddi potest*.

Sed quid ius, quid aequitas postulent, edicent solemni responso EE. PP. diluentes dubium:

An in diebus solemnioribus, quibus Missam canit Decanus, eidem competat Missam applicare pro Benefactoribus in genere; vel hoc competat Canonicis Hebdomadariis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Dilata.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 158, p. 534-549].

4310.

S. C. C., *Milevitana*, 19 aug. 1899.

Haec controversia duplici continetur quaestione; et una alteri est *praeiudicialis*, siquidem quaeritur, an sponsalia inter D. Hadrianum Cremona et Aemiliam Mangion inita fuerint; eademque utrum sint valida; et quia huic quaestioni definiendae operam dederunt et Curia Melevitana et Curia Gaudisiensis inter se *de competentia* iudiciali dimicantes, quaeritur, *primo* quaestione praeiudiciali, an duae sententiae iam editae a Curia Melevitana sint

[1] Cf. N. 4312.

probandae, quatenus haec Curia iudiciali uteretur competentia, et hoc admisso *secundae* quaestioni locus fit, an nempe eadem sententiae ratae habendae sint, dum edicunt, sponsalia locum non habuisse vel saltem fuisse nulla.

Iamvero facti speciem quod attinet, Paulus Mangion, Aemiliae pater, Melitensis Civitatis incola, non raro in insula Gaudisiensi moram trahit, ubi unam et alteram domum habet instructam. Sub anno 1897, dum inibi versaretur, agere coepit cum quodam Sacerdote Xuereb de nanciscendo sponso, cui filia Aemilia nuberet. — Sacerdos qui huic negotio videtur fuisse iampridem paratus, statim patri obtulit Hadrianum Cremona, medicum agentem in eadem insula. — Pater, puellae animo explorato, videtur ultro consensisse in sponsalia cum Hadriano ineunda; et haec revera fertur inivisse puella Aemilia, antequam e civitate Gaudisiensi excederet.

Exinde visi sunt serio instrui tractatus matrimonio praevii; qui tamen ne ad mensem quidem producti fuerunt; siquidem pater puellae et Hadriano Cremonae eiusque parenti litteris renunciavit omnem tractationem iam resolutam esse; quandoquidem filia fidem sponsalitiam Iosepho Vassallo tradiderat, iam iam matrimonium celebratura, uti publicae denunciationes de more faciendae in Ecclesia omnes fideles admonebant.

Sibi fidem fuisse violatam persentiens Hadrianus adiit Curiam Gaudisiensem, opponens impedimentum ex initis sponsalibus cum Aemilia Mangion, quominus haec ad alias nuptias convolaret. Curia Gaudisiensis, congrue vadata Aemilia sub die 27 iulii 1898, causae instructionem instituit. At ex adverso Aemilia Curiam petiit Melevitanam ut, huius decreto, incompetens declararetur Curia Gaudisiensis, unaque, ordinario iudicio, definiretur quaestio de valore sponsalium. Quare a iudice Melevitano citationis nuncium datum fuit die 10 augusti 1898 Hadriano Cremona, quo in ius rapiebatur apud eamdem Curiam. Conventus citationi respondit tres potissimum opponens exceptiones: *primo* obiiciens citationem sibi datam, fuisse nullam quippe remissam *die feriato* seu die 10 augusti Divo Laurentio sacro et festo, tum pro Curia Melevitana, tum pro Curia Gaudisiensi; *secundo* denuncians Vicarium Generalem et tribunalis Assessorem iudicio ferendo esse impares, quia provocabantur ab ipso convento, uti testes in causa; *tertio* demum excipiens quia causa *iure praeventionis* iam praeoccupata erat a Curia Gaudisiensi.

Curia Melevitana die 26 augusti 1898 sequens edidit Decretum: « Cum prima exceptio in hac Magna Curia facta a Dño D.re Hadriano Cremona adversus Dñam Aemiliam Mangion quoad notificationis nullitatem admittenda non sit; ipsa enim exequuta fuit, uti ex actis processus constat, die decima mensis currentis, sacra divo Laurentio, non integri praecepti; et ius canonicum (vide Schmalzgrueber, Reiffenstuel et alios), cui consentit Lex Civilis Melitensis, pro huiusmodi nullitate dies Dominicas, aliasque festivas de integro praecepto tantum assignet;

Cum neque admittenda sit secunda exceptio quoad termini defectum pro comparitione: terminus enim iuxta Reiffenstuel et Gagliardi, *De Iudiciis* statui debet a iudice prout circumstantiae locorum, personarum nec non aliarum causarum expostulent;

Cum reiicienda quoque sit exceptio tertio loco facta, scilicet neque Vicarium Generalem, neque Assessorem posse iudicium ferre in causa, cum ipsi vocandi sint ad deponendum, quidquid enim ad nostram cognitionem pervenit hoc fuit tantum ratione officii;

Cum tandem admitti nullo modo possit exceptio, quarto loco expressa, quoad nempe litis pendentiam, nam prima citatio facta est a iudice incompetente, ac proinde invalida et litis pendentiam non inducit, porro sponsa, quae et rea est in prima citatione et actrix in secunda, et ratione originis, et ratione domicilii, et ratione contractus principalis, qui est matrimonium cum tertia persona et impugnatur, non est subiecta iurisdictioni Dioecesis Gaudisiensis, sed Melitensis, ubi matrimonium celebrandum erit;

Hisce omnibus, aliisque perpensis, dicimus et declaramus supradictas exceptiones a Dño D.re Hadriano Cremona, adversus Dñam Aemiliam Mangion in hac Magna Curia appositas, esse omnino reiiciendas, ac proinde procedendum ad contestationem litis ad tramites iuris ».

Adversus hoc decretum protestatus est Hadrianus Cremona, animum significans instituendi appellationem, et se abstinendi ab ulteriore causae prosecutione; Curia autem Melevitana die 6 sept. 1898, ipsum causae *meritum* quod attinet sequentem protulit sententiam:

« Visa citatione ab hac Magna Curia die 8 augusti ultimi elapsi expedita instante Aemilia Mangion versus D.rem Hadrianum Cremona pro revocatione impedimenti ab ipso interpositi in curia Episcopali Gaudisien.;

Visis ac bene perpensis praeliminaribus exceptionibus a citato contra citantem propositis;

Viso Nostro decreto diei 26 augusti 1898, easdem exceptiones reiiciente;

Visa notula ab ipso citato exhibita, qua in contemptum praedicti Nostri Decreti ab ulteriori tractatione causae sese abstinere declarat;

Visa alia notula ex parte citantis, per quam instat ab hac Magna Curia declarari sibi fas esse contrahere matrimonium cum Doctore Iosepho Vassallo;

Visa etiam notula appellationis a citato exhibita, quae minime officit sententiae publicationi, cum Nostrum Decretum diei 26 augusti 1898 prosecutionem causae non impediat;

Visis tandem aliis de iure videndis; perpensoque *quod citatus nullo modo probaverit asserta sua sponsalia cum citante;*

Dicimus et declaramus praefatam Aemiliam Mangion gaudere plena libertate contrahendi licite et valide matrimonium in facie Ecclesiae cum praedicto D.re Iosepho Vassallo, nisi aliud ei obstiterit canonicum impedimentum ».

Interea iudicium haeserat apud Curiam Gaudisien., quia Vicarius Generalis et tribunalis Assessor, iam ab initio instauratae instantiae significaverant velle a iudicio ferendo se abstinere, quippe sanguine coniunctos in secundo gradu cum actore. Unde deliberandum erat de surrogandis iudicibus, quod ubi primum perfectum fuit, die 19 oct. 1898 decretum editum est, quo Curia Gaudisien. competens edicebatur.

Ab hac sententia ad S. C. C. appellationem interposuit Aemilia Mangion;

at nihilominus iudicium prosecuta est, quoad *meritum* causae, apud iudicem Gaudisien. duos praeferens testes pro asserenda sponsalium nullitate. Quum vero appellationes exceperit S. C. C. tum ab una, tum ab altera parte, interim in suspenso mansit apud curiam Gaudisien. iudicium quoad *meritum* causae, in obsequium huius supremi Tribunalis, uti fassus est Episcopus litteris diei 3 iulii 1899.

Exinde controversia agitatur apud EE. PP. an confirmandae vel infirmandae sint duae sententiae Curiae Melevitanae iam relatae Hadriano Cremona adversae; et praeterea, *tertio*, instante Aemilia Mangion petitur, *An sit locus dispensationi super impedimento ex sponsalibus in casu.*

Hadrianus Cremona Procuratorem constituit, cuius modo subtexam allegationes. In primo capite contendit, nullitate laborare decretum Melitense diei 26 augusti 1898, quia Curia Gaudisien. plane competens erat, iure *praeventionis;* siquidem hanc prior adivit Hadrianus Cremona.

Praeterea, notat Orator, alius titulus competentiae in Curia Gaudisiensi repetitur a ratione agendi Aemiliae, quae ultro recognovit illius competentiam, seu hanc *prorogavit*.

At neminem latet, notat patronus, forum acquiri per *prorogationem*, de qua, haec habet Engel in *Colleg. univ. iur.*, lib. 1, tit. 32, n. 30: « Denique, praeter supradictos modos acquiritur iurisdictio per prorogationem. Est autem prorogatio iurisdictionis nihil aliud quam extensio eius de consensu partium ultra limites, inter quos exercita est. Et fit haec extensio quatuor modis, videlicet de persona ad personam, de re ad rem, de loco ad locum, de tempore ad tempus ».

Satis est iudicem communi iurisdictione pollere, qua alter ordinarius pollet, et partium prorogationem re et facto significari. Re autem et facto satis prorogatio significatur si reus, lite contestata, vel dilatorias exceptiones proponat, vel testes edat, vel aliter iudicem agnoscat, ut ait Schmalzgrueber, par. 1, tit. 2, n. 144: « sufficit autem consensus tacitus qui explicatur ipso facto, dum partes coram eiusmodi iudice litem contestantur, vel opponunt exceptionem dilatoriam ».

Sed procurator magis instat, Curiam Gaudisien. fuisse competentem *iure proprio*, seu *iure praeventionis*. Advertit enim causam de impedimento sponsalium prius a cliente actore ad Gaudisiensem Curiam fuisse delatam. Obiicitur illam Curiam iurisdictione caruisse, quia actor sequi debet domicilium rei, et Aemiliae familia lares habet in proxima insula Melitensi. Reponit advocatus Aemiliae patrem duplici domicilio pollere quia utrobique pluribus iam annis versatur. In iure, ait Schmalzgrueber, nemine dissentiente « Ut domicilium quis acquirat in duobus vel pluribus locis, necesse est, ut aequali tempore in iisdem degat; quod tamen intelligendum est non mathematice, quasi necesse sit, ut in uno loco non plus uno die vel hebdomada quam in alio habitet; sed moraliter, ut in quolibet loco per magnam anni partem, quamvis non aequalem habitetur, ut recte observat P. Frider. et alii ».

Revera Aemilia testatur « sono stata al Gozo per educazione nel Conservatorio vescovile per quattro anni ». Soror istius, in Gaudisiensi incolatu in

morbum incidit, ibique decessit. Ibidem pariter obiit illius mater. Domos incolendas tres habuit parens Paulus, unam in insula Melitensi « alla Sliema »; duas in Gaudisiensi « una casa alla città Vittoria di Gozo, ed un'altra al Migiarro », scilicet in rusticana insulae regione. Idem haud inficiatur se ad aliquot menses hoc incolatu delectari, et exemplum praebet illius temporis quod causae adiuncta praecessit.

Verumtamen, ait advocatus, etsi deficeret in casu titulus *domicilii*, suppetit abunde titulus *contractus*. Auctore enim Gregorio IX in cap. *Licet*, 20, *de foro comp.*, ac teste universa iurisprudentia, quatuor sunt tituli adipiscendae iudiciariae iurisdictionis « ratione delicti, seu contractus aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur ». Quoties igitur actori iudicium instituendum est, facultate pollet alterum ex hisce titulis eligendi. Ita Reiffenst., lib. 2, tit. 2, n. 6: « Si reus conveniendus multiplicem (!) forum sortiatur (prout frequenter contigit), in electione actoris erit convenire reum in quo maluerit foro. Ita Glossa etc. estque communis canonistarum, teste Fagnano etc.

Age vero, de foro contractus tralatitium est, quod tradit Schmalzgr., loc. cit., n. 30: « Alter modus sortiendi forum est contractus: nam quisque in eo loco, in quo contraxit, etiam sortitur forum, ut ibidem conveniri possit, ratione illius contractus. Ita aperte cap. fin. h. t. cap. *Romana*, 1, § *Contrahentes*, eod., in 6 ».

Iamvero, prosequitur orator, ab initio ac semper de hoc negocio actum est in insula Gaudisii, ubi utraque familia Cremona et Mangion versabatur, dum res gereretur. In eadem insula, cum clientis familia ibi perpetuo degeret, altera vero moram ad pertractandum prorogaret, mediator fuit Sacerdos Xuereb in eadem insula degens. Testes editi sunt, si unum vel alterum excipias, omnes ex eadem insula.

Sed obiicitur ad sortiendum forum ratione contractus, in primis requiri reum in loco contractus reperiri, cum actor illi vadimonium nuntiat coram magistratu. Respondet patronus, quod reus in loco contractus conveniri nequeat nisi tunc ibi reperiatur, advenas tantummodo ac peregrinos respicit, non incolas, qui certam in loco habitationem fovent, teste Ferraris, voc. *Forum.*, n. 18: « Quando quis tamquam advena et viator contrahit in aliquo loco mox inde discessurus, et hoc scitur ab altera parte contrahente: tunc non tenetur ibi respondere, nisi voluerit ». Ac rationem tradidit Textus in l. *Haeres*, § *Proinde*, ff., *de Iudiciis:* « Durissimum est quotquot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere ». Quamobrem distinguit Schmalz., lib. 2, tit. 2, n. 45: « Vel reus peregrinus in loco ubi contraxit aut promisit se soluturum reperitur vel non reperitur. Si primum, quamdiu in loco reperitur, iurisdictionem suam iudex exercere potest in ipsam eius personam ». Atqui ridiculum esset, notat orator, peregrinum et advenam in Gaulo vocare Paulum Mangion, qui duas habet domos in insula, alteram urbanam, alteram ad rusticandum. — Sed ait patronus, omnes evanescere difficultates quia Paulus Mangion in insula versabatur, cum vadimonium accepit.

Quia obiicitur, quoque, forum contractus in Melitensi Curia agnoscen-

dum esse, non in Gaudisiensi, quia matrimonium non in minori insula, sed in Melitensi celebrandum fuisset, reponit orator, perridiculam esse hanc exceptionem, quia sponsalia *contractum* de se constituunt, prouti nemo inficiari potest, quicumque fuerit locus matrimonio celebrando destinatus.

Quae cum ita sint, concludit patronus, Hadrianus Cremona qui, nuntiato interdicto propter impedimentum sponsalium illico adversariam in ius rapuit coram Curia Gaudisiensi, ut impedimentum confirmaret, lege notissima usus est: contra vero Melitensis Curia legem violavit, quae, instituto coram Gaudisiensi magistratu iudicio, iurisdictione carebat. Testis de communi iure Schmalzgr., loc. cit., n. 136: « Quaeritur de foro praeventionis. Hoc citatione inducitur, et quidem duplici ex causa, una quando reus actu coram pluribus iudicibus conveniri potest, altera quando actu quidem non uterque iudex respectu rei est competens, unus tamen, dum adhuc competens fuit, causam agitare coepit: nam utroque casu ille iudex qui causam in suo foro agitandam assumpsit prosequi illam potest, et ceteros iudices quos ita praevenit, a cognitione illius causae excludere. Ratio est, ut ex l. *Ubi*, *30*, ff., *de iudice* dicitur, ubi inceptum est iudicium, ibi etiam finem debet accipere. Sufficit autem una citatio ,.. quia per unam solam citationem iam praevenitur et perpetuatur iurisdictio ».

Progressus Advocatus ad aliud orationis caput, disserens de valore sponsalium adnotat, quod de sponsalibus Aemilia sub sacramenti fide declaravit sese adhaesisse petitioni Hadriani Cremona; id quod firmatur a patre. Imo, etiam nunc Aemilia, dum vinculo solvi postulat, id praestolatur « previa l'assoluzione per qualsiasi censura si fosse incorsa in causa degli sponsali ». Atqui urget orator, mille testes efficere non possent, ut qui poenam sibi debitam fatetur, culpam non patraverit. Nihil autem magis intolerandum, ait orator, quam quod Aemiliae a sponsalibus resilire liceat, cum nulla ratio vel afferatur vel probetur ceu Episcopus palam profitetur. Quid quod nulla Aemiliae excusatio est quae vel credi possit, vel accenseatur non stultis mendaciis ait orator.

At Aemilia insinuat, a sponsalitia fide se iure resiliisse quia decepta fuerat causa suae aetatis minoris, et quia praevidebat coactionem fratris sui; tamen respondet orator, *coactionem* nullimode probari; *deceptionem* vero inter fabulas esse amandandam. Verum advertit advocatus, has mulieris excusationes eo magis esse exprobrandas, utpote ordinatas ad facilius obtinendam dispensationem ab impedimento ex sponsalibus in quod tota incumbit Aemilia eiusque fautores. Subsumit oratrix: iusta causa et gravis dispensandi causa non deficit, nam ipsa omnino Cremonae nubere recusat. Igitur aut *cogenda* est aut solvenda. Sed hodiernis praesertim moribus abhorrent animi a coactionibus, quae difficiles exitus pariunt. Respondit patronus, hic non agi de muliere cogenda ad nuptias sed tantum rem esse de nuptiis cum *tertio* impediendis.

Ex adverso quia Aemilia nullum constituit procuratorem aliquid advertam in eius favorem sed, pro meo munere, magis studio veritatis, quam ex officio patroni. — In primis in quaestionem de *competentia*, advertendum est, Curiae Gaudisiensi suffragari non posse nisi titulum *contractus*. Siquidem familia Mangion certe in insula Gaudisien. non habebat *domicilium*, nec

quasi domicilium. Et illuc ibat cum patre animum recreandi causa, ut illa retulit, et ad rusticandum. Sed hae breviores commorationes certe non constituunt quasi domicilium, quod expostulat *animum commorandi per maiorem anni partem*. Unde parochus absque haesitatione affirmat: *Non ho ritenuto giammai il Mangion come mio parrocchiano*.

Porro, ex communi Doctorum consensu, contrahens in loco nec domicilii nec quasi-domicilii ibi forum sortitur, dummodo tamen a iudice citatione praeveniatur, quando adhuc versatur in loco contractus, dummodo expresse inter partes cautum non sit, forum contractus esse electum etiam si conventus e loco excesserit, aut aliter non constituant leges loci peculiares.

Verum refert Paulus Mangion ibi non fuisse, quando eius filia citata fuit. Unde Paulus haeret anceps, an ipse in Gaudisiensi insula versaretur quum citatio remissa fuit, neque asserit utrum filia tunc ibi vel alibi commoraretur, omni remoto dubio, prouti omni remoto dubio dein testatus est.

Quamobrem exinde dubium suboritur de legitima causae *praeventione et pendentia* apud Curiam Gaudisien. Corruit enim totum aedificium iudiciale, si suo destituatur fundamento seu *legitima citatione*, nimirum edita a iudice competente, unde causae habetur *praeventio*. In themate autem si Curiae Gaudisiensi adiudicetur competentia quoad actum citationis, eidem Curiae *irreparabiliter* deest in posterum competentia in iudiciale negotium, quam rite praeoccupavit Curia Melevitana per legitimum citationis decretum. Quocirca factum est, ut nulli sint dicendi actus iudiciales sive a iudice sive a partibus praestiti in Curia Gaudisiensi post citationem a Curia Melevitana editam; neque locus esse potest *prorogationi* competentiae. Siquidem *praeventionis* vis est, ut qui *prior negotium praeoccupavit, ad finem perducere debeat*, iuxta notum effatum; quare iudicium iam ab alio iudice legitime instauratum, ab altero iudice minime expediri valet seu nullimode amplius locus est *prorogationi*. Prorogatio enim suum operatur effectum quoad iudicia, quae a pluribus iudicibus ratione diversorum competentiae titulorum expediri valent; minime quoad iudicia, iam legitime instaurata ab uno iudice, alio praeveniente.

Praeterea dicendum aliquid est de merito causae. Iamvero quidquid sit statuendum de valore sponsalium, sane probari non potest sententia Melevitana diei 6 sept. 1898 edicens: *Dicimus et declaramus praefatam Aemiliam Mangion gaudere plena libertate contrahendi licite et valide matrimonium etc.*, et hoc edicit quum antea adverterit: *Visis tandem aliis de iure videndis, perpensoque, quod citatus nullo modo probaverit asserta sua sponsalia cum citante*. Sed in causis huiusmodi iudex procedere debet *ex officio;* et si pars vel contumax fuit vel negligens in afferendis probationibus, hae supplendae sunt a iudice; quandoquidem in istis negotiis procedi debet rerum veritate inspecta et explorata etiam *ex officio* iudicis, non tantummodo per simplices *iuris* praesumptiones.

Re quidem vera si quaeratur, an sponsalia inita sint Aemiliam inter et Hadrianum, videtur in dubium haud revocari posse contractum sponsalitium, quem expressis verbis non semel attestantur et Aemilia Mangion et Paulus eius parens.

Verum forsitan quaeri posset, an reapse actum sit de initis sponsalibus, vel potius de tractatibus praeviis ipsi contractui sponsalitio; siquidem adhaerere, tum ex parte patris tum filiae, petitioni illius qui de matrimonio futuro vult agere, non continet promissionem sponsalitiam; sed propositum exprimit ineundi tractatus sponsalitios seu coniugio praevios.

Attamen quia graviora urgent argumenta subtilitatibus indulgere non fas est. Etenim sponsalia inita fuisse videntur, sed praepostera ratione, atque omnia gesta fuisse videntur non *bona fide*. Sane tot mendaciis acta sunt referta et tot continent inter se pugnantia, uti patet eadem acta vel leviter legenti et centies animadvertit patronus partis adversae, ut aperte significent res gestas fuisse haud pacato animo.

Revera non ultima discordiarum causa, enata ab initis tractatibus sponsalitiis habita est in notitia, quae ad aures pervenit tum Aemiliae, tum eius patris de fide sponsalitia quam Hadrianus cuidam puellae Frendo spoponderat.

Quam vehemens autem animorum aestus et concertatio *perbrevi tempore* omnia miscuerint in familia Mangion, diserte docent litterae, quibus Paulus Aemiliae pater, paucis diebus ab initis sponsalibus, nempe decem vel tredecim diebus, Hadriano denunciavit, omnes tractatus sponsalitios iam resolutos haberi, ne filia mortem oppeteret.

Alias praeteream non minus claras attestationes; et exinde, suapte vi, erumpit quaestio: utrum nempe huiusmodi sponsalia, *quatenus sint valida, scilicet ad cautelam*, dispensatione sint relaxanda. Neque bonum exitum sperari posse ex denegata dispensatione docere videntur disertae attestationes ab Episcopo Melevitano exceptae sub religione iuramenti.

Proinde erit prudentiae et sapientiae EE. PP. infrascripta expedire dubia:

I. *An decretum Curiae Melevitanae diei 26 augusti 1898 sit infirmandum vel confirmandum in casu?*

II. *An decretum Curiae Melevitanae diei 6 sept. 1898 sit infirmandum vel confirmandum in casu?*

III. *An sit locus dispensationi ab impedimento ex sponsalibus in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit *ad I. Decretum esse infirmandum.*

Ad II. Provisum in I.

Ad III. Non proposita.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 158, p. 765-787].

4311.

S. C. C., 12 iul. 1900.

In perturbationibus et intestinis bellis, quibus aliquoties civiles status exagitantur, ultimis hisce annis interdum accidit, ut ecclesiastici viri, partium studio abrepti, uni vel alteri politicae factioni ultro se manciparent, et pro ea contra canonicas leges plura agere et moliri non vererentur, fidentes absolutionem in posterum se facile consequuturos.

Tam gravi malo occurrere cupiens SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII, inhaerendo dispositionibus SS. Concilii Tridentini, Sess. 14, in proem. et cap. 4, nec non Sess. 22, cap. 1, *de ref.*, et prae oculis habita doctrina Benedicti XIV in *Instit.* 101, per praesentes S. C. Concilii litteras statuit atque decernit, ut in posterum quisquis ex clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque iusta causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit, vel clericales vestes exuerit, quamvis arma non sumpserit, et humanum sanguinem minime fuderit; et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen militiae dederit, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat; ab ordinum et graduum exercitio, et a quolibet ecclesiastico officio et beneficio suspensus illico et ipso facto maneat; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut beneficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit, sublata ad hunc effectum respectivis Dioecesium Ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis, sive solitis (ut vocant), sive extraordinariis facultatibus rehabilitandi clericos gaudeant: contrariis quibuscumque minime obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2087. - Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXIII, p. 53, 54].

4312.

S. C. C., *Theanen.*, 27 apr. 1901.

Sub die 17 iunii 1899 in Plenariis Comitiis EE. PP., agitata fuit haec quaestio, hac proposita rogandi forma: *An in diebus solemnioribus, quibus missam canit Decanus, eidem competat missam applicare pro benefactoribus in genere, vel hoc competat canonicis hebdomadariis in casu?*, at responsum prodiit: *Dilata.*[1] Interim seu mense augusto 1899 Decanus Maniglia, qui instantiam instauraverat, viam ingressus est universae carnis; quare lis in suspenso mansit: hodiernus autem Decanus sub die 30 ian. 1901 efflagitavit, ut definitiva ederetur sententia.

Hodiernus Decanus in libello, qui circumfertur, nonnulla animadvertit, quae tamen quoad substantiam continentur in praeterito folio. Nihilominus nonnulla animadversa fuerunt in maiorem quaestionis evidentiam. Quia Decanus magnopere confidit in rescripto S. C. C. edito in *Sebenicen.*, 4 martii 1876, iuvat factispeciem recolere:[2]

« Canonici et Mansionarii Cathedralis S., quae sub dominio Venetae Reipublicae mansit, dum viguit nobilis illa Respublica, diversis temporibus, diversimode applicuerunt Missam conventualem.

Primo enim Missam eandem pro serenissima Republica applicuerunt, a qua contributionum exonerationem obtinuerunt. Dein pro Imperatore

[1] Cf. N. 4309.
[2] Thesaurus Resolutionum, tom. 135, p. 147-156.

Austriae, in cuius ditione Venetia cecidit. Missa vero pro benefactoribus in genere vel tantum die Sabbato applicabatur, vel nullimode, contra canonum sanctionem.

Verum a die 20 iunii 1828 per Litteras Apostolicas: *Locum Beati Petri*, a Leone XII datas[1] Capituli praedicti status immutatus fuit. Idcirco Capitulum illud ex hoc tempore quatuor tantum habuit canonicos una cum duabus Dignitatibus: Praeposito nempe et Decano. Cuicumque Canonico annua pensio a gubernio assignata fuit; eadem methodus applicandi Missam conventualem usque ad annum 1840 servata fuit.

Antistes tamen, auditis et consentientibus Capitularibus, a die 7 iunii anni praedicti statuit, ut Missa conventualis ad tramites SS. Canonum et praesertim const. Bened. XIV, *Quum semper oblatas*[2] quotidie a capitularibus, absque gradus distinctione per turnum celebraretur, et applicaretur pro benefactoribus in genere, necnon ut diebus a rubricis generalibus praescriptis, secundae et tertiae Missae obligatione detenti essent.

Hoc decreto Mansionarii soluti sunt ab obligatione canendi Missam conventualem in diebus feriatis, haec enim per turnum coepit quotidie celebrari et applicari a canonicis, exceptis quibusdam solemnitatibus, in quibus Praepositus et Decanus specialiter designati sunt a capitularibus statutis. Secunda vero et tertia Missa in diebus designatis a rubricis generalibus celebrari quidem coepit, sed libera applicatione. His enarratis circa consuetudinem Missae conventualis, retulerunt Capitulares aliquando evenire vacationem alicuius Canonicatus, vel dignitatis, et tunc Missae conventualis celebratio fit quidem ab aliis per turnum, vel ab alia dignitate, aut seniore ex Canonicis iure devolutionis, sed libera applicatione. Ita pariter mos est in praefato capitulo, ut vacante sede Episcopali, vel Episcopo Pontificalia non peragente, atque impedita prima dignitate, nempe Praeposito, ad quem in diebus Episcopi spectaret celebratio et applicatio Missae conventualis, vi capitularium statutorum, hic eleemosynam tribuat pro eiusdem applicatione illi canonico, qui eum repraesentat, iure devolutionis, excepta prima Missa die Nativitatis D. N. I. C., quae est liberae applicationis.

Praetereundum haud est, canonicos in tali nunc esse conditione, qui a Gubernio civili, super *religionis fundo*, pensionem mensilem recipiant. Ita ut pensio pro Episcopo, sede vacante et pensiones canonicatuum vel Dignitatum, quae vacant, apud *religionis fundum* maneant. Alium haud extare fundum, qui eleemosynas praebeat pro Missis conventualibus celebrandis tempore vacationis, ab illo, ad quem iure devolutionis pertineat ».

Ex qua facti specie evincitur, praeter alias differentias iam notatas inter illum casum et casum hodie controversum, advertendum esse in Capitulo Sebenicen. legem Missae conventualis nunquam fuisse rite observatam et hinc iure merito S. C. C. nihili fecisse morem, qui non secus ac in aliis casibus, praeseferebat iuris corruptelam; proindeque lex instauranda erat funditus, nulla habita ratione receptorum morum. Ex adverso in casu nostro

[1] Bull. Rom. Cont., tom. 17, p. 375-380.
[2] Cf. N. 345.

consuetudo iam a 150 annis inolevit, et (quod sapientissime advertit Antistes Giordano) *non de omnibus quae a maioribus nostris praescripta sunt, ratio reddi potest.* Posita autem observantia ipsum factum iubet praesumi titulum seu obligationem legitime susceptam a Decano celebrandi et applicandi Missam. Imo in praeterito folio assertum fuit, hunc titulum posse derivari etiam a praescriptione, vi consuetudinis, quae reprobatur uti corruptela iuris quatenus tendit ad abolendum onus celebrandi Missam conventualem, sed minime quatenus hoc onus de uno in alterum *transfert.*

Verum Decanus, ex actis visitationis Episcopi Giordano 1753, refert, onus Missae conventualis attributi tantum Hebdomadariis, his verbis: « Missa conventualis (habetur), quae ad S. C. praescriptum quotidie et celebratur et applicatur pro Benefactoribus in genere et hoc onus, ut mox innuimus, est quatuor praebendatorum ». — Nihilo secius graviora videntur verba quae continentur in tabella Festivitatum Episcopi Del Vecchio relata in folio, in qua dies celebrationis Missae conventualis distribuuntur inter Dignitates et Hebdomadarios; quae distributio est pene ridicula, si revera Missa conventualis celebranda et applicanda esset ab Hebdomadariis exclusive omnibus et singulis diebus. Quare in relatione S. Visitationis a. 1753 supra citata intelligi debet, onus esse ordinarium hebdomadariorum celebrandi Missam conventualem, nempe quotidie, exceptis tamen nonnullis solemnioribus diebus. — Sane in actis eiusdem Visitationis legitur: « Chori praefecturam in festis solemnibus Episcopalibus agant pro ordine Dignitates et Missam (nolente aut absente Episcopo) canere debent. Ipsis deficientibus succedit Canonicus hebdomadarius: In reliquis vero diebus tum festis tum ferialibus... Missam conventualem canunt quatuor canonici praebendati... » Atqui si hebdomadarii succedunt in onere, deficientibus dignitatibus; ergo dignitates habent onus illis diebus celebrandi et applicandi Missam conventualem; quam obligationem subordinatam oneri dignitatum non minus clare exprimunt cetera verba, *in reliquis vero diebus... Missam conventualem canunt quatuor etc.* Ceterum regula generalis est, uti explicat Bened. XIV, *De sacrif. Missae*, lib. 3, cap. 9, n. 1, seq., imposito onere celebrandi comprehendi etiam obligationem applicandi, nisi contrarium statuatur, et idem Pontifex in const. *Cum semper oblatas*, §§ 12 et 20, loquitur indistincte de onere celebrandi Missam conventualem eamque applicandi, quippe unum alterum, regula generali, secumfert.

Quae autem faciunt pro adversa parte, iam perpendimus in praeterito folio et evolvuntur a Decano in libellis, qui typis impressi circumferuntur. Sit itaque dubium:

An in diebus solemnioribus, quibus Missam canit Decanus, eidem competat Missam applicare pro benefactoribus in genere; vel hoc competat Canonicis Hebdomadariis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam partem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 160, p. 349-352].

4313.

S. C. C., *Syracusana*, 28 mart. 1903.

In urbe *Ragusa*, archidioecesis Syracusanae, una tantum hactenus erecta est paroecia sub titulo S. Ioannis Baptistae, quae omnes cives Ragusanos amplectitur, ad triginta *millia* hodie pertingentes. Inde studium excitatum est novam erigendi paroeciam in Ecclesia succursali *Ecce Homo*, ast in contrarias partes illico, uti fieri solet, divisus est populus. Interim in ipso Consilio municipali res disceptanda proposita est et, ex quadraginta consiliariis Consilio conscriptis, huic deliberationi unus et viginti partem habuerunt; atque octo et decem suffragium dederunt pro imploranda ab Episcopo paroeciae divisione; reliquis tribus contradicentibus. Etiam de dote constituenda actum est; et statutum fuit, in dotem attribui lib. annuas quingentas (500), easdemque veluti compensare summam pecuniae olim solutae titulo quartae funerariae modo abolitae. Quanam ratione autem fieret haec praestatio, ex actis satis non constat.

Archiepiscopus annuendum censuit voto municipii, novam exerit paroeciam, eique oeconomum spiritualem sacerdotem Scrofani deputavit, die 23 aug. 1901 decretum edens.

At Parochus S. Ioannis Baptistae appellationem apud H. S. O. instauravit, et in summa haec animadvertit adversus impetitam sententiam. Nimirum Sacerdos Angelus Arezzi parochus Ecclesiae S. Ioan. Bapt. exponit quod iuris canonici et Sacrae Congr. principium, in dismembratione aut divisione paroeciae tenendum est, prius cogitandum esse de dote, quae, si desit, ad dismembrationem paroeciae nullo modo procedi potest: can. 1, caus. 1, q. 2, can. 26, caus. 16, q. 7; cap. 1 et 8, *de consec.;* Fagnanus in cap. *Ad audientiam*, n. 31, et alii communiter. Dos autem constitui debet ex bonis liberis, frugiferis, in perpetuum, et nomine dotis constitutis et ad parochum parochiamque sufficientibus. Quod etiam firmatur ex ipsa definitione beneficii: *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum, auctoritate ecclesiastica constitutum.*

Iamvero in casu nostro non habetur dos sive pro parocho sive pro Ecclesia in paroeciam erigenda: Lib. 500 assignatae recensentur inter expensas *arbitrarias*, seu ad nutum revocabiles; et reapse idem municipium istam summam nunquam dedit eamque suppressit in annum 1902. Auctoritas tutoria, ut dicitur, *La Giunta Amministrativa Provinciale* huius summae erogationem non approbavit, et ipsa lex municipalis et provincialis hanc prohibet, quia expensae ultra quinquennium vel arbitrariae a maiori parte ex omnibus consiliariis (in nostro casu 40) approbari debent. Nec tenet ratio, nempe assignari summam loco quartae funerariae suppressae, quia hoc nullo modo constat, nec tollit instabilitatem assignationis. Siquidem etiam Parocho S. Ioan. iampridem summa aliqua hoc titulo fuit assignata, sed ad arbitrium diminuta fuit. Nec sperandum est quod Gubernium supplementum, quod vocant, dotis congruae novo Parocho assignet,

quia hoc tributum fuit tantum paroeciis iam constitutis; at pro erigendis requireretur nova lex. Decretum igitur divisionis caret fundamento, idest, dote. Summa insuper Lib. 500 non est sufficiens pro parocho, ut fatentur ipsi Consiliarii municipales, qui erectioni favent et ipsa Curia Archiepiscopalis, qui ad Fundum Cultus recurrere vellent: imo et ipse Oeconomus Spiritualis, qui conatus est dotem constituere vel supplere ex bonis suae familiae; at incassum, quippe absque Archiepiscopi approbatione et suis fratribus acriter resistentibus. Concordatum autem Siciliae a. 1818, beneficium parochiale reditus L. 850 habere iubet, et ipsum Civile Gubernium reditus L. 900 hodie parochis congruos et necessarios recognoscit.

Praeterea ipsa Ecclesia *Ecce Homo*, quae erigenda esset in paroeciam, dotem habet L. 203,97; et haec summa erogari deberet pro fabrica, pro oneribus Missarum, pro sacris supellectilibus et functionibus, pro sacrarii custode, aliisque clericis: imo et pro Coadiutoribus Capellanis! Nec adest domus parochialis, ita ut parochus longe ab Ecclesia habitare cogatur. Incerta parochialia pro tota civitate Ragusa non superant L. 200, quia deducuntur tantum ex matrimoniorum solemnitatibus.

Deinde Orator observat quod Gubernium Civile decretum divisionis paroeciae non approbavit, quia dos pro novo parocho non est sufficiens, nec perpetua, et assignatio a Consiliariis municipalibus facta est invalida: et quia dos, qua fruitur Ecclesia, non est sufficiens, neque habetur domus parochialis; denique non adest ulla ratio innovandi statum paroeciae.

Ad causas canonicas deveniens, quibus dismembrari aut dividi potest paroecia, Orator adnotat, quod omnes canonistae communiter assignant distantiam, et magnum incommodum, ex cap. *Ad audientiam*, Alexandri III, ex Conc. Trid., Sess. 21, cap. 4, *de ref.*

Quoad distantiam iuxta ipsam S. C. C. sufficiunt duo milliaria.

Iamvero in casu nostro omnes domus in civitate *Ragusa* non distant a paroecia S. Ioannis Bapt. dimidia parte milliarii et nonnullae tantum uno milliario, at certe non amplius, ut constat ex charta topographica, quae allegatur, et ex relatione quatuor peritorum. Ecclesia *Ecce Homo*, erigenda in paroeciam, ita parum distat ab Ecclesia parochiali S. Ioannis Bapt., ut in hac nemo praedicare valeat, quando pulsantur campanae illius Ecclesiae *Ecce Homo*, uti affirmant periti. Citata iura autem et Canonistae explicant incommodum accessus ad paroeciam, ut inde causa habeatur dismembrationis, et unanimiter docent quod sit magnum, h. e. quod adsint torrentes, vel flumina, absque pontibus, vel viae asperrimae etc. In casu nostro viae omnes sunt lapidibus stratae, aquaeductis munitae, et fere semper planae et currui perviae, praesertim illa, quae ab Ecclesiae *Ecce Homo* ducit ad Matricem, quaeque proinde vocatur *Maestra*. Quod autem quaecumque difficultas accedendi absit, probatur ex eo quod Oeconomus Spiritualis Ecclesiae *Ecce Homo*, coadiutores et capellani habitant in paroecia S. Ioannis Bapt. et in parte remotiori ab Ecclesia *Ecce Homo*. Pariter id constat ex relationibus peritorum et ex ipsis viarum photographiis, quas Parochus S. Ioannis Bapt. attulit. Ipsum Consilium municipale decretum emanavit, prohibens ne defuncti, prouti mos erat, afferrentur ad matricem propter

ipsius matricis decorem, sed iussit ad Ecclesias succursales afferri. Pars ipsa adversa testatur quod in Parochiali Ecclesia S. Ioan. Bapt. frequentissimus est populus. Et Auctoritas Civilis imposuit hoc anno parocho S. Ioan. Bapt. ducere processiones per totam urbem Ragusa more solito, «ad evitare i malumori di tutta la popolazione e i disordini che si temevano», ut ait. Haec omnia demonstrant non adesse ullam difficultatem accessus ad paroeciam S. Ioannis Bapt.

Pars adversa, prosequitur Parochus, exhibet nonnulla testimonia, ex quibus videretur, quod quidam infans mortuus est absque baptismo, et alius infirmus absque sacramentis. Sed praeterquamquod agitur tantum de periculo, in quo fuit infans ille moriendi absque coeremoniis, et infirmus absque adsistentia sacerdotis, ut luculentissime patet ex attestationibus parentum, ipse Oeconomus Spir. *Ecce Homo* testatur impossibile esse quod infantes Ragusae moriantur absque baptismo, quia levatrices consuetudinem ministrandi private baptismi habent. Paroecia autem S. Ioannis Bapt. habet quatuor succursales Ecclesias, in quibus explicatur Evangelium et Doctrina Christiana singulis diebus festis, habetur fons baptismalis, administrantur omnia sacramenta, non excepta communione paschali, et viaticum, celebrantur omnes functiones, etiam hebdomadae sanctae; ibique deferuntur defuncti et funera celebrantur. Insuper adsunt Ragusae 15 capellani coadiutores, praeter Parochum, et alios 45 sacerdotes.

Nec refert, quod numerus parochianorum sit 32.000, quia in iure *solus* numerus parochianorum non est causa sufficiens dismembrationis paroeciae: ita communiter Doctores.

In facto autem anno 1899 numerus parochianorum fuit 34 millia, et coadiutores parochiales erant decem, sed nemo dismembrationis necessitatem sentiit (!) aut postulavit; hodie iste numerus valde diminutus est et adsunt 15 coadiutores parochiales. Adverte insuper quod tot parochiani degunt in parvo territorio, ut patet ex topographia. Et parochiae ita populosae sunt frequentes in Sicilia; v. g. Vittoria et Comiso, prope Ragusam, numerant fere 30 millia parochianorum, et in Catania nonnisi una paroecia adest.

Adversa pars confugit, observat Parochus, ad maiorem utilitatem Ecclesiae. Sed respondetur, non quamlibet utilitatem sufficere ad dismembrationem paroeciae, sed requiri evidentem et absolutam utilitatem. Haec vero utilitas non habetur, ut patet ex epist. Archiepiscopi ad Vicarium foraneum post sacram visitationem, in qua scribit: «Lo slancio dell'affetto, l'entusiasmo, la vita religiosa di questo popolo mi ha commosso vivamente e lasciato nel mio cuore la più viva impressione». Immo dismembratio causa est discordiae et divisionis in clero et populo, fons litium propter pias fundationes, functiones ac processiones etc. ut factum fuit hoc anno.

Nec parvi ponderis sunt maiestas et decor Ecclesiae S. Ioannis Baptistae quae decoratur nomine Cathedralis et Basilicae, et residentia esse deberet ipsius Archiepiscopi Syracusani per plures menses in anno. De Luca in adnot. ad Conc. Trid., Discept. 16, notat expresse quod ista est causa denegandi dismembrationem. Item votum fere totius cleri et populi necnon votum omnium sacerdotum, procuratorum et incolarum paroeciae erigendae,

est sane maximi momenti. Quod si desit votum aliquorum consiliariorum municipalium, ipsiusque pro tempore Syndaci, et cuiusdam societatis opificum, sciendum est, illos placitis socialistarum favere nec ratione boni Ecclesiae moveri, ut pluribus argumentis probari posset.

Iamvero si, ut in casu nostro, non adest dos, non adsunt causae canonicae, nulla adest utilitas, e contra plura et gravia incommoda oriri possunt, dismembratio Ecclesiae parochialis S. Ioannis Bapt. perquam odiosissima fieret, et ideo non concedenda.

Ex adverso patronus, qui contendit sententiam Curiae Archiepiscopalis Syracusanae confirmandam esse, quaestionem sub duplici respectu considerat, iuris nempe et facti. Sub primo respectu patronus appellat tum ad decretalem celeberrimam Alexandri III: *Ad audientiam nostram*, Lib. 3 *Decret.*, tit. 48 *de ecclesiis aedificandis*, tum ad decretum Trident., cap. 4, Sess. 21.

Igitur iuxta leges expositas duae sunt causae dismembrationis, scilicet distantia vel aliud impedimentum, quo fideles non sine gravi incommodo ad ecclesiam parochialem accedere possunt. Notat Fagnanus (capit. *Ad audientiam*) hoc impedimentum undecumque provenire posse, et Tridentinum alternative locutum esse, nempe ob locorum distantiam sive difficultatem, ita ut alterutrum sufficiat.

Ulterius Tridentinum Concilium duos casus fingit: primum quod ita populus sit numerosus, ut parochus per se illum gubernare nequeat, alterum quod propter distantiam loci vel aliam difficultatem fideles difficillime ad parochiam accedere possunt. Primo in casu coadiutores parocho adiungendi sunt, altero in casu parochia absolute dismembranda est. Bouix, *de Parocho*, p. 2, cap. 4, prop. 6. Etenim si nequeat Episcopus novam parochiam, dismembrata antiqua, erigere nisi in casu, quo satis consuli non possit parochianis nimium distantibus per capellanum vel vicarium apud ipsos commorantem, vix videtur quandonam dismembrationi locus esse possit, ut ait Bouix loco citato. Verum etiamsi Tridentinum Concilium statuerit coadiutores parocho esse assignandos propter magnum numerum parochianorum, tamen Romani Pontifices ita interpretati sunt Tridentinam legem, ut quoties parochianorum num. 30.000 excedat, ipsis per novae parochiae erectionem consulatur. Patronus recolit constitutionem Pii VI, *Quod aliquantum*, diei 10 martii 1791, qua Pontifex declarat, parochias vires unius parochi excedere cum sexmille parochianos contineant, ac iubet novam parochiam erigi.

His theoretice constitutis patronus notat, hodiernam iurisprudentiam quam maxime parochiarum divisionibus favere, qua in re plures citat Sacrae Congregationis Concilii decisiones.

His constitutis in iure, patronus ad facti quaestionem descendens sibi probandum assumit: 1. in casu canonicas adesse causas, quibus ad parochiae S. Ioannis Bapt. in civitate Ragusana divisionem deveniatur; 2. Archiepiscopum in hac divisione peragenda iuxta iuris praescriptiones processisse. Quoad primum patronus sese refert ad Archiepiscopi Syracusani sententiam, in qua huiusmodi causae iuxta allata documenta describuntur. Et

primo quoad statum viarum refertur, vias difficiles esse per totum districtum parochiae erigendae usque ad parochiam S. Ioannis Bapt.; adeo ut hieme ob profundissimum lutum viarum, et aestate propter pulverem, sub aestu solis, oculis et faucibus infestissimum, sine magna difficultate incolae ad ecclesiam S. Ioannis Bapt. accedere non possint. Quoad distantiam, ex remotiore supra memoratae regionis parte usque ad ianuam principalem Ecclesiae parochialis S. Ioannis, distantia viarum intercedit quae, non longe abest a milliario: quae plurimi facienda sunt, attenta indole fidelium in civitate Ragusana, quae ad extremas Italiae meridionalis oras pertinet. Addatur hactenus in una parochia triginta tria millia incolarum contineri. Nec ad capellanorum subsidiarium remedium recurrendum est. Nam praeterquamquod hoc contra Tridentini Concilii dispositionem esset, Archiepiscopus testatur experimentum capellanorum quindecim in parochia S. Ioannis constitutorum ostendisse, tale remedium in casu esse omnino insufficiens, quodque iurata testimonia pluribus documentis rite redactis ac in actis causae extantibus ostendunt.

Advertit Archiepiscopus Ecclesiam *Ecce Homo* bene instructam esse, eiusque redditus ad libellas 300 pertingere. Praeterea advertere praestat, facta divisione, novam parochiam continere 13.485 parochianos; veteri autem parocho superesse numerum 19.099 incolarum.

Animadvertit deinde patronus ad subscriptiones, quae ab adversariis contra novae parochiae erectionem exhibentur, vel falsas esse, vel dolo obtentas. Demum ait patronus, non esse praetermittendum, ecclesiam matricem S. Ioannis Bapt. non plusquam tria millia fidelium continere posse, ita ut non sine pudoris offensione in maioribus solemnitatibus tanta populi multitudo ibi congeratur. Concludit inde patronus in casu canonicas adfuisse causas, quibus propter animarum utilitatem ad divisionem Parochiae S. Ioannis Bapt. procederetur.

Postremo patronus ostendit, Archiepiscopum Syracusanum solemnitates iuris servavisse in divisione parochiae peragenda. Ipse enim consensum canonicorum unanimem habuit; sententiam non solum a parocho S. Ioannis Bapt. petiit, sed etiam a sex procuratoribus eiusdem parochiae, ex quibus tres pro erigenda, tres vero pro non erigenda nova parochia votum tulerunt. Populus etiam per legitimos suos curatores, ut patet ex deliberatione municipali diei 6 februarii 1901 votum cum instantia pro erigenda nova parochia tulerat. Insuper omnia acta modo iudiciali confecta sunt; procuratores utriusque partis sunt constituti, eisque datus est terminus ad documenta exhibenda, ad discussionem definitivam faciendam. Ulterius congrua 500 libellarum annuarum a consiliariis municipalibus, habitis comitiis die 13 maii 1901, tribus tantummodo abstinentibus, assignata est, donec « non ne assumerà l'incarico l'amministrazione del Fondo per il Culto a termine dell'art. 28, N. 4 della Legge 7 luglio 1866, Numero 3036, e dell'articolo 1 della Legge 4 giugno 1899, N. 191 ». Haec congrua, ut notat Archiepiscopus, est certa, perpetua et sufficiens; certa quia exhibet summam 500 libellarum annuarum parocho solvendam; perpetua quia municipium Ragusanum illam solvere

tenetur ex iustitia ob titulum legalem abolitorum iurium quartae funeralis, donec administratio Fundi Cultus maiorem congruae summam rependat; sufficiens sicuti eadem summa sufficiens pro parocho S. Ioannis Bapt. recognoscitur, et etiam quia alia emolumenta parochialia addenda sunt, quae medium reditum minorem libellis 400, duce experientia, praestare nequeunt. Tandem limites novae parochiae iam definiti sunt, ut ipse Archiepiscopus testatur. Postremo tandem ad quamcumque contentionem circa congruae assignationem vitandam, oeconomus novae parochiae *Ecce Homo* ad Archiepiscopum Syracusanum et ad hanc S. Congregationem declarationem misit, qua se obligat ad constituendam praedictam dotem in proprio praedio *Giubiliana*, quod in Ragusae territorio reperitur.

Finem orationis suae imponit patronus notando iam a die 24 augusti anni 1901 Archiepiscopalem sententiam divisionis executionem habuisse. Parochia enim *Ecce Homo* per sacerdotem oeconomum regitur, et quidem independenter omnino in omnibus a parochia S. Ioannis, et ut Vicarius foraneus et Syndicus testantur, omnia bene procedunt sine turbis, sine dissidiis, imo maxima cum populi laetitia et utilitate.

Modo dignentur EE. PP. sequens diluere dubium:

An sententia curiae Archiepiscopalis Syracusanae sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Decretum esse confirmandum, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 162, p. 388-399].

4314.

S. C. C., *Parisien.*, 16 maii 1903.

Robertus de Clermont-Tonnerre, annorum 25 et Margarita de Biencourt, 17 annos nata, coniugale foedus inierunt Parisiis in Ecclesia Parochiali S. Clotildis die 29 maii 1877. Matrimonium infelices exitus habuit. Margarita enim, uti fertur, non *libere* nupsit Roberto, contra quem invincibili antipathia detinebatur, dum amorem erga alium iuvenem fovebat. Ipsa coacta fuit, uti asseritur, ab avia Marchionissa de Montmorency, utpote quae, non solum supremam exercens auctoritatem in universa familia, sed huiusmodi matrimonium ob Roberti nobilitatem et divitias firmiter volens, quibuslibet mediis voluntatem neptis frangere conata est.

Initis nuptiis, nec amore nec sollicitudinibus usus est vir ad sibi captandam mulieris repugnantis benevolentiam, quinimo ipsam fastidire coepit, atque contumeliis et iniuriis afficere; donec a. 1886, cum coniugale consortium propter iurgia contentionesque impossibile evasisset, mulier virum reliquit et apud matrem se recepit.

Tunc Robertus a civili tribunali petiit et obtinuit separationem, quae a. 1889, ad eiusdem instantiam, iuxta legem gallicam in divortii sententiam conversa est. Deinde a. 1900 Margarita a Curia Parisiensi enixe flagitavit ut suum matrimonium declararetur nullum ex *capite vis et metus*. Curia vero, rite confecto processu, die 16 augusti a. 1901 sententiam dedit: *Non constare de nullitate matrimonii in casu.*

Contra quam sententiam mulier ad S. Sedem recursum habuit; quapropter causa huic S. Tribunali definienda proponitur sub dubio: *An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis diei 16 augusti 1901 sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Margaritae patronus suam orationem in duas partes dividit; in quarum prima de metu in genere et de reverentiali in specie, in altera vero de coactione puellae illata disserit.

Et ad *primam partem* quod attinet, ipse praemittit principium, quod matrimonium, utpote contractus inter liberas personas, opus esse debeat voluntatum liberarum; atque ad rem affert verba Alexandri III, cap. 14, *de spons*. Iamvero, inquit patronus, libertati opponitur coactio sive physica sive moralis, quae constituitur actione super voluntatem exercita a causa externa. Si haec causa adeo potens est, ut se quodammodo substituat voluntati, voluntas non erit amplius causa principalis et responsabilis actus, quia hic non est liber, ac proinde quolibet valore iuridico destituitur. Ex quo patrocinator aliud deducit principium, nullum nempe esse contractum coactive positum, quum libertas necessaria in contrahentibus deficiat. Coactio vero exercetur per metum, nam voluntas ad vitandum malum, quod timet, actum ponit, quem sine coactione non posuisset. Unde metus erit gravis ac matrimonium irritans, si coactio fuit causa determinans et principalis coniugii.

Quae principia, contendit orator, applicanda esse metui reverentiali, qui a metu ordinario non differt, nisi ex persona a qua infertur, et definitur: «futuri mali existimatio, quod nobis ab iis metuimus in quorum legitima potestate sumus, et quos cultu et honore dignamur». Quapropter etiam metus reverentialis erit gravis ac matrimonium irritans, si extitit causa principalis et determinans contractus; quod in singulis casibus iudicandum est, habita ratione personarum, circumstantiarum et ambitus, in quo metus exercetur. Unde, iuxta advocatum, summopere erraret, qui crederet ad metum reverentialem gravem requiri verbera vel saevitias vel minas vel verba contumeliosa. Timor enim reverentialis stipatus esse potest aliis circumstantiis, videlicet precibus instantibus, suasionibus diuturnis et importunis, imperiosis verbis; quae secundum naturam et indolem agentis vel patientis non minus urgere atque vexare solent. Ex quibus in animo patientis oritur suasio odii et indignationis superioris; quod malum grave est, et quo voluntas compellitur. Quae est etiam iurisprudentia recentissime recepta, nimirum diuturnas atque importunas persuasiones, imo preces assidue repetitas de proposito matrimonio contrahendo cum timore reverentiali coniunctas, sine minis quoque et verberibus constituere metum gravem, efficacem ad infirmandum coniugium. Quae doctrina multo magis locum habet, si metum incutiens plenam habeat auctoritatem, et metum patiens sit aetate minor, indolis submissae, etc.

In *altera orationis parte* ad moralem coactionem ac proinde matrimonii nullitatem demonstrandam patronus probare nititur:

1. Marchionissam fuisse indole absoluta; e contra puellam indole dulci, et aviae omnino submissam.

2. Aviam nuptias firmiter voluisse; neptem ab iis abhorruisse.

3. Illam omnia adhibuisse media ad puellae voluntatem frangendam; hanc vero omnibus modis restitisse et nonnisi circumventam et oppressam detestatum matrimonium subiisse.

Quod *Marchionissa fuerit indole absoluta*, probat orator ex depositione tum oratricis tum testium septimae manus, qui affirmant ipsam in familia absolutum imperium semper exercuisse, ita ut, etiam vivente viro, non solum filiae sed filii, quamvis ratione aetatis emancipati, eiusdem voluntati omnino subditi fuerint. Quae auctoritas maxima erat, cum Marchionissa ingentem fortunam possideret, qua potuisset pro lubitu unum vel alterum ditare; hinc in familia voluntas eius erat lex absoluta et observata, ita ut nemo ei contradicere auderet.

E converso, ait patronus, *Margarita fuit indole dulci et aviae omnino submissa;* uti colligitur ex depositionibus eorundem testium. Velle autem non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini: unde (L. I, ff., *Quarum rerum actio*, § *Quae onerandae*) irrita declaratur promissio liberti domino facta: « Si liquido appareat, libertum metu solo, vel nimia patroni reverentia ita subiecisse ».

Quod *Marchionissa hoc matrimonium firmiter voluerit*, patrocinator ostendit ex eo quod plures fatentur eam continua coactione neptem ad illud contrahendum induxisse.

E contra, pergit advocatus, *Margarita propositas nuptias abhorruit;* nam plures testes asserunt ipsam fovisse antipathiam adversus Robertum. Et merito quidem, ait patronus; etenim puellam certe non latebat natura et mores viri, qui vino deditus erat et convivebat cum quadam muliere, ex qua ipse filios habuit.

Insuper ex iurata actricis fide et septimae manus testimonio probat orator *puellam pro viribus restitisse et nonnisi circumventam et oppressam nuptias subiisse*. Marchionissae voluntas lex fuit inflexibili modo imposita, et lex ferebatur in personam prorsus dominatam, ita ut modesta contradictio ad nihilum valeret et de resistentia ne cogitari quidem potuisset. Iterum atque iterum unaquaque die per tres integras hebdomadas sive Marchionissa, sive amita, sive patruus, qui alias nuptias propugnaverant, hoc aliud matrimonium puellae imponebant; sed iterum atque iterum protestationibus et lacrymis puella impositum coniugium reiiciebat, donec viribus fracta, febri oppressa qua totidem noctibus urebatur, animo defecit, ab inutili resistendi conatu destitit, atque in statum desolationis ac desperationis cecidit. Haec testatur actrix, cui plures alii testes concinunt.

Nec alia resistentia potuisset opponi a puella vix septemdecim annos nata, adnotat orator, dum universa familia, praecipue eius mater, pupilla et ipsa atque vidua, a Marchionissae voluntate tamquam a lege penderet. Nec ad aliquem potuisset confugere, dum Marchionissa dominio et terrore omnes premebat. Cumque hic rerum status stabilis esset ac permanens, puella rationabiliter sperare non poterat, familiae et aviae praesertim indignationem diu, immo semper non duraturam.

Praeterea Marchionissa minabatur quod si Margarita oblatas nuptias

respuisset, nullas alias contractura foret; qui timor, ait patronus, est gravis imo gravissimus. Ex quibus omnibus iam patet, concludit orator, auctoritate, instantibus ac importunis precibus, consiliis, imo iussu et minis consensum puellae extortum fuisse, ideoque matrimonium ab ipsa initum nullum fuisse.

Huc perducta oratione, advocatus solvit difficultatem, quae erui posset ex verbis nonnullorum testium deponentium: « *quod resistentia puella perduravit ad mensem...; postea cessavit...; quod tandem Margarita se submisit...* » Et imprimis notat quod ipsa verba sumpta, prout sonant, non indicant consensum praestitum sed cessationem defensionis; etenim cum ille, qui vim vi repellit, dicitur cedere seu a resistendo desistere, intelligitur vi cedere, non consentire. Insuper praesumptio est quod qui testatur, de eo intelligatur velle testari, quod ei constat. Iamvero quod constat ex facto cessationis a resistentia, est quod a resistendo puella destiterit, non quod consenserit; nam utrum cesserit quia consenserit, est alia quaestio, circa quam non admittitur iudicium testium, nisi afferant facta, quibus innituntur. Facta autem quae afferuntur a testibus, nihil probant; etenim postquam narraverint, puellam semper et constanter consensum negasse, quia alium virum in corde habebat, addunt tandem cessisse, quum Comes de Ludre, amicus patris puellae, dixerit non solum ad consentiendum eam teneri, sed hanc ipsius patris, si in vivis esset, voluntatem fore. Unde, pergit advocatus, ipsa cessit, non consensit; qui enim consentit, non desperat, et vix cogitari potest, ut ad id quod cum totius vitae tranquillitate et ordine componi nullo modo posse quis noverit, et in propriam verti ruinam, consentire possit.

Insuper, ait orator, qualis puellae animus fuerit, cum a resistendo destitit, ex factis clare apparet. Sane postquam viribus fracta et febri oppressa a resistendo destiterit, actrix suam voluntatem patefecit vel ipsi viro, protestans se aliam in animo affectionem habuisse.

Ceterum testes, qui illa verba protulerunt, ea explicarunt iuxta sensum superius traditum, nempe de cessatione a resistentia exteriori, non autem ab interna repugnantia.

Deinde refert advocatus hanc Praesidis Tribunalis Parisiensis adnotationem: « Unum tantum addendum, omnes scilicet testes a Curia auditos omni exceptione maiores esse, et plures, praesertim Marchionem de Biencourt sincera voce ac profunda conscientiae persuasione, iudicum mentes vehementer movisse, ut patet ex nota Tribunalis adiuncta processui ».

Postremo patrocinator refert litteras matris Margaritae ad Curiam Parisiensem missas, ex quibus patet, omnibus puellam viribus restitisse.

Et ulterius progrediens patronus ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus probare satagit matrimonium fuisse nullum. Circumstantiae antecedentes et concomitantes habentur in moestitia et lacrymis usque ad extremum a puella effusis, in protestatione a puella Roberto facta circa eius affectum erga aliam personam, in eius agendi ratione indifferenti erga sponsum. Inter circumstantias subsequentes potissima habetur in facto, quod matrimonium nonnisi post quatuor annos consummatum est. Aliae circumstantiae habentur in universa coniugum consuetu-

dine, quae nunquam fuit intima et cordialis sed difficilis et veluti impossibilis et ad evitanda scandala. Unde, scribit advocatus, in casu sequutus est exitus qui, uti inquit Alexander III, de invitis nuptiis provenire solet, idest discordia, contentiones, actuum coniugalium absentia et separatio.

Demum pergit patronus ad confutationem sententiae Curiae Parisiensis, praetermittens ea, quae sententia habet circa metum reverentialem purum; agitur enim, ipse inquit, non de metu reverentiali puro, sed de metu reverentiali precibus instantibus, suasionibus importunis, imperio, iussu, minis, iniquis conspirationibus coniuncto, qui ab omnibus Theologis et Canonistis gravis censetur, ac proinde irritans matrimonium, praesertim quum agatur de puella septemdecim annorum, timida etc. ex una parte, et de persona absoluta, auctoritativa, imperiosa ex altera.

Sed silentio praeterire non potest orator, quae sententia Curiae Parisiensis habet circa ius propinquorum in ordine ad matrimonium vel potius circa applicationem principii in casu: « Attendentes in hac causa, neque de coactione, neque etiam de vi moveri quaestionem, sed tantum de coactione morali illa agi quae a propinquis prudentibus de coetero in adolescentulam vitae imperitam et constanti voluntate destitutam, ad familiae decus tuendum legitime adhiberi solet etc. ». Iamvero sedulo inquirendum est, observat orator, quaenam sit moralis illa coactio, quae legitime a propinquis adhiberi possit, quaeque cum actu libero possit componi. Proprie loquendo, cum coactio vi vocabuli per se excludat libertatem, dici deberet nullam coactionem ab ipsis legitime in matrimoniis adhiberi posse; at si per illam coactionem moralem intelligi debet coactio improprie dicta, non excludens libertatem, tunc quaerit orator quid per istam coactionem impropriam intelligatur. Quod si per hanc coactionem intelligatur, posse propinquos impedire, ne imperita puella coniugium ineat evidenter perniciosum, vel posse ipsos uti consiliis et persuasionibus, hoc concedit orator; sed non admittit posse propinquos, postquam attentis parentum consiliis, contrahens nolit matrimonium ab ipsis propositum inire, hoc matrimonium ut legem imponere et ad hoc impellere et cogere. Atqui ex dictis constat, prosequitur advocatus, propinquos Margaritae suo iure suaque auctoritate abusos fuisse, praesertim vero Marchionissam, quae matrimonium non proposuit sed imposuit. Ergo, concludit patronus, patet infirmandam esse in casu sententiam Curiae Parisiensis.

Ex adverso Sacramenti vindex contendit non constare de nullitate matrimonii in casu. Et in primis adnotat doctrinam, quae tenet matrimonium ex metu initum de iure naturae vitiari, esse quidem communiorem et veriorem, non autem certam, prouti ait patronus; imo esse prorsus falsam eiusdem assertionem, qui scribit disputare auctores, an impedimentum metus sit iuris naturalis tantum vel etiam iuris positivi ecclesiastici, quia Theologi et Canonistae omnes consentiunt hoc impedimentum esse de iure ecclesiastico, quamvis dubitent plurimi, an sit quoque vel minus ad ius naturale referendum. Et optime sane, inquit patronus; nam si hoc impedimentum est tantum de iure ecclesiastico, in iudicio ferendo de metu attendenda sunt, quae Ecclesia hac in re constituit e. g. quoad metus entitatem, probationem...;

dum si formaliter est de iure naturali (licet iure positivo firmatum) tunc attendendum erit quod natura immutabiliter edixerit.

Insuper vinculi defensor concedit quidem metum reverentialem esse aptum iustas nuptias solvendi; sed haud satis esse, ut metus reapse intercesserit, requiri praeterea, ut ille evidenter probetur. Idque non solum quia res facti, praesertim vero impedimenta matrimonialia (maxime inito iam coniugio) sunt probanda, sed et quia agitur de facto delictuoso; constat quippe metum non posse inferri sine crimine ob gravissimam, qua ita percellitur singulorum libertas, iniuriam. Verum, urget orator, quam difficilis sit probatio metus reverentialis nemo est qui statim non videat, quum agatur de re eminenter subiectiva, circa quam testium auctoritas multo minus valet ac circa metum ordinarium. Et reapse huiusmodi metus ob singularem eius naturam, seu quia illatum a parentibus, in concreto est talis, quod tamquam impedimentum occultum haberi debeat. Unde exurgit consectarium: nempe celebrato iam invalide coniugio ex metus reverentialis causa, facile posse ipsum sanari per subsequutam cohabitationem et praesertim per copulam carnalem. Notum quippe est tali modo firma fieri posse matrimonia irrite celebrata ob occultum impedimentum, etiam in locis, ubi viget Decretum *Tametsi* Conc. Trid.,[1] et quin ad defectum purgandum iterum uti opus sit opera parochi et testium. Iam age in casu Margarita ex metu reverentiali erga aviam nuptias cum Roberto celebravit, quocum et cohabitavit per decem annos et copulam habuit; imo, quod magis est, Curia Parisiensis hac de causa primam actricis instantiam negativo responso dimisit.

Quod si actricis patronus obiiciat acta suppletiva seu acta confecta post primum processum Curiae Parisiensis; vinculi defensor haec acta valde suspecta habet. Certo certius, ait ipse, huiusmodi acta, si rite et ex debita potestate perfecta, non impingunt in litteram regulae Clementis V (Clem. II, *de testibus*) seu: « Testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super iisdem vel directe contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere, cum non minus in appellationibus quam in principali causa subornatio sit timenda ». Verum, si descriptis in adiunctis acta suppletiva sunt legitima, manent tamen semper suspecta, seu talia quibus magna cum prudentia sit utendum, quia potiusquam praecedentium responsionum explicationes, esse possunt cerebrinae inventiones personarum subornatarum aut fallaciter deceptarum.

Deinde gradum faciens sacramenti defensor ad quaestionis meritum, duo probare aggreditur, videlicet metum in casu haud fuisse talem, qui nuptias irritare posset; non solum sed etiam posito talem fuisse, probabiliter saltem purgatum fuisse et hinc nuptias invalide in hypothesi celebratas ex post facto convaluisse.

Et ad primum caput quod attinet, animadvertit orator, quod si casui huic aptetur regula S. C. Sancti Officii 20 iunii 1883: « Gravitas metus

[1] Sess. 24, *de ref. matrim.*, c. 1.

oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur », [1] desperandum est de actricis intentione, quia praetensus metus in nihilum resolveretur. Sane metus proficiscebatur nec a patre, nec a matre, sed ab avia et quidem sene Marchionissa, quae fatentibus testibus fuit regina in suos, non autem tyranna neptem quasi victimam ad holocausti aram impellens.

Praeterea actrix cum nupsit Roberto in ea aetate erat ut, quamvis indole miti praedita, facile aviae resistere potuisset, apprime sciens se plena frui libertate praesertim in ordine ad nuptias, imo tandem aliquando aviam instantiis precibusque fuisse cessuram.

Ceterum minae ad hoc reducuntur, quod forsan actrix aliis nuptiis caruisset opera aviae atque dotis augmentum ab ea minime habuisset; verum cum iunior esset neptis et avia senex, multa alia coniugia ei praesto esse potuissent, et insuper ad Margaritam pars illa, quae *legitima* appellatur, loco ac vice defuncti patris semper spectabat. Unde, concludit orator, metus reverentialis in casu non fuit talis, qui iuxta Sacrorum Canonum statuta valori nuptiarum obesse potuisset.

Deinde procedens sacramenti vindex ad alterum caput observat quod, etiamsi metus reverentialis nuptias irritaverit, tamen purgato metu ex post facto illae convaluerunt. Etenim attento iure Decretalium (can. 21, *de sponsal. et matr.*) necnon etiam hodie, ubi non viget caput *Tametsi* Conc. Trid., coniugium licet notorie nullum, validatur per spontaneam cohabitationem et praecipue per copulam; adeo ut qui tempore opportuno matrimonium suum uti nullum non accusaverit, non sit postea audiendus. Unde ad rem citata *Instructio* S. Officii, 20 iunii 1883: « Circa impedimentum quod *vis et metus* dicitur, ante omnia advertendum occurrit, reiici (ab impugnatione) eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas ac opportunitas reclamandi non defuerit, ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione mature facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde imprimis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, ut dicitur, utili facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerendum erit, quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit, utrum accusatio admittenda an reiicienda sit ». Iamvero in casu sponsa cum sponso cohabitationem fovit, matrimonium cum ipso consummavit nec nisi serius illud uti nullum dixit; quare praesumptio oritur ipsam defectum purgasse et matrimonium antea forsan nullum facto suo ratificasse.

Advocatus autem obiicere potest: duo requiri, ut fiat locus huic theoriae, nempe ut causa metus iam cessaverit, et ut metus fuerit occultus, nam in Galliis quum adhuc vigeat caput *Tametsi* Conc. Trid., matrimonium nullum ex defectu consensus sanari non potest nisi servata forma eiusdem Synodi. Sed vinculi defensor observat primam difficultatem minime sustineri quia, quum metus processerat ab avia, vel haec supponitur demortua infra decennium et tunc, sublata metus causa, concludendum erit renovatum apte fuisse consensum; vel supponitur eadem adhuc in vivis esse et tunc concludendum alio ex capite causam metus cessasse, quia ob pessimos mores Roberti in sponsae moerorem et in familiae dedecus vergentes, avia ipsa adiuvisset Margaritam ad infelices nuptias disrumpendas. Item omni vi caret altera difficultas, prosequitur patronus, quum impedimentum praesertim ex metu reverentiali facile praesumitur esse occultum, sive quia voluntas patientis ex nolente mutari potest in volentem, sive quia influxus metus in patientem demetiri nequit.

[1] Cf. N. 1076.

Tandem sacramenti vindex ex quibusdam actricis verbis concludit vel ipsam matrimonium sponte celebrasse cedendo aviae argumentis, vel saltem ex post facto libere consensisse in coniugium antea nullum, ita consensus defectum purgando.

Quibus omnibus hinc inde relatis, sapientissimo EE. VV. iudicio diluendum proponitur dubium:

An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse infirmandam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 162, p. 424-447].

4315.

S. C. C., 14 nov. 1903.

Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum Patrum statuta, et canonicas sanctiones, tit. 22, lib. I, *Decret.*, ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitium esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur, iustum iudicium tute expediteque fieri saepe difficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subrepunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituantur cum gravissima divinae maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina S. Concilii Congregatio, de speciali mandato SS̃mi D. N. Leonis XIII, circularibus litteris ad Italiae et Americae Ordinarios die 27 mensis iulii 1890 datis, legem tulit, qua italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis contineret. [1]

Hac lege, noxia plura remota et sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera art. 6 superius recensiti interpretatione, salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratum. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam, et ad insulas Philippinas.

[1] Cf. N. 4280.

Quare Emi S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorumdem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis iulii 1890 sub nn. 2, 3, 4, 5 et 7, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur.

Facultas vero sub num. 6 concessa circumscribitur ad casum strictae et urgentis necessitatis, ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana charitas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum et de re statim edocenda S. Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero in posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis Clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius, ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur.

Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis et monito per Epistolam Episcopo loci, ad quem sacerdos proficiscitur.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas, eaedem leges ac normae serventur ac pro Italis sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae sacerdotibus venia expetenda sit a S. C. Concilii; pro Americae vero aut alterius regionis sacerdotibus, a Delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad Insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica, iuxta regulas superius statutas, et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. X in audientia diei 17 septembris p. e. ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Decreta Emorum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. – V. Card. Vannutelli, *Praefectus*. – C. De Lai, *Secret.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2180. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXVI, p. 355-357].

4316.

S. C. C., *Vratislavien.*, 1 febr. 1904.

Emus Episcopus petit extensionem declarationis S. C. Concilii in *Colonien.*, 23 februarii 1901 [1] ad suam dioecesim.

Die 1 februarii Sanctitas Sua gratiam extensionis declarationis, de qua in precibus, iuxta petita, Card. Episcopo Wratislaviensi benigne impertita est.

[Liber 247 Decretorum, p. 521].

4317.

S. C. C., decr. *Ut debita*, 11 maii 1904.

Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae SSmus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes, quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam, ut tamquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla Ecclesia

[1] Die 3 octobris 1899, dum Ecclesia Colonien. suo viduata erat pastore, Vicarius Capitularis supplicem dedit libellum ad H. S. O., ut venia daretur in paroeciis magnorere vastis et populosis illius Archidioecesis, ubi Ecclesiae filiales constitutae erant pro commodiori sacramentorum administratione, proclamationes matrimoniales fieri a curionibus ibi curam animarum, delegata auctoritate, exercentibus, dumtaxat in eisdem Ecclesia filialibus, praetermissa nempe Ecclesia parochiali matrice.

Has preces ingeminavit die 19 decembris 1900 novus Archiepiscopus Colonien., qui enixe adprecatur, ut dispensatio a Vicario Capitulari efflagitata benigne et quo citius concedatur.

Pro evolvenda iuris quaestione expostulavi volum Consultoris, quod hodie precibus adnectitur. Quare, etc.

Die 23 februari 1901 Sacra etc. respondit: Attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus, publicationes matrimoniorum in Ecclesiis filialibus posse sufficere, dummodo ambo contrahentes verum domicilium in districtu earundem Ecclesiarum habeant. — Liber 244 Decretorum, p. 1022.

sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent, ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit: 1. neminem posse plus missarum quaerere et accipere, quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

2. Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3. Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4. Cum in decreto *Vigilanti*, diei 25 mensis maii 1893 [1] statutum fuerit, « ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum »: ad tollendas ambiguitates Emi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni, intra quem onera impleri debuissent; pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum, quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium, ad quos spectat, conscientia graviter oneratur.

5. Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

6. Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

[1] Cf. N. 4286.

7. Ordinarii dioecesani missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus, ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, quos eis indigere noverint; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extra-dioecesanis, dummodo sibi noti sint omnique exceptione maiores », firma semper regula art. 6 de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8. Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas, ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurret.

9. Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt, decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui*, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10. Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo, si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

11. Item sine nova et speciali S. Sedis venia (quae non dabitur, nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere, ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12. Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

13. Et cum in const. *Apostolicae Sedis*[1] statutum sit excommunicationem latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent », S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14. Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur, ut associationes ope missarum iam initae usque ad exitum anni, a quo institutae sunt, protrahantur. Itemque conceditur, ut indulta reductionis eleemosynae missarum, quae in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15. Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere, quam synodalem loci, in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere, quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.*, 25 iulii 1874[2] et *Hildesien.*, 21 ianuarii 1898.[3]

In *Monacen.* enim « attento quod eleemosynae missarum quorumdam legatorum pro parte locum tenerent congruae parochialis, Emi Patres censuerunt licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive cantatis ». Et in *Hildesien.* declaratum est, « in legatis missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redituum portionem, quae in limine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplemento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare, ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum, in quo manuales missae, quae a fidelibus traduntur, ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri, in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

[1] Cf. N. 552.
[2] Cf. N. 4228
[3] Cf. N. 4306

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione praesentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus. – Vincentius Card. Ep. Praenestinus, *Praef.* – C. De Lai, *Secr.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2192. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXVI, p. 672-676].

4318.

S. C. C., *Pragen.*, 25 iun. 1904.

Die 2 decembris mox elapsi anni Emus Card. Archiepiscopus Pragensis H. S. O. sequens dubium proposuit:

« Iuxta leges ecclesiasticas pro ordinatione candidatorum in alia dioecesi tanto tempore commorantium, ut ibidem impedimentum canonicum contrahere potuerint, litterae testimoniales ab Ordinario illius dioecesis necessariae sunt. Tempus, quo candidati aliquod impedimentum iuxta communiter contingentia contrahere potuissent, respectu servitii militaris trimestre, secus autem — saltem iuxta plures — semestre statuitur, quamvis non desint, qui brevius statuant temporis spatium. Iam vero dubium est, utrum litterae testimoniales pro eiusmodi candidatorum ordinatione nonnisi tunc sint necessariae, cum requisitum temporis spatium per continuam eorum in alia dioecesi commorationem fuerit adimpletum, an etiam tunc, cum idem ipsum temporis spatium non quidem per continuam, tamen vero per iteratam in respectiva dioecesi ex parte candidatorum commorationem completum fuerit ».

Iuxta constitutionem *Speculatores* Innocentii XII[1] et bullam *Apostolicae Sedis* Pii IX[2] statutum est ut, qui per notabile tempus in aliena dioecesi commoratur, ad Ordines promoveri non possit absque litteris testimonialibus Ordinarii huius loci. Etenim constitutio Innocentiana decernit: « Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere illasque Episcopo Ordinanti, per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas, praesentare teneatur ».

Quae dispositio per bullam Pianam extensa et amplior effecta est; siquidem in hac statuitur quod: « suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes... subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus ».

Iam vero hoc temporis spatium commorationis clericorum in aliena dioecesi, si agatur de militiae addictis, sive hi sint clerici regulares sive saeculares, est trimestre tempus. Pro Regularibus enim adest Instructio S. C.

[1] Cf. N. 258.
[2] Cf. N. 552.

super Disciplina Regulari, diei 27 nov. 1892, n. 5.[1] Haec autem dispositio clericis saecularibus servitio militari mancipatis extensa fuit, uti clare patet ex resolutione H. S. C. in *Firmana, Postulatum quoad litteras testimoniales Ordinandorum*, 9 sept. 1893.[2] Accedit Resolutio in *Urgellen., Dubia super testimoniales ad S. Ordines*, 26 ian. 1895.[3]

Pro aliis vero clericis, qui lege militari non tenentur, tempus commorationis in aliena dioecesi ad effectum litterarum testimonialium est semestre, uti tenent Santi (*Praelect. iuris can.*, lib. I, tit. 11, in append.); Card. D'Annibale (tom. III, tit. 3, art. 2, not. 11), etc.

Hisce praemissis, ad propositum dubium videretur respondendum, quod trimestre vel semestre tempus commorationis candidati in aliena dioecesi pro inducenda obligatione litterarum testimonialium ad S. Ordines deberet esse continuum, adeo ut prorsus exclusa maneret iterata vel disiuncta commoratio. Sane in communi loquendi ratione quando dicitur trimestre vel semestre sine alio addito intelligitur quod sit continuum. Atqui evulgatum satis est principium, quod verba legis explicari debent iuxta communem loquendi usum, Leg. *Libror.*, § *Quod tamen Cassius*, ff., *de legat.*, 3; Leg. *Labeo*, ff., *de supellect. leg.*; et quod leges non respiciunt nisi ea, quae communiter et frequentius fiunt, Leg. *Nam ad ea*, ff., *de leg*. Ergo trimestre vel semestre tempus relate ad literas testimoniales videtur quod debeat esse continuum.

Idque eo fortius tenendum apparet, si expendatur quod res est de novo onere a lege non expresso Ordinariis imponendo in S. Ordinatione peragenda, et aliunde notum est axioma *lex quod voluit expressit*, et nulla imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. Insuper expendendum in themate agi de materia odiosa, et super qua lex poenas imposuit; siquidem Ordinariis ordinantibus sine literis testimonialibus inflicta est suspensio latae sententiae Romano Pontifici reservata ab Ordinum administratione ad annum. Hinc in interpretatione legis non videtur posse procedi cum criterio legis extensivo, sed potius restrictivo.

Demum est advertendum quod admissa coniunctione variarum commorationum ad complendum trimestre vel semestre tempus, res in praxi pluribus esset involuta difficultatibus; siquidem primum difficultas esset in determinanda longitudine interruptae commorationis; deinde munus indagandi circa mores et vitae rationem a candidato ductam evaderet nimis arduum, ne dicam inutile et impossibile; per interruptionem enim commorationis candidati, facile etiam obtruncantur relationes, atque facta et notitiae obliterantur.

Ex altera vero parte expendendum venit, quod scopus et tota vis legis in exigendis litteris testimonialibus in eo posita est, ne quis aliquo irretitus canonico impedimento temere ad S. Ordines admittatur, atque ut de candidati idoneitate Episcopus ordinans certior usque evadat. Hanc fuisse legislatoris mentem in dubio revocari nequit, si paulisper recolatur historica evolutio legislationis hac in re, initium sumens a constitutione Innocentiana *Speculatores*, cuius sensus magis magisque declaratus fuit per responsiones S. H. C. in *Asculana*, 7 febr. 1733,[1] in *Lunen.*, 29 maii 1824[2] et in aliis pluribus; et deveniens usque ad taxativas dispositiones, quae continentur in constitutione *Apostolicae Sedis*, in supra citata Instructione S. C. super Disciplina Regulari, 27 nov. 1892, et in citatis declarationibus S. H. C. in *Firmana*, 9 sept. 1893, et in *Urgellen.*, 26 ian. 1895.

Quibus ex omnibus facile patet legem de litteris testimonialibus requisitis pro clericis, qui in aliena dioecesi commorati sunt, promovendis strictioris in dies interpretationis evasisse, et temporis spatium aptum ad impedimentum canonicum contrahendum noviter coarctatum fuisse pro illis, qui militiae servierunt ad trimestre, quo efficacior evaderet de ordinandorum idoneitate inquisitio.

Praeterea, abunde constat inter omnes, quanto nostra aetate faciliores mores effecti, et quam aucta sint ubique comunicationum atque itinerum commoda, quae omnia profecto non minuere videntur, praesertim in militibus, pericula canonici impedimenti contrahendi, etiam per non continuam seu interruptam in aliqua militari statione trimestralem commorationem. Haec commorationis interruptio, praesertim si magna non fuerit, data communicandi itinerumque facilitate, quae, ut ita dicam, omnem fere locorum distantiam abstulit, potius augere censenda est illud temporis spatium a iure definitum, uti aptum ad impedimentum contrahendum, ita ut non detrahenda sed potius trimestri addenda videatur.

Quapropter si legis mens magis quam littera attendatur, ne ea fustretur, litterarum testimonialium necessitas admitti debere videtur etiam in casu, quo quis nedum per trimestre aut semestre continuum, sed per interruptum quoque, sive vacans militiae sive non, in aliena dioecesi fuerit commoratus. Ceterum etiamsi litterae quis adhaerere velit, eadem valeret conclusio, cum iuxta illud effatum: *ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus*, et cum nullam in casu legislator distinctionem fecerit inter tempus continuum et non continuum, utrumque comprehendere voluisse censendus est. Neque invocari posse videtur benignior interpretatio; non agitur enim de lege odiosa, sed de lege in maximam reipublicae christianae utilitatem prolata.

Attamen haec, quae hucusque disputata sunt, locum habere amplius non videntur, quando commorationis interruptio tanta sit, ut relate ad impedimentum contrahendum tempus consequens nullo modo cum antecedenti computari possit, ex. gr. si inter primum et alterum mensem integer annus intercesserit. Non agitur enim, in hoc tempore statuendo, de possibilitate in abstracto impedimenti contrahendi; hoc in casu etiam vel brevissimum temporis spatium sufficeret; sed ad ea, quae communiter et frequentius, non ad ea, quae raro contingere solent, respicit legislator; Avanzini (Commentarium in Const. *Apostolicae Sedis*, n. 51).

[1] Cf. N. 2021.
[2] Cf. N. 4288.
[3] Cf. N. 4293.

[1] Cf. N. 3399.
[2] Cf. N. 3987.

Quae autem interruptio haberi debeat sufficiens, ut Episcopus Ordinans tuto se dispensare possit ab onere requirendi has litteras testimoniales, a priori decerni nequit, sed potius ex locorum personarumque circumstantiis melius diiudicabitur. Quidquid sit, videant Emi Patres, utrum ad omnia dubia hac de re in posterum praecavenda, tutius foret, si nulla habita interruptionis ratione, indiscriminatim huiusmodi litteras testimoniales exigendas decerneretur, dummodo trimestre intra dimidium annum et semestre tempus intra annum completum fuerit. Nam in casu, quo haec inquisitio impossibilis vel irrita et frustranea evaderet, iam provisum est ab H. S. C. in citata *Urgellen.*, 26 ian. 1895. Quare rogantur EE. VV. ut sueta sapientia dubium ab Emo Archiepiscopo propositum resolvere dignentur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Ordinarium non teneri sub poena suspensionis ad testimoniales exquirendas, nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis, salvo iure Episcopi inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro minori vel discontinua commoratione, aut exigendi iuramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 163, p. 677-682].

4319.

S. C. C., 19 dec. 1904.

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quae sese referunt ad decretum *Ut debita sollicitudine* editum a S. Congr. Concilii die 11 maii 1904. [1]

1. An Missae, quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus aut locis piis quibuscumque, sed in nulla ecclesia sunt constitutae ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

2. An sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam?

3. An sacerdotes fruentes cappellaniis fundatis sive ecclesiasticis sive laicalibus possint aliis sacerdotibus Missas suarum cappellaniarum celebrandas committere statuta eleemosyna pro suo arbitrio?

4. An Episcopus possit sub censuris latae sententiae compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cuiuslibet anni ad sibi tradendas Missas, quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem poenis illis prohibere ne mittant extra dioecesim?

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres praedictis dubiis ita respondendum censuit:

[1] Cf. N. 4317.

Ad 1. Habendas esse ad instar manualium.

Ad 2. Non posse.

Ad 3. Negative, et servandas esse dispositiones articuli 15 decreti.

Ad 4. Contra transgressores articuli 4 citati decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2210. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXVII, p. 521, 522].

4320.

S. C. C., *Taurinen.*, 21 ian. 1905.

Extra moenia Augustae Taurinorum extat suburbium a Victoria nuncupatum, in cuius ambitu continetur paroecialis ecclesia S. Mariae ad Agros, vulgo *Madonna della Campagna*, quae regitur a familia Capuccinorum. Ob auctum in ea regione fidelium numerum eorumque spirituali bono ut melius consuleretur, instante ipso regulari parocho, an. 1884 initum fuit consilium inibi aedificandi subsidiariam ecclesiam sub titulo B. M. V. a Salute.

Interim anno 1890 pro sacris functionibus erecta fuit aedicula provisoria, huiusque rector nominatus ab Emo Archiepiscopo Taurinensi sacerdos Carolus Giaume, qui, ut liberius ecclesiae constructioni vacaret, nuntium misit muneri vicecancellarii archiepiscopalis. At huic, qui novum hoc opus naviter promovebat, in animo erat, ut dicta ecclesia in autonomam paroeciam erigeretur: unde apud dioecesanam Curiam, nomine quoque suae sororis, obtulit annuum reditum libell. 300 pro congrua curata, servato tamen sibi iure patronatus activo et passivo, et sorori tantum activo ad parochi nominationem. Deinde instare coepit apud eamdem Curiam pro erectione novae paroeciae, sed eius petitio ab Emo Card. Alimonda reiecta fuit, tum quia illa non videbatur necessaria, tum quia ex dismembratione territorii gravia sequerentur incommoda trium paroeciarum S. Caietani, SS. Simonis et Iudae necnon S. Mariae ad Agros.

Contra hanc agendi rationem Emi Archiepiscopi sacerdos Giaume recursum obtulit apud hanc S. C., quae an. 1894 eum dimisit rescripto: *Lectum*. Ex habita repulsa sacerdos Giaume animum non amisit, sed acriori potius studio inceptum opus prosequutus est, ita ut an. 1903 quaedam ecclesiae pars (*braccio della Croce*) publico cultui dedicari potuerit. Tunc iterum institit penes hodiernum Archiepiscopum, ut vota sua exaudirentur; idque eo fortius consecuturum sperabat, sive quia fidelium numerus erat valde adauctus, sive quia renuntiaverat dismembrationi partis territorii duarum paroeciarum saecularium, sive quia auxit congruam ad libell. 500. Facta propositio ab Emo Archiepiscopo excepta fuit, quia nova paroecia omnino necessaria erat pro suburbio Victoriae, et novi fines erant magis coarctati, atque numerus fidelium S. Mariae ad Agros maior adhuc erat ac nonnullos ante annos. Verum cum acriter sese opposuisset regularis parochus, quaestio ad hanc S. C. delata est.

Procurator sacerdotis Giaume in primis sustinet adesse in themate omnia requisita pro erectione novae paroeciae. Nam parochus citatus fuit per publicum edictum contra praetendentes; adest saltem actualis Archiepiscopi assensus. In promptu item est dos, quae uti sufficiens censetur ab Archiepiscopo, neque maior dos constituta fuit pro noviter erectis paroeciis civitatis Taurinensis, quum Gubernium supplere soleat tenuitati congruae.

Deinde advocatus expendit, utrum in themate adsint canonicae causae pro dismembratione. Harum prima est nimia distantia parochianorum a propria ecclesia. Haec autem quanta esse debeat, regulâ generali decerni nequit, sed diiudicanda est a particularibus adiunctis, ut tradit Card. De Luca (*Ad Conc. Trid.*, cap. 16, § 3), et Ferraris (*Bibl. can.*, verb. *Dismembratio*, in addit, n. 12 et 13), qui addit in hac materia multum standum esse iudicio Episcopi. Altera vero causa est auctus parochianorum numerus, qui hodie magno in pretio haberi solet, quamvis aliquando non adsit nimia distantia a parochia. Quod potiori iure obtinere debet in urbibus; nam nisi auctus populi numerus esset legitima dismembrationis causa, erectio novae paroeciae in his raro eveniret, cum distantia et viarum asperitas in urbibus exulet.

Hisce praeiactis advocatus enititur evincere in casu adesse distantiam, quae, quamvis duo millia passuum non attingat, tamen iudicio Emi Archiepiscopi parochianos retrahit a sacramentorum perceptione in ecclesia paroeciali. Invenitur insuper auctus parochianorum numerus; paroecia enim S. Mariae ad Agros, quae antiquis temporibus vix 2500 incolas numerabat, nunc ex 6500 coalescit.

Post haec patronus difficultatem diluere satagit, quod, in casu consuli possit curae animarum deputatione Vicarii. Praemittit hoc remedium in praesentiarum ob novos gliscentes errores et serpentem morum corruptionem praesertim in urbibus fere exolevisse; nam Vicarius, qui ad instar mercenarii considerari solet, non ea valet solertia et zelo fideles a depravatione et corruptione deterrere, qua pollere solet proprius pastor: atque hoc ait comprobari huius S. C. resolutionibus, uti in *Reatina*, 20 sept. 1817,[1] in *Verulana*, 22 maii 1784.[2] Novam autem hanc disciplinam invectam esse contendit ex duplici causa: sive quia erectio novae paroeciae melius respondere videtur menti Tridentinae Synodi (Sess. 24, cap. 13, *de ref.*), sive quia cum praesertim in Italia non habeat Ecclesia unde novas dotet paroecias, si forte offeratur dos eam acceptare convenit.

Neque damnum, subdit advocatus, provenit parocho S. Mariae ad Agros; dos enim suae paroeciae intacta remanet post secutam dismembrationem. Aliqua tantum imminutio intercedit in lucris adventitiis seu in iuribus stolae sed, secuta dismembratione, adhuc maior parochianorum numerus superest parocho S. Mariae ad Agros, quam habebat antequam esset efformatum Victoriae suburbium.

[1] Cf. N. 3956.
[2] Cf. N. 3835.

Ex altera vero parte Procurator generalis Capuccinorum, iura parochi S. Mariae ad Agros strenue propugnans, petitam dismembrationem negandam esse contendit. Observat in primis quod, quamvis in praxi tradi non possit certa regula singulis casibus accommodanda, quia id pendet a diversitate circumstantiarum, in iure tamen taxative designantur causae, quae dismembrationem vel suadent vel prohibent. Revera rem absolvere ait Concilium Trid. (Sess. 21, cap. 4, *de ref.*), quod duos casus distinguit, nempe numerositatem populi ita auctam, ut unus parochus insufficiens sit ad sacramenta ministranda; et magnum incommodum parochianorum accedendi ad parochiam ob distantiam vel difficultatem locorum.

Iam vero quoad primum casum statuitur quod numerositas populi, quamvis perampla ea sit, non est causa sufficiens ad paroeciarum dismembrationem peragendam, cum curae animarum consuli possit per deputationem Vicariorum. Hanc autem doctrinam ait admissam esse nedum a canonistis, sed etiam receptam a S. Rota et sancitam ab hac S. C.

Quoad alterum vero casum plures doctorum auctoritates et huius S. C. resolutiones cumulat ad eum enucleandum. Et quamvis haec distantia generaliter praefiniri nequeat, certum tamen videtur quod distantia unius milliarii non sit sufficiens. Hinc doctores tradunt distantiam saltem ad duo millia passuum extendi debere, ceu docent Bouix (*De parocho*, pag. 263) et Fagnanus (in cap. *Ad audientiam*, n. 18). Difficultas autem petendi paroeciam debet esse magna, veluti colligitur tum ex citato capite Conc. Trid., tum ex constit. Alexandri III, *Ad audientiam*.

Neque praetereundum esse censet iuris principium, quod paroeciarum divisio vel dismembratio a ss. canonibus ut res odiosa habetur, cum redoleat alienationem, ut passim auctores innuunt. Hinc adsunt huius S. C. resolutiones, in quibus petita dismembratio fuit denegata, etiamsi id graves causae suadere viderentur; ideoque caute in re tanti momenti est procedendum, cum saepe qui dismembrationem petunt, non salutem animarum sed potius proprium interesse quaerunt.

Deinde transit Procurator ad tractandam quaestionem in facto, et contendit deesse canonicas causas ad petitam in casu dismembrationem concedendam. Non suffragatur auctus parochianorum numerus, nam praeterquam quod hic per se non est titulus sufficiens ad novae paroeciae constitutionem, paroecia S. Mariae ad Agros sub se complectitur 6290 incolas, seu numerum ter quaterve inferiorem prae illo, quem continent plures paroeciae Taurinenses. Neque utiliter invocatur distantia, quae saltem ad 2 millia passuum pertingere deberet; atqui haec distantia nonnisi unum milliarium attingit. Insuper communicationis viae cum paroecia sunt faciles et commodae, praesertim ob vehiculum electricum extans.

Loquens deinde de dote oblata a Giaume, relevat dotem non esse causam ad obtinendam erectionem novae paroeciae, sed tantum conditionem *sine qua non* ad eiusdem erectionem. Praeterea sustinet factam dotis oblationem non esse accepto habendam, tum quia est incongrua, quum iuxta leges civiles ea saltem in reditu libell. 900 est recognita, neque spem poni licet in supplemento ex parte Gubernii, quod conceditur paroeciis iam constitutis,

non vero constituendis, tum quia legi patronatus licet temporanei est alligata, hoc enim importat servitutem in novo erigendo beneficio contra praescriptum Conc. Trid. (Sess. 25, cap. 9, *de ref.*), statuentis huiusmodi onera in beneficiis nonnisi ob magnam et evidentem ecclesiae utilitatem permitti posse. Demum defensor propugnat erectionem novae paroeciae non esse admittendam, quia id secumferret veteris paroeciae ruinam. Et ad rem perhibet schema exitus et introitus sive pro familia religiosa sive pro aliis piis operibus, ut inde appareat damnum ex dismembratione obventurum.

Haec allegationum summa, quae utrinque circumferuntur: modo sequens sit dubium:

An et quomodo locus sit dismembrationi in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis omnibus, modo non expedire.[1]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 112-134].

4321.

S. C. C., *Bredae*, 25 febr. 1905.

Anno proxime elapso S. Congr. de Propaganda Fide ad H. S. C. tria infrascripta dubia, ab Episcopo Bredanensi in Hollandia proposita, transmisit:

« 1. In dioecesi Vicarii (adiutores parochorum) in domo parochi tamquam eius familiares degunt communi utentes victu. Parochis pro Vicarii victu et servitio salarium modicum ex ecclesiae reditibus solvitur, quod ferendis his expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut, pro victu et servitio Vicarii, parochis in cumulo cedant fructus missarum pinguiorum et Vicariis tribuatur stipendium ordinarium missae lectae, unius floreni. In hoc casu stipendii ordinarii augmentum solvitur parocho pro victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non plus retineatur, quam honesta compensatio postulat.

2. Ad providendum honestae suae sustentationi, parochi in pluribus dioecesis locis missas non in determinata ecclesia fundatas, anniversaria necnon alias missas manuales, quae per annum a fidelibus offeruntur, quaeque parochi eorumve Vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant et alibi celebrari curant retenta sibi parte stipendii pro administratione et publicatione. Ita v. g. pro missis, quae ad S. Congregationem quovis mense mittuntur ad f. 0.60, a fidelibus saepe offertur stipendium unius floreni. Quoad missas fundatas et anniversaria, quae per annum offeruntur, haec praxis fere communis est ac populo haud raro nota. Quoad alias missas manuales hic usus solummodo viget in parochiis, ubi cum consensu Ordinarii e suggestu publicatum est partem stipendii, nisi fideles obstent, retentum iri pro sustentatione parochi missasque aliis sacerdotibus dicendas traditum iri.

3. Una alterave adest parochia, ubi Vicarii omnes fere missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis praestet victum et servitium, dum ipsi ex aerario ecclesiae determinatam obtinent pensionem.

[1] Cf. N. 4339.

Dubitatur, num triplex haec consuetudo a decreto S. C. Concilii diei 11 maii 1904, *De observandis*, etc.[1] sit reprobata ».

Quoad primum dubium sustineri non posse videtur consuetudo retinendi augmentum stipendii ordinarii missae pro victu et servitio Vicariorum. Etenim decretum *De observandis* decernit: « Pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam numquam separari posse a missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam... » Hinc eo ipso est prohibita quaelibet conventio, cuius vi etiam stipendii pars separetur a celebratione missae atque commutetur cum victu et servitio, prout evenit in casu; mens enim H. S. C. fuit, ut quodcumque « commercii genus cum eleemosynis missarum » vitaretur, et « eleemosynae ipsae » non minuerentur.

Nec aliter quoad secundum dubium respondendum videtur, nempe parochis licitum non esse sibi retinere partem stipendii pro missis, quas aliis sacerdotibus celebrandas committunt. Sane decretum *De observandis* praecise statuit missae eleemosynam non posse « imminui, sed celebranti ex integro... esse tradendam ». Haec autem praescriptio iam a pluribus Summis Pontificibus inculcata fuit, adeo ut regula generalis invaluerit, nempe quando missae aliis sacerdotibus litandae committuntur, integram quoque eleemosynam tradendam esse, ac nullam eiusdem partem retineri posse. Cf. ad rem decreta *Cum saepe*, diei 21 iunii 1625,[2] et *Nuper*, 23 dec. 1697 ab H. S. C. edita,[3] necnon const. *Quanta cura* Benedicti XIV, diei 30 iunii 1741,[4] et alia responsa.

Ratio autem prohibitionis peti potest ex ipsa natura rei; nam, ut disserit Pignatelli (*Cons. can.*, tom. IV, cons. 227, n. 8 et 9): « Retinens sibi partem stipendii non habet iustum titulum retinendi, et ideo laedit eum, in quem transfert onus celebrandi missas, ac eum a quo accepit stipendium ». Nec obiiciatur quod retinendo partem eleemosynae nemini infertur damnum; non illi pro quo est celebrandum, quia aeque missa celebratur; non celebranti, quia voluntarie accipit stipendium. Nam imprimis respondit S. Alphonsus (lib. 6, n. 322): « Sacerdotem celebrantem non aliter acquirere dominium eleemosynae, nisi iuxta voluntatem dantis, qui non solum vult, ut Missa celebretur sed ut celebretur tali stipendio; cum enim pinguem tradit stipem, ea intentione dat, ut uberiorem fructum ex missa celebranda percipiat ». Praeterea sacerdos, qui celebrationem missae recipit, potest totam eleemosynam vel aliquam eius partem condonare, sed hoc fieri debet omnino libere et sponte.

[1] Cf. N. 4317.
[2] Cf. N. 2460.
[3] Cf. N. 260, 2958.
[4] Cf. N. 311.

Quibus accedit resolutio H. S. C. diei 21 nov. 1898,[1] in qua decernitur non licere sacra colligere eaque aliis litanda tradere, emolumento, quod ex aeris permutatione provenit, sibi retento, quamvis sacerdos colligens retineat hoc lucrum sive pro impensis, quae tot sacris colligendis distribuendisque necessariae sunt, sive pro damnis, quae subire cogitur, cum stipendia sacerdotibus litantibus debita exigere nequeat. In themate autem parochi non solum nullam expensam pro missis colligendis faciunt nullumque damnum sustinent, sed nihil laboris impendunt. Adest quidem publicatio missarum ex suggestu a parochis peracta, at haec inutilis et, quum a iure non praecipiatur, omittenda esse videtur.

Tertium dubium primo est valde affine, ideoque argumenta supra adducta heic valere possunt. Eo vel magis quod in primo dubio Vicarii percipiunt taxam saltem synodalem, dum e contra hic nullum stipendium percipiunt: praeterea si non licet commutare aliquam partem eleemosynae in alias res, a fortiori illicitum erit integram permutare eleemosynam.

Ex altera vero parte relate ad primum dubium non videtur absolute esse damnanda praxis, vi cuius parochi retinent augmentum stipendii ordinarii pro victu et servitio Vicariorum. Revera prohibitio decreti *De observandis* est tantum relativa ad nonnullos casus, nempe ad commercium librorum et sacrorum utensilium, atque ad diariorum et ephemeridum associationem, uti patet ex ipso decreti contextu. Praeterea non stipendium missae, sed dumtaxat eiusdem augmentum commutatur pro victu Vicariorum, qui proinde eleemosynam proprie dictam revera accipiunt. Accedit demum resolutio H. S. C. in una *Trevirensi*, die 11 maii 1888, quae in proposito dubio: « Utrum licita sit conventio, qua sive expresse sive tacite inter aliquos parochos Vicariosque statuitur, ut pro commodiore victu Vicariis concedendo, parochis cedant in cumulo fructus fundationum pinguiorum, et Vicariis tribuatur stipendium ab Ordinario taxatum », probavit huiusmodi conventionem, declarans ipsam « non comprehendi sub const. *Quanta cura* Benedicti XIV, quum non verificetur damnabile lucrum ex parte parochorum, et ex altera parte Vicarii celebrantes integram tandem eleemosynam accipiant ». Huiusmodi casus non longe distat a praesenti, ideoque eadem valere debet decisio.

Item quoad secundam quaestionem non videtur interdictum parochis, ut in casu sibi retinere possint partem stipendii missarum, quas alibi celebrari curant, pro administratione, publicatione et expeditione. Etenim, praeter titulum celebrationi intrinsecum, habentur alii tituli extrinseci, e. g. libera sacerdotis celebrantis condonatio, consensus offerentium, collectio missarum, expeditio etc., pro quibus partem eleemosynae retinere licet, uti communis fert Doctorum sententia.

In casu praeterea, veluti ex Episcopi relatione liquet, habetur consensus saltem tacitus oblatorum.

Tandem circa tertium dubium licitam esse praxim inductam probari videtur ex argumentis allatis in responsione ad primum: agitur enim non

[1] Cf. N. 4308.

de turpi lucro aut venali mercimonio, sed de expressa vel saltem tacita conventione parochos inter et Vicarios inita. Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis omnibus, ad 1. et 3. consuetudinem sustineri.

Ad 2. Non sustineri, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 165-178].

4322.

S. C. C., 27 febr. 1905.

Relate ad decretum S. C. Concilii circa Missarum stipendia haec dubia proposita fuerunt:[1]

1. An ad art. 7 decreti *De observandis* diei 11 maii 1904[2] sub nomine *Ordinariorum* veniant quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis?

2. An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assequuti?

3. Mos invaluit in sua dioecesi ut Vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento exsolvant, sed Missae suae quotidianae, sive lectae sive cantatae, eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri?

4. Vigore plurium Indultorum idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, vel pro Missis dierum festorum in Gallia suppressorum, *dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur.* Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quaecumquae sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, idest Lib. 1,50. Quaeritur, an haec Episcopi concessio sit legitima?

5. An iuxta art. 2 termini persolutionis statui possint:

usque ad	10	Missas	1	mensis
»	20	»	2	mensium
»	40	»	3	»
»	60	»	4	»
»	80	»	5	»
»	100	»	6	»

et ita porro pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo?

[1] Dubia 1, 2 proposuit Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto; dubia 3, 4 Episcopus S. Deodati; dubia 5-9 Archiepiscopus Leopolien. Ruthenorum (Cf. Acta S. Sedis, vol. XXXVII, p. 524-527).

[2] Cf. N. 4317.

6. An hi termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione v. g. in aliqua solemnitate offerentes; ita ut si tunc stipendia offerantur a 100 oblatoribus, a quolibet pro una Missa, omnes hae Missae in termino sex mensium persolvi debeant?

7. An in casu art. 7 pro sacerdotibus, qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die, quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die, quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit?

8. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint?

9. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent?

Die, etc. Sacra, etc. propositis dubiis ita respondit:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad 3. Affirmative, dummodo et quousque excessus in modo, aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Rem relinqui discreto iudicio et conscientiae sacerdotum iuxta decretum, et regulas a probatis doctoribus traditas.

Ad 6. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad 7. Affirmative, idest obligationem incipere a die, quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.

Ad 8. Episcopus curet, ut quantum fieri potest, Missae a pluribus receptae a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant.

Ad 9. Sufficere, ut sacerdotes celebrent iuxta mentem Ordinarii, qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse, si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2192, nota (1)].

4323.

S. C. C., *Ordinis Minorum Conventualium*, 8 maii 1905.

Fr. Vincentius Buri, Guardianus Conventus Pyrrhani, in dioecesi Tergestino-Iustinopolitana, regularis Provinciae Dalmato-Patavinae, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur exponit:

Saepe ad dictum Conventum veniunt villici afferentes, sive paupertatis sive parsimoniae causa, S. Missas cum eleemosyna tamen minori quam ea, quae in dioecesi viget. Dictas Missas Religiosi huius Conventus semper recipiebant easque aliis sacerdotibus indigentibus ac libenter accipientibus celebrandas fideliter committebant. Ast anno elapso 1904 R̃mus Ordinarius Tergestinus decretum edidit prohibens, ne sacerdotes Missas cum eleemosyna inferiori dioecesana statuta a dioecesanis reciperent. Stante hoc R̃mi Ordinarii decreto, Orator ad securitatem propriae conscientiae et ne dicti offerentes ab ecclesia eorumdem Religiosorum averterentur, humiliter proponit sequens solvendum dubium:

Utrum dicti Religiosi possint, prout hucusque erat in usu, non obstante supradicto decreto R̃mi Ordinarii, eleemosynas pro Missis inferiores taxa dioecesana recipere, easque aliis sacerdotibus indigentibus et bene sibi notis, extra tamen dioecesim celebrandas committere?

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres proposito dubio ita respondendum censuit:

Dentur resolutiones in una *S. Severini*, die 16 iulii 1689, [1] et in una *Romana*, die 15 ianuarii 1639. [2]

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2214. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 14,15].

4324.

S. C. C., *Barcinonen.*, 29 iul. 1905.

Haec causa acta fuit in generalibus comitiis diei 27 augusti superioris anni. [3] Controversia vertebatur primo inter Parochos civitatis Barcinonensis et Capitulum illius Cathedralis ecclesiae ob exercitium nonnullorum iurium paroecialium. Capitulum enim Cathedrale, refragantibus Parochis, contendebat manuteneri in possessione exercitii cumulativi iuris, nominatim etiam levandi, associandi, funerandi et tumulandi cadavera nedum beneficiatorum suae ecclesiae Cathedralis, vel eius servitio addictorum, sed etiam quorumcumque fidelium, qui vel in Cathedrali ecclesia sepulchrum familiare habuissent, vel in ea sepulturam elegissent, vel essent peregrini aut viatores, idque peragendi nulla soluta quarta funeraria proprio decedentium Parocho.

Alteram quaestionem Parochi habuerunt cum Rectoribus aliarum ecclesiarum minorum non parochialium, et praesertim cum Rectore Piae Domus a Charitate. Hi enim, pariter refragantibus Parochis, sibi ius vindicabant peragendi functiones exequiales solemniores, posteaquam iusta funebria vel in ecclesia Cathedrali aut in propria paroecia fuerant persoluta. Praecipue vero Rector Piae Domus a Charitate praetendebat sepulturae mandare cadavera pauperum in hospitio defunctorum, in spretum ordinationis episcopalis diei 12 octobris 1869, nec transmissa eidem syngrapha decessus, ut hi decedentes in libro defunctorum essent inscripti.

Pro solutione harum quaestionum sequentia tunc proposita fuerunt dubia:

I. *An et quomodo Capitulum ecclesiae Cathedralis Barcinonensis conservan-*

[1] Cf. N. 2913.
[2] Cf. N. 2597.
[3] Thesaurus Resolutionum, tom. 163, p. 1056-1079.

dum sit in possessione exercitii cumulativi iurium parochialium cum parochis civitatis in casu?

II. *An rector ecclesiae piae domus a charitate, et rectores nonnullarum aliarum ecclesiarum non parochialium ius habeant peragendi functiones exequiales solemniores, postquam celebrata fuerint iusta funebria in Cathedrali ecclesia vel in propria paroecia in casu?*

III. *An idem saltem possint solvendo parocho proprio quartam funerariam in casu?*

IV. *An rector praefatae domus a charitate possit cadavera pauperum ibi degentium terrae mandare, inscio parocho, vel saltem quin eorum nomina transmittantur ad parochum pro inscriptione in libro defunctorum suae paroeciae in casu?*

Die 27 augusti 1904 H. S. C. proposita dubia responso dimisit, prout sequitur, nempe:

Ad I. Affirmative, et ad mentem: et mens est ut Eñus Episcopus valde moderate procedat in indultis, de quibus agitur concedendis, et statuat taxam unicam et aequam tam a Cathedrali, quam ob omnibus civitatis ecclesiis ad unguem servandam, ita ut nemo nec plus petere, nec minus exigere valeat.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Ad IV. Negative, et servetur decretum Episcopi diei 12 octobris 1869.

Hac edita decisione Parochi beneficium novae audientiae expostularunt et obtinuerunt; et per novum adlectum patronum sequentia deducunt.

Patronus orationem suam in duo capita partitur. In primo capite agit de quaestione Parochorum cum Capitulo ecclesiae Cathedralis. In altero disserit de quaestione Parochorum cum aliis ecclesiis minoribus non parochialibus.

Aggrediens primum caput, evertere nititur duo praecipua argumenta, quibus Cathedrale Capitulum iura sua tuetur, nempe constitutionem Gregorianam a. 1572, qua ipsius privilegia a regibus et imperatoribus concessa fuerunt recognita, imposito Parochis contradictoribus perpetuo silentio, et factum possessionis. Quoad constitutionem observat quod, quum ipsa neque in actis neque aliunde inveniatur, applicari posset principium: *quod non est in actis, non est in mundo:* eo vel magis quod iura Capituli ibidem enunciativo tantum modo memorantur, et notum est quod: « Enunciativae Apostolicae... nullam constituunt probationem, praesertim ubi sunt ad partis supplicationem »: Card. De Luca (*De benef.*, disc. 12, n. 8), Rota coram Remboldo in *Papien.*, *Fructuum*, 21 febr. 1622. Factum vero possessionis ex duplici capite impetere nititur patronus, sive nempe ex Concordato inter S. Sedem et Hispaniam a. 1851 inito, [1] sive ex incommodis ab hoc privilegiato iurium exercitio profluentibus. Inefficacia consuetudinis in casu ob superventum Concordatum necnon praefata incommoda deducuntur ex multiplicibus rationibus.

Ex adverso patronus Canonicorum immoratur in ostendendo privilegia

[1] Raccolta di Concordati, p. 770-796.

Capituli Barcinonensis non fuisse per Concordatum abrogata, et in refellendis praefatis incommodis, quae vel falsa vel saltem ampliata esse contendit.

Revera novae observationes sunt illae quae, contra rectores ecclesiarum non parochialium, praesertim vero piae domus a charitate proponuntur. Nam patronus parochorum adnotat peculiarem vigere in Hispania legem civilem, vi cuius cadavera defunctorum vetantur in ecclesiam introduci, sed tantum benedicuntur aqua lustrali ante ecclesiae ianuam et mox ad coemeterium deferuntur. Ibidem praeterea receptum est, ut funera non peragantur die depositionis, tertia, septima, vel trigesima, aut anniversaria, sed tantum die, quo praescriptum rubricae seu ecclesiae permittat; hinc fit ut, facta prius inter parochum et defuncti haeredes vel propinquos de funere conventione, funus differatur ad secundam, tertiam, vel quartam diem, vel etiam ad longius tempus a die obitus. Haec profecto funera sunt in locum illorum funerum, quae vel praesente cadavere, vel aliis praefixis diebus fiunt. Huiusmodi autem funera recenseri inter iura stricte parochialia probat advocatus auctoritate Pignatelli (*Cons. can.*, tom. 6, n. 19), qui tradit: « Celebratio anniversariorum confraternitatibus regulariter non permittitur, nisi dumtaxat in die commemorationis omnium defunctorum: non vero in tertia et trigesima die, quod proprie spectat ad parochum »; et idem confirmat resolutione H. S. C. in *Galtellinoren.*, ubi ad dubium: « An eidem parocho competat ius celebrandi Missas praesente corpore et illas *dei termini*, et omnia emolumenta percipiendi », die 22 iulii 1899 responsum fuit: « Affirmative ». [1]

Aptans hanc doctrinam ad propositum casum advocatus contendit, in memoratis ecclesiis ea tantum funera peragi posse, quae stricte parochialia non sunt. Sed in Hispania funera praesente cadavere non fiunt, sed tantum lustrationes aqua piaculari cadaverum ante ianuam, quae nec funera appellari, neque multo minus eorum locum tenere valent, cum fideles ob id nullam parocho tradant mercedem. Si itaque dilata funera, quae appellantur solemniores exsequiae, et locum tenent funerum praesente cadavere, dici debent paroecialia, aequum profecto est, ut ea a proprio parocho, non autem a rectoribus ecclesiarum non parochialium persolvantur.

His itaque hinc inde perpensis, rogantur EE. PP. iam alias exarata resumere folia, ac sequens dirimere dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In decisis et amplius, et iuxta modum. Modus est, ut in posterum prima funebris Missa post obitum fiat aut in propria defuncti paroecia aut in Cathedrali et, quatenus in alia ecclesia legitime celebretur, parocho proprio solvatur quarta funeraria.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 926-949].

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 158, p. 656-677, tom. 159, p. 371-432, 900-904, 1024-1046.

4325.

S. C. C., *Platien.*, 18 nov. 1905.

In oppido vulgo *Castrogiovanni*, dioeceseos Platiensis, perantiqua extat paroecialis et Collegiata ecclesia, cuius sat pingues reditus pro cultus manutentione ac pro beneficentiae operibus erogari solent. Administratio autem est mixta, et geritur a quatuor Dignitatibus Collegiatae, qui sunt etiam eiusdem parochi, necnon a duobus procuratoribus laicis. Administratores praeterea, iuxta antiquam praxim, Ordinario rationes gestionis suae singulis tantum trienniis et quidem tempore S. Visitationis reddere solent. Verum anno elapso Episcopus exegit, ut singulis annis haec rationum redditio sibi fieret, et insuper ut sibi exhiberetur status praeventivus exitus et introitus vulgo *bilancio preventivo*.

Cum autem ipsi refragati sint, Episcopus ab hac S. C. petiit, ut declararetur: 1. *dictos administratores teneri ad rationes Ordinario reddendas singulis annis vel saltem singulis bienniis;* 2. *quavis in hypothesi, eosdem administratores adstringi ad tradendum singulis annis Ordinario statum praeventivum exitus et introitus, ita ut haec traditio et revisio fieri debeat in episcopali Curia.*

In primis favore administratorum observari potest, quod pro eis militat consuetudo immemorialis exhibendi Episcopo singulis tantum trienniis rationes gestae administrationis, quae prodest tum in linea praesumptiva, quatenus praesumere facit id statutum fuisse in tabulis fundationis, tum in linea praescriptiva, quia per eam facultas Ordinarii ad triennium coarctata manet. Per clausulam autem Conc. Trid. (Sess. 22, cap. 9, *de ref.*): « consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis » non censetur ablata consuetudo immemorialis, uti pluribus allatis doctoribus probat Reiffenstuel (lib. 1 *Decret.*, tit. 4, n. 189); idque eo vel magis in themate locum obtinet, cum sit contra ecclesiasticum dumtaxat ius, quo in casu dispositio cap. ult. *de consuetud.* (lib. 1 *Decret.*, tit. 4, cap. 11) pro eius validitate subintrat.

Accedit quod per dictam impositionem et praecipue per alteram de exhibendo singulis annis computo praeventivo futuri exitus et introitus, quaedam in administratoribus diffidentia vel sin minus negligentia praesumitur. Item non videtur esse admittendum quod exhibitio et examen status praeventivi fieri debeat in Curia episcopali; nam exurgere aliquando possent dubia praesertim circa partitas introitus, et tunc essent inibi avocandi codices vel alia documenta ad rem declarandam, quod maximum incommodum parit.

Ex altera vero parte adnotandum est quod Episcopo oratori favet dispositio Conc. Trid. (Sess. 22, cap. 9, *de ref.*): « Administratores, tam ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis,

nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset ». Haec autem lex de annali rationum redditione facienda Episcopo est ita stricta, ut hospitalia et confraternitates, quae sunt sub immediata Regum protectione, sint quidem exempta a Visitatione Episcopi ex dispositione Conc. Trid. (Sess. 22, cap. 8, *de ref.*), sed non liberantur ab huiusmodi onere erga Ordinarium.

Episcopi autem has rationes exigere possunt ad administratoribus tam tempore S. Visitationis tam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis, uti patet ex citatis capitibus 8 et 9, et pluribus fuit confirmatum decisionibus H. S. C., quas citat Ferraris (*Bibl. can.*, verb. *Administratio*, n. 2). Quare Episcopus in themate, iubens ut sibi singulis annis exhibeantur computa expensi et accepti ab administratoribus Collegiatae oppidi *Castrogiovanni*, utitur iure suo in vim facultatis sibi concessae a Conc. Trid., iuxta decisionem huius S. C. in *Mediolanen.*, 9 aug. 1569, quae refertur a Pignatelli (cons. 15, tom. 7, n. 20). Praetensio autem administratorum falso nititur supposito, nempe quod S. Visitatio expleri debeat intra triennium, quod est contra expressum Conc. Tridentini textum.

Praeterea dicta facultas videtur Episcopo fuisse reservata in actu fundationis ipsius Collegiatae. Siquidem a. 1703, ut fatetur Supremum Consilium Status in sua relatione a. 1852, Episcopus approbavit erectionem parochialis ecclesiae in Collegiatam sub conditione, ut Ordinarius appositas conditiones immutare, temperare vel etiam abolere posset; hinc nihil obstare videtur, quominus ipse conditionem de triennali relatione computorum ad terminos iuris communis moderetur.

Item ex hoc descendit quod Episcopus possit etiam petere quotannis ab administratoribus, ut sibi tradatur computum praeventivum exitus et introitus futuri anni pro revisione. Haec enim praxis viget in omnibus publicis laicis administrationibus, quae singulis annis tenentur huiusmodi schema remittere auctoritati tutoriae, idque ad praecavendas inutiles expensas. Aliunde hoc ius videtur Episcopo tributum ab Epistola ministeriali anni 1857. Quo vero ad alteram Episcopi petitionem quod nempe examen computi praeventivi fiat in Sede episcopali et non apud sedem administrationis, ea pariter videtur excipienda, tum quia pro conficiendo praedicto examine non est necessaria asportatio actorum vel codicum, tum quia id quotidie est in praxi deductum in omnibus rectis administrationibus.

Demum relate ad obiecta incommoda, quae timeri possent ex introducenda innovatione, reponi potest, quod ea nullo nituntur fundamento. Siquidem adest sententia Supremi Tribunalis (vulgo *Corte di Cassazione*) Panormitani iam transacta in rem iudicatam et edita sub die 8 martii 1870, qua declaratum fuit omnia bona supposita dictae administrationi constituere beneficium parochiale. Hinc abest omnis metus, ut ea apprehendi possint a Municipio. Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Servetur ius commune.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 1101-1107].

4326.

S. C. C., decr. *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dec. 1905.

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles, quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus (Sess. 22, cap. 6), ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium, ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan., VI, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id SS. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est, ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas, quae quotidie occurrunt, abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August., *Serm.* 57 *in Matth.*, *De Orat. Dom.*, n. 7). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (Sess. 13, cap. 2).

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (*Act.*, II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur, qui

SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti*.

Nonnulli tamen in contrariam, abierunt sententiam. Hi arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis februarii anni 1679, Innocentio PP. XI adprobante,[1] errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis decembris anni 1690, per decretum Sanctissimus Dominus noster Alexandri PP. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis, qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.[2]

Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est, ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSño Dño Nostro Pio PP. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur: ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam fre-

[1] Cf. N. 2848.
[2] Cf. N. 760.

quenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis decembris 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit, non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3. Etsi quam maxime expediat, ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus, ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est, ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii, ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6. Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (part. II, cap. 4, n. 60), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum*, diei 17 mensis decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum.[1] Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8. Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus Religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

[1] Cf. N. 2017.

9. Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSm̃um D. N. Pium Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mensis decembris 1905, Sanctitas Sua hoc Em̃orum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper, ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, Institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum, quae in eo statuta sunt, S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu. – Vincentius Card. Ep. Praenestinus, *Praef.* – Caietanus De Lai, *Secret.*

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2225. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 400-406].

4327.

S. C. C., decr. *Vetuit.*, 22 dec. 1905.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes, qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in cap. 1, Sess. 14, *de ref.*, statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic

certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit, ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt, iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit, ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant, ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ibi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere, qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt, ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis et omnibus ad rem mature perpensis, SSm̃us D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet, qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei XVI mensis decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit:

1. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quod si permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere, qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in constitutione *Speculatores* Innocentii XII [1] et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis*, die 20 mensis iulii 1898 statuuntur. [2] Ac pariter neminem ordinari posse, qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco, pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in cap, 16, Sess. 23, *de ref.*

Vult autem Sanctitas Sua, ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2226. - Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 407-409].

4328.

S. C. C., *Romana et aliarum*, 17 febr. 1906.

Quaesitum nuper fuit: I. *Se per le alienazioni dei valori al portatore spettanti ad enti ecclesiastici od a cause pie soggette alla tutela della Chiesa, sia necessario il beneplacito Apostolico, come per le alienazioni dei beni immobili e delle cose preziose;*

II. *Se egual facoltà si richiede per la permuta dei medesimi in altri titoli o valori anche immobili;*

III. *Se i venditori e gli acquirenti siano soggetti alle pene ecclesiastiche sancite dal Tridentino al capo 2, Sess. 22*, de ref., *dalla Extrav.* Ambitiosae *e dalla costit.* Apostolicae Sedis. [3]

Quod attinet ad primum dubium, quaestio huc recidit, utrum nempe versurae publicae, vulgo *titoli pubblici di credito al portatore*, cadant sub dispositione celebris const. Pauli II, *Ambitiosae cupiditati*, qua prohibetur alienare sine beneplacito apostolico bona ecclesiastica immobilia et mobilia praetiosa (Extrav. Comm. *Ambitiosae*, cap. un., *de rebus Eccl. non alienandis*). Iamvero doctores unanimiter tenent hanc constitutionem late, id est favore Ecclesiae, interpretandam esse; atque ideo nomine bonorum immobilium vel rerum mobilium pretiosarum venire etiam « iura incorporalia et servitutes... item *nomina debitorum*, obligationes, actiones, etc. »; Pichler (III, XIII, § 1, n. 2), S. Alphonsus (lib. IV, n. 187), et alii passim. Atqui *nomina debitorum* sunt privata vel publica, prout debitor est privata persona vel publicum institutum aut Gubernium. Ergo versurae publicae cadunt sub dispositione Paulinae constitutionis.

Quinimo doctores expresse etiam de huiusmodi versuris loquuntur. Ita Ferraris (V. *Alienatio*, art. 4, n. 25) de locis montium, quae olim aequiva-

[1] Cf. N. 258.
[2] Cf. N. 4307.
[3] Cf. N. 552.

lebant modernis titulis publicis, ait: « Sine beneplacito Apostolico nequeunt alienari loca montium, seu pecunia collocata in montibus; quia pecunia sic applicata est fructifera, cum pariat ius exigendi quotannis certae pecuniae summam, adeo ut talis pecunia collocata in montibus, seu ipsa loca montium connumerentur inter bona immobilia, quae sine beneplacito Apostolico alienari non possunt ». Et Card. De Luca (*De alienat.*, disc. 1, n. 17) dicit cadere sub dispositione praefatae Extravagantis « bona stabilia per veritatem, id est soli, ut sunt praedia rustica vel urbana » et bona stabilia quae talia habentur per fictionem iuris « ut sunt census activi per Ecclesiam possessi... ac etiam iura cum Principe vel Republica, quae in Urbe, et frequentius per Italiam, loca montium dicuntur; nam receptum est ea quoque venire tum quoad omnimodam alienationem, quam reductionem, vulgo sbassationem ».

Pro recentioribus doctoribus sufficiat citasse Card. D'Annibale, qui (*Summ.*, part. III, § 78) docet: « Bona immobilia accipere debemus et ea, quae fundo tenentur, et iura realia, uti census, reditus ex versuris publicis, et pecuniam praediis vel mobilibus pretiosis acquirendis destinatam ». Id autem eo magis valet nostris hisce temporibus; cum enim satanicae leges civiles, quas eversivas vocant, plerisque ecclesiasticis institutis denegent iuridicam entitatem, aut saltem facultatem possidendi bona immobilia, acquisitio titulorum debiti publici, quae olim erat modus subsidiarius investiendi Ecclesiae pecuniam, quo scilicet uti licebat, quando praesto non esset investimentum in stabilibus tutis et fructiferis aut, iis deficientibus, in censu, acquisitio, inquam, titulorum huiusmodi evasit titulus investiendi primarius, quem S. Sedes nedum permittit, sed suadet, et aliquando etiam praecipit. Hinc Card. Gennari (*Monit. Eccl.*, vol. 8, pag. 271) concludit: « Non rimane perciò altro mezzo più facile e meno esposto a pericoli, per le pie fondazioni oggidì, che quello di consegnare al Vescovo le somme perchè le investa in titoli al portatore, e delle rendite faccia l'uso che vien dichiarato dall'offerente ». Non est itaque vel minime ambigendum quod tituli, de quibus in proposito dubio, cadant sub dispositione Extrav. *Ambitiosae*, atque ideo non possint sine beneplacito Apostolico alienari.

Quod spectat ad alterum dubium, convenit apud omnes nomine alienationis venire etiam permutationem. Ita Schmalzgrueber (III, 13, § 1, n. 9) ait: « Quaeritur quinam contractus et actus in specie nomine alienationis prohibeantur clericis circa res Ecclesiarum. Resp.: Prohibetur donatio, venditio, permutatio, constitutio pignoris etc. ». Idem tenet cum aliis recentioribus Wernz, qui (tom. III, n. 154) haec habet: « Alienatio bonorum ecclesiasticorum hoc loco sumitur sensu lato... Hinc actus alienationis sunt donatio, venditio, permutatio, solutio, cessio iuris v. g. crediti vel litis vel actionis iam quaesitae etc. ». Quod cum ita sit, patet permutationem titulorum publicorum cum aliis titulis publicis aut cum bonis immobilibus absque Apostolico beneplacito fieri non posse. Consulto tamen advertit (l. c., n. 165) Wernz: « in casibus plane extraordinariis non esse insistendum litterae legis, ubi periculum est in mora et propter urgentem necessitatem recursus ad Romanum Pontificem fieri nequit ».

Hinc iam plana sese affert tertii dubii solutio; scilicet cum tituli debiti publici cadant sub dispositione Extrav. *Ambitiosae*, quae relata est in const. Pii IX, *Apostolicae Sedis*, his verbis: « Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus... alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, *de reb. Eccl. non alienandis*, facile quisque poterit, de poena quam incurrunt huiusmodi alienantes et recipere praesumentes, sese certiorari probatos consulendo auctores.

Modo vestrum erit, EE. PP., praefata dubia sapienti iudicio diluere.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege, ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis.

Ad III. Affirmative quoad poenas in Extravaganti Ambitiosae *et constitutione* Apostolicae Sedis *statutas.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 165, p. 236-239].

4329.

S. C. C., *Romana et aliarum*, 15 sept. 1906.

Die 20 decembris 1905 SSm̃us D. N. Pius PP. X ex S. H. C. consulto Decretum edidit *De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione*, [1] quo « omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis » summopere commendatur « Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

Inibi praeterea sub n. 7 statuitur: « Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur...; quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio, item in aliis christianis omne genus ephebeis ».

Quin imo, ut laudabilis ac valde Deo acceptus Communionis quotidianae usus efficacius in dies ubicumque propagetur, atque uberiores fructus edat, Sanctitas Sua nedum die 30 maii 1905 [2] omnibus christifidelibus, qui devote recitaverint orationem pro pii usus quotidianae Communionis propagatione, indulgentias tribuit, verum etiam per Decretum *Urbis et Orbis*, diei 14 februarii 1906 a Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque reliquiis praeposita datum, [3] benigne elargitus est, ut per quotidianam Communionem lucrari possint omnes indulgentiae, absque onere confessionis hebdomadariae.

Quanto cum obsequio universim, et quam laetanter apud plures exceptae sint benignae S. Sedis dispositiones et declarationes hac de re, probant

[1] Cf. N. 4326.
[2] Acta S. Sedis, vol. XXXVII, p. 794, 795.
[3] Cf. N. 5143.

litterae quamplures Episcoporum, ac Superiorum Ordinum religiosorum ad S. C. directae, nec non ephemerides non paucae, quae de Decreto diei 20 decembris 1905 egerunt.

At una simul dubia et postulationes ad S. C. exhiberi coeperunt, inter quae duo potissimum peculiarem considerationem merentur, quae nempe respiciunt iuvenes nuper ad S. Mensam admissos et infirmos chronico morbo laborantes.

En quae ad rem scribebat religiosus vir e Belgio:

« D'abord, les pauvres *malades* resteront-ils seuls exclus des faveurs du Saint-Siège? Ceux qu'une infirmité chronique ou prolongée empêche d'observer dans toute sa rigueur le jeûne eucharistique, n'obtiendront-ils pas quelque adoucissement, de manière à n'être pas privés, durant de longues semaines, du Pain de Vie? Actuellement la plupart des prêtres ne croient pas pouvoir accorder la Communion, sauf à ceux qui ont reçu les sacrements des mourants, et dans la période où le danger persiste.

« Une autre vœu concerne les *enfants*. Le Décret du Saint-Père, quoique reçu avec la plus entière soumission, ne détruit pas subitement l'effet de longs préjugés, puisés dans l'étude et accrus par la pratique. Pour ce motif, des prêtres sages et pieux redoutent qu'on ne se montre encore hésitant et sévère pour accorder la Communion quotidienne aux jeunes enfants. Leur crainte s'augmente de ce que le mot *ephebeis* du Décret, pourrait être restreint, par des esprits prévenus, aux seuls adolescents. Il est pourtant certain, et par la raison et par l'expérience, qu'il importe *avant tout* de faire communier les plus jeunes enfants, afin qu'ils s'imprègnent de la grâce de Notre-Seigneur — *imbuantur Christo* — avant que les passions n'aient ravagé leurs cœurs. Hélas! trop souvent maintenant c'est le contraire et la difficulté grossit doublement et de faire accepter un remède aussi nécessaire, et de détruire les effets déjà si profonds, dans l'esprit, dans le corps et dans la volonté, des passions mauvaises aux quelles les enfants sont plus exposés que jamais. Les prêtres qui pensent ainsi, vous offrent leurs humbles et instantes prières pour que Sa Sainteté daigne redire avec autorité à tous les prêtres la parole de Jésus-Christ: *Sinite parvulos venire ad me!* Leurs vœux seraient complés si en même temps l'exemple de Cottolengo, de Don Bosco, et d'autres apôtres, si saints et si éclairés, de l'enfance, était publiquement loué et proposé à l'imitation ».

Sciendum est enim in pluribus dioecesibus morem hucusque fuisse, quod pueri et puellae ad primam Communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare; imo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae Mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe solemni functione primae Communionis.

Unde clarissimus vir rogavit SSmum D. N. ut dignaretur duo haec dubia resolvere:

I. *Quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderi ne debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem?*

II. *Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne Pane eucharistico tam longo tempore priventur?*

Cum autem Sanctitas Sua huius negotii examen ad S. H. O. remiserit, nonnulla de more hinc inde quoad utrumque dubium adnotabo.

Et *quoad primum* rationes quae militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione ita plerumque exponuntur.

Ipsi enim non ea adhuc discretionis mente praediti apparent, quae requiritur ad hoc, ut digne et efficaciter sumere frequenter valeant SS. Corpus Christi. Quum praeterea a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahantur, atque facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertantur, saepe saepius absque debita praeparatione et gratiarum actione ad S. Eucharistiam accedere solent, sacramentum periculo irreverentiae ita exponentes.

Iamvero, uti docet Card. Bellarminus (*De sacram. Euchar.*, lib. 4, cap. 23), « ex duobus malis semper est eligendum minus malum: est autem minus malum, ut homines aliqui careant bono non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenter periculo irreverentiae exponatur ». In casu igitur, cum pueri quotidiana Communione non necessario indigeant, nec sine irreverentia eis dari possit, consultius eisdem deneganda esse videtur.

Accedit quod per nimiam Communionis quotidianae commendationem maior in pueris foveri potest hypocrisis, qui proinde vi etiam metus reverentialis in maiora quoque sacrilegia prolabuntur. Unde Tarino (*Il libro del buon pastore*), quamvis moneat rectorem clericorum in Seminariis degentium, ut in genere frequentiam sacramentorum, praesertim vero Communionis, indigitet, addit tamen: « Ma ti guarda assai dal dire a qualcheduno che si accosti più di frequente alla Comunione, perchè le tue parole potrebbero essere causa di sacrilegio e d'ipocrisia ».

Quinimo Innocentius XI in Bulla *Cum ad aures*, diei 12 februarii 1679,[1] normam tradens Communionis quotidianae concedendae, eam dimetiendam esse docet « ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu, et ad pietatem profectu ». Quae omnia difficulter verificantur in pueris, qui, utpote a vehementibus passionibus moti, conscientiae anxietatibus agitantur, in peccata saltem venialia prolabuntur, atque parum vel nihil pietatis augmenti ostendunt.

Demum in ipso Decreto H. S. C. sub n. 7 edicitur, ut haec Communio « quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis..., item in aliis christianis omne genus ephebeis ». Quapropter non satis patet Communionem in casu aliis pueris, qui extra dicta loca seu in medio saeculi versantur, suaderi. Insuper *ephebus* idem est ac pubes, qui, iuxta ius romanum et canonicum, iam ad annos 14 pro maribus, et 12 pro feminis pervenerit, et apud Graecos, teste Forcellini, qui decimum sextum aetatis annum attigerit. Ideoque pueri exclusi videntur.

At ex adverso non minora stant pro frequenti puerorum Communione. Atque in primis suffragatur vetus plurium ecclesiarum disciplina, vi cuius sacramentum Eucharistiae parvulis quoque concessum fuit, ut late probat

[1] Cf. N. 2848.

Card. Bona (*Rerum liturg.*, lib. 2, cap. 12, n. 2). Tunc temporis in usu erat, ut quicumque baptizabantur, sive adulti sive infantes, una simul Pane eucharistico reficerentur. Quae quidem praxis, quamvis tractu temporis abolita fuerit, tamen minime reprobanda est, quum et ipsum Conc. Trid. (Sess. 21, cap. 4, *de Comm.*) dicat: « Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit ». Et merito; nam, ut habet Bellarminus (loc. cit., lib. 1, c. 7), « infantes in baptismate ius acquirunt ad Eucharistiam percipiendam ».

Quocirca factum est, ut primis Ecclesiae saeculis pueri ante mensam assisterent, atque primi post clericos communicarent; item si multae particulae Corporis Christi superessent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent, quemadmodum idem Card. Bona (loc. cit.) ex pluribus testimoniis refert. Nulla igitur habetur ratio cur haec frequens, imo et quotidiana Communio hodierno tempore non sit pueris maxime consulenda.

Idque eo vel magis quia necesse omnino est, ut pueri, antequam passionibus praeveniantur, Christo imbuantur, et ita maiori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorumque internorum et externorum hostium. Ad rem in aureo libro *De imitatione Christi* (lib. 4, cap. 3) haec leguntur: « Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad peiora... Retrahit ergo sancta Communio a malo et confortat in bono ». Eucharistia enim sacramentis novae legis accensetur, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato*, quandocumque obicem in suscipiente non reperiant. Nec plus aliquid obicis in pueris quam in adultis expectandum est *ex opere operantis*, quia, praeterquamquod ignorantia in pueris ab innocentia compensaretur, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est.

Unde De Segur (*La SS. Comunione*) haec inter alia habet: « I giovanetti, al pari degli adulti, possono e debbono comunicarsi spesso. Nostro Signore non richiede da loro, se non quel che son capaci di dargli; ed egli conosce meglio di noi questa leggerezza che ci spaventa; ma egli sa altresì, e molto meglio di noi, che l'innocenza è più prezioso di tutti i tesori, che il demonio vuol rapirla ad essi per tempo, e che la sola Comunione può difenderli dalle astuzie del nemico... Per ben comunicarsi basta ricevere il Salvatore con buona volontà. Ciò si avvera tanto nei fanciulli che negli adulti; e l'esperienza fa conoscere che nella buona volontà di un fanciullo, che ha fatta la sua prima Comunione, si trova la sincerità più schietta. Egli ama Gesù Cristo, egli lo desidera; e perchè non darglielo? Bene spesso egli è degno di riceverlo più di noi altri, che non apprezziamo la di lui pietà... La leggerezza non fa ostacolo alla santa Comunione, se non quando è volontaria... I ragazzi son leggeri, sì, ma son buoni ed affettuosi; e perciò al bisogno che hanno di amare, fa d'uopo dare il suo vero alimento. Bisogna far loro amare Gesù Cristo, e a tal fine metterli spesso in intimo rapporto con lui. I loro difetti, per quanto sieno reali, hanno poca consistenza; ed è appunto la pietà quella che impedisce a questi difetti di diventar vizi ».

Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini: *Sinite parvu-*

los venire ad me, talium est enim regnum coelorum. Regnum autem coelorum in terris nonnisi Eucharistia est, quae instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

Quaenam praeterea sit hac de re mens Ecclesiae, hodiernis praesertim temporibus, luculenter apparet ex litteris, quibus Card. Antonelli, Secretarius Status S. S., de speciali Pii IX mandato, die 12 martii 1866 plurium Episcoporum Galliae attentionem et sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam, pueros ad sacramentorum frequentiam admittentes. Scribit enim: « ... Que même après les avoir admis (*nempe infantes*) pour la première fois à la table eucharistique, on a coutume de les en tenir éloignés pendant long-temps, leur défendant, dans certains endroits, de communier au temps de Pâques, l'année qui suit leur première Communion. Qu'enfin il y a même des séminaires où règne l'usage d'éloigner pour plusieurs mois les jeunes élèves du sacrement de l'Autel, sous prétexte d'attendre une plus mûre préparation. Sachant combien la fréquentation des sacrements de pénitence et d'eucharistie importe à la garde et à la conservation de l'innocence dans les enfants; sachant que cet usage fréquent des sacrements contribue admirablement à alimenter et fortifier la piété naissante dans les jeunes cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur les pratiques de notre sainte religion...; le Saint-Père, désireux de voir modifier un système si mal entendu et si préjudiciable aux intérêts spirituels des jeunes enfants, m'a chargé d'appeler sur cet abus l'attention de V. S., afin de parvenir à réformer, dans un sens plus conforme à l'esprit, et à la discipline de l'Eglise, ce défectueux système de soins spirituels à l'égard des enfants ».

Hoc idem eruitur ex Decreto ab hac S. C. die 20 decembris 1905 edito, in quo *omnibus christifidelibus* commendatur frequens ac quotidiana Communio; necnon ex duobus aliis superius recensitis Decretis S. C. Ind. et SS. Rel., quibus hac de causa speciales indulgentiae ac privilegia *omnibus* indiscriminatim *fidelibus* conceduntur. Inter quos proinde etiam pueros, qui usum rationis adepti sunt, quique primam perceperunt Communionem, non est dubium recensendos esse. Haec S. C. mandavit quidem, ut in clericorum Seminariis aliisque christianis omne genus *ephebeis* quam maxime foveatur quotidiana Communio, sed praeterquamquod heic sermo est de peculiari commendatione Seminariis ac ephebeis facta, quin alii fideles excludantur, vox *ephebeorum* lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia Instituta, in quibus etiam pueri instruantur atque educentur.

Ex quibus omnibus non immerito infertur quotidianam Eucharistiae sumptionem non solum adultis sed etiam pueris summopere suadendam esse.

Quod alterum quaestionis punctum notum Emis Patribus est, S. C. S. Officii concedere solere, nostro aevo largius ac benignius quam olim, ut senio aut chronica infirmitate laborantes, et naturale ieiunium servare non valentes, semel in hebdomada vel etiam pluries, si agatur de monialibus aut piis ac religiosis viris, ad S. Mensam accedere possint, aliquid prius per modum potus quamvis sumpserint.

Verum occasione arrepta Decreti diei 20 decembris 1905, aliquid amplius postulari videtur, et super hoc sententia EE. PP. requiritur, an scilicet et quaenam nova disciplina hac de re possit opportune induci.

Uti patet, heic sermo non est de infirmis graviter aegrotantibus atque in proximo mortis periculo versantibus, qui etsi non ieiuni, ad Eucharistiam per modum Viatici sumendam admitti possunt ac debent. Rituale enim Romanum (tit. 4, cap. 4, n. 3 et 4) ad rem statuit: « Pro Viatico autem ministrabit (*parochus*) cum probabile est, quod (*infirmus*) eam amplius sumere non poterit... Poterit quidem Viaticum brevi morituris dare non ieiunis ». Consuetudo autem Ecclesiae, ut habet Reuter (*Neo-confessarius*, part. 3, cap. 6, n. 3) « videtur absolute a praecepto ieiunii eximere periculose infirmos, si commode non possint manere ieiuni ».

Aliqua dumtaxat extat dissensio inter doctores in praefiniendo temporis spatio, quod intercedere deberet ad hoc, ut infirmo periculoso, intra eamdem infirmitatem, iterum dari possit Viaticum. Sunt enim qui cum Navarro, putant multum temporis inter unam alteramve Communionem intercedere debere; alii unum mensem; alii decem, octo aut etiam tres dies; alii denique cum Laymann (*Summ.*, lib. 5, tract. 4, cap. 6, n. 20) toties quoties devotio et dispositio poenitentis hoc suadeat, ac proinde singulis quoque diebus. Cfr. S. Alphonsus (6, 2, 85, d. 1), Ferraris (verb. *Infirmitas*, n. 21), De Lugo (*De Sacr. Euch.*, disp. 15, sect. 3, n. 64) etc. Practice autem quae vera, quae pia, quae iusta sit doctrina, tradit Benedictus XIV (*De Syn. dioec.*, lib. 7, cap. 12, n. 4): « Ne parochi renuant sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam saepius per modum Viatici, cum naturale ieiunium servare nequeunt, percipere cupiunt ».

Sed missa quaestione de infirmis graviter decumbentibus, si discussio fiat de infirmis chronicis aliisque diuturno morbo absque discrimine laborantibus, ne vetus disciplina mutetur, stat in primis dispositio Ritualis Romani, quae ita sonat: « Coeteris infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum ».

Accedit quod si a lege generali ieiunii cum infirmis extra mortis periculum dispensaretur, non pauci abusus obrepere possent.

Praetermisso enim parochorum incommodo, quod grave fieri posset, si praesertim plures infirmi in paroecia haberentur; considerandum insuper est, iuxta Rituale Romanum (loc. cit., n. 6, 7 et 8) SS̃mum Sacramentum infirmis deferendum esse manifeste atque honorifice. Et Sacra Rituum Congregatio in *Mantuana*, diei 6 februarii 1875, n. 3337, [1] uti abusum eliminandum decrevit consuetudinem ad infirmos Viaticum deferendi secreto, sine ullo exterioris cultus signo, nisi adsint gravia motiva sic agendi.

Ast si chronici ad Communionem admittantur non ieiuni, et excitentur ad S. Synaxim frequenter suscipiendam, delatio SS̃mae Eucharistiae, vel paullo frequentius per vias et in infirmorum aedes deferri oporteret; et id vix aut ne vix quidem cum debita reverentia fieri posset.

[1] Cf. N. 6068.

Firma autem lege hucusque vigente, et devotioni ac pietati infirmorum succurrendo per opportuna indulta, incommodis hucusque expositis aditus maneret praeclusus. Unde nil innovandum videretur.

Ex altera vero parte observari potest legem ecclesiasticam ieiunium naturale etiam aegrotis praescribentem, antequam S. Communionem ipsi sumant, datam esse tum ad praecavendos abusus quorumdam qui, potu et escis repleti, ad S. Mensam accedere non verebantur, tum ad reverentiam excoendam erga augustissimum Sacramentum. Atqui cum infirmis chronicis praefati abusus contingere non possunt: nec reverentia erga Sacramentum ob ieiunii defectum in casu infirmitatis detrahitur, nam causa excusans intercedit. Ergo videtur adesse ratio ad legis moderationem inducendam.

Aliunde quum omnibus indiscriminatim christifidelibus consulatur quotidiana vel saltem frequens Communio, nulla adest ratio cur infirmis, qui ieiunium servare non possunt, hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis quod ipsi maiori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi.

Observari insuper posset quod lex ieiunii naturalis sit ecclesiastica: et Concilium Constantiense (Sess. 13), quamvis edicat quod « huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis », addit tamen: « nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis ». [1]

Lex itaque ieiunii, utpote ecclesiastica, urgenda non nimium videtur; nec unquam ita, ut videatur pugnare cum iure fidelium recipiendi sacramenta. Si enim rigide, ut hucusque consuevit, accipiatur, non raro fidelem ab hoc divino subsidio impediret.

Quoad incommoda vero, quae superius indicata sunt, forsan distinctio fieri potest inter eos qui degunt in Seminariis, in monasteriis utriusque sexus, in nosocomiis, aliisque piis Institutis, a ceteris qui in privatis domibus versantur, nec privilegio oratorii domestici fruuntur.

Liquet autem incommoda superius recensita non posse contingere quoad infirmos prioris conditionis; eo vel magis quia Sacra RR. C. die 7 februarii 1874, n. 3322, permisit, ut in piis domibus nosocomiisque Eucharistia deferatur modo minus publico et solemni.

Quoad ceteros vero succurri posset, dando Ordinariis potestatem, ut saltem in maioribus anni festivitatibus, eisdem per opportunas dispensationes occurrant.

De cetero prudentia ac sapientia Em̃orum Patrum ut semper, ita etiam in praesenti causa quae iusta, quae aequa sint statuet. Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Ad I. Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum Decreti etiam pueris, qui ad sacram Mensam iuxta normas in Catechismo Romano, cap. 4, n. 63, semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente.

Ad. II. Iuxta mentem, facto verbo cum SSño. [2]

[Thesaurus Resolutionum, tom. 165, p. 1095-1105].

[1] Cf. N. 44.
[2] Cf. N. 4331.

4330.

S. C. C., decr. 24 nov. 1906.

Decreto diei 20 mensis iulii 1898, quod incipit *A primis*, Emi S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt: [1]

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat, ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae*, seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et SS. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta constitutionis *Speculatores* praescripta. [2]

Porro evulgato decreto *A primis*, de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SSmi quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 septembris 1906 Emi Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas Sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad SS. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:

1°. Dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2°. Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis, quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt, et superius sub num. 2, 3, 4 et 5 recensentur; et servato quoque decreto *Vetuit* diei 22 decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos. [3]

3°. Sed iuramentum ad tramitem constitutionis *Speculatores* requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis, ne ad clericalem tonsuram admittant, qui aetate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio Papae X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 septembris 1906, Sanctitas Sua

[1] Cf. N. 4307.
[2] Cf. N. 258.
[3] Cf. N. 4327.

deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque, ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus. – Vincentius Card. Episcopus Praenestinus, *Praefectus*. – C. De Lai, *Secretarius*.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2240. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXIX, p. 600-603].

4331.

S. C. C., decr. 7 dec. 1906.

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis decembris 1905, [1] concessasque a SSmo D. N. Pio Pp. X die 30 mensis maii eiusdem anni [2] indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis et Orbis*, die 14 mensis februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, [3] cuius decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio Pp. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, [4] benigne concessit, ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 2242. – Cf. etiam Acta S. Sedis, vol. XXXIX, p. 603, 604].

[1] Cf. N. 4326.
[2] Acta S. Sedis, vol. XXXVII, p. 794, 795.
[3] Cf. N. 5143.
[4] Cf. N. 4329.

4332.

S. C. C., *Asten.*, 26 ian. 1907.

In urbe Astensi, extructis coemeteriis publicis, Episcopus Lobetti, ne parochi longiori et incommodiori cadaverum associatione gravarentur, inhaerens constitutionibus synodalibus praedecessoris Episcopi Caissotti, die 13 nov. 1835 decretum edidit, quo statutis poenis prohibuit quominus, iustis absolutis funebribus in paroeciali ecclesia, parochi vel eorum coadiutores sub quolibet titulo aut praetextu, etiamsi devotionis aut pietatis, defunctorum cadavera ad coemeterium comitentur. Inde factum est, ut cadavera, post expletas a parocho exequias, a coemeterii capellano et quandoque etiam ab aliis sacerdotibus ad parentum defuncti invitationem, cum processione et confraternitatum interventu ad coemeterium deferantur.

Praeterea in eadem urbe si peregrinus vel parochianus in alio loco defunctus sed in coemeterio civitatis Astensis tumulandus, ad portas vel stationem viae ferreae eiusdem civitatis deferatur, aliquando capellanus coemeterii, sola parentum invitatione, absque parochi licentia, cum bireto et cotta et confraternitatum interventu ad cadavera recipienda se confert, eademque, dicto Ps. *Miserere*, ad coemeterium comitatur; quin etiam in coemeterii oratorio saepe preces exequiales solemniter peragit; et hoc agit sive iusta funebria persoluta in loco decessus iam fuerint, sive cadavera benedictionem tantum privatam in aliquo nosocomio a parocho vel capellano receperint, sive neutrum peractum sit.

Nunc parochis civitatis Astensis instantibus, sequentia dubia pro solutione subiiciuntur:

I. *An sustineatur decretum Episcopi Lobetti, et consuetudo, qua associatio ab ecclesia funerante ad publicum coemeterium fit non a parocho vel eius delegato, sed a coemeterii capellano vel ab alio sacerdote?*

II. *An sustineatur consuetudo, qua capellanus coemeterii peragit functiones funereas cadaverum, quae aliunde in civitatem Astensem deferuntur et deinde tumulantur in publico coemeterio?*

Parochi quoad *primum dubium* negant capellano coemeterii vel cuilibet sacerdoti non parocho ius comitandi cum pompa solemni cadavera ab ecclesia funerante ad publicum coemeterium. Si hoc ius, aiunt, illis competeret, id esset vel ex iure communi, vel ex iure particulari, vel ex consuetudine. Atqui nullum ex praedictis capitibus suffragatur.

Et sane non suffragatur ius commune. Ex hoc enim habetur, nonnisi parochum posse et debere privative quoad alios comitari cadavera suorum parochianorum ad sepulcrum, quum aequum non sit lucrum associationis iis denegare, qui defunctis, dum viverent, officium pastoris exhibuerunt, migrantibus adstiterunt, mortuis ritus exequiales peregerunt. Quod si in aliquo casu hoc ius non recognoscitur parochis, uti nominatim cautum est in efferendis monialium cadaveribus, haec tamen semper additur conditio « ut id fiat absque pompa solemni et defunctus recto tramite deferatur ad coemeterium »; secus ius exigit, ut interveniat parochus.

Non suffragatur ius particulare dioecesanum. Decretum enim Episcopi Lobetti id interdicit parochis et vicecuratis, quin aliis sacerdotibus, ne capellano coemeterii quidem excepto, ius aliquod tribuat.

Demum neque id adstruitur ex consuetudine. Nulla enim invalescere potuit consuetudo favore coemeterii capellani, quia parochi ex praefato decreto erant impediti: et scitum est quod: *contra non valentem agere non currit praescriptio*. Praeterea hoc munus coemeterii capellanus non exercuit *a) neque privative quoad alios*, nam constat alios quoque sacerdotes, a parentibus defuncti requisitos, hoc munere functos fuisse et fungi; *b) neque constanter et iure quasi suo*, sicuti patet ex testimonio sacerdotis Lini Bigliani, qui per annos duodecim eiusdem coemeterii capellanus fuit; *c) neque exercuit toto tempore ad consuetudinem introducendam requisito*. Ad praescribendum enim contra parochum in materia funeraria iuxta De Herdt (*Praxis Ritualis Romani*, cap. 7, § 3, pag. 123) consuetudo annorum 40 cum titulo, vel immemorabilis sine titulo, et in utroque casu intercedere debet bona fides. Sed in casu praeterquamquod nullus habetur titulus, et nulla consuetudo immemorialis, deest etiam bona fides.

Nec dicatur quod hoc ius neque parochis competat, cum obstet decretum Episcopi Lobetti; nam hoc decretum non est sustinendum, quia fuit nullum ab initio. Firmitate enim carent constitutiones synodales, quae iuri communi adversantur, ait Benedictus XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 1, n. 81); ideoque a fortiori constitutiones et decreta extrasynodalia, nisi Episcopus speciales habuerit facultates a Summo Pontifice. Etsi in principio decretum Episcopi Lobetti validum fuerit, hanc tamen validitatem amisit decursu temporis, sive quia, una excepta civitate Astensi, in desuetudinem abiit in omnibus fere paroeciis dioecesis, sive quia totaliter cessavit eius finis, quum decretum tunc temporis latum fuerit favore parochorum, ne ipsi scilicet a fidelibus compellerentur, absque iusta compensatione, ad cadavera consocianda ad novum et remotiorem locum dormitionis.

Ad *secundum dubium* quod attinet, parochi negant coemeterii capellano vel cuilibet alii sacerdoti ius excipiendi cadavera ad portas civitatis et stationem viae ferreae in bireto et superpelliceo, cum confraternitatum processionaliter incedentium interventu, eademque, cum cantu Ant. *Exultabunt Domino* et Ps. *Miserere*, ad locum sepulturae cum pompa solemni comitandi.

Aut agitur, ipsi dicunt, de mortuis, qui sepulturam ecclesiasticam nondum habuerunt, et si petitur, cum sit functio stricte parochialis, fieri debet a parocho, ad quem, dum vivebant, defuncti pertinebant ratione domicilii, aut saltem nunc pertinent iure communi et consuetudine, illi parocho, in cuius ditione nunc extant. Si vero nulla sepultura petitur, sed simplex cadaveris adsociatio ad tumulum, hoc vel non est permittendum, utpote contrarium iuri communi et liturgiae, quae iubent omnes christifideles non indignos, antequam terrae mandentur, vera sepultura ecclesiastica donari; vel, si permittitur, haec adsociatio est parochis reservanda; tenet enim locum sepulturae ecclesiasticae, quam defunctorum coniuncti iniuste recusant. Ratione vero pompae solemnis eadem adsociatio evadit functio stricte paro-

chialis. Aut agitur de cadaveribus alibi iam sepulturae ecclesiasticae donatis; et tunc vel altera functio exequialis petitur, et haec, prout supra, evadit propria parochorum; vel petitur simplex cadaveris comitatio ad coemeterium, et haec quoque est parochialis, saltem cum perficitur plus minusve solemniter.

Ex altera vero parte capellanus coemeterii sustinet quod a tempore decreti Episcopi Lobetti, consentientibus parochis civitatis Astensis, invaluit consuetudo nunquam interrupta, nisi excipias paucos casus gravissimis urgentibus causis, qua coemeterii rector seu capellanus pro tempore, post expletas in ecclesia parochiali functiones funereas, cadavera ab illa ecclesia ad publicum coemeterium comitatur. Consuetudo etiam invaluit, qua idem capellanus cadavera, quae aliunde in civitatem Astensem deferuntur, ad ianuas civitatis vel ad stationem viae ferreae recipit et pariter comitatur ad locum dormitionis. Huius duplicis consuetudinis fit mentio in recensione munerum capellani, quae fit in ipso actu quo municipium illum nominat.

In hoc munere exercendo si capellanus invitatur a defunctorum coniunctis, percipit emolumentum libellarum decem; si vero agitur de defunctis pauperibus, in quo casu nulla fit invitatio, omnino gratis suum munus impendit. Praeterea capellanus nominatur a municipio, a quo recipit tenue stipendium libell. 340. Si amitteret ius associandi cadavera ab ecclesiis tumulantibus et a portis civitatis ad coemeterium, privaretur etiam incerto emolumento decem libellarum pro unoquoque cadavere, eiusque conditio prorsus miserabilis evaderet, quia dum, ob crebrescentem mortuorum pauperum numerum, augerentur labores et onera, minueretur retributio vel prorsus illusoria evaderet; nullusque inveniretur sacerdos, qui munus coemeterii capellani vellet suscipere; quinimo forsitan municipium ipsum officium aboleret, vel saltem in personam laicam transferret, quod maximae esset iacturae Astensi dioecesi et civitati.

Tandem parochi ius associandi cadavera ad coemeterium reclamant, quia illud ius, ut pars integralis iuris funerandi, nempe levandi et deducendi funus ad ecclesiam parochialem, ab hoc nequit disiungi. Si ita res est, parochi deberent adsociare ad coemeterium non tantum cadavera divitum, quando nempe ipsis solveretur emolumentum decem libellarum, sed etiam cadavera pauperum, quae adsociantur omnino gratis. Atqui hoc ius minime reclamant. Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Negative et servetur ius commune, ac parochi omnium suorum parochianorum etiam pauperum cadavera decenter comitentur ad coemeterium.

Ad II. Detur resolutio in Novarien., Funerum, *27 maii 1893 et 22 iunii 1895.*[1] *Et ad mentem.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 6-14].

[1] Acta S. Sedis, vol. XXVIII, p. 233-239.

4333.

S. C. C., *Bononien.*, 23 febr. 1907.

Antonius Damiani diaconus a decimo suae aetatis anno laborare coepit morbo epileptico, qui primitus saepius duorum nempe vel trium dierum spatio, sed postea, remediis adhibitis, rarius, plurimis scilicet mensibus interiectis, et usque ad decem et octo menses, imo etiam usque ad tres annos apparere solitus fuit. Postrema vice ipse eodem morbo correptus est paucis diebus ante diem, in qua promovendus erat ad s. presbyteratus ordinem, nempe mense decembri 1905. De hoc edoctus Emus Archiepiscopus prudenter eius ordinationem suspendit. Quare diaconus Damiani huic S. C. supplicem libellum obtulit pro dispensatione obtinenda ab huiusmodi defectu, suam petitionem confirmans testimonio medici curantis, qui ex evolutione ipsius morbi iudicabat ipsum posse quamprimum plenam sanitatem recuperare.

Hisce ablegatis precibus pro informatione ad Emum Archiepiscopum, hic alium medicum, nempe Herculem Fabbri, consuluit, qui cum retulisset, haec S. C. die 20 febr. 1906 respondit: *Dilata.*

Praeterlapsis autem nonnullis mensibus, diaconus Damiani iterum institit pro gratiae concessione, allegans medici curantis testimonium, quo declarabatur non amplius se eidem morbo fuisse obnoxium, imo optima frui valetudine. Et haec S. C. die 3 sept. 1906 acceptas preces denuo remisit ad eumdem Archiepiscopum, ut referret, an orator ex dicto morbo ita convaluerit ut, salva reverentia sacri ministerii et ad normam ss. canonum, ad ss. ordines promoveri posset. Archiepiscopus literis diei 19 sept. 1906 exhibuit attestationem proprii medici Iulii Melotti, referentis agi in casu de vera epilepsia sed levi; qui medicus insuper addebat adhibitis remediis praescriptis posse oratorem convalescere ad ministerium ecclesiasticum recte exercendum. Archiepiscopus autem in suis litteris plurimum commendabat eumdem Damiani propter eius excellentes animi dotes, et gratia dignum iudicabat.

Inter irregulares communiter recenseri caduco morbo laborantes seu epilepticos docent can. 3 *Communiter*, dist. 33; can. 10, *Praecipimus*, dist. 34; nec non canonistae hos textus interpretantes, uti Reiffenstuel (lib. 1 *Decret.*, t. 20, n. 19), Devoti (lib. 1, *de elect.*, t. 7, p. 6) aliique, quibus est etiam consona praxis constans huius S. C. Profecto si expendatur relatio medicorum Melotti et Fabbri, clare resultat agi in casu de vera epilepsia, ita ut dici non possit, in futurum remotum et vitatum esse periculum relapsus.

Adde etiam obstaculum gratiae concessioni gravius apparere, si consideretur paulisper morbi epileptici natura; nam qui eo afficitur, viribus corporis deficientibus, vel in terram ruit et extra sensus rapitur, vel convulsionibus quatitur nervorum, unde omnes actus externi deliberati impediuntur; est sane morbus quam maxime distans a reverentia et securitate requisita in sacro ministerio exercendo, unde qui eo morbo afficitur, ad ss. ordines

est omnino inhabilis, et dispensationi locus esse non solet. Quare, inhaerendo disciplinae huius S. C., vel gratia esset deneganda, uti factum fuit in *Lugdunen.*, 26 aug. 1905, [1] vel saltem differenda, quoad usque innotesceret de perfecta recuperata sanitate, ut in *Treviren.*, 27 ianuarii 1866, et *Venetiarum*, 12 septembris 1896. [2]

Nec in themate suffragantur speciales circumstantiae, quales profecto essent magna utilitas vel necessitas pro dioecesi ob cleri defectum, vel extraordinariae dotes oratoris; quum e contra agatur de clerico, qui tenui ingenio pollet, uti ipse oratoris patruus fatetur.

Ex adverso pro concedenda gratia sequentia concurrere possunt. In primis agitur de levi et sanabili epilepsia, quemadmodum eruitur ex fide medicorum Melotti et Fabbri. Constat insuper oratorem ab ultima morbi impetitione usque ad praesens, nulli amplius extitisse accessui obnoxium.

Age vero expendentes canonistae huius morbi naturam, docent epilepticum, qui iam promotus fuerit, quamvis nondum sanatus, ut habet Ferraris (Bibl. Can., verb. *Irregularitas*, art. 1, n. 12), si raro tamen cadat, posse privatim celebrare cum assistentia sacerdotis, qui missam prosequi valeat, si alter deficiat; nec absolutam oriri ex huiusmodi infirmitate irregularitatem autumant, cum, ut ait Suarez (*de censur.*, disp. 51, sect. 3, n. 17), non propter aegritudinem absolute irregularitas incurratur, sed propter impedimentum perpetuum; infirmitas enim quae sanari potest, vitium corporis simpliciter in iure non vocatur, leg. *Inter*, 101, ff., *de verb. sign.* Quod autem morbus, quo afficitur in casu orator, raro accidat et sanabilis sit, constat ex testimonio peritorum Fabbri et Melotti. Tempus vero ad cognoscendum, utrum epilepticus dici possit sanatus, est integer annus ab ultimo lapsu, seu morbi accessu, uti communiter tenent auctores. Cf. Ferraris (loc. cit.), Reiffenstuel (lib. I, *Decret.*, tit. 20, n. 19), Pirhing (eodem titulo, § 14).

Item nec in regesto huius S. C. desunt exempla huiusmodi impertitae gratiae; ita in *Volaterrana*, 9 iulii 1825 dispensatio concessa fuit diacono Belloni, qui, olim comitiali morbo obnoxius, levem deinde corporis excitationem passus est. Eadem gratia concessa fuit in *Bisinianen.*, 24 nov. 1906 [3] subdiacono Mariano Rose, licet coarctata ad diaconatum tantum, quamvis vix annus ab ultimo morbi accessu effluxisset. Quin aliquid obstent contrariae decisiones: nam in *Lugdunen.* orator diaconus, qui gratiam implorabat, 4 vel 5 accessus epilepticos in anno ante petitam gratiam expertus fuerat; in aliis duabus causis res erat de clerico sacris ordinibus initiando, dum heic agitur de clerico iam ad diaconatum promoto, quo casu Ecclesiae indulgentia benignior evadit.

Praeterea quoad periculum indecentiae vel admirationis in populo ob forte supervenientem accessum morbi, haec animadverti possunt. Primo hanc morbi aggressionem plerumque indicia praeveniunt, quae medici appellant *aura epilettica*, et quidem haec se produnt duos vel tres horae quadrantes ante epilepticum accessum: hinc orator in hisce adiunctis se abstinere potest a missae celebratione. Deinde hoc periculum relapsus est valde improbabile, tum quia agitur de persona in iuvenili aetate constituta, cum orator natus sit an. 1880, et incoepta cura tales exitus habuit, ut fere sanatus dici possit; tum etiam quia in casu non agitur de morbo ingenito seu haereditario, ut firmat in ultima informatione Emus Ordinarius, sed potius acquisito ex sinistris eventibus et passis angustiis et laboribus extraordinariis in studiorum curriculo; quae causae deprimentes, uti eas nuncupat medicus Fabbri, facile disparebunt post susceptum sacerdotium. Quo vero ad admirationem in populo, haec facile praecaveri potest, si gratiae concessioni conditio apponatur, ut ipse celebret in privato oratorio, quo privilegio oratoris familia iam fruitur, saltem quoadusque totaliter morbus recesserit.

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 994-999.
[2] Acta S. Sedis, vol. XXIX, p. 495-498.
[3] Thesaurus Resolutionum, tom. 165, p. 1173-1176.

Demum prae oculis haberi debent praeclarae dotes morales oratoris, quibus tum ab Emo Archiepiscopo, tum a rectore Seminarii et a proprio parocho maxime commendatur. Nec omittendum quod gratiae denegatio, attenta extraordinaria nervea susceptibilitate oratoris, fortasse determinare valeret morbi comitialis renovationem. Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Arbitrio et prudentiae Emi Archiepiscopi iuxta mentem, facto verbo cum SSmo. Mens autem est, ut orator celebret in oratorio privato cum adsistentia alterius sacerdotis, usque dum iudicio medici non constet de plene recuperata valetudine, et sub lege ut perseveret in valetudine ipsa assidue curanda.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 59-64].

4334.

S. C. C., *De Serena*, 23 febr. 1907.

In dioecesi De Serena post coemeteriorum saecularizationem mos invaluit, ut fere omnia defunctorum cadavera sepeliantur nullis adhibitis religiosis ritibus, nullo sacerdote comitante nullisque proinde funeribus in die obitus vel depositionis, tertia, septima aut trigesima celebratis. Aliquando tamen, pluribus transactis mensibus vel etiam annis, parentes defunctorum celebrare faciunt suffragia quaedam vulgo dicta *entierros ó funerales* (idest tumulationes aut funera), in quibus canitur vel legitur missa funebris cum vel sine defunctorum nocturno.

Porro, quum sanctuarium B. V. M. *de Andacollo* nuncupatum ac simul ecclesiam paroecialem constituens, cui iam a tribus annis tamquam parochus praeest Ioannes Linus Sarriugarte, e Congr. Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. Virginis, in magna veneratione habeatur penes universae reipublicae Cilenae fideles, ex iisdem multi, etiam ex alienis paroeciis, ibidem celebrationem dictorum funerum seu suffragiorum committere solent. Hoc autem aegre ferens, utpote in suorum iurium parochialium praeiudicium, sacerdos Robertus Carcason, qui item tribus abhinc annis proximam paroeciam vulgo *de Recoleta* dictam regit, die 7 oct. 1905 recursum obtulit ad curiam dioecesanam, expostulans, ut sibi restituerentur

emolumenta, quae occasione funerum pro suis defunctis paroecianis a parocho sanctuarii de Andacollo hucusque percepta fuere. Deinde certior factus a curia parochus praefati sanctuarii de querelis contra ipsum motis ab altero parocho de Recoleta, admisit quidem horum suffragiorum factum, sed simul negavit hoc esse contrarium legibus ecclesiasticis, quum illa funera non sint iura parochialia sed mere functiones, quae proinde a quolibet sacerdote celebrari possunt.

Quibus acceptis curia episcopalis exquirere censuit votum promotoris fiscalis, qui, pluribus disputatis de sepulturis et de funeribus, concludit suffragia, de quibus in casu, non esse vera funera ecclesiastica a proprio defunctorum parocho celebranda. Verum Vicarius generalis die 23 nov. 1905 extraiudiciale tulit decretum, quo parochus de Andacollo damnatus est ad restituenda parocho de Recoleta emolumenta funeraria indebite percepta.

Contra huiusmodi decretum, die 18 aug. 1906 parochus de Andacollo ad hanc S. C. appellavit, petiitque, ut sequentia dubia dirimerentur: 1. *An suffragia, quae sub nomine* entierros *in dioecesi De Serena celebrantur pro defunctis, elapsis pluribus mensibus imo et annis post mortem, sint dicenda vera funera ad sensum canonicum, ac proinde censenda iura parochialia;* 2. *An parochus* de Andacollo *teneatur in casu aliquid restituere parocho* de Recoleta.

Favore parochi de Andacollo haec adnotari possunt. Ex iure communi parochis competere videtur dumtaxat ius cadavera associandi ad ecclesiam parochialem ibique exequias peragendi, non autem missam exequialem, etiam praesente cadavere, celebrandi. Sane missa haec quum ex parte fidelium nullimode dici possit obligatoria, accensenda non videtur inter iura stricte parochialia. Hoc eruitur ex Rituali Rom. (tit. 6, cap. 1, n. 4) ubi inculcatur ut « *quantum fieri poterit*, missa praesente corpore defuncti celebretur ». Iamvero incisum illud *quantum fieri poterit* non importat praeceptum sed tantum consilium. Idem confirmatur a quotidiana praxi, vi cuius missa exequialis, praesente cadavere, saepe saepius omittitur. Nec difficultatem facessit eiusdem Ritualis additio (loc. cit., cap. 3, n. 19): « missa, praesente cadavere, non omittatur »; nam haec verba, inspecto universo contextu, ut notat Melata (*De iure paroch.*, pag. 28) « non sunt sumenda modo quodam comparativo, ita ut inter ea quae omitti possunt, ultimo loco sit missa, quae etiam omitti potest, si hora non fuerit congruens aut aliqua necessitas obstet ».

Sed etiamsi detur quod parochus privative habeat ius litandi missam exequialem praesente cadavere, non exinde sequitur idem ius retinere etiam postquam corpus defuncti sepultum imo et humatum fuit. Nam praeterquamquod id ex nullo iuris canone eruitur, parochus contentus esse deberet emolumentis funerariis, quae eidem obveniunt occasione exequiarum, sive celebretur sive omittatur missa funeralis. Accedit quod ex decreto generali Sacrae Rit. Congr. diei 2 dec. 1891, n. 3755, ad 2, nec non ex altero eiusdem S. C. decreto in *Calaguritana et Calceaten.*, die 13 febr. 1892, n. 3767, ad 26, missa exequialis ea dicitur, quae celebratur praesente cadavere physice vel saltem moraliter seu non ultra biduum ab obitu. Unde missa funebris, quae litari solet ceteris diebus, nimirum die tertia, septima, trigesima, anniversaria etc., quum exequialis dici nequeat, hoc ipso ad iura parochialia non est trahenda.

Et hanc esse mentem S. R. C. non immerito deducitur ex decreto *Ordinis Minorum Conventualium*, 13 maii 1879, n. 3494, ad 1, ubi licitum esse declaratur « in aliena ecclesia et apud Regulares cantare missam de requie, quam fideles celebrare petunt pro propinquis vel amicis defunctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi missa exequialis in ecclesia parochiali non celebretur ». Hoc idem ab eadem S. C. confirmatum fuit rescriptis 29 nov. 1901 et 24 ian. 1902 datis, in quibus licere decernitur in ecclesiis Regularium, permittente ritu, celebrare Officia et missas de requie diebus 3, 7, 30 et anniversaria a depositione. [1]

Nuperrime vero tum a S. C. EE. et RR. in *Tusculana, Exemptionis ac iurium*, 13 maii 1904, ad 4, [2] tum a Sacra C. C. in prima propositione causae *Barcinonen., Iurium paroecialium*, 27 aug. 1904, ad 2 et 3 [3] prodiit resolutio contraria quibusdam parochis, qui ius sibi arrogarunt litandi missam funeralem non praesente corpore defuncti et emolumenta exinde promanantia percipiendi. Et merito sane; secus enim parochi portionem canonicam petere possent quoad omnes missas, quae sive cantatae sive lectae celebrarentur in aliis ecclesiis cum magno cultus discrimine atque cum praeiudicio iuris alieni. Quod nedum ab Ecclesiae sensu abhorret, sed iniustum quoque apparet. Huiusmodi enim functiones non uti funera stricte sumpta, sed veluti suffragia communiter haberi solent, quae proinde a quolibet sacerdote in qualibet ecclesia peragi valent.

Ex altera vero parte parocho de Recoleta haec favere possunt. Et in primis, certa ab incertis secernendo, exploratissimi iuris est, quod inter parochialia iura recensetur quoque ius ad emolumenta, quae occasione funerum persolvuntur. Item extra controversiam positum est ius parochi peragendi exequias ac missam exequialem litandi, quoties ipsa a fidelibus celebrari committitur praesente saltem physice defuncti corpore. Hoc enim clare eruitur ex ipsis Ritualis Romani verbis (tit. 6, cap. 1, n. 4; et cap. 3, n. 19), ubi edicitur quod « Missa exequialis quantum fieri poterit... praesente cadavere non omittatur ». Atqui quum unus idemque sit sacerdos qui, iuxta Rituale, et exequias super defuncti corpore absolvere, et missam exequialem tunc temporis celebrare tenetur: consequitur unum eumdemque parochum esse, qui ad utramque functionem ponendam ius habet.

Neque valide obiicitur quod quum haec missa sit tantum de consilio, ideo nequit ad iura parochialia pertinere. Nam etiam omissa sententia eorum, uti De Herdt (*Praxis s. Liturg.*, tom. 3, part. 6, n. 231), et Alberti (*De sepult. eccl.*, n. 69), qui, licet minus probabiliter, tenent missam exequialem esse vere obligatoriam, hoc tantum in themate sustinetur quod, si missa exequialis, iuxta Ecclesiae mentem, praesente cadavere celebranda a parentibus vel haeredibus defuncti committitur, ius illam litandi emolumentaque inde percipiendi ad parochum privative quoad alios spectat.

[1] Decr. Authent., n. 4085.
[2] Acta S. Sedis, vol. XXXVII, p. 575-584.
[3] Thesaurus Resolutionum, tom. 163, p. 1056-1079.

Imo huiusmodi parochi ius merito protrahitur etiam ad tempus, quo cadaver uti praesens saltem moraliter haberi potest. Hoc resolutum habetur a S. R. C. in generali decreto diei 2 dec. 1891, n. 3755, ad 2, nec non in *Calaguritana et Calceaten.*, 13 febr. 1892, n. 3767, ad 26, ubi edicitur quod « cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum (*vel aliam gravem ob causam*) non solum insepultum sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si esset physice praesens ita ut missa exequialis in casu cantari licite valeat, quoties praesente cadavere permittitur ». Hinc ius, quo fruitur parochus celebrandi missam exequialem corpore defuncti physice praesente, perseverare dicendum est etiam in altero ex duobus immediate sequentibus ab obitu diebus.

Sed ulterius non immerito sustinetur parochum retinere ius suum litandi primam missam funeralem et percipiendi vel omnia emolumenta vel saltem quartam funerariam, si ipsa missa, absolutis vel minus exequiis, nondum celebrata fuit. Ita decisum apparet a S. C. C. in secunda propositione causae *Barcinonen.*, *Iurium parochialium*, diei 29 iulii 1905,[1] in qua ex noviter deductis reformatur prior resolutio diei 27 augusti 1904. Quaestio erat hodiernae valde similis. Attenta enim lege civili Hispanica, vi cuius cadavera defunctorum vetabantur in ecclesiam introduci, ipsa benedicebantur tantum aqua lustrali ante ecclesiae ianuam et mox ad coemeterium deferebantur; funera autem differebantur ad secundam, tertiam, quartam diem vel etiam ad longius tempus a die obitus. Quum vero haec funeralia ab hac S. C. habita fuerint in locum illorum funerum, quae praesente cadavere persolvebantur, ideo hoc prodiit responsum: « In posterum prima funebris missa post obitum, fiat aut in propria defuncti paroecia aut in cathedrali et, quatenus in alia ecclesia legitime celebretur, parocho proprio solvatur quarta funeraria ». Ad rem notari oportet capitulum cathedrale Barcinonense frui privilegio a consuetudine plusquam centenaria firmato peragendi nonnulla munera parochialia, inter quae adnumeratur etiam ius funerandi quoscumque fideles, nulla quarta funeraria parocho proprio reservata.

Hoc idem tenuit S. C. EE. et RR. in causa *Ianuen.*, *Funerum*, 14 iulii 1905 et 12 ian. 1906.[2] Consonat Benedictus XIII, const. *Romanus Pontifex*, anno 1725[3] statuens: « Quod si funus non fieret in die tumulationis sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differetur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intorticiorum ». Hoc idem firmatur a duobus aliis resolutionibus S. C. C. nempe in *Mediolanen.*, *Quarta funeraria*, 9 sept. 1730, ad 2[4] et in *Firmana*, 18 iulii 1744.[5] Imo doctores antiquiores referunt etiam decisionem S. C. EE. et RR., 3 aug. 1621, quae, iuxta Barbosa (*De off. et potest. paroch.*, part. 3, cap. 24, n. 32) censuit deberi quartam parocho ex funeralibus secundo loco factis.

Exinde concludere licet, quod ius parochorum ad missam funeralem

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 926-949.
[2] Acta S. Sedis, vol. XXXIX, p. 356-360.
[3] Cf. N. 284.
[4] Thesaurus Resolutionum, tom. 5, p. 45-47.
[5] Thesaurus Resolutionum, tom. 13, p. 146-149.

extenditur etiam ad aliud tempus, postquam cadaver amplius praesens non est sive physice sive moraliter, si antea missa non fuit celebrata. Quamdiu autem duret hoc ius, non facile determinari potest, quum ex auctoribus nonnulli usque ad 30 dies et alii illud indeterminatum relinquant.

Neque valide obiicitur decretum S. R. C. in una *Ordinis Minorum Conventualium*, nam, coeteris omissis, ad rem ita monet Melata (loc. cit., pag. 38): « S. R. C. dubium resolvit sub respectu praesertim liturgico, quin curet de emolumentis, quae revera sub competentia sunt praesertim S. C. Concilii. Quare haec eadem S. R. C. in decreto *Constantien.*, 24 iulii 1638[1] noluit resolvere quaestionem de emolumentis inculcando solum observantiam iuris communis ». Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis peculiaribus circumstantiis, servetur in posterum regula statuta in Barcinonensi *29 iulii 1905.*[2] *Quo vero ad praeteritum neminem esse inquietandum: et Episcopus opportune instruat et hortetur fideles ad suffragia defunctorum quamprimum explenda.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 73-81].

4335.

S. C. C., *Veglen.*, 23 febr. 1907.

In oppido Bescae, sicuti in aliis locis dioecesis Veglensis, aderat Capitulum rurale, quod maiori vel minori sacerdotum numero sub loci parocho constabat. Proventus ita distribuebantur, ut ex decimis parochus duas partes perciperet, alii vero capitulares singuli unam partem; reliqui vero reditus, sicut etiam onera missarum fundationalium cum sua eleemosyna, viritim dividerentur.

Anno 1828 dicta capitula a Gubernio suppressa fuerunt, ea tamen lege, ut capitulares reditus cederent in sustentationem eorum, qui subsidiariam animarum curam agerent, quique post extinctum Capitulum ibidem erant instituendi. Interim hic dividendi reditus mos usque ad recentissima tempora servatus fuit, licet horum redituum administrationem gereret parochus, et Gubernium ob auctum in superstitibus capitularibus reditum ex progressiva Capituli imminutione, concurreret minori supplemento congruae. Parochialis vero congrua postremis legibus civilibus evecta fuit ad florenos 600 pro parocho, et ad florenos 300 pro unoquoque ex duobus cooperatoribus, quum ipsi dumtaxat de rurali Capitulo superfuerint. Insuper parochus, praeter compensationem ex decimis et ex aliis reditibus antiqui Capituli in communi cum coadiutoribus, obtinet etiam duo simplicia beneficia, eique, sicuti prius, reservata sunt incerta stolae albae: quod si huiusmodi reditus taxatam congruam non exaequant, a Gubernio supplentur ex fundo religionis.

In supputandis quidem reditibus ex missis fundatis provenientibus

[1] Cf. N. 5369.
[2] Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 926-949.

Gubernium non semper eamdem regulam secutum est; sed, quidquid sit de tali supputatione, Ordinarius Veglensis refert semper adesse ex dictis reditibus residuum ad persolvendas missas, quibus dotatio praegravatur, nedum iuxta eleemosynam manualem, sed etiam iuxta eleemosynam taxatam pro missis fundatis.

At hodiernus parochus Antonius Andrjicic contendit aliter se rem habere tum quoad rationem dividendi reditus ex-capitulares, tum quoad modum persolvendi onera missarum. Ipse siquidem sustinet se successisse Capitulo extincto, et proinde omnes capitulares reditus cumulatim sumptos efformare suam praebendam parochialem: coadiutoribus partem reditus et nonnullas missas fundationales tradit, sed non in ea proportione, quae viguit iuxta pristinum distributionis morem, nempe tertia parte earum tantum assignata parocho. Insuper idem parochus pro missis sive capitularibus sive adventitiis, quas suis cooperatoribus vel aliis sacerdotibus persolvendas committit, eleemosynam tantum manualem tradere praetendit, servata sibi stipendii parte, ea nempe quae ordinariam eleemosynam excedit. Hinc duae infra excriptae quaestiones resolvendae proponuntur.

Quoad *primum dubium* modernus parochus suum ius vindicare satagit in primis ex mutatione status beneficii per decretam suppressionem civilem Capituli ruralis. Re quidem vera Capitulo rurali existente, iurisdictio et officia spiritualia non apud parochum sed apud idem Capitulum existebant; parochus erat tantum primus inter pares, et cura animarum exercebatur a Capitularibus per turnum; utique parochus duo parva separata beneficia possidebat, sed haec in partem congruae ei erant collata, non in titulum beneficii parochialis. Iam vero omnia dicta munera et officia, Capituli suppressione secuta, in parocho coaluerunt: Gubernium enim Austriacum, ipsa ecclesiastica auctoritate tacite connivente, Capitulares amplius non recognoscens, horum reditus et officia transtulit in parochum a cooperatoribus in curae animarum exercitio coadiuvandum.

Hoc comprobari urget ex facto nominationis sui praedecessoris parochi Dorcic an. 1871. Siquidem tunc curia Veglensis, praevidens brevi Capitulum extinctum fore, quod reapse contigit an. 1881, edictum pro concursu vulgavit ad *paroeciale beneficium* loci Bescae. Parochum vero Dorcic continuo institisse acriter in suis iuribus parochialibus defendendis, praesertim vero quominus sua praebenda parochialis imminueretur, patet ex pluribus recursibus hoc sensu apud curiam Veglensem oblatis, et etiam ex protestatione emissa an. 1875 apud Austriacum imperatorem.

Sed recognitio beneficii parochialis seu coalitio capitularium bonorum et redituum in paroecialem praebendam plenius adstruere ipse adlaborat ex pluribus actis ab ipsa curia Veglensi emissis. Nam usque ab anno 1857 ad praxim redigi coepit conceptus novae paroeciae, siquidem eo tempore in Capitulo constitutus fuit cooperator paroecialis cum stipendio seu congrua assignata a Gubernio ex fundo religionis. Eamdem rem perseverasse sustinet sub Episcopis successoribus, eique congruere etiam acta emissa ab actuali Episcopo, qui in responsivis litteris diei 8 iulii 1897 declarat auctoritati civili ex exhibitis computis intercalaribus super beneficio parochiali non satis innotuisse statum redituum fundationalium ad extinctum Capitulum rurale spectantium.

Aliud demum argumentum parochus colligit ex modo, quo ad paroeciam fuit promotus, nempe praevio concursu, et « cum omnibus iuribus, honoribus, emolumentis praefato beneficio adnexis vel ad ipsum quomodocumque pertinentibus ».

Quoad *secundum dubium* parochus contendit de celebratione missarum fundationalium ipsum tantum respondere debere sive coram ecclesiastica auctoritate, sive coram civili, cum ipse solus sit parochus: suis cooperatoribus, utpote auxiliaribus et non amplius membris extincti Capituli, nullum inesse ius sese ingerendi in persolvendo onere dictarum missarum. Sane, ait ipse, vi legis civilis an. 1898 in congruam paroecialem non sunt computandi reditus ex fundationibus certa summa institutis pro missis vel aliis officiis divinis, ad quos, iuxta eamdem legem, ius habet dumtaxat parochus. Deinde suam agendi rationem cohonestare adnititur circa nondum persolutas fundationales missas.

Ex adverso Episcopus praemittit post legem civilem anni 1898 reditus ex missis fundationalibus liberi declarati sunt seu non computabiles in congruam, paucis tantum exceptis missis. Congrua igitur sive pro parocho sive pro cooperatoribus nunc conflatur tantum ex decimarum indemnitate; quod vero sic statutae congruae deest, a fundo religionis suppletur per Gubernium. Cum autem iuxta legem civilem an. 1898 reditus missarum fundatarum subducti sint a computo congruae, hinc Ordinarius contendit, sicuti semper factum fuit ante an. 1881, quo ultimus capitularis extinctus est, hos reditus una simul cum aliis capitularibus proventibus esse aequa lance inter parochum et coadiutores dividendos.

Nec parochus excusari valet ex eo quod, extincto Capitulo, onus missae pro populo tantum ipsum onerat et non coadiutores, nam, observat Episcopus, cura animarum, quae actualiter apud Capitulum tunc residebat, nunc extat apud parochum: insuper pinguiori congrua prae coadiutoribus potitur, quippe duplam ex decimis partem habet et, praeter capitulares reditus, etiam parochiales proventus percipit. Nec maiori pondere aestimandum quod ab eodem parocho obiicitur, nempe quod in scriptis Ordinariatus vel in decretis ipsius laicae potestatis suppressum Capitulum nunc nuncupatur beneficium parochiale, vel capitulares reditus nunc asserantur ad beneficium parochiale, pertinere; hoc enim lato sensu intelligendum esse ait, quatenus enunciati reditus vel efformant praecipuum caput ipsius beneficii, vel ordinati sunt pro congrua parochi et coadiutorum, non vero eo sensu, quatenus ipsi stricte efficiant solius parochi praebendam.

Quoad secundum dubium Episcopus sequentia subiicit. Profecto pii oblatores in missis fundandis apud rurale Bescae Capitulum intentionem praesumuntur habuisse ipsos Capitulares benevolentia prosequendi, et eorum defectu sacerdotes locales, cum etiam locum celebrationis assignaverint.

Insuper cum hae missae pro celebratione alibi sint transferendae, si deficientia sacerdotum forte occurrat, quaeri potest, utrum parochus et coadiutores, qui iuxta superius dicta, ad huiusmodi missas aequale participationis

ius habent, eas alibi celebrandas committere valeant iuxta taxam dioecesanam, retenta parte excessus stipendii. Verum stante civili lege Austriaca an. 1898, vi cuius in congrua parochorum non amplius computantur reditus ex missis fundationalibus vel legatitiis, retentio excessus stipendii est omnino interdicta, iuxta resolutiones huius S. C. in *Monacen.*, 22 aug. 1874,[1] in *Goritien.*, 18 decembris 1899, et in decreto generali *De observandis*, diei 11 maii 1904,[2] unde eleemosynam non aliam esse debere, quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur taxata.

Modo sint sequentia dubia:

I. *An inter parochum loci Bescae et eius cooperatores eadem proventuum et missarum fundationalium divisio servari debeat, quae obtinebat ante suppressionem Capituli ruralis in casu?*

II. *An eidem parocho licitum sit pro missis sive fundatis sive adventitiis, quas cooperatoribus vel aliis sacerdotibus celebrandas tradit, synodalem tantummodo eleemosynam praebere, ulteriore stipendii parte sibi retenta in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, excepto casu de legatis, quae in congruam curatam computantur.

[Thesaurus Resolutionun, tom. 166, p. 107-123].

4336.

S. C. C., *Caesaraugustana et Matriten.*, 23 mart. 1907.

In relatione super statu dioecesis huic S. C. exhibita an. 1905, Archiepiscopus Caesaraugustanus exposuit quod Clemens VII per Breve diei 22 martii 1530 concessit « duodecim nobilibus viris Hispaniae eorumque uxoribus, filiis utriusque sexus, nepotibus et consanguineis sive praesentibus sive pro tempore existentibus, ut inter alia privilegia gaudeant indulto altaris portatilis cum facultate illud erigendi quolibet in loco, honesto tamen et convenienti, licet sacer non sit. Cum vero tractu temporis, eiusmodi familiae valde nimis multiplicatae sint et in futurum multiplicabuntur, necessario fieri debet, ut plurima altaria portatilia et in multis locis erigi possint ». Idcirco Pontificem suppliciter exoravit, ut declarare dignetur quid in casu agendum foret.

Eadem ferme postulatio oblata fuerat an. 1901 ab Episcopo Matritensi, occasione qua unus ex descendentibus ab indultariis contemplatis in memorato Brevi exposcebat, ut sibi recognosceretur privilegium oratorii privati. Ad huius S. O. interpellationem, idem Episcopus retulit, in urbe Matritensi multum extensa esse privilegia concessa a Brevi Clementis VII. Addidit praeterea extare etiam alia duo Brevia huic similia, nempe Leonis X diei 29 martii 1522 et Pii VI diei 22 ian. 1776; privilegia vero contenta in dictis Brevibus esse semper eadem, et sese referre ad facultatem celebrationis missae in altari portatili, ex quo indultarii desumunt sibi inesse facultatem erigendi oratorium privatum.

[1] Cf. N. 4230.
[2] Cf. N. 4317.

Porro pars dispositiva in citatis litteris Apostolicis, ad rem quoad pertinet, est sequens: « Liceat tibi et praedictis gaudere altari portatili cum debitis reverentia et honore, super eoque in locis congruentibus et honestis, etiam non sacris et ecclesiastico interdicto quavis, etiam Apostolica auctoritate, suppositis, dummodo causam non dederis, et ipsi non dederint, huiusmodi interdicto, nec per te extet nec per illos quominus ea, propter quae appositum fuerit Apostolicum interdictum, executioni debitae demandentur, et antequam elucescat dies per se ipsos, qui presbyteri aut erunt, ac ipsi per proprium vel alium sacerdotem regularem idoneum, in tua et ipsi in sua vel alterius ipsorum ac familiarum domesticorum et extraneorum quinque vel sex praesentia, excommunicatis et interdictis exclusis, missas et alia divina officia celebrare et celebrari facere ac illis interesse... ac quocumque tempore etiam interdicti eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta a quocumque sacerdote quoties oportuerit (praeterquam in die Paschatis Resurrectionis Dominicae) recipere... »

Omissa disquisitione super Brevi Piano edito post Concilium Tridentinum, et cuius tenor non cognoscitur, duae in themate fieri possunt quaestiones, nempe: 1° utrum dicta indulta elargita a Clemente VII an. 1530 et a Leone X an. 1522 adhuc vigeant post publicationem Conc. Trid., vel potius ab eo sint abrogata; 2° et quatenus vigeant vel ea confirmari expediat, quaenam cautelae et conditiones circa eorum usum et exercitium sint applicandae ad removendos facile obrepentes abusus.

Quoad primam quaestionem Concilium Trid. (cap. unic., Sess. 22, *de observ. et evitand.*) disponit: « Neve (*Episcopi*) patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi ». Ex hoc textu omnes fere auctores arguunt Episcopis quidem fuisse ademptam potestatem concedendi oratoria privata, at nihil dicunt de huiusmodi concessionibus factis a S. Sede ante idem Concilium. Cf. Fagnanus (lib. 5 *Decret.*, cap. 30, *de privilegiis*, n. 12) et Benedictus XIV (*De sacrific. missae*, lib. 3, cap. 6). Quin imo, praeter alias datas resolutiones ab hac S. C., accessit authentica declaratio edita an. 1615 iussu Pauli V, quae ita se habet: « Tametsi S. C. C. optimis innixa rationibus saepissime responderit, celebrandi licentias in privatis oratoriis nonnisi a Sede Apostolica esse concedendas...; Illmi Patres, SSmi D. Nostri iussu significandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Romano Pontifici esse reservatam ».[1] Quae declaratio firmata fuit variis Pontificum Bullis, nempe ab Innocentio XIII in constit. *Apostolici ministerii*,[2] a Benedicto XIII in constit. *In supremo*,[3] et tandem a Benedicto XIV in constit. *Magno cum animi*, diei 2 iunii 1751.[4]

[1] Cf. N. 2396.
[2] Cf. N. 280.
[3] Cf. N. 283.
[4] Cf. N. 413.

Cum itaque neque in praecitato textu Conc. Trid., neque in successivis eius declarationibus, neque in relativis Bullis Pontificiis ulla occurrat mentio de privatis oratoriis ex indulto Apostolico concessis, videretur statui posse cum fundamento quod ea per Tridentinam legem non sunt revocata. Neque videtur posse suffragari illa latissima clausula in fine citati capitis posita, qua Episcopis datur facultas, ut ipsi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati ea curent omnia observari, « non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque ». Nam haec verba optime referri possunt ad privilegia, quibus fruebantur Regulares ante Conc. Trid., vi capitis *In his, de privilegiis*, concessa ab Honorio III, missam celebrandi in domibus laicorum sive super altari viatico sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium oratorii privati non haberet. Quae privilegia Regularibus concessa, licet in *corpore iuris* relata, tamen a Tridentina Synodo fuerunt abrogata, uti diserte demonstrat Benedictus XIV in citata constit. *Magno cum animi*. Hinc illae clausulae extendi non possunt ad indulta privati oratorii extraordinario modo nonnullis privatis personis ex specialibus meritis a S. Sede elargita.

Deinde ex praefato Conc. Trid. textu avocata est ad S. Sedem facultas permittendi missae celebrationem in privatis aedibus ab Episcopis ob nimiam facilitatem, qua ipsi utebantur in privatis oratoriis concedendis, sed non videntur fuisse revocatae iam factae concessiones, quia id erat impeditum a temporum circumstantiis, uti erui potest ex § 11 citatae constit. Benedicti XIV: « Ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem missam celebrandi, cum licentia, quae ab ipsis daretur celebrandi missam in oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant: ac proinde praedictum ius ad S. Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur ». Si igitur iam ab Episcopis permissa oratoria non fuerunt revocata, multo magis congruit id asseri de indultis huiusmodi a S. Sede, licet maiori extensione elargitis; et reapse nullum verbum habetur in dicto textu quod referri possit ad hanc revocationem, unde non tam facile ea videtur admittenda, praecipue cum sit praeiudicialis indultariis iam in suorum privilegiorum possessione existentibus.

Ex altera parte, hucusque allata non videntur tanti esse ponderis, ut tuto affirmari possit dicta privilegia non fuisse abolita. Sedulo notanda est distinctio inter privatum vel domesticum oratorium, et privilegium arae portatilis. Quoad primum, quod non est aliud nisi locus in privatis aedibus sive laici sive clerici destinatus ad celebrandum, requiritur semper locus fixus; at non ita dici potest de ara portatili, quae erigi potest in quocumque loco etiam non sacro, dummodo sit conveniens et honestus, uti clare ex verbis relatis Brevis Clementis VII, quibus privilegium fuit concessum.

Praeterea in themate agitur de privilegio maxime a iure exorbitanti, tum ratione personarum, quia extenditur ad omnes utriusque sexus descendentes a primis indultariis sive in linea agnatitia sive in linea cognatitia; tum ratione

temporis, quia nulla adiicitur clausula ratione durationis; tum ratione ipsius concessionis, quia in indulto neque exceptio ponitur quoad dies solemniores. Iamvero huiusmodi indulta tam a iure exorbitantia circa missae celebrationem in dicto Conc. Trid. capite fuisse abrogata et abolita patet, si attente expendantur verba, quae dispositionem prohibitivam inibi sequuntur et quae sunt sequentia: « Haec igitur omnia quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a Sacrosancta Synodo potestate ac etiam ut Delegati Sedis Apostolicae prohibeant, emendent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ».

Sane in praecedenti parte eiusdem capitis facta fuerat Episcopis inhibitio permittendi missae celebrationem in privatis aedibus, vel in alio loco, qui ad cultum non esset dicatus, ob obrepentes abusus. Verum quia ad hos legitimandos obtendi poterant privilegia vel exemptiones, aut consuetudines, Concilium Trid., utens clausula amplissima, « omnia quae summatim enumerata sunt, vel quaecumque alia huc pertinere visa fuerint », per supra relata verba intendit omnia prorsus abrogare, « non obstantibus privilegiis, exemptionibus... » Si igitur omnia privilegia, vel quaecumque alia huc pertinere videntur, circa missae celebrationem in privatis aedibus vel in loco non sacro fuerunt abolita, profecto dicendum est etiam fuisse ex dispositione citati capitis comprehensa indulta altaris portatilis a Clemente VII et Leone X concessa ante Conc. Tridentinum.

Quod autem clarius evadit, si expendantur sive declarationes huius S. C., sive Bullae Pontificiae, sive auctoritas canonistarum. Ex his enim firmatur, quod facta abrogatio extenditur ad omnia privilegia non exclusis quae in *corpore iuris* continentur. Ita tenent Gatticus (*De usu altaris portatil.*, cap. 13), Fagnanus (cap. *In his, de privilegiis*), Benedictus XIV (*De sacrif. miss.*, lib. 3, cap. 6), qui (*Instit. eccl.*, 34, § 3, n. 10) haec circa altaris viatici privilegium asserit: « Quae cum ita sint, ut omnis in posterum arceatur falsa species, singulis notum facimus aras portatiles, quae permissae antea fuerant, Conc. Trid. decreto Sess. 22, cap. unic., *de evitandis*..., sublatas penitus fuisse, quod Sacra etiam Congregatio unica eius interpres non semel iudicavit ». Eadem repetit loquendo de Regularibus per Conc. Trid. dicto privilegio privatis in citata constit. *Magno cum animi*, § 29: « Hinc necessario consequitur S. Conc. Trid. tam praecedentibus altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia celebrandi: atque ulterius Episcopum tamquam Sedis Ap. Delegatum contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempta sint; nullum vero esse privilegium, vel exemptionem, quae obstet quaeque impediat quominus abusus tollantur ».

Idem eruitur ex Bulla Gregorii XIII concessiva usus altaris portatilis in locis missionum. Re quidem vera Amostasius (*De caus. piis*, lib. 5, cap. 11, n. 31) reprobans sententiam nonnullorum praetendentium per Conc. Trid.

Regularibus non fuisse ablatum usum altaris portatilis, haec habet: « Haec sententia hodie admittenda non est in praxi... Nam sententia contraria solidissimis nititur fundamentis praecipue ex Bulla Gregorii XIII concessa PP. Iesuitis, ubi dando facultatem, ut in missionibus in altari portatili celebrent, supponit similia indulta a Trid. esse sublata: Usum altaris viatici a f. r. Paulo Papa III concessum et deinde a Tridentino universe sublatum, vobis eatenus restituimus ».

Quin imo ea prohibitio ita rigorose accepta fuit, ut ne Episcopis quidem ac Cardinalibus permissus fuerit, excepta erectione oratorii in domo propriae habitationis, usus altaris viatici in aedibus laicorum, uti constat ex decreto Clementis XI diei 15 decembris 1703: « Ad abusus huiusmodi eliminandos SSmus D. N. ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum inhaerendo declarationibus alias hac de re editis expresse declarat, Episcopis et his maioribus Praelatis etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus neque sub praetextu privilegii in corpore iuris clausi neque alio quoquo titulo, nullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare, sive celebrari facere ». [1] Haec tamen declaratio postea ita temperata fuit a decisionibus Innocentii XIII et Benedicti XIII quae referuntur in Synodo Romana an. 1725, cap. 15, n. 3, ut ea esset intelligenda de usu altaris portatilis seu de erectione oratorii in domibus privatis absque legitima et rationabili causa. Hinc Episcopi et potiori iure Emi Cardinales dicto privilegio uti possunt occasione s. visitationis, tempore itineris, vel in aliis similibus circumstantiis. Cf. De Angelis (*Praelect. can.*, lib. I, tit. 41).

Nec desunt exempla revocationis huiusmodi Pontificiorum indultorum quae, concessa ante Concilium Tridentinum, postea a S. Sede declarata fuerunt uti abrogata, vel moderata fuerunt. Ita in decreto S. C. Rituum, diei 31 aug. 1872, n. 3273; necnon in Brevi Pii VII diei 19 apr. 1816, [2] relato in *Collectione authent.* eiusdem S. C. sub n. 2586. Cf. etiam votum in dicta *Collectione*, vol. 4, pag. 178, hac de re editum. Ex hucusque igitur elucubratis non videtur posse ambigi, quod privilegia altaris portatilis in themate concessa, iure Tridentino inspecto, sint penitus abolita.

Verum quatenus magis expediens esset, ut dicta privilegia declarentur non penitus ablata seu melius, ut restituantur et serventur, (neque desunt causae, tum quia nimiae familiae offensae manerent ex abolitione praetensi privilegii, tum ut magis excitetur pietas et affectio nobilium familiarum erga S. Sedem) non absque re esse videtur, etiam prae oculis habitis quae Benedictus XIV decernit circa oratorii privati concessionem more nobilium in constit. *Magno cum animi*, nonnulla in casu innuere temperamenta. Horum primum esse posset, ut nemo ex citatis Bullis vindicato privilegio uti valeret, nisi praevia recognitione et licentia Ordinarii in scriptis. Ordinarius autem hanc veniam tantum impertietur illis familiis, quae demonstrent se esse in

[1] Cf. N. 264.
[2] Cf. N. 478.

possessione eiusdem privilegii, et insimul probent descendentiam habere a primis Bullarum indultariis, et quae insuper bonis moribus et religione commendantur.

Secunda conditio esse posset, ut dicta concessio, quae antiquitus locum habebat latissimis terminis sub forma *Bullae Cruciatae* et indulgebatur per modum altaris portatilis, nunc fiat tantum permittendo indultario erectionem oratorii privati, in domo eius domicilii vel quasi domicilii, cautelis appositis, quod sit decenter ornatum, a domesticis usibus seiunctum, quod prius visitetur et approbetur ab Ordinario vel eius Delegato, et in quo una tantum missa semel in die celebretur exceptis diebus solemnioribus, aliisque servatis quoad praesentiam indultarii pro satisfactione praecepti audiendi missam, et pro extensione ad affines vel consanguineos, quae Benedictus XIV in nuper citata const. praescribit in expeditione Brevis pro huiusmodi indultis.

Tertia conditio esse posset, ut attenta dilatatione familiarum, quae de die in diem usque augetur, et attentis mutatis conditionibus temporum et societatis, ad eliminandos abusus, nova concessio facienda personis in possessione dicti privilegii, extendatur ad filios tantum primae generationis, praevia tamen recognitione et annuentia Ordinarii in scriptis.

Quarta demum conditio esse posset, ut super hisce vel aliis, quae pro re nata cavere decernatur, opportunum redigatur decretum communicandum tum Archiepiscopo Caesaraugustano, tum Episcopo Matritensi.

Quare EE. VV. erit propositam quaestionem, praesertim quoad praxim resolvere.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Privilegia altaris portatilis concessa ante Concilium Tridentinum, et deinde non confirmata, esse sublata; et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 148-158].

4337.

S. C. C., *Avenionen.*, 22 iun. 1907.

Marchio Gilbertus de Pierre de Bernis annorum 31 e Dioecesi Vivariensi, sed Parisiis domicilium habens, vere anni 1901 ineunte, primum cognovit Elsam Rosembaum in aetate 28 circiter annorum constitutam et iam viduam effectam Comitis d'Oncieu de la Bâtie, cum qua, bimestri vix transacto, vitam more, uti fertur, concubinario agere incoepit. Verum, quum fere quatuor post menses Elsa propriam praegnationem opera illius accusasset, quumque tempus viduitatis ipsius ad decem menses a civili lege Gallica taxatum nondum expiratum esset, uterque matrimonii ineundi causa in Angliam sese conferre cogitarunt, atque, petita prius, et obtenta Curiae Parisiensis delegatione, insciis sponsi parentibus ac amicis urbem petierunt vulgo dictam Douvres, ubi ritu civili absoluto, die 19 octobris eiusdem anni religiosas nuptias inierunt coram parocho S. Pauli.

Attamen vir narrat, nedum praefatam delegationem praetextu praegnationis a muliere falso allegatae concessam fuisse, sed ipsum quoque matrimonialem consensum eadem de causa a se fuisse praestitum, adeo ut in

matrimonium ipse non consensisset, nisi revera Elsa gravida fuisset. Interim initis nuptiis, neo-sponsi Parisios reversi sunt, ibique paucos post dies Elsa Gilberto declarasse videtur, se ventrem non gerere, eumque decepisse. Hac igitur fraude, ut ait vir, detecta, et vix quadraginta diebus coniugalis vitae transactis, mulierem proprio marte dereliquisse asserit; dein petiit atque die 29 decembris 1901 civile divortium obtinuit ob non servatas formalitates a lege laica praescriptas.

Tandem cum idem Gilbertus iustis de causis ab hac S. C. obtinuisset veniam declinandi ecclesiasticum sive Parisiense sive Vivariense forum, atque Avenionense adeundi, die 19 martii 1903 eidem Archiepiscopo, qui rite delegatus fuerat ad processum in prima instantia conficiendum, et sententiam causa nullitatis matrimonii pronuntiandam, supplices preces obtulit petens suum cum Elsa coniugium declarari invalidum, duplici de ratione, nempe: 1) « nullité d'une délégation accordée à des allégations obreptices », 2) « caractère frauduleux du motif, pour lequel a été obtenu mon propre consentement ».

Et revera Curia Avenionensis ea qua par est diligentia processum instruxit, in quo virum actorem eiusque septimam manum una simul cum nonnullis aliis testibus a muliere inductis sive per se sive per Curiam Parisiensem rite excutere curavit. Item semel et iterum audita fuit Elsa, quae, praestito iuramento, contra fassa est, Gilbertum iam antea in animo habuisse eam in uxorem ducendi, circumstantiam autem praegnationis nonnisi occasionem praebuisse accelerandi celebrationem coniugii. Addidit praeterea veram extitisse suam praegnationem, ipsumque virum causam involuntariam fuisse procurandi ipsius abortum. Hisce igitur ad exitum perductis, Curia Avenionensis die 4 ianuarii 1906 sententiam protulit actori faventem, declarans matrimonium in casu nullum et invalidum esse ex capite deficientis consensus in viro. A qua tamen sententia cum ad hanc S. C. provocasset localis Defensor vinculi matrimonialis, causa resolvenda proponitur hodiernis EE. VV. comitiis sub infrascripta rogandi formula.

Patroni actoris contendunt nullitatem matrimonii desumi debere ex defectu veri consensus in Gilberto, qui illum emisit in circumstantia erronea praegnationis dante causam contractui, sive consequenter sub implicita saltem conditione de huius qualitatis existentia. Hac duplici de ratione Curiam Avenionensem declarasse aiunt praesentis coniugii invaliditatem. Et quamvis haec duo principia erroris nempe et conditionis cumulative accipi posse ipsi fateantur, quemadmodum factum dignoscitur in sententia appellata, eo quod in errore implicita qualitatis erratae conditio lateat, et vice versa in conditione semper subsit aliqua erroris umbra : censent tamen illa vel disiunctive considerari ac in alterutro nullitatem actus statui posse, ita ut deficientia qualitatis a contrahente volitae et intentae per se constituere valeat materiam nullitatis ipsius contractus, quin vera et propria intercesserit conditio, et e contra sola conditio independenter ab errore haberi possit uti unicum substratum nullitatis eiusdem actus. Hisce praeiactis, transeunt advocati ad conditiones indigitandas, quae iuxta ipsos a iure requiruntur pro matrimonii nullitate decernenda ex capite erroris, vel appositae conditionis ob deficientiam alicuius qualitatis a contrahente volitae et intentae. At praeterquam ex simplici qualitatis errore contendunt ipsi nullitatem matrimonii in casu etiam ex eo ostendi, quod eadem qualitas dans causam contractui in veram conditionem a viro traducta fuit. Gradum deinde facientes ad propriam thesim in puncto facti probandam, ostendere conantur, quod 1. Gilbertus priusquam Elsa falsam praegnationem simulaverit, eam in uxorem ducere voluntate absoluta nolebat; 2. Gilbertus consensum praebuit in matrimonio cum Elsa ineundo *unice* ob assertam praegnationem, quam etiam in conditionem *sine qua non* deduxit; 3, asserta praegnatio omnimoda falsitate laborat. Porro dicunt Gilbertum elicere noluisse consensum matrimonialem in Elsam per suum intellectum apprehensam. At si Elsa, ut Elsa, fuit ab intellectu et consequenter a voluntate exclusa, Elsa tamen gravida, dum ab intellectu fuit apprehensa, a voluntate fuit volita, et hinc consensus elicitus. Sed iste, dum primo Elsam exclusit ac postea tantum fuit elicitus, dici nequit absolute terminans in substantiam matrimonii pure et simpliciter, qualitate praegnationis tamquam secundarie tantum intenta ac volita; nam matrimonium pure et simpliciter fuit a Gilberto exclusum voluntate actuali primitus et consequenter virtuali : hinc est, quod qualitate illa praegnationis primario intenta ac unice consensum determinante, falsa existente, datus consensus est nullus, ac proinde irritum matrimonium. Demum animadvertunt, assertiones mulieris a nullo teste confirmari, quin imo pauci ab ea designati testes vel eidem contradicunt, vel deponere in iudicio recusant sub praetextu secreti professionalis aut commissi.

Ex adversa vero parte vindex matrimonii ex officio plura disserit, ostendendo: 1) non fuisse absolute demonstratum praegnationem non adfuisse; 2) minus adhuc probatum esse *unicam* ac ad matrimonium *determinantem* causam pro viro fuisse mulieris praegnationem; 3) non est absolute demonstratum viri consensum in matrimonium fuisse *positive subordinatum* facto praegnantiae mulieris, et quidem in forma conditionali. Quare in dubio favendum est matrimonio. Eo vel magis, quod Gilbertus post panditam sibi ab Elsa praegnationis absentiam perseveravit cum ea in coniugali conversatione: nam exinde coniicere licet Gilbertum ex corde Elsam duxisse, ac proinde totam historiam de subordinato consensu facto praegnantiae, etc. non esse nisi fabulam astute postea ex variis adiunctis confictam. Quod etiam viri epistolis ad mulieris matrem post detectam praegnantiae falsitatem conscriptis corroboratur. Nam in eis non vir a muliere deceptus et iratus, sed gener placidus Gilbertus apparet.

Quibus perpensis rogantur EE. VV. sueta prudentia ac sapientia edicere, quo responso dimittendum sit dubium:

An Curiae Avenionensis sententia sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse infirmandam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 271-313].

4338.

S. C. C., *Lucana*, 22 iun. 1907.

In civitate Lucana iam a saeculo XIII institutum fuit pro pauperibus et infirmis Hospitale sic dictum a Misericordia, quod Henricus tunc temporis Episcopus Lucanus bulla anni 1262 pluribus cumulavit privilegiis una simul ac exemptione « ab omni iurisdictione inferioris personae », atque illius moderatoribus, nempe Rectori et Operariis a Misericordia quamdam Sodalitatem conflantibus indulsit, ut « possint aedificare ecclesiam sive oratorium et habere proprium cappellanum et campanam et coemeterium benedictum, in quo tam sani quam infirmi commorantes ibidem valeant sepeliri ». Cursu temporis Hospitalis directio et administratio transiit ad varia Gubernia civilia. Cum vero interea alia quoque pia opera orta sint ad curandos invalidos, dementes, derelictos aliisque infirmitatibus detentos, dicta Hospitia una simul cum iam extanti Hospitali in unum conflata sunt Institutum, quod vulgo appellari solet *Regi Spedali ed Ospizi di Lucca*.

Porro ius funerandi et tumulandi cadavera infirmorum in praefatis Hospitalis domibus decedentium exercuit Cappellanus curatus Hospitalis seu eidem adnexae ecclesiae S. Lucae, quamvis decursu saeculorum aliqua non defuerit queremonia ex parte Parochorum, praesertim Parochi S. Paulini. Sed quaestio hisce postremis temporibus magis exarsit inter Cappellanum curatum S. Lucae Raphaelem Ceccarini et Parochos sive civitatis sive dioecesis Lucanae. Hodiernus autem Emus Archiepiscopus statim ac gubernium archidioeceseos Lucanae assumpsit, de bono et aequo rem componere curavit eo sensu, ut Curatus S. Lucae « seguiti ad associare tutti e singoli quei defunti, per i quali la famiglia non esprima il desiderio di vederli associati dal parroco ». In hoc consentire non renuerunt Parochi civitatis Lucanae, sed cum Curatus Ceccarini omnem conciliationis modum respuisset, die 21 septembris 1905 ad hanc S. C. recursum obtulerunt.

Adlectus Parochorum Patronus praenotat filianos in propria paroecia, nisi aliter disposuerint, sepulcrum maiorum obtinere vel in ipsis publicis coemeteriis. Exinde sequi ait Parochum iurisdictionem etiam in suos parochianos defunctos exercere, atque eidem pertinere adsociationem et tumulationem ipsorum cadaverum, quemadmodum constat praesertim ex cap. 3, *Is qui, de sepult.*, in 6. Quod valet etiam pro viatoribus, hospitibus et peregrinis, qui in aliena paroecia forte decedunt, et quorum corpora in propria ecclesia sepeliri debent, dummodo hoc commode fieri possit iuxta cap. 2, tit. 7, lib. 3, *Clement*. Quare Patronus contendit, vi iuris communis denegari non posse Parochis civitatis Lucanae exercitium iuris adsociandi et tumulandi cadavera suorum parochianorum, qui in Hospitalibus Lucanis decedunt. Si enim admitteretur in huiusmodi defunctos desinere paroecialem iurisdictionem, dicendum foret eosdem defunctos proprium domicilium parochiale amisisse per admissionem in Hospitale. Quod absurdum esset ac disciplinae canonicae contrarium, cum in infirmis desit animus ibidem manendi in

perpetuum, vel saltem ad maiorem anni partem. Hoc autem iuris principium suam quoque vim mutuare asserit a discrimine, quod intercedit inter infirmos, qui Hospitale ingrediuntur dumtaxat ad valetudinem curandam, ac inter eos, qui ratione famulatus, officii aut alia ex causa continuo in Hospitali commorantur. Hi enim ibidem proprio gaudent domicilio, ac proinde subsunt iurisdictioni Parochi loci, in quo adest Hospitale, vel etiam ipsius Hospitalis Rectori, si istud fruatur exemptionis privilegio. Aegri e contra retinent parochiam, in qua degebant et Parochus remanet proprius eorumdem Parochus, ipsique competit privative funeri praeesse, quoniam Parochus proprii domicilii ceteris omnibus praefertur. Cui iuri in casu non derogat neque privilegium apostolicum, neque constitutiones synodales, neque consuetudo. Nam Episcopi Bulla dicit tantum « in quo tam sani quam infirmi commorantes ibidem *valeant* sepeliri »; statuta vero Synodalia a. 1736 et 1887 nedum non recensent iurisdictionem Cappellani Curati in funeribus infirmorum in Hospitali demortuorum, sed hoc ius Parochis vindicant; porro consuetudo legitima nunquam extitit, cum Parochi Archidioecesis Lucanae semper associaverint et tumulaverint in propria ecclesia cadavera parochianorum in Hospitali decessorum. Quod pluribus adductis ostendere nititur. Ceterum, pergit, huiusmodi consuetudo nec iure admitti potest, cum agatur in casu de iuribus stricte parochialibus.

Ex altera vero parte Cappellanus Ceccarini Curatus S. Lucae sibi vindicat exclusivum ius funerandi ac tumulandi omnes infirmos, qui in Hospitalibus degentes ex hac vita migrarunt. Quod probare nititur ex facto, quod Hospitale S. Lucae proprios habeat Sacerdotes, qui ibidem commorantibus privative quod Parochos Sacramenta administrant. Communis enim est doctrina inter canonistas, quod, quum Hospitale proprios, ut supra, habet Sacerdotes, etiam ius funerandi ac tumulandi eos, qui ibi moriuntur, spectat ad Cappellanum, seu Curatum Hospitalis, numquam vero ad Parochum domicilii defunctorum. Sic Scarfantonius, *Animad. et Lucubr.*, add. 48. Atqui, subsumit ipse, Curatum S. Lucae una simul cum suis Sacerdotibus revera frui iure administrandi Sacramenta in Hospitalibus civitatis Lucanae, nec Parochi adversarii in dubium revocare valent. Sed maius argumentum ad probandum ius sibi proprium funerandi defunctos in Hospitali desumit Curatus Ceccarini ex eo, quod Hospitale in casu gaudet privilegio exemptionis cum coemeterio proprio. Doctores enim docent, rectores Hospitalium exemptorum inter alia privilegia habere etiam ius funerum super infirmos inibi defunctos. Cf. Scarfantonius, l. c., D'Annibale, *Summ. Theol. moral.*, part. 3, pag. 158, n. 80, et alii. Quam doctrinam confirmari ait a resolutionibus huius S. C. in *Ariminen.*, 16 iunii 1827.[1] Peremptorium demum argumentum desumi ait Curatus Ceccarini ex consuetudine plus quam centenaria imo et immemoriali, quam quidem probare nititur adducens sententiam Curiae Dioecesanae diei 15 decembris 1904, ubi edicitur: « Considerando che il possesso o quasi possesso del *ius funerandi* riguardo a quelli che muoiono entro i limiti dei RR. Ospedali di Lucca e di fronte ai Parroci di città è stato goduto

[1] Cf. N. 4010.

fin qui dal Rev. Signor Raffaele Ceccarini e dai suoi antecessori, ecc.» Quodsi citata sententia loquitur dumtaxat de Parochis civitatis Lucanae, hoc factum est, quia Curatus Ceccarini actionem in possessorio tantum intentavit contra unum ex iisdem Parochis. Praeterea Congregatio quaedam synodalis die 18 aug. 1890 recognovit, «che in forza del decreto di Enrico Vescovo, la chiesa dell'Ospedale è divenuta chiesa tumulante, quindi ha quei diritti, che per tal titolo le competono».

Hisce igitur ex utraque parte relatis rogantur EE. VV., ut velint dirimere dubium:

An ius funerandi et tumulandi cadavera eorum, qui in Regiis Xenodochiis mortui sunt, spectet ad Cappellanum Curatum S. Lucae, vel potius ad Parochos domicilii in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem, Affirmative ad secundum, iuxta tamen novissimum Emi Archiepiscopi votum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 317-334].

4339.

S. C. C., *Taurinen.*, 27 iul. 1907.

Super decisione diei 21 ianuarii 1905 [1] patronus Sacerdotis Giaume beneficium novae audientiae expostulavit et obtinuit. Ipse autem contendit causas pro dismembratione allegatas modo graviores evasisse, prout nuper et ipse testatus est Emus Archiepiscopus. Nam augmentum fidelium quotidie progredi ait ex novarum domorum constructione, ita ut, iuxta attestationem syndici Taurinensis, incolae suburbii intra fines instituendae paroeciae, qui anno 1901 attingebant 2960, hodie numerantur 3728. Verum si hoc populi incrementum necessario in posterum ducet ad paroeciae divisionem, profecto prudentia exposcit, ut in praesens hoc remedium praeoccupetur, cum in promptu adsit dotatio novae paroeciae. Hucusque dicta advocatus confirmat decisione nuperrima edita a S. C. EE. et RR. in causa *Ianuen.*, 7 iunii 1907, ubi decreta fuit erectio novae paroeciae, etsi haec distaret a veteri paroecia non mille passibus sed intervallo tertio minori, et vix duo millia incolarum recenseret. [2]

Quin negotium facessat tum defectus ecclesiae sufficientis pro nova paroecia, nam hodie amplius res non est de parva aedicula, sed pars ecclesiae sacro cultui dicata perampla est, et satis apta pro sacris ministeriis ministrandis incolis suburbii ad illam accedentibus; tum deficientia idoneae dotis pro novo parocho, nam ipsa augebitur a Gubernio, prouti testatur hodiernus Emus Archiepiscopus.

Verum quia maior et potior Capuccinorum querela in eo est, quod per constitutionem novae paroeciae eis magnum detrimentum paretur, hinc advocatus hanc convellere satagit, refutata et oppugnata relatione ab iis alias exhibita ad detrimentum probandum. Imo adurget potius ex negata paroeciae divisione damna exurgere; ita ea recensens. In primis sanctuarium B. M. V. a Salute amittet subsidium lib. 30.000, quas Taurinense municipium donare paratum est pro ecclesiae aedificatione complenda, dummodo tamen ea in paroeciae honorem elevetur. Praeterea et aliud imminet maius damnum, nempe illud, quod directe infertur sacerdoti Giaume, qui nedum resignavit officium vicecancellarii, quia Archiepiscopus ei pandiderat mentem de nova ecclesia in paroeciam erigenda, deque patronatu ei tradendo super ipsam; sed etiam ingentes pro novae ecclesiae constructione sustinuit expensas, non parum de suo, conspicante sorore, profundens.

[1] Cf. N. 4320.
[2] Acta S. Sedis, vol. XLI, p. 306-311.

Ex parte vero familiae religiosae Capuccinorum, seu parochi S. Mariae ad Agros, nihil novi exhibitum fuit.

Rogantur itaque EE. VV., ut benigne resumpto praeterito folio sequens enodare dignentur dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Attentis noviter deductis esse locum erectioni novae paroeciae, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 417-421].

4340.

S. C. C., decr. *Ne temere*, 2 aug. 1907.

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, cap. 1, Sess. 24, *de ref. matrim.* edicens: «Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit».

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctis-

simis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire, ut mutuatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus idest mutuis promissionibus futuri matrimonii, privatim initis derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SSm̃us D. N. Pius Pp. X pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Em̃orum Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SSm̃us Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

De sponsalibus.

I. Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio.

III. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt:

§ 1. a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2. intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3. dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. Licite autem adsistunt:

§ 1. constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2. constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3. quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

§ 4. Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. § 1. Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2 et 3 num. V, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. § 1. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae in eo disposita sunt, ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii Pp. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus. - Vincentius Card., Episc. Praenest., *Praefectus*. - C. De Lai, *Secretarius*.

[Acta S. Sedis, vol. XL, p. 525-530].

4341.

S. C. C., *Rottenburgen.*, 24 aug. 1907.

Richardus Blankenhorn, 20 annorum, cupit ad ss. ordines promoveri, sed arcetur ob irregularitatem ex defectu corporis eo, quod in uno pede ita laesus est ut, teste Episcopo, « necesse esset patellam eius pedis totam exsecari. Quo factum est, ut pes iste non solum curtaretur, sed etiam totus rigidus fieret. Ob eam causam huius pedis genu flectere omnino non potest, alterius autem pedis genu, scamno aut mensae innixus, vix aliquantulum potest

flectere ». Imo idem Ordinarius retulit etiam quod sibi « utique constabat eum in exercitio sacrarum functionum non omnia rite exequi posse. Certe quidem id populo admirationi erit, quod in expositione SS. Sacramenti non genuflectendo, sed stando, officio suo fungi debet et in celebratione Missae corpus tantum paululum inclinare, non vero genuflectere potest ».

In primis gratiae concessioni plura obstare videntur. Sane in cap. *Presbyterum, de cler. aegrot.*, interdicta fuit celebratio Missae sacerdoti, cui dimidium palmae cum duobus digitis manus fuerat amputatum. Exinde Pirhing (*Ius can.*, lib. 3, tit. 6, § 1), D'Annibale (*Summ. theol. mor.*, vol. I, n. 414) aliique arguunt ab altaris ministerio esse repellendos, qui vel sacros ordines congrue exercere non valent, vel in eorum exercitio scandalum et fidelium admirationem parant. Age vero haec duo inconvenientia in casu locum habere ex supra relatis Episcopi litteris patet. Idque eo fortius est retinendum, quia heic non agitur de sacerdote, uti in citato capite, in quo ecclesiae indulgentia maior esse solet, sed de simplici iuvene, qui neque studiis theologicis est initiatus, neque militiae ecclesiasticae adscriptus per clericalem tonsuram. Unde ex gratiae denegatione nullum damnum persentiet, sed bene potis erit, absoluto gymnasio, aliam vitae rationem ingredi, uti ait Episcopus.

Insuper neque suffragatur absoluta dioecesis necessitas ob cleri defectum, quum haec ex confessione Episcopi sit tantum relativa. Item desiderantur speciales oratoris intellectuales qualitates, quia Ordinarius praefert dumtaxat bonam iuvenis indolem et spectatam morum probitatem, et omnino silet de ingenio extraordinario. Hinc tutius et prudentius videretur ipsum non admittere ad sacros ordines, praesertim habita ratione actualium temporum, in quibus catholicae religionis hostes a minima quaque re ansam arripere solent ad probra et iniurias emovendas in eius ministros. Caeterum congruere videtur etiam huius S. C. praxis et iurisprudentia. Plura siquidem prostant exempla denegatae dispensationis in huiusmodi circumstantiis; ita in *Patavina*, 27 apr. 1861, gratia non fuit concessa clerico ob deformitatem in manu dextera; in *Pampilonen.*, 22 nov. 1856, et *Policastren.*, 21 martii 1863, clerico ob defectum in sinistra manu; in *Bergomen.*, 21 nov. 1903, clerico propter amborum pedum amputationem;[1] tandem in *Cathacen.*, 17 dec. 1859, sacerdoti, qui ob debilitatem nervorum ad deambulandum fulcro scipionis opus habebat.

Ex adverso pro gratiae concessione sequentia adnotari possunt. Episcopus enim « vellet fieri posset, ut iuvenis iste ad sacerdotium ab eo flagrantissime exoptatum perveniret, qua gratia sine dubio cum propter bonam ingenii indolem tum propter spectatam morum probitatem dignus esset ». Deinde occurrit bonum dioecesis, cum vocationes ad statum ecclesiasticum quotidie rariores evadant. Neque desunt exempla factarum concessionum in huiusmodi casibus aequalis fortasse gravitatis. Ita in *Bergomen.*, 13 iunii 1868, consimilis gratia, cum clausula tamen *in exemplum non afferenda*, concessa fuit clerico, qui, ex amputatione passa, sinistro pede ligneo utebatur, licet paulisper claudicaret;[2] in *Adrien.*, 11 dec. 1875, dispensatum fuit ab irregularitate cum

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 162, p. 999-1004.
[2] Cf. N. 4212.

clerico, cui pars cruris nempe coxa praecisa fuerat, et in eius locum instrumentum ligneum fuerat subrogatum; in *Mediolanen.*, 14 apr. 1894, cum clerico qui, ex passa cruris sinistri amputatione, genuflexiones cum difficultate peragebat; tandem in *Abellinen.*, 26 aug. 1905, cum clerico qui, ex caesione cruris dexteri, defectui genuflexionis supplebat, profunde personam inclinando. [1]

Demum res fortasse comperendinari posset, et interim monere Episcopum, ut oratorem subiiciat accuratae inspectioni medici, qui referat, utrum inducta in artibus rigiditas, aliquo artis salutaris remedio, saltem aliquatenus temperari possit.

Nunc vestrum est, EE. PP., decernere, qua ratione porrectae preces sint dimittendae.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: In expositis circumstantiis non solere concedi.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 423-426].

4342.

S. C. C., *S. Claudii*, 24 aug. 1907.

Episcopus S. Claudii die 20 aprilis 1907 a S. Poenitentiaria petiit, num valida sit atque executioni demandari possit dispensatio matrimonii a S. Dataria concessa *ob angustiam loci* originis aut domicilii, dum e contra sponsi, licet eiusdem sint paroeciae tercentorum focorum numerum haud efformantis, pertinent tamen ad duo etiam nomine distincta loca et plus quam viginti minuta inter se dissita. Et S. Poenitentiaria die 2 insequentis maii rescripsit: « Angustiam loci esse causam, quae a muliere alleganda est: pro solutione vero propositae quaestionis recurrendum esse ad S. C. Concilii ». Quod et factum fuit.

Dictum postulatum huc recidit, utrum nempe in supplicatione pro dispensatione ab impedimento matrimonii dirimente in enunciato casu, sub poena nullitatis gratiae, opus sit distincte exprimere *angustiam locorum* sive originis sive domicilii tum mulieris tum viri ad invicem dissitorum plusquam 20 momenta, licet ipsa posita sint intra ambitum eiusdem paroeciae non excedentis 300 focos; an ex adverso satis sit adducere *angustiam loci* sive originis sive domicilii mulieris, prout fit in dioecesi S. Claudii.

Ad cuius intelligentiam praemittitur quod angustia loci tunc habetur, quum sponsa et sponsus orti sunt ex eodem loco angusto, vel in eodem angusto loco commorantur. Formula autem adhibita a Dataria Apostolica pro concessione dispensationis ob loci angustiam haec est: « Cum dicta mulier in loco, ex quo ipsa et orator praefatus orti sunt (aut in loco ipsa et orator praefatus domicilium habent), in dicta dioecesi existente, propter illius angustiam virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, etc. ». [2]

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 164, p. 977-980.

[2] Cf. Acta S. Sedis, vol. XXXIV, p. 35, form. 1; p. 53, form. 17; et p. 54, form. 18. In *Normis* autem adiectis (ibid., p. 80) legitur: « Specialis loci expressio *originis* oratorum est facienda, quando dispensatio propter angustiam loci petitur. Et si alio domicilium transtulerint, mentio tunc loci *domicilii* facienda est, si item dispensatio propter angustiam petitur loci ».

E contra angustia locorum adest, quum vir et mulier ad diversum locum pertinent, ita ut locus nativitatis vel domicilii mulieris sit omnino distinctus a loco originis vel domicilii viri, licet haec duo loca sint in eadem paroecia et dummodo 300 focos non efforment. Iamvero formula a S. Dataria in casu adhiberi solita ita sonat: « Cum dicta mulier in locis, ex quibus ipsa et orator praefatus orti sunt, in dicta dioecesi existentibus, etiam de uno ad alium sese transferendo, propter illorum angustiam virum paris conditionis, cui mulier nubere possit, invenire nequeat, etc. ». [1] Angustia locorum vocatur etiam quando loca tum originis tum domicilii aut quasidomicilii mulieris sunt angusta.

Praeterea cum angustia locorum pari gressu procedat cum angustia loci, addere iuvat, hanc duplicem esse, nempe *absolutam* et *relativam*, uti edicitur in Instructione S. C. Propagandae Fidei 9 maii 1877: « Angustia loci sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum ». [2] Profecto iuxta litteras circulares a Card. Pro-Datario iussu Pii IX die 30 augusti 1847 datas, locus angustus censetur, si non contineat ultra 300 focos seu 1500 incolas; ex responso vero Datariae Apostolicae relato in *Valven.*, 8 martii 1884, habetur quod « angustia loci verificatur, cum eius focularia numerum 300 non excedant; nec officit quod locus angustus parum ab alio dissitus existat, dummodo ista duo loca sint inter se distincta ac diversa, propriamque denominationem retineant. Aliqua autem distantia requiritur in suburbiis, quae quamvis civitatis partem constituant, nihilominus angustia in ipsis admittitur cum per milliare aut paulo minus a civitate distent ». [3] Haec autem distantia potest etiam esse minor, quando accedat difficultas et asperitas viarum, uti in citata *Valven.* fuit resolutum.

Nec est praetereundum quod haec loci angustia non desumitur ab ambitu paroeciae, sed a numero focorum cuiusque loci, uti patet ex responso S. C. C. in *Oveten.*, 16 decembris 1876: « Angustiam loci non esse desumendam a numero focorum cuiusque paroeciae, sed a numero focorum cuiusque loci, vel etiam plurium locorum si non distent ad invicem ultra milliare ». [4]

Igitur angustia loci verificatur, quando femina honestae familiae in loco sive originis sive domicilii, qui locus non excedat numerum 300 focorum, non valet invenire virum paris conditionis pro matrimonio, nisi nubat affini vel consanguineo: haec angustia loci vocatur *absoluta*. E contra si mulier ob altiores suas qualitates, puta nobilitatem, genus culturae et alia huiusmodi, virum paris conditionis invenire nequeat cui nubat, etiam in loco ampliori

[1] Cf. Acta S. Sedis, vol. XXXIV, p. 62, form. 26; et p. 66, form. 30.

[2] Cf. N. 4890.

[3] Cf. Acta S. Sedis, vol. XVI, p. 543-546.

[4] Cf. N. 4235.

complectente plusquam 300 focos, tunc non habetur proprie angustia loci, cum locus sit amplus, sed potius alia causa desumpta ex qualitate personae, quae audit angustia loci *relativa*. Cf. Feije (*De imped. et dispens. matr.*, n. 653); Gasparri (*De matrim.*, n. 333); Pompen (*De dispens. matr.*, part. I, sect. I, cap. I, art. 3).

Hisce enucleatis, videretur in themate satis esse exponere angustiam loci iuxta responsum Datariae Ap. in citata *Valven.* Revera si percurratur tota Instructio S. C. de Propaganda Fide, nullum verbum fit de hac causa, quamvis ibi singillatim pro dispensatione obtinenda recenseantur causae. Ergo haec causa vel non existit, vel si existit, dici debet comprehensa in illa ob angustiam loci, iuxta relatam resolutionem in *Oveten.* Insuper angustia loci tamquam causa dispensationis admissa tantum est favore mulieris, et ab ipsa tantum est alleganda. Ecclesia enim perpendit pudorem et honestatem mulieris, quae non sinunt, ut ipsa virum sibi quaerat extra proprium locum, et ita etiam solatio parentum maneat destituta. Ergo tantum respectus habendus est ad locum sive originis sive domicilii mulieris, non autem ad locum viri, pro quo hoc privilegium non militat, cum ipse uxorem alibi quaeritare valeat.

Neque dicatur in themate angustiam duorum locorum insuper esse exprimendam, quia haec duo loca sunt inter se distincta et notabiliter ab invicem distant, nempe per spatium ultra 20 minuta. Reponi enim potest quod ista loca sunt intra limites eiusdem paroeciae, et nihil obest quod inter se notabiliter distent, nam sive divisim sive insimul sumpti non conficiunt 300 focos. Verum etiam paulisper retento quod angustia locorum in supplicatione esset exprimenda, non apparet, ab eius omissione vitiari debere Breve dispensationis. De hac enim poena nullibi habetur sermo in memorata Instructione, et de coetero causa haec implicite continetur in causa exposita ob angustiam loci: nam mulier et sponsus, quamvis habeant originem vel domicilium in diversis locis, tamen cum haec loca sint sub eadem paroecia et non efforment 300 focos, vere dici possunt esse in loco angusto.

Ex adverso videretur angustiam locorum necessario esse exponendam, ita ut, ea reticita in precibus, Breve concessionis ab Ordinario rite executioni committi non valeat. Nam in dicta Instructione de hac causa expresse mentio non fit, quia in ipsa tantum communiores et potiores causae recensentur, nempe, « praecipuae illae causae, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium pro sufficientibus haberi consueverunt ». Hinc recensio causarum non taxativa sed potius demonstrativa dicenda est. Imo in eadem Instructione animadvertitur, « unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, unita iuvant, arg. leg. 5, Cod, *de prob.* ». Idque eo fortius est retinendum quia, ut ait Pompen (loc. cit., n. 34) et Feije (loc. cit., n. 655), olim propter solam angustiam loci non dispensabatur, nisi in gradibus tertio et quarto, hodie vero etiam in gradu secundo.

Praeterea necessitas expositionis huius causae eruitur ex formula Datariae Ap., ubi haec causa appellatur « ob angustiam locorum etiam de uno loco ad alium sese transferendo »; dum alia formula praescribitur ob angustiam tantum loci. Iam vero quod praxis et stylus Curiae legem efformet, non est qui ignoret. Quae doctrina cohaeret communi sensui canonistarum; ita Pompen (loc. cit.) docet: « Si in supplicatione simpliciter dicitur angustia loci, intelligitur locus originis et in quo mulier cum iuvene habitat, Pir. Corradus, *Prax. dispensat. Apost.*, lib. 7, cap. 5, n. 30. Unde si angustus est solus locus habitationis puellae et non locus nativitatis, aut solus locus nativitatis et non habitationis, item si iuvenis est ex diverso loco oriundus aut in alio loco habitat; haec omnia clare in supplicatione exponantur, ne in rescripto tales occurrant termini qui verificari nequeant ». Idem tradit Feije (loc. cit., n. 652) et *Monitore ecclesiastico*, vol 13, pag. 169. Ratio est quia angustia locorum magis efficax esse videtur ad dispensationem obtinendam, quam simplex angustia loci. Imo obreptio vel subreptio in themate versatur circa causam finalem concessionis; hinc si praeter falso adductam causam finalem, aliae finales et sufficientes non extent, dispensatio vitiatur; ideoque dispensationes, hac causa reticita obtentae, per se nullae sunt et a Delegato Apostolico non possunt executioni demandari seu fulminari. Regulae enim a dicta Instructione editae tam recurrentes pro dispensatione quam eius executores afficiunt, uti in illa sancitur: « Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex Pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus quibus pollent, rite, ut par est, utantur ».

Modo pro solutione propositum postulatum sapientiae et prudentiae EE. VV. submittitur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 427-434].

4343.

S. C. C., *Argentinen.*, 23 nov. 1907.

Sub die 7 ian. currentis anni Curia Argentinensis invalidum declaravit, ad instantiam viri et ex defectu consensus in muliere, matrimonium a Iosepho Hochenauer et ab Aemilia Ruetsch initum die 5 apr. 1902 in paroeciali ecclesia ad S. Stephanum civitatis Mulhausen. At quum ab huiusmodi sententia, pro munere suo, ad hanc S. C. appellasset localis vinculi defensor, processus acta successive remissa sunt duobus Consultoribus, quorum vota omnino inter se contraria fuerunt.

Interim animadvertendum est quod Aemilia iam duobus annis ante coniugium ob amentiam degerat in manicomio Friburgensi, ex quo deinde egressa est non undequaque sanata. Cuius rei utique aliqualem habuit notitiam vir, sed sive ob omissam ab eo diligentem inquisitionem sive ob parentum mulieris tergiversationem, quibus filiam nuptui collocare intererat, veritatem detegisse non videtur. Hinc a. 1901 ad finem vertente, Ioseph fidem nuptialem a muliere excepit, quae tamen, ex animi fluctuatione ac reluctantia, illam postea revocavit, et deinceps iterum renovavit.

Tandem die 5 apr. 1902 coniugium celebratum fuit, quamvis Aemilia, diebus matrimonium immediate praecedentibus, non omnino sui compos videretur, atque ipsa nuptiarum die non indubia dederit mentalis alienationis signa. Imo prima nocte matrimonium consummatum fuit, licet Aemilia maiora etiam praebuerit amentiae indicia. Morbo autem ingravescente, die secunda ab initis nuptiis mulier in nosocomio ipsius civitatis Mulhausen recepta fuit, ex quo post 16 dumtaxat dies in manicomium vulgo dictum *Friedmatt* prope Basileam deducta est, ubi a die 23 apr. 1902 ad diem 7 iulii eiusdem anni permansit, quin tamen pristinam recuperaverit sanitatem. Dein iterum morbo affecta, in eodem manicomio recepta est mulier a die 6 apr. 1903 usque ad diem 4 iunii eiusdem anni, atque iterum non sanata exiit.

Posita igitur amentia mulieris antecedente et subsequente coniugium, tota quaestio huc redit, an Aemilia, tempore celebrationis coniugii, tali ac tanta mentis intelligentia ac voluntatis deliberatione adhuc praedita fuerit, ut plene liberum potuerit emittere consensum matrimonialem. Notandum praeterea est quod vir a laica potestate a. 1903 divortium obtinuit ob defectum consensus ex parte mulieris; atque die 14 ian. praefati anni, ob idem motivum, petiit declarari nullitatem sui matrimonii apud Curiam Argentinensem, quae, praeter coniuges et testes iuratos, excutere curavit sub iuramento etiam medicos psychiatras.

Consultor theologus in iure adnotat quod, quum amentia seu rationis defectus non inveniatur in serie impedimentorum dirimentium, quae constituit Ecclesia, hinc, ad huiusce generis coniugia diiudicanda, recurrendum est ad regulas et ad axiomata iuris naturalis et divini. Atqui ius istud nos docet matrimonium esse contractum, qui essentialiter efficitur consensu coniugum, ita ut cap. 26, tit. *de sponsalibus* dicat quod sine isto consensu « coetera nequeunt foedus perficere coniugale ». Quoties igitur, ait ipse, consensus libere et rationabiliter fuit datus et expressus a duplici persona habili, inde exurgit contractus cum iuribus et officiis eidem adnexis, ac matrimonium est verum.

Quoad insanos autem et mente captos, seu eos qui, vitam physicam et corporalem perfectam retinentes, plus minusve ratione privantur, subdit ex istis quosdam omnino ratione destitui, et vitam quasi animalem, imo aliquando mere vegetativam, ducere sine ullo lucido intervallo. Isti certe incapaces sunt actus humani eliciendi, et ideo consensum minime praestare possunt ad matrimonium contrahendum, et quamvis verba sacramentalia proferre possunt, id nihil facit ad rem, quia heic certe agitur de actu rationali, et non tantum de signis et de verbis, quae forsitan animal pronuntiare valeret. Sed notandum est etiam hanc totalem rationis carentiam praesumi non posse, sed probari debere.

Sed saepe saepius amens in quibusdam male ratiocinatur, recte autem in caeteris. Si de tali quaestione sermonem facit, mens eius extra rationis semitas vagatur. Si autem de caeteris rebus agitur, ipse loquitur ut sapiens, et nemo primo intuitu iudicare potest illum esse insanum. In aliis autem haec terribilis infirmitas aliter manifestatur. Per aliquod temporis spatium

amens omnino delirat, nec est sui compos, et actus non elicit humanos. Sed postea, per intervalla plus minusve protracta, ratione physicae valetudinis, vel propter vitam tranquilliorem, retinet usum rationis, et actuum humanorum perfecte capax efficitur. Equidem dicunt omnes doctores et psychiatrae, etiam in istis intervallis lucidis, amantes pati in voluntate depressionem, ita ut etiam tunc temporis imminuta sit in ipsis vis rationalis, adaucti e contra sint appetitus sensuales et animales. At cum ista depressio intellectualis plurimos gradus habere possit, certe difficile est determinare, utrum etiam in intervallo lucido amens capax sit vel non coniugalis consensus rationabiliter et ideo valide exprimendi. Aliquando enim ista depressio est talis naturae, ut persona capax sit huiusce gravissimi actus, aliquando non. Quidam tamen sunt, qui asserunt hanc incapacitatem pro amentibus semper existere etiam in intervallis lucidis.

In facto autem, advertit Consultor, tota quaestio est, utrum Aemilia, quae iam demens fuerat, die nuptiarum fuerit vel non in intervallo lucido, et ratione pollens, et ideo capax dandi et proferendi ad matrimonium consensum, qui, si revera extitit, causa est matrimonii. Equidem, admittit Consultor, die nuptiarum hora matutina, cum sponsi accesserunt ad ecclesiam ut, per confessionem sacramentalem, ad matrimonii celebrationem se praepararent, mulier indubia dedit testimonia mentis perturbatae et vehementer excitatae. Hinc argumentum perficitur in favorem nullitatis matrimonii ex absentia rationis ac consensus in momento contractus. Imo testes affirmant Aemiliam non fuisse absolute mente compotem, sed excitatam et turbatam, multas lacrymas fudisse et agitatam motibus extraordinariis sese ostendisse. Et ipsa se dixit, etiam coram altari, vehementi capitis dolore afflictam.

Hisce tamen non obstantibus, Consultori iuridice probatum videtur Aemiliam scivisse quid fecit in hoc momento, et revera consensum, actu humano et cum sufficienti rerum cognitione, libere protulisse. Id consequi sustinet ex confessione ipsius mulieris, quae testatur se tunc temporis cognovisse id quod faciebat, revera consensum protulisse, non ignorans rem peractam, iura inde acquisita et obligationes consecuturas. Hoc idem eruitur ex conspiratione coeterorum testium et ex aliis facti circumstantiis. Notandum praeterea Aemiliam perpetua amentia non laborare, siquidem ante celebratum matrimonium per duorum annorum spatium in familia sua tranquilla et operosa remanserat, et etiam, post aliam in manicomio commorationem officium ancillae cubiculariae, iam coniugata, in quodam diversorio exercuit. Et certe hoc officio ipsa fungi non potuisset omni rationis usu destituta.

Atqui, cum iuridice constat, aliquem esse sanae mentis reputandum, dum contrarium aperte probetur, cum aliunde matrimonium iam celebratum validum iudicandum est usque ad manifestam probationem contrariam, cum deinde, si quaedam probabilitas existere potest de nullitate huius matrimonii ita contracti, testimonia pondere et numero maiora affirmant mulierem vere consensisse et vere contraxisse: ideo concludendum est, certe non constare de matrimonii nullitate in casu. Hoc confirmatur ex eo quod uterque sponsus affirmat, rem uxoriam perfectam fuisse ab eis prima nocte nuptiarum, instanter postulante sponsa Aemilia, quae

iura coniugalia invocabat, et pluries concedente, non quidem libenter, sponso Iosepho. Atqui si ita egerunt, iuridice affirmandum est, sicut et ipsi aliunde fatentur, illos egisse affectu coniugali, non autem affectu fornicario, et ideo persuasos esse de veritate matrimonii.

Utique doctores generatim docent, dementes, etiam in intervallo lucido, incapaces esse matrimonii propter mentalem depressionem, quam patiuntur. Existit enim penes illos voluntas, vera quidem sed imminuta, quacum actus praesertim solemnes vitae, ut matrimonium, elicere minime valent. At etiamsi vis voluntatis sit imminuta et acumen intellectus hebetatum in quibusdam, tamen iuxta eumdem Consultorem theologum inde non sequitur incapacitas contrahendi matrimonium. Nam quotidie puellae ad altare accedunt ignorantes officia coniugalia, plorantes, turbatae, commotae ex solemnitate actus, et tamen earum matrimonium est validum. Virgo duodecim annorum certe non habet illum voluntatis vigorem, quem postea est habitura, et tamen illa potest valide matrimonium contrahere. Mulier graviter aegrotans, et etiam in extremis, aut multis annis onerata et in senectute ultima, habet certe voluntatem imminutam, et tamen valide coniugii est capax. Caeterum impossibile est mensurare illam intellectus et voluntatis imminutionem, ita ut concludi possit revera ad carentiam necessariae determinationis et deliberationis in perficiendo contractu.

At Consultor canonista contrariam sententiam amplectitur. Et imprimis recolit iuris regulas in subiecta materia, quarum prima est: *Matrimonium veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, ita ut sine consensu caetera nequeunt foedus perficere coniugale*. Cap. *Tuae fraternitatis*, 25, *de spons.*; et cap. *Tua nos*, 26, *de spons*.

Debet praeterea *consensus matrimonialis esse plene deliberatus pleneque liber*. Siquidem « matrimonium assensu solo contrahitur; et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere cuius est animus indagandus ». Cap. *Cum locum*, 14, *de spons*. Ac profecto, ut Sanchez aliique opinantur doctores, ad matrimonialem consensum illa requiritur mentis plena et perfecta deliberatio, quae necessaria est ad testamentum conficiendum et ad mortaliter peccandum: non sufficit proinde deliberatio semiplena. Porro habetur perfecta deliberatio, ubi obtinetur cognitio, quae firmo iudicio perspicit obiecti indifferentiam. Duae proinde ad perfectam deliberationem requiruntur conditiones. Prima est quod perspiciatur in obiecto aliquid indifferentiae quo, pro eius bonitatis defectu, possit voluntas promiscue illud vel appetere vel respuere. Altera conditio est quod indifferentia haec cognoscatur firmo iudicio, firmitate se tenente ex parte subiecti: quatenus ipse intellectus satis se in iudicando deprehendat, et suum iudicium plene seu certe, et non solum tenui ac veluti transeunte luce, agnoscat, eo quod firmat attentionem in illo. Cuiusmodi conditionis defectu obtinetur *semideliberata* cognitio, quando nimirum intellectus non satis se in iudicando deprehendit, neque certe apprehendit suum iudicium, non firmando attentionem in illo. Id evenit vel quia homo non est sufficienter sui compos, vel quia est alio distractus. Semiplenae deliberationis signa haec afferri possunt: si quis semidormiens vel semiebrius fuit; si quasisemidormiens rem levi ac tenui

cogitatione tantum apprehendit; si vehementi passione vel distractione turbatus fuit, etc.

Ex duabus praemissis regulis, subdit Consultor, tertia eruitur: *Amentes seu furiosi, qui simpliciter et circa omnia insaniunt, sunt inhabiles ad matrimonium contrahendum*. In hoc miro consensu conveniunt theologi et canonistae. Et ratio in promptu est. Deest enim in amentibus illa plena deliberatio, quae requiritur ad consensum coniugalem. Nam mentecapti incapaces sunt sive eius considerationis, qua obiectum cum indifferentia proponatur, sive etiam et maxime illius attentionis supra suum iudicium, qua firmiter se in iudicando apprehendant, ac proinde cum plena sui actus determinatione libere agant. In mentecaptis vel nulla deliberatio, vel ad summum semiplena inveniri potest. Unde cap. *Dilectus*, 24, *de spons.*, decernit: « Cum eadem mulier cum ipso viro, qui continuo furore laborat, morari non possit, et propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus, mandamus, quatenus si rem noveris ita esse, praefatas personas cures ab invicem separare ».

Quarta iuris regula, unanimiter a doctoribus tradita, quae intime cum praecedenti connectitur, est: *amens validum init matrimonium contrahens in intervallo lucido*. Quae regula ut in ambiguo non stet, notandum dupliciter sumi posse lucidum intervallum; nimirum sive pro diminutione vel etiam cessatione temporanea signorum insaniae, absque hoc tamen quod amens ab aegritudine recreetur; sive pro vera quidem etsi temporanea ad sanam mentem restitutione, quae si perduraret, realem amentis sanationem denotaret. Cf. *Nouveau Dictionnaire de médecine et de chirurgie*, t. XI, p. 280. Iamvero per se patet regulam enunciatam, nimirum valere matrimonium in intervallo lucido contractum, intelligendam esse de temporanea quidem sed vera furiosi ad sanam mentem restitutione, et de ea tantummodo. Ad rem *Glossa:* « Quandoque tamen furiosus per dilucida intervalla redit ad sanam mentem; et tunc si contrahit, tenet... Saepe furiosi sunt constituti in conspectu umbratae quietis, nec tamen sunt mentis sanae, licet videatur, et si tunc mulier ista cum eo contraxit, non tenuit matrimonium ». Hinc Oietti (*Synopsis*, vol. I, p. 88) tradit: « Amentes, qui convaluerint et lucidum mentis intervallum habuerint, non breve et transitorium, sed aliquantulum diuturnum (ita ut nempe constet eos tunc mentis compotes fuisse), licet postea in amentiam denuo inciderint, in lucido illo intervallo valide contraxerunt, imo et valide testati sunt si id fecerunt ».

Deinde inquirit Canonista, utrum doctrina haec cum facti praesentis specie quadret. Porro quempiam furiosum esse probatu difficile est, nec directe probari potest: amentia enim mente consistit, nec sensu percipi potest. Recurrendum est proinde ad coniecturas et praesumptiones; standum est nimirum factis et verbis, quae si talia sint, ut amenti conveniant et hominem sanae mentis non attingant, concludendum erit pro furoris existentia. In casu autem ipse, ut concludat ad defectum consensus ad matrimonium requisiti, tres periodos distinguit. Probat primo Aemiliam immediate post nuptias, seu in ipsa die nuptiarum imo iam a prandio nuptiali, plene amentem repertam fuisse. Secundo ostendit eamdem mulierem immediate ante

nuptias nedum protulisse signa amentiae sese evolventis et progredientis, sed etiam ipsius status amentiae.

Tertio demum demonstrat Aemiliam, in ipsa matrimonii celebratione, amentia laborasse, ita quod incapax fuerit perfectae illius deliberationis, quae ad coniugalem requiritur contractum. Tota enim quaestio huc redit, an Aemilia, in ipsa nuptiarum celebratione, fuit *in lucido intervallo*. Et Consultor respondit negative, idque constare ait ex praesumptione. Siquidem demonstrata semel insania Aemiliae pro tempore, quod immediate praecessit et immediate subsecutum est nuptias, praesumptio stat pro amentia etiam durante ipsa matrimonii celebratione. Nam, ut tradit Mascard (*de prob.*, conc. 825): « Furiosus semel, semper praesumitur furiosus...; quia passiones huiusmodi et motus tales praesumuntur perdurare, nisi contrarium probetur... maxime in passione furoris, quae non consuevit ita facile recedere..., natura enim non patitur repentem mutationem ». In themato autem adeo vehemens existit praesumptio haec, ut contrarium, iuxta ipsum, admitti omnino non possit. Nam semel posito quod per lucidum intervallum intelligatur vere et proprie, non umbrata quies seu simplex symptomatum remissio, sed restitutio ad sanam mentem seu ab amentia vera recreatio; verosimiliter excogitari nequit lucidum intervallum in illa amente muliere, quam constat fuisse tunc in amentiae progressu. Ad rem *Nouveau Dictionnaire de médecine*, t. XI, p. 239. De caetero, subdit, etsi Aemilia, tempore quo matrimonium fuit celebratum, in *umbrata quiete* visa fuerit; eam tamen tunc etiam extitisse sub influxu phantasiarum deprimentium, facta quaedam directe demonstrant.

Neque obiiciatur quod mulier ipsa fatetur se liberum dedisse consensum. Hoc enim concedi potest, Aemiliam nempe, durante nuptiarum celebratione, fuisse in statu *umbratae quietis* seu in *remissionis intervallo*; ac proinde fuisse *aliqualiter sui compotem*, et ad contractum matrimonialem processisse, utique vi phantasiae et imaginationis, sed etiam vi *alicuius etsi imperfectissimae deliberationis*. Quo posito, intelligitur potuisse Aemiliam affirmare se libere consensisse; sed nullo pacto concludi potest a muliere plenum eum datum fuisse consensum, qui ad unionem requiritur coniugalem. Nam, durante matrimonii celebratione, Aemilia certe non reperiebatur ita sui compos aut vero gaudens lucido intervallo, ut *plena ea* processerit ad consensum coniugalem *deliberatione et libertate, quae requiritur* ad matrimonium contrahendum. Ceterum ipsa mulier fatetur se, dum suum daret consensum, non fuisse plene sui compotem.

Quibus, praeter iudicium tribunalis civilis pronuntiantis nullitatem matrimonii, accedunt peritia medicorum et sententia Curiae: qui omnes steterunt pro nullitate matrimonii ob defectum consensus in muliere amente. Aliam confirmationem desumit Consultor ex duplici sententia nullitatis lata ab hac S. C. in duplici matrimoniali causa causae praesenti simillima. Prima est in *Herbipolen.*, 7 iulii 1883, altera vero in *Treviren.*, 22 iulii 1899; prouti referuntur in *Acta S. Sedis*, vol. 16, pag. 262, et vol. 32, pag. 274.

E contra Vindex vinculi matrimonialis adstipulatur Consultori theologo pro coniugii validitate, atque adnotat quod, dissidentibus inter se Consultoribus, ac quum agatur de re, cuius iudicium magis ad peritos quam ad iudices spectat, forsan non esset inopportunum medicum aliquem romanum, ut peritiorem eligere et interrogare.

Igitur Vobis, EE. PP., dirimendum est dubium:

An sententia Curiae Argentinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Sententiam esse confirmandam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 582-615].

4344.

S. C. C., *Romana et aliarum*, 1 febr. 1908.

Decretum *Ne temere*, iussu et auctoritate ipsius Summi Pontificis a S. C. Concilii die 2 augusti 1907 editum,[1] quo disciplina tridentina circa sponsalia ac matrimonia in quibusdam immutata est, perfecta cum obedientia summaque cum laetitia ubique exceptum fuit. Plures enim extant gratulatoriae et gratiarum actionis litterae, quae ab Ordinariis locorum in primis ad hanc praesertim S. Congregationem missae sunt, sive proprio nomine sive nomine personarum etiam moralium. Ipsae ephemerides nedum sollicitae fuerunt novissimum decretum typis edere, sed commentariis quandoque illustrare curarunt.

Verum quum discussiones quoque excitatae fuerint in aliquibus ipsius decreti articulis interpretandis, hinc nonnulli Sacrorum Antistites ad eas sopiendas, praesertim vero ut in re tam gravis momenti tutam normam sequendam haberent, ad hunc S. O., vel directe vel per S. C. de Propaganda Fide, suppliciter recursum fecerunt pro authentica quorundam articulorum interpretatione. Accepta dubia statim uni ex Consultoribus remissa sunt, ut super iis mentem suam panderet: quod ipse peculiari sollertia et diligentia exequutus fuit.

Hisce positis, ut omnia relata uno veluti sub aspectu complectar, haec praesertim dubia exposco resolvenda:

I. *An decreto* Ne temere *adstringantur etiam catholici ritus orientalis*. Et quatenus negative:

II. *Utrum ad eosdem decretum extendere expediat*. Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum:

III. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.*

IV. *An sub art. XI, § 2, in exceptione enunciata illis verbis* « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum » *comprehendatur tantummodo Constitutio* Provida *Pii Pp. X;*[2] *an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina*[3] *et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.*

V. *Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt,*

[1] Cf. N. 4340.
[2] Cf. N. 670.
[3] Cf. N. 3527.

etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto Ne temere *statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus.* Et quatenus affirmative:

VI. *An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae existentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.*

VII. *Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant.*

VIII. *Ubinam et quomodo parochi, qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant.*

IX. *Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat.*

X. *Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.*

XI. *An a decreto* Ne temere *abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a Curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis adsistendi matrimoniis.*

XII. *An et quousque expediat prorogare executionem decreti* Ne temere *pro nonnullis locis iuxta Ordinariorum petitiones.*

Et Emi Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.

Ad III. Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales. [1]

Ad IV. Comprehendi tantummodo Constitutionem Provida; *non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SSmo, et ad mentem.*

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Negative, ideoque servetur decretum Ne temere.

Ad VII. Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.

Ad VIII. Affirmative in territorio cumulative habito.

Ad IX. Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SSmo.

Ad X. Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.

Ad XI. Servetur solitum.

Ad XII. Ad Emum Praefectum cum SSmo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 35-70].

[1] Cf. N. 4349.

4345.

S. C. C., *Senogallien.*, 1 febr. 1908.

Redit haec causa, in comitiis generalibus diei 24 augusti elapsi primum proposita, [1] cuius species ita breviter reassumitur:

Capitulum archibasilicae Lateranensis per Bullam diei 26 dec. 1473 concessit, ut in solo Lateranensi oppidi vulgo *Belvedere Castrense*, dioecesis Senogalliensis, erigeretur ecclesia et confraternitas S. Mariae a misericordia nuncupata, quae esset immediate subiecta ecclesiae Lateranensi, atque «uti posset coemeterio, campanili, campanis, altaribus ac sacro fonte baptismi cum omnimoda libertate, salvo tamen iure parochialis ecclesiae». Ad munera sacra in praefata S. Mariae ecclesia explenda prius deputati fuerunt nonnulli cappellani, dein vero idem Capitulum Bulla diei 8 aug. 1587 instituit unum archipresbyterum et quatuor canonicos «cum omnibus ac singulis iuribus et privilegiis sine alicuius praeiudicio».

Verum tractu temporis non defuerunt lites inter praefatos canonicos atque localem parochum ecclesiae S. Petri, praesertim quoad ius funerandi. Ex antiqua autem concordia seu immemorabili consuetudine constat, emolumenta funeraria (quae in cera ad cadaver accensa consistebant) pro medietate fuisse divisa inter Plebanum S. Petri et Capitulum S. Mariae, tam si cadaver tumularetur in parochiali ecclesia quam in Collegiata; dum ceram in altaribus extantem ad ecclesiam tumulantem pertinuisse. Cuius moris ratio in eo fuit quod tunc temporis Capitulares adiuvabant parochum S. Petri sive in exercendis ecclesiasticis ministeriis sive etiam in explendis funeribus in parochiali ecclesia. Perhibetur item missam exequialem in Collegiata celebratam semper fuisse a canonicis, relicta parocho S. Petri absolutione ad tumulum.

At quum anno 1861 Capitulum collegiale ab iniquis Italiae legibus civiliter suppressum fuerit, pedetentim e vivis ereptis canonicis, in eorum locum suffecti sunt duo cappellani. Hinc de facto an. 1895, extinctis omnibus Capitularibus, parochus tunc temporis, Antonius Renzi, sibi attribuere coepit omnia emolumenta, quae occasione funerum in parochiali ecclesia peractorum obveniebant, atque quartam funerariam pro funeribus in ecclesia S. Mariae persolutis. Interim accidit quod anno 1905, occasione funeris cuiusdam Francisci Filipponi, confratris sodalitatis S. Mariae a misericordia, actualis parochus S. Petri omnia emolumenta funeraria fecerit sua, neglectis cappellanis S. Mariae, imo et ius litandi missam exequialem in Collegiata ecclesia sibi tantum spectare asseruerit.

Eapropter die 6 sept. dicti anni confraternitas S. Mariae, adversus modum agendi parochi S. Petri, supplicem libellum Episcopo Senogalliensi obtulit, qui die 21 eiusdem mensis decrevit, ad parochum S. Petri spectare ius associandi cadavera ad ecclesiam S. Mariae ibique funera persolvendi, atque omnia emolumenta percipiendi, salva quarta funeraria.

[1] Thesaurus Resolutionum, tom. 166, p. 472-490.

Ab hoc tamen decreto minime sibi favente confraternitas appellavit ad hanc S. C., quae existimans ecclesiam S. Mariae gaudere iure sepeliendi privilegiato ad instar Regularium, sub die 22 iunii 1906 rescripsit, ius funerandi, quod semper sequitur ius tumulandi, dictae ecclesiae plene spectare, proindeque clausulam *salvis iuribus parochialibus* nihil aliud significare nisi ius, ex parte parochi S. Petri, levandi et comitandi cadavera de domo usque ad ecclesiam S. Mariae, atque exigendi quartam funerariam. Mandavit proinde Episcopo ut, iuxta datas normas, dirimeret enatam controversiam: quod et fecit Praesul Senogalliensis per novum decretum diei 11 iulii 1906.

At cum parochus S. Petri nova documenta Curiae obtulisset, ut ius suum funerandi in ecclesia S. Mariae comprobaret, Ordinarius, marte proprio, die 6 aug. 1906 abrogavit postremum decretum diei 11 iulii eiusdem anni de mandato huius S. O. editum, et primum diei 21 sept. 1905 in vigorem revocavit. Tunc iterum confraternitas a misericordia ad hunc S. O. recursum interposuit, et quaestio proposita est resolvenda sub dubitandi formula: *An sustineatur decretum Curiae Senogalliensis diei 21 septembris 1905, vel potius decretum eiusdem Curiae diei 11 iulii 1906 in casu.*

Exscriptum dubium triplicem complectitur quaestionem, videlicet: 1° *an confraternitati S. Mariae competat ius funerandi;* 2° *an dictae confraternitati spectet ius missam exequialem litandi in propria ecclesia S. Mariae, emolumentaque percipiendi;* 3° *demum an eidem confraternitati pertineat etiam ius exequias ad tumulum persolvendi.*

Iamvero quoad primum quaesitum non videtur ambigendum quod ecclesia S. Mariae fruatur iure sepeliendi seu funerandi nedum confratres a misericordia verum etiam omnes fideles inibi sepulturam gentilitiam vel electivam habentes. Hoc enim patet ex verbis Bullae, qua an. 1473 erecta fuit ecclesia ipsa, et qua donata fuit privilegio exemptionis a qualibet ordinaria sive Episcopi sive parochi potestate, et immediate subiecta fuit iurisdictioni Capituli Lateranensis, adeo ut « uti possit coemeterio, campanili, campanis cum omnimoda libertate, salvo tamen iure parochialis ecclesiae ». Iam age ius habendi coemeterium aequivalet iuri sepulturae tradendae, quando agitur, uti in casu, de ecclesia seu confraternitate non subiecta ordinariae potestati dioecesanae sed ad instar Regularium exempta. Tunc enim ius sepulturae, praeter ius tumuli, secumfert etiam ius funerandi iuxta adagium *ubi tumulus, ibi funus.*

Neque in themate aliquid facessit clausula apposita in Bulla erectionis *salvo iure paroecialis ecclesiae;* nam haec clausula id tantum importat, ut parocho defunctorum proprio solvatur quarta funeraria. Hoc sane modo consimilem clausulam authentice interpretatus est Clemens III in cap. *Certificari*, 9, *de sepulturis*; quin imo affinis clausula addi solet in privilegiis Apostolicis, quibus conceditur Regularibus ius sepulturae. At nemo inficias ibit Regulares habere ius privilegiatum funerandi.

Ab huius quaestionis solutione pendet et altera supra proposita, quae refertur ad ius litandi missam exequialem et emolumenta percipiendi. Siquidem cum missa exequialis nonnisi pars sit iuris funerandi, semel recognito iure funerandi ecclesiae S. Mariae, eo ipso attribui debet eidem ius celebrandi

missam exequialem. Praeterea immemorabilis in casu extat consuetudo, vi cuius missa exequialis semper persoluta fuit a canonicis numquam vero a parocho; quod confirmarunt octo iurati testes a Curia excussi sub die 9 novembris 1905. Item nulla difficultas adesse potest circa emolumentorum perceptionem. Nam, ad tramites iuris communis, nonnisi quarta funeraria competit parocho proprio: ita S. C. Concilii in *Asculana*, 8 et 29 aug. 1733, ad 3,[1] et in *Viterbien.*, 16 septembris 1826, ad 4.[2]

Denique quoad exequias ad tumulum, confraternitas ultro admittit eas pro praeterito celebratas semper fuisse in Collegiata a parocho S. Petri; quin imo de solis exequiis intelligenda videntur documenta, quae idem parochus ex adverso adducit, ut ostendat suum ius litandi missam exequialem.

Ex altera parte favore parochi S. Petri quae sequuntur subiici possunt. Explorati iuris est quod ex iure communi solae ecclesiae paroeciales gaudent iure sepeliendi seu funerandi, uti constat ex cap. *Is qui*, 3, *de sepulturis*, in VI et supponitur in cap. *Nos instituta*, 1, *de sepulturis*, etc. Hinc quaelibet alia ecclesia, quae hoc idem ius sibi asserit, ex privilegio Apostolico illud habuisse diserte probare tenetur. Ita privilegiatum funerandi ius habent ex privilegio Regulares aliaeque ecclesiae ab Ordinarii et parochi iurisdictione exemptae. Verum ecclesiae et oratoria, quae intra fines alicuius paroeciae continentur, quaeque immediate subsunt parocho et mediate Episcopo, nonnisi ius tumuli, non autem verum ac proprium ius sepeliendi et funerandi habere valent. Ita respondit S. Congr. Rituum in decreto *Urbis et Orbis*, diei 10 dec. 1703, n. 2133 ad dubium 20.[3] Idem tenuit S. C. Concilii in *Bononien.*, 28 iulii 1724 ad 9,[4] in *Civitatis Castellanae*, 28 ian. 1764;[5] et in cit. *Viterbien.*, 16 sept. 1826, ad 5. Cf. etiam Van Espen, *Ius can. un.*, part. 2, sect. 4, tit. 7, cap. 5.

Iamvero in casu dubitari posset, an revera ecclesia S. Mariae perfecto exemptionis iure, saltem hodie, fruatur. Nam quamvis Bonifacius IX concesserit Capitulo Lateranensi privilegium erigendi loca pia in solo Lateranensi atque ea eximendi a potestate Ordinariorum ac sibi ipsi immediate subiiciendi, addit tamen clausulam: « iure tamen parochialis ecclesiae et alterius cuiuslibet alias in omnibus semper salvo ». Praeterea Pius IV privilegia ac indulta Capituli Lateranensis abrogavit et abolevit. Utique sane Sixtus V eadem in vigorem revocavit per Bullam *Si cunctas*, diei 15 ian. 1586,[6] sed adiecta limitatione, quod accedat licentia Ordinariorum, imo et loca fundanda subiici videntur eisdem Ordinariis. In themate proinde, quum ecclesia S. Mariae sita sit intra limites parochiae S. Petri, neque certo constet de illius exemptione, non immerito argui potest ius parochi funerandi super cadavera suorum filianorum in dicta confraternitatis ecclesia tumulandorum; idque eo vel magis quod in Bullis erectionis ecclesiae et Collegiatae adduntur clausulae « salvo iure parochialis ecclesiae », et « sine alicuius praeiudicio ».

[1] Cf. N. 3406.
[2] Cf. N. 4006.
[3] Cf. N. 5733.
[4] Cf. N. 3279.
[5] Cf. N. 3735.
[6] Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 182, 183.

Hoc confirmari videtur ex quodam inventario parochiali S. Petri diei 10 sept. 1743, ubi de funeribus edicitur quod « in ecclesia Collegiata praecipue, licet fundata in solo Lateranensi, Plebanus sive eius cappellanus curatus in eius defectum, per consuetudinem immemorabilem et inveteratam, semper fecit et de praesenti facit functionem funebrem tum saecularium tum canonicorum, si illorum contingat mors ». Idem constat ex attestatione diei 21 decembris 1805 subscripta a pluribus testibus etiam sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus: item duo aliae similes depositiones praestant diei 21 aug. 1805 et 31 aug. 1806. Praeterea quum an. 1824 exorta fuerit quaestio inter Plebanum et canonicos circa functiones funerarias in Collegiata peragendas, Capitulum Lateranense expedivit quidem monitorium super manutentione in exercitio ordinariae iurisdictionis; sed causa acta in possessorio coram Tribunali Collegiali primae instantiae *A. C.* diei 21 aug. 1824, advocatus parochi Caprini praefatum monitorium moderari obtinuit. Quod etiam confirmatur ex epistola, quam die 6 sept. eiusdem anni Emus Card. Testaferrata scripsit ad parochum Caprini, eidem gratulans de sibi recognito iure funerandi in Collegiata.

Cum igitur ex dictis parocho S. Petri competere videatur ius funerandi in Collegiata, hoc ipso competere eidem videtur ius missam exequialem ibidem litandi, et omnia emolumenta funeraria percipiendi, dempta quarta.

Caeterum parochum S. Petri saltem manutenendum esse in suo iure peragendi exequias in Collegiata, praeter iam adducta confirmant tres ex octo testibus iuratis, qui an. 1905 a Curia excussi sunt, quique deposuerunt, eas a solo parocho hucusque persolutas fuisse. De hac re recens exemplum habetur in causa *Pisauren.*, coram S. C. EE. et RR. agitata die 5 maii 1905 ad dubium V.[1]

Hisce breviter adnotatis quaeritur:

An sustineatur decretum Curiae Senogalliensis diei 21 septembris 1905, vel potius decretum eiusdem Curiae diei 11 iulii 1906?

Emi Patres S. C. Concilii in comitiis generalibus diei 24 augusti 1907 causam comperendinandam censuerunt per rescriptum: *Dilata.*

Verum eadem quaestio reproposita fuit in plenario coetu diei 1 februarii 1908, ubi quum clarius constiterit, privilegia et indulta Capitulo Lateranensi a Summis Pontificibus concessa, inter quae ius erigendi ecclesias et loca pia cum exemptione ab Ordinariis et cum iure funerandi privilegiato, derogata non fuisse praesertim a Sixto V per citatam Bullam, *Si cunctas*, diei 15 ian. 1586, sive quia hic Pontifex, in vigorem revocans privilegia iam antea a Pio IV abolita, ea dumtaxat moderavit ad tramitem Conc. Trid., sive quia de coetero Bulla Sixtina non iam concessa a Capitulo Lateranensi privilegia sed potius in posterum ab eodem locis piis ecclesiisque concedenda respiceret.

Tandem die 1 februarii 1908 Sacra, etc. respondit: Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 70-76].

[1] Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 203-207.

4346.

S. C. C., *Iacen.*, 29 febr. 1908.

Rescripto diei 17 nov. 1905, quod die 14 dec. 1906 prorogatum fuit, Raymundus Hernando, beneficiatus Cathedralis Iacensis obtinuit ab hac S. C. indultum exemptionis a choro et residentia cum clausula « amissis distributionibus inter praesentes tantum », ut suam valetudinem curare valeret.

Vi conventionis initae a. 1851 inter S. Sedem et Hispaniam distributiones chorales apud Capitula illius regionis abolitae extiterunt, sed earum loco suffectae sunt punctaturae, seu mulctatitia quaedam pecunia desumenda ab obventione cuiusque praebendati, quae accrescit tantum chori servitio interessentibus, exclusis ab eius participatione absentibus, salvis exceptionibus designatis in cap. *Consuetudinem, de cler. non resid.*, in 6°, et pro iubilatis: harum autem distributionum taxatio varia est secundum diversa statuta Capitulorum in Hispania. Insuper, in Capitulo Iacensi, duae statutae sunt extraordinariae distributiones pro interessentia in festis Nativitatis Domini et Epiphaniae.

Iam vero Capitulum Iacense in applicando memoratum indultum beneficiario Hernando ratum est, sibi ius esse retinere pecuniam mulctatitiam seu partem obventionis distribuendam inter beneficiarios choro interessentes. Huic retentioni primo anno acquievit beneficiarius Hernando, at postea recursum obtulit Capitulo, contendens vi supra relatae clausulae, retentioni non subiici, et insuper participem esse debere pro rata pecuniae mulctatitiae a praebendatis absentibus persolutae. Capitulum vero super hoc duxit, ut tuto procederet, rogare hanc S. C.

Profecto distributiones chorales duplicis sunt generis. Aliae *ordinariae* seu *quotidianae*, quae constituuntur a tertia parte fructuum praebendae, uti statuit Conc. Trid. (Sess. 21, cap. 3, *de ref.*). Hi vero reditus si desumantur a mensa capitulari, dicuntur proprie *distributiones*, si vero desumendi sunt vel solvendi sunt a particulari praebenda, qua beneficiarius fruitur, *punctaturae* nuncupantur: et pro his reditibus lucrandis requiritur vel realis praesentia in choro, vel sufficit etiam ficta in casibus a iure expressis, uti in citato cap. *Consuetudinem*. Alterius speciei distributiones sunt illae, quae dicuntur *inter praesentes* tantum, et quae tantum lucrantur a materialiter et realiter praesentibus et quae dici solent *extraordinariae*. Cf. *Cathacen.*, *Distributionum*, diei 27 ianuarii 1866. Hae vero possunt esse *certae* aut *determinatae*, ut puta in recurrentia annua anniversariorum aut determinatis diebus persolutione legatorum, vel *adventitiae* ut in celebratione alicuius funeris. Circa distributionum lucrum regula desumitur ex cap. 12, Sess. 24, *de ref.*, Syn. Tridentinae.

Hisce positis, vi enunciatae clausulae in indulto positae beneficiatus Hernando subiici non posse videtur retentioni pecuniae mulctatitiae seu melius punctaturae quoad distributiones quotidianas, veluti patet ex ipsa rescripti litera, quae iubet tantum, ipsum absentem amittere distributiones inter

praesentes. Caeterum est consonum nedum statutis ecclesiae Iacensis sed etiam iuri communi, secundum quod beneficiati infirmi, licet absentes, quotidianas lucrantur distributiones. Deinde praefatus beneficiatus lucratur etiam augmentun ex aliorum absentium fallentiis. Id sancitum invenitur ab hac S. C. die 15 apr. 1611, quae decisio a Benedicto XIV relata (*Institut. eccl.*, 107, § 8) ita se habet: « Eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem vel aliam causam, percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus, perinde ac si statis horis interessent: percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui divinis non interfuerunt ».

Ast hic moveri posset dubium, quidnam esset sentiendum extante contraria consuetudine pro infirmis; idque eo vel magis quod Benedictus XIV (loc. cit.) refert decisionem quamdam huius S. C., quae dictam consuetudinem legitime praescriptam non improbavit. Verum haec invocari posset respectu habito ad ius commune, non autem in casu in quo beneficiatus Hernando, vi relatae rescripti formulae, tantum mulctatur quoad amissionem distributionum inter praesentes.

Demum quoad extraordinariam distributionem pro interessentia choro in solemnitate Nativitatis Christi et Epiphaniae, cum haec distributio videatur, ex Capituli relatione, induere naturam verae distributionis inter praesentes, ea profecto cadit sub rescripti formula « amissis distributionibus inter praesentes tantum », et hinc beneficiati Hernando recursus quoad hoc punctum negativo responso esset dimittendus.

Propositam itaque quaestionem EE. VV. sueta prudentia et iuris peritia resolvere dignabuntur.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Vi indulti beneficiatum Hernando amittere debere tantum distributiones extraordinarias in casu.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 99-102].

4347.

S. C. C., *Treien.*, 29 febr. 1908.

Sacerdos Coluzi testamento diei 24 febr. 1665 canonicatum in Collegiata civitatis Treiensis, nunc ad Cathedralem evecta, instituit, eiusque iuspatronatum activum servavit Capitulo dictae ecclesiae. Particula testamenti ita se habet: *Volo ut canonicus pro tempore a me nominatus vel nominandus aliique omnes eidem successores sint et esse debeant semper omnes sacerdotes ut impetrare possint hunc canonicatum.* Et alibi in eodem testamento: *Rogo Capitulum ut eligat et nominet sacerdotes qualificatos, exemplares, probos, honoratos et virtuosos in omnibus vocationibus.*

Cum mense martio 1907 canonicatus Coluzi vacans declaratus esset, a Capitulo patrono indictus fuit concursus, cui duo tantum candidati adstiterunt, nempe clericus minorista Ioseph Bartoloni et sacerdos David Sileoni. Peracto scrutinio diei 19 apr. eiusdem anni, concurrens Sileoni tria vota, et alter opponens sex vota retulit; hinc uti electus renunciatus est Bartoloni, cui dein a Curia expeditae sunt collationis literae. Verum dum adhuc in

suspenso erat canonica beneficii eiusdem possessio, et tractatus pendebant pro obtinendo a Gubernio *regium placet*, alter competitor detegere valuit fundationis tabulas; et ex his edoctus quod in concurrentibus praerequirebatur ut conditio qualitas sacerdotalis, illico apud Curiam et dein apud hanc S. C. per recursum instituit, ut declararetur nullitas factae electionis, et sibi, utpote dicta conditione praedito, canonicatus adiudicaretur. Sed tam Curia Treiensis quam Archiepiscopus Camerinensis perpetuus administrator censent oratoris preces esse reiiciendas.

Factam electionem sustinendam esse suadere videntur fundationis tabulae. Nam fundator Coluzi iuxta relata testamenti verba voluit instituere beneficium sacerdotale; at in eiusmodi beneficiis regulare est quod ad ea consequenda non requiratur qualitas sacerdotalis in actu, sed sufficiat habilitas proxima ad sacerdotium, nisi aliud scateat ex expresso textu fundationis, ut tenet Fagnanus (Comm. ad cap. *Ut abbates, de aetate et qual. praeficiend.*, n. 9): « Ad obtinendum beneficium cui sacer ordo sit adnexus, non requiri, ut actu quis sit in eo ordine constitutus tempore collationis, sed satis esse, ut se promoveri faciat infra tempus a iure praefixum... Unde si presbyteratus adnexus sit alicui beneficio, non tamen necesse est, ut promovendus habeat ordinem requisitum tempore promotionis, sed satis est, ut se faciat promoveri in proximis temporibus ». Iure autem communi non discordat testatoris mens, si rite intelligatur iam adducta prima particula testamenti. Sane doctores, ad intelligendum; quando requiratur actu qualitas sacerdotalis in praesentatione et collatione vel potius in habitu, expendere solent fundationis verba, utrum scilicet ea percutiant actum ipsius electionis, vel potius ipsius prosecutionem. In primo dicunt eam qualitatem requiri in actu, quia qualitas adiuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi; in secundo cum ordinis adnexio sit adnexa per modum habitudinis, sufficit, ut ea qualitas habeatur intra tempus idoneum. Ita rem exemplificant in primo casu: *Volo ut ad canonicatum, cappellaniam etc. nominetur, praesentetur, eligatur sacerdos*, dum in secundo casu hanc adducunt dicendi rationem: *Volo ut cappellanus... sit et esse debeat sacerdos*. Cf. Fagnanus (loc. cit., n. 53).

Iam vero si nuper relata fundatoris Coluzi verba expendantur, satis per se liquet ea intelligenda esse non de sacerdotio in actu sed in habitudine. Non enim fundator dixit: praesentetur vel nominetur sacerdos ad canonicatum, sed nominandus vel eligendus esse debeat sacerdos. Quod confirmatur resolutione edita ab hac S. C. die 5 ian. 1604, quam ita refert Fagnanus: « Quidam legavit ecclesiae Collegiatae libras 80 pro constituenda et erigenda cappellania sacerdotali in ea ecclesia cum onere, ut praebendarius nominandus et eligendus teneatur singulis hebdomadis missas duas celebrare in dicta ecclesia. Quaeritur, an sufficiat praesentare clericum talis aetatis, ut infra annum promoveri possit ad sacerdotium. – S. C. censuit sufficere ». Age vero, ait Archiepiscopus Camerinen., expositus casus adamussim congruit cum institutione facta a sac. Coluzi; nam canonicus nominandus item ex fundationis lege celebrare debet missas 4 in unaquaque hebdomada.

Ex adverso recursus sacerdotis Sileoni solido fundamento niti videtur, si ad trutinam revocentur ea, quae disponunt tabulae testamentariae fundatio-

nis. Siquidem iuxta hunc textum citatae primae particulae testamenti, ut quis canonicatum impetret seu obtineat, necesse habet, ut iam sit presbyter, seu qualitas sacerdotalis actu praecedere debet electionem. Quare exposita verba aequipollent alteri dictioni, ac si dixisset testator, *praesentetur seu eligatur ad canonicatum sacerdos*. Conditio enim presbyteratus praemittitur electioni et eam praecedit uti conditio necessaria, ita ut absque existentia illius conditionis electio sit contra testatoris voluntatem. Idem etiam scatet ex altera testamenti particula; non enim intelligitur, quomodo haec verba referri possint ad sacerdotes non in actu sed in habitu, seu qui intra idoneum tempus promoveri valeant ad sacerdotium: alia dictione futurum tempus respiciente opus fuisset.

Quin obiiciatur quod fundator Coluzi nullimode expressit quod nominandus debeat esse actu sacerdos. Huic enim difficultati ita respondet Fagnanus (loc. cit., n. 56): « Nec requiritur adiectio illius dictionis *actu* seu *actualiter*, puta praesentetur seu instituatur actu presbyter, vel qui actualiter sit constitutus in ordine presbyterali, ut perperam opinatus est Gonzalez ad reg. 8 Canc., glos. 5, n. 104, sed satis est, ut simpliciter cautum sit; ut praesentetur vel instituatur sacerdos iuxta conclusionem Rotae et communem per rationem illam, quod qualitas adiuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi ». Posita vero clara et taxativa voluntate testatoris, illam alterare aut mutare neque patronis neque Ordinariis licet, obstante expressa prohibitione Conc. Trid. (Sess. 25, cap. 5, *de ref.*).

Verum etiamsi ex citato contextu voluntas testatoris adhuc dubia et obscura maneret, alia non desunt adminicula ad eam indagandam. Primo sese offert observantia fundationi subsecuta, nam ex actis capitularibus eruitur quod ad canonicatum Coluzi semper fuit electus candidatus, qui actu esset sacerdos. Atqui observantia plurimum valet ad interpretandas tabulas fundationis, quando sunt ambiguae, uti tenet Card. De Luca (*de benef.*, disc. 91, n. 7): « Observantiae in hac materia nimium defertur in casu voluntatis ambiguae, quae sit capax interpretationis, unde observantia attenditur tamquam interpretativa, quae longe differt a praescriptiva ». Alterum adminiculum desumitur ex quadam memoria existente in sacristia Cathedralis, in qua sermo fit de canonicatu Coluzi et quae incipit: *Quum eligendus sit sacerdos*. Iam vero haec adminicula si coniungantur cum textu exscripto particulae testamenti, sufficientem certitudinem gignere videntur ad statuendum, fundatorem Coluzi in casu voluisse ad canonicatum eligi clericum iam sacerdotem; huiusmodi enim disquisitiones, ut docet Card. De Luca (loc. cit.) non tam iuris quam potius facti sunt definiendae pro qualitate et diversis eiusdem facti circumstantiis ita ut aliquando, quae non possunt singula, unita iuvant.

Quare, etc.

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Electionem non sustineri, et ius eligendi devolutum esse ad Archiepiscopum Administratorem Apostolicum.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 102-110].

4348.

S. C. C., *Venetiarum*, 29 febr. 1908.

Praevia proprii Parochi delegatione Venetiis in ecclesia S. Raphaelis Archangeli sub die 6 maii 1906 Ioannes Bernach, annos ad 38 natus nupsit Antoniae Furlan, 24 aetatis suae annum dumtaxat agenti. Hoc tamen matrimonium, supplicibus precibus die 18 februarii 1907 Summo Pontifici oblatis, uti nullum et invalidum primario impetit vir ex defectu consensus, eo quod ipse suum consensum alligaverat conditioni virginitatis sponsae, quam e contra in prima nuptiarum nocte defloratam invenisse contendit. Secundario vero et subordinate, si consensus conditionatus sufficienter non constaret, idem vir petit, ut suum matrimonium cum Antonia initum, quod tamquam ratum et nondum consummatum perhibet, Apostolica auctoritate dispensaretur.

Quibus acceptis, haec S. C. die 25 eiusdem mensis et anni rescripsit Emo Patriarchae Venetiarum, ut duplicem in casu instruere dignaretur processum, quorum unum super asserto ex capite erroris impedimento, alterum vero super matrimonio rato et non consummato eiusve dispensationis causis. Et actualis Emus Vir, qua par erat solertia ac sedulitate processum ad tramitem iuris conficere curavit tam super nullitate, quam super inconsummatione coniugii, de quo agitur. Tabulis processualibus expletis Curia Patriarchalis potius duxit rem actaque processus ad Sanctam Sedem remittere.

Porro ex actorum statu liquet, actorem Ioannem aliquando ante nuptias suam voluntatem patefecisse non ducendi uxorem, nisi virginem; utrum autem haec conditionata viri voluntas etiam in actu celebrationis matrimonii reipsa perseveraverit nec ne, Vestrum erit, Patres Emi, decernere. Item completam coniugii inconsummationem nedum sub iuramenti fide fatetur sponsus, verum etiam ipsa sponsa admittit, et generatim confirmare videntur iurati testes ex utroque latere adducti.

Ceterum Iudex delegatus Venetiarum litteris diei 23 novembris proxime elapsi mentem suam pandere censuit. « Admodum difficile — ait — Tribunali videtur, ut actor dispensationem impetret a matrimonio rato et non consummato; nam cum copulae inchoatio ultro ab actore et rea admissa sit, exurgit praesumptio *iuris et de iure*, quod etiam fuerit consummata. Ad impedimentum vero *erroris* adstruendum ob defectum consensus ex parte actoris validiores probationes ex tabulis processus extare videntur. Licet enim omnia spectent errorem circa qualitatem sponsae, qui *per se* non sufficeret ad impedimentum dirimens constituendum, tamen ex confessione actoris, ex confessione sponsae ipsius, ex concordi prorsus declaratione testium inductorum et ex concursu circumstantiarum omnium Tribunal Metropolitanum ad sententiam inclinat: Ioannem Bernach ita constans habuisse propositum non ducendi foeminam, quae virgo non esset, ut error qualitatis cadens in personam fiat, et actor de nullitate matrimonii contracti cum Antonia Furlan nunquam dubitavit, statim ac comperiit uxorem suam iam ab alio corruptam

fuisse aliquot annis ante matrimonium, et virginalem amisisse integritatem, quod ipsa ultro fatetur. Gravissimam Tribunali visum est hoc punctum causae: utrum consensus conditionatus in absolutum fuerit mutatus, postquam repetitis, licet falsis, sponsae attestationibus de integritate sua, deceptus miser sponsus matrimonium in facie Ecclesiae contraxit cum sponsa corrupta, et virginem se adhuc esse repetitis vicibus declarante. Illa omnia, quae matrimonium subsecuta sunt, satis insinuare videntur, numquam Ioannem Bernach voluntatem immutasse suam: nullo modo assensum maritalem praestandi mulieri, quae antea ab alio cognita fuisset ».

Hisce igitur prae oculis habitis, perlectisque animadversionibus tum Consultoris, tum Defensoris sacri vinculi una simul cum actorum summario, enodare ne dedignentur Patres Eñi, quae ex duplici causae capite Vobis proponuntur dubia:

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?* Et quatenus negative:

II. *Utrum saltem consilium praestandum sit SSño pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 111-126].

4349.

S. C. C., *Romana et aliarum*, 28 mart. 1908.

In plenariis comitiis ab hac S. C. habitis die 1 februarii 1908 proposita fuerunt, inter alia, dirimenda duodecim dubia [1] decretum *Ne temere* [2] respicientia. Resolutiones autem et declarationes ab Eñis Patribus editas, in audientia diei 4 eiusdem mensis februarii Eño Card. Praefecto concessa, SSñus Dominus Noster ratas habere et confirmare benigne dignatus est easque vulgari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Interim quum ad tertium propositum dubium, nempe: *utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto* Ne temere *statuta*, responsum prodierit: *Dilata, ex exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales;* huiusmodi votum a duobus Consultoribus expostulatum fuit, et tertium additum super aliis eadem in materia dubiis ad hanc S. C. oblatis.

Unde nihil aliud mihi superest, nisi rogare EE. VV., ut enodare dignemini huiusmodi dubia:

I. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto* Ne temere *statuta.*

II. *An in art. XI, § 2 eiusdem decreti sub nomine* acatholicorum *comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium.*

[1] Cf. N. 4344.
[2] Cf. N. 4340.

III. *Num exceptio, per const.* Provida *in Germania inducta,* [1] *censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.*

IV. *An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite* « invitati ac rogati », *dummodo tamen* « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », *valide matrimoniis assistere possint.*

V. *An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii.*

VI. *Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.*

VII. *Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut parocho.*

Eñi Patres omnibus sedulo perpensis, respondendum consuerunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSño.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi.

Die autem 30 dicti mensis martii SSñus Dñus Noster, audita ralatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas Eñorum Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium minime obstantibus. – Vincentius Card. Ep. Praenest., *Praefectus.* – B. Pompilj, *Secretarius.*

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 176-222].

4350.

S. C. C., *Romana et aliarum*, 27 iul. 1908.

Ex pluribus dubiis, quae ad hanc S. C. postremis hisce temporibus pervenerunt, nonnisi infrascripta hodie proponuntur in plenariis comitiis, quum coetera vel facili negotio solvi possint, vel potius inter cavillationes sint accensenda. Praeterea heic adnexa exhibentur vota, quae, propter rei gravitatem, a duobus Consultoribus exarari curavi. Sint autem sequentia dubia:

I. *Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat, ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.*

II. *An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni.*

[1] Cf. N. 670.

III. *An vi decreti* Ne temere, [1] *etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.*

IV. *Utrum ad valide et licite matrimoniis adsistendum, ad tramitem art. VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.*

V. *An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit — in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.*

VI. *Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio de qua in art. VIII decreti.*

VII. *An, et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium, qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt:* 1) *exemptionem a praescriptionibus decreti in sponsalibus ineundis;* 2) *dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti.*

VIII. *Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali vel possint etiam coram parocho territorii.*

IX. *An, et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium adsistant, nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.*

Die, etc. Sacra, etc. respondit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.

Ad IV. Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, ac restrictam ad territorium delegantis.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Quoad primum negative. Quoad secundum, concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus; facto verbo cum SSmo.

Ad VIII. Dilata.

Ad IX. Non esse interloquendum.

Eâdem autem die SSmus Dñus Noster Pius Pp. X, audita relatione infrascripti Secretarii, supra recensitas resolutiones ratas habere et approbare

[1] Cf. N. 4340.

dignatus est, contrariis non obstantibus quibuscumque. — Vincentius Card. Episc. Praenest., *Praefectus*. — B. Pompilj, *Secretarius*.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 449-493].

4351.

S. C. C., *De Yucatan*, 27 iul. 1908.

Occasione translationis exuviarum Episcopi praedecessoris Yucatanensis medicus Miró die 24 aprilis 1900 articulum vulgavit, quo graviter conquerebatur de omissione solemnitatum, et censoria nota inurebat canonicum Bosada, Vicarium capitularem; qui de hoc certior factus illico per suum cancellarium canonicum Zavala citavit medicum Miró ad comparendum coram Curia et ad faciendam retractationem iniuriosi articuli. Verum doctore Miró non comparente, die 28 eiusdem mensis altera citatio expedita fuit termino praefixo ad retractationem edendam. Tunc medicus Miró transmisit ad Curiam libellum, in quo declarabat, se rem in articulo tantum historice enarrasse absque animo iniuriandi Vicarium et, facta recusatione iudicis, utpote partis in causa, a comminatione poenarum et ab imposita retractatione appellabat ad Metropolitanum de Antequera. Vicarius capitularis nihili ducens factam exceptionem de recusatione iudicis, attenta doctoris Miró contumacia, die 1 maii sequentis eum declaravit exclusum a cultu et sacramentis; quod per litteras circulares sacerdotibus dioecesis notificavit.

Suscepta a Curia Metropolitana interposita appellatione, iudex perpendens quod in infligenda poena non praecesserunt monitiones ad formam iuris, et acta processus confecta fuerant post irrogatam poenam, et ob carentiam iurisdictionis in Vicario capitulari, attenta recusatoria exceptione et appellatione a Miró interposita: die 20 dec. 1901 iniustam declaravit illatam poenam, a qua proinde doctorem Miró absolvit, salvis insuper eius iuribus ad damnorum refectionem. Ad huius sententiae tramitem die 14 aug. 1904 medicus Miró actionem pro refectione damnorum intentavit coram Curia de Yucatan contra memoratos canonicos Bosada et Zavala, petens eos damnari ad solutionem scutatorum 3908 titulo damnorum, et ad expensas iudicii.

Dein actualis Episcopus omnem lapidem movit pro amicabili compositione obtinenda; sed cum duo conventi canonici nihil solvere voluissent, ideo necesse fuit instituere iudicium apud Curiam Yucatanensem, quae die 29 septembris 1905 damnavit canonicos Bosada et Zavala ad solvendos 3908 *pesos* et 30 *centavos* pro refectione damnorum et ad omnes iudicii impensas. Ab hac sententia duo canonici appellarunt, sed appellatio alterâ sententiâ diei 14 octobris declarata fuit utpote non emissa tempore utili et hinc reiecta, taxatis expensis totius iudicii a duobus canonicis supportandis in *pesos* 202,50 favore doctoris Miró et in *pesos* 1000 favore Curiae ecclesiasticae. Pro solutione enunciatarum summarum dictis canonicis praefixum fuit quatrimestre tempus; cui oneri cum non satisfecissent, reditus suorum beneficiorum sequestro suppositi fuerunt et ipsi declarati suspensi ab officio et beneficio.

Interim canonici Bosada et Zavala mense martio 1906 apud hanc S. C.

instituerunt petentes, ut tum sententia lata a Curia Metropolitana de Antequera 20 dec. 1901, tum sententia Curiae de Yucatan, diei 29 sept. 1905 prorsus infirmarentur. Et hic S. O., antequam quaestionem dirimeret, mandavit novo Episcopo, ut praefatos canonicos ad Missae celebrationem et ad chorale servitium lite pendente rehabilitaret. Verum mense aprilis 1907 medicus Miró coram Curia Yucatanensi intentavit actionem quoque criminalem contra duos enunciatos canonicos pro falsitate processus circa irrogatam excommunicationis poenam transmissi ad Curiam de Antequera et de crimine periurii in iudicio. Hinc novo instituto ex hoc capite processu, iudex delegatus die 10 maii 1907 condemnatoriam protulit sententiam in duos canonicos ob crimen falsi et periurii, eosque ab officio et beneficio iterum suspendit. At quum etiam ab hac sententia tempore utili canonici Bosada et Zavala appellassent ad S. C., haec opportunum censuit eos liberare, pendente iudicio, a suspensione ab officio et beneficio.

Modo sequentia proponuntur dubia:

I. *An sit locus restitutionis in integrum adversus sententiam diei 29 septembris 1905?* Et quatenus affirmative:

II. *An eadem sententia sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

III. *An sententia diei 10 maii 1907 sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Die, etc. Sacra, etc. respondit ad I. Affirmative.

Ad II. Sententiam esse infirmandam.

Ad III. Sententiam esse infirmandam, et ad mentem.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 517-535].

4352.

S. C. C., *Versalien.*, 22 aug. 1908.

Die 12 novembris 1902 in paroeciali ecclesia vulgo *Saint Germain en Laye*, Dioecesis Versaliensis, iugali vinculo sese devinxerunt Maria Renard 20 annos agens, et Carolus Maiche, quinque annis natu maior. At lamentabili prorsus exitu. Licet enim coniugalis vitae consuetudo ad quatuor annos protracta sit, matrimonium tamen, conaminibus copulae perficiendae haud obstantibus, nunquam consummari potuisse unanimi consensione fassi sunt sponsi. Ipsius autem inconsummationis causa videtur esse repetenda ex viri impotentia. Hinc Maria infelicis suae conditionis pertaesa in maternam domum revertere maluit, ubi statim actionem divortii instituit penes tribunal civile, atque una simul Summum Pontificem adiit ab eoque expostulavit dispensationem matrimonii sui dumtaxat rati, paratam se dicens ad virginitatis suae experimentum exhibendum.

Hisce precibus receptis haec S. Congregatio, ne frustra tempus tereretur, illico rescripsit Episcopo Versaliensi, ut si vera essent exposita, processum canonicum conficere curaret super adserta non consummatione et causis dispensationis in casu, servata forma a const. *Dei miseratione* Benedicti XIV[1] et ab Instructione eiusdem S. C. praescripta, [2] cum suetis clausulis.

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. N. 4069.

Tribunali itaque rite constituto, prae primis auditae fuerunt partes, quae inconsummationem proprii matrimonii iuridice confirmarunt. Item, praestito iuramento, priores quatuor testes ex latere uxoris nedum eam fide dignam praedicarunt, verum etiam personalem persuasionem inconsummati coniugii in casu ex habitis tempore insuspecto notitiis pandiderunt. Idipsum praestiterunt duo iurati medici Le Pileur et Venot, tanquam testes ab actrice adduci, qui praeterea ex morali certitudine impotentiam viri admiserunt. Tandem tres alii periti ab actrice inducti, qui tempore processus eamdem inspexisse videntur, quamvis invenerint quamdam parvam laciniam in hymene, eam tamen uti naturalem et cicatricibus expertem declararunt, atque virginalem actricis integritatem ultro fassi sunt.

Verum, prout saltem ex tabulis processualibus ad hanc S. C. transmissis eruere licet, praesertim duo graves defectus irrepsisse videntur in processu exarando. Nam Curia contra normas ab hac S. C. datas in rescripto Pontificiae delegationis pro processus instructione, ex officio non deputavit tres recensitos medicos ad inspectionem corporalem mulieris peragendam, imo absque rationabili motivo praetermisit exquirere testes septimae manus ex parte viri aut saltem aliquos ex officio in ius vocare. Si igitur sapientissimo iudicio EE. VV. satis probata appareat inconsummatio matrimonii in casu, quin necesse sit acta complenda mandare, decernendum quoque erit, num, praecise ob huiusmodi insimulatos defectus processuales, absolute requiratur sanatio actorum hactenus existentium. Etenim quamvis Officiales Curiae Versaliensis reprehendi possint eo quod canonicas normas ad rectam iudicii formam tuendam adamussim non servaverint, tamen acta processualia in themate non videntur nullitatis vitio tabescere, nam Bulla Benedictina et Instructio huius S. C., quae proprie respiciunt causas validitatis seu nullitatis matrimonii, tum haec ipsa S. C. in rescripto delegationis, non videntur praecipere huiusmodi procedendi regulas sub poena nullitatis processus. Quod si EE. VV. omnibus attentis acta processus sananda esse iudicabunt, ad erroneas vel etiam falsas interpretationes evitandas fortasse magis consona videretur formula: *Praevia sanatione actorum ob peculiaria in casu occurrentia*, etc. Videbunt etiam EE. VV., an, extante morali certitudine quoad viri impotentiam, satius sit consilium praestare SS$\overline{\text{m}}$o non solum pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato *ad cautelam*, sed etiam addere suetam hisce in adiunctis clausulam: *Vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. C.*

Demum subiicienda videtur Curiae epistola die 1 iunii 1908 ad hunc S. O. missa: « Ex actricis testiumque depositionibus mihi valde videtur, quod Carolus Maiche, reus in causa, impotentia antecedenti et actuali sine dubio laborat, et quam probabilissime perpetua et absoluta. Iste enim, quamvis indole versatili fessaque fuerit, uxorem suam diligebat et ab ea diligebatur; ipsa autem satis decora, ex medicorum dictis, apte ad generationem disposita, prolem optabat, cum marito suo per quatuor annos torum habuit communem, manet tamen ex probationibus intacta. Unde concludi posset hic et nunc de nullitate matrimonii huius propter impedimentum impotentiae viri simpliciter. Sed quum de non consummatione matrimonii, de quo agitur, ex

testium depositionibus et ex peritorum experimentis constat, ne uxor cogatur invita ad coelibatum servandum, si velit ad novas nuptias convolare, vel subiiciatur incontinentiae periculis, cum nulla sit spes reconciliationis et vitae communis inter eos, habita persona actricis vere christiana et sub omni respectu commendabilis, consideratis rationibus eiusdem Defensoris et Advocati, necnon animadversionibus Defensoris vinculi principaliterque conclusione ipsius valde favorabili existimo consulendum esse SSm̃o Dñ̃o Nostro pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in favore actricis, et hanc humiliter et devote, uti Iudex, in conscientia mea precor et spero ».

Sed EE. VV. dumtaxat erit decernere, quo responso dimittendum sit, quod submisse proponitur dubium:

An consilium praestandum sit SSm̃o pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu?

Die, etc. Sacra, etc. respondit: Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.

[Thesaurus Resolutionum, tom. 167, p. 634-637].

4353.

S. C. C., *Vicariatus Africae Meridionalis*, 14 mart. 1909.

Synopsis discussionis. – A S. Congregatione de Propaganda Fide ad Sacram Congregationem Concilii transmissae fuerunt litterae Vicariorum Apostolicorum Africae meridionalis, in quibus sequens proponitur dubium: « Anno elapso benigne indulsit S. Congregatio de Propaganda, ut Praesules Sud-Africani conventum inter se habere possent, eo fine ut res tractarent concernentes bonum religionis in ista regione. Nunc vero dubitatur, quisnam ex eis praeesse debeat tali conventui. Dubium ex hoc oritur, quod unus ex eis, nempe R. P. D. Rooney, licet consecratus Episcopus anno 1886, nonnisi die 19 februarii 1908, morte R. P. D. Leonard, munus Vicarii Apostolici Districtus occidentalis Promontorii Bonae Spei implere incepit. Quaeritur igitur, *utrum prioratus inter Praesules praedictos computari debeat a die ad Episcopatum evectionis, an vero a die officii Vicarii Apostolici suscepti a coadiutore cum iure, post mortem coadiuti* ».

Super huiusmodi dubio votum unius ex apostolicarum caeremoniarum magistris exquisitum est, cuius en summa.

Episcopales conventus, quos hodie vulgo vocant *Conferenze*, locum quasi tenent synodorum provincialium, nullo tamen respectu habito ad provinciarum ecclesiasticarum limites, ac sine loci determinatione. Ubi autem datae sunt ab Apostolica Sede peculiares instructiones, is designatus est praeses et moderator earum, qui *gradu* et *antiquitate* in ecclesiastica Hierarchia praestaret. Ubi vero instructio eiusmodi non habeatur, eadem tamen videtur norma sequenda. Vicarii Apostolici episcopali titulo aucti sunt, *gradu* proinde sunt pares: manet *antiquitas* uti distinctionis criterium. Num antiquitas *ordinis*, an vero *officii?* Ad iuris normam primus est praelationis titulus iurisdictio

(cf. Santi-Leitner, *de maior. et obed.*, lib 1, tit. 33, n. 2). Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. 4, n. 4, etc. aperte praecipit, in propria dioecesi, gaudere Episcopum praecedentia super omnes ceteros Praelatos, exceptis dumtaxat Cardinalibus, proprio Metropolitano et Nuntiis Apostolicis cum facultate Legati a latere. Et S. Rituum Congregatio, ad praecedentiam statuendam inter Episcopos extra propriam dioecesim, non consecrationem sed electionem considerat (n. 270), et praecise decretum consistoriale super expeditione ecclesiae (n. 734). S. Congregatio EE. et RR., die 24 aug. 1889, in sua instructione pro conventibus, ab Episcopis italicarum regionum habendis, § 3, praescribit: « Il Prelato più degno per grado e anzianità nell'ecclesiastica gerarchia avrà la presidenza nelle adunanze episcopali di ciascuna regione ». Similiter eadem S. C., die 22 iulii 1898, in sua instructione pro episcopalibus conventibus dioecesum Austriae, § 4, praescribit: « Episcoporum conventus, sive plenarios sive peculiares, convocet ac moderetur, qui inter congressuros, gradu, antiquitate in ecclesiastica Hierarchia ceteris praeest, eique parere cuncti teneantur, in iis quae coetum spectant ». Episcopus mere titularis non habet votum decisivum in synodo provinciali, neque supra ceteros gaudet praecedentia, licet ante consecrationem acceperit, nec considerari potest ut Episcopus exemptus, quemadmodum declaravit S. Congregatio Concilii in una *Aquen.*, die 24 augusti 1850.[1] Potest in confirmationem afferri optio, quae datur inter Patres Cardinales: Diaconus Cardinalis, videlicet, optans ordinem presbyteralem, praecedit ceteros presbyteros Cardinales post se creatos, quia non ordo, sed dignitas consideratur. Neque desunt exempla, quae praxim in casibus peculiaribus indicent: ita v. gr. in synodo regionis cuiusdam in Sinis, anno 1880, praefuit Ioannes Timoleon Raimondi, Episcopus anno 1874 electus, Vicarius Apostolicus; dum Thomas Gentili, Episcopus anno 1868 electus, coadiutor alterius Vicarii Apostolici absentis, ab eodemque delegatus, postremum tenuit locum.

Prior igitur titulus praelationis est antiquitas iurisdictionis, et non ordinis; unde, in casu, nihil haesitandum: ius favere dicendum est Vicario Apostolico antiquiori. Coadunantur praeterea hi, non tamquam Episcopi, sed tamquam Vicarii; ceterum et in provincialibus synodis praelationis titulus est iurisdictio. Quaedam exceptio in casibus particularibus nil officit; neque obstat, Vicarios iurisdictionem exercere alterius nomine, hi enim a supremo Principe illam accipiunt, quae officio inhaeret, et in iure continetur: superior est praeterea iurisdictioni Vicariorum generalium, qui cuilibet dioecesanae dignitati praecedunt.

Decisio. – Et Em̃i Patres S. C. Concilii, in generali conventu diei 27 februarii 1909, responderunt: *Praecedentiam in casu spectare ad Praesulem, qui antiquior est in munere Vicarii Apostolici.*

Facta vero relatione in audientia diei 14 martii 1909, SSm̃us resolutionem Em̃orum Patrum approbare dignatus est.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 286-288].

[1] Cf. N. 4112.

4354.

S. C. C., *Buscoducen.*, 3 iul. 1909.

SYNOPSIS DISPUTATIONIS. – Rev. A. Hermus, professor in dioecesi Buscoducensi, de consensu sui Episcopi Sacrae Congregationi Rituum sequentia exponit: « In dioecesi Buscoducensi, quando agitur de consecratione novae ecclesiae aedificatae in paroecia iam exsistente, Ordinarius regulariter, audito parocho novae ecclesiae vel ad eius petitionem diem statuit, qua veniet ecclesiam consecrare; parochiani se huic rei non immiscent, et ne quidem per deputatos votum, ut ecclesia consecretur, Episcopo manifestant. Quod si agitur de divisione paroeciae vel erectione novae paroeciae, ex partibus duarum vel plurium aliarum paroeciarum, regulariter etiam ecclesia novae paroeciae consecratur feria secunda, proindeque ieiunium anticipari deberet in diem Sabbati. Tunc autem nondum nova parochia est erecta, eiusque parochus nondum nominatus. Ordinarie saltem die dominica, pridie consecrationis, nova paroecia erigitur eiusque parochus, vel etiam sacellani eius, ab Episcopo nominantur. Quaeritur ergo:

« I. *Quinam in Pontificali Romano intelligendi sint sub nomine eorum, qui petunt sibi ecclesiam consecrari?*

« II. *Quinam in casibus praedictis ad observandum ieiunium, pridie consecrationis ecclesiae, obstringantur?* »

Super his dubiis, a Sacra Congregatione Rituum ad hanc remissis, exquisitum fuit votum unius ex apostolicarum caeremoniarum magistris, quod hic subnectitur.

Pontificale Romanum, tit. *de ecclesiae dedicatione seu consecratione*, haec habet: « Quando ecclesia fuerit dedicanda, debet archidiaconus praenuntiare clero et populo, quibus est ecclesia consecranda, ut priusquam consecretur, ieiunent. Nam Pontifex consecrans, et qui petunt sibi ecclesiam consecrari, praecedenti die ieiunare debent ». Pontificale Romanum itaque primo generatim indicat ieiunium a clero et populo esse servandum, deinde determinat, quinam de clero et populo teneantur. Quod magis expresse a Sacra Congregatione Rituum declaratum fuit in *Mechlinien.*, diei 29 iulii 1780 ad I;[1] nam proposito dubio, « an ieiunium in Pontificali Romano praescriptum iis, a quibus consecratur ecclesia, sit strictae obligationis, vel potius tantum de consilio »; eadem S. Congregatio respondit: « Ieiunium in Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante, et pro *iis tantum*, qui petunt *sibi* ecclesiam consecrari ». Ex qua responsione apparet, S. Congregationem declaravisse, ieiunium hoc esse strictae obligationis, et per verba *tantum* et *sibi* intellexisse, ieiunio adigi solum illos qui petunt, non simpliciter et sine ullo titulo, sed ratione alicuius vel iuris vel officii, cum aliquo saltem spirituali emolumento *sibi* obveniente.

Consecrationem itaque petere potest: 1° ille, a quo aut a cuius antecessoribus ecclesia fuit aedificata aut dotata, sive iure patronatus gaudeat sive non; superior familiae regularis sive solus, sive cum suis consultoribus, si eorum consensus iuxta Ordinis constitutiones sit necessarius; superior sodalitatis, etc.; 2° cuius curae ecclesia consecranda credita est, v. gr. parochus, si agatur de sua ecclesia parochiali, seu filiali suae curae commissa; rector consecrandae ecclesiae, ab Episcopo etiam implicite deputatus, etc. Si quis itaque ex praedictis consecrationem petat, cum hoc agat ex iure vel ex officio vel ratione alicuius vinculi, quo ipse ecclesiae consecrandae devincitur, ad ieiunium tenetur. Populus vero, ut in pluribus, non tenetur, quia de facto non petit, imo in actuali praxi, exceptâ aliquâ pecuniaria oblatione, aedificationi et consecrationi ecclesiae non sese immiscet. Attamen si ipse suis impensis ecclesiam aedificasset et ab Episcopo peteret *sibi* consecrari, cum verificentur duae requisitae conditiones, h. e. *petitio* et *consecratio sibi;* et ipse a ieiunio non videretur excludendus. Sed hic casus malo fato est nunc rarus, et circumstantiae perpendendae, ne incaute obligatio imponatur.

Hisce praeiactis, investigat Consultor, quid sentiendum in duobus casibus a professore Hermus propositis. Et primo erigitur nova ecclesia parochialis intra alicuius paroeciae limites, et cum haec nova ecclesia erit sedes parochiae, et substituet veterem ecclesiam parochialem, parochus ipse ab Episcopo petit consecrationem; ergo ipse tenetur legi ieiunii servandi. Tenetur quoque, licet non proprio impulsu petat, sed solummodo ab Episcopo vocetur, ut secum concordet de consecratione: 1° quia ab ipso ritu requiritur aliquis petens, iuxta sermonem ab Episcopo habendum ante ecclesiae fores quando in eo est, ut cum sacris reliquiis ecclesiam ingrediatur; 2° quia idem parochus implicite petit, quando cum Episcopo concordat de consecratione. Populus, qui, ut exponitur, se non immiscet, cum non petat, non tenetur.

Proponitur et alter casus de nova ecclesia, quae in parochialem erigenda est die dominica pridie consecrationis, feria secunda peragendae. Ieiunium in casu servandum est Sabbato, pridie erectionis ecclesiae in parochialem. Sacerdos, qui die dominica *erit* parochus, et qui interim consecrationem curat, tenetur ad ieiunium servandum: 1° quia moraliter ut parochus habetur per designationem ab Episcopo factam post examen seu concursum; 2° quia ipse est saltem eius rector, et de facto, sive implicite sive explicite, consecrationem petit. Sacellani videntur excludendi.

Propositis itaque dubiis responderet: ad I. *Ii tantum qui, vi alicuius iuris vel officii vel dominii etc., petunt ecclesiae consecrationem;* ad II. *Parochus, sive iam sit sive nondum constitutus in officio, qui consecrationem saltem implicite petat.*

RESOLUTIONES. – Emi Patres S. Congregationis Concilii, in generali conventu diei 3 iulii 1909, supra relatis dubiis respondendum censuerunt:

Ad I. Detur decretum S. Congregationis Rituum in Mechlinien. *diei 29 iulii 1780.*

Ad II. Parochus, sive iam sit, sive nondum constitutus in officio, dummodo designatus, qui consecrationem saltem implicite petat.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 623-625].

[1] Cf N. 5818

4355.

S. C. C., *Bellovacen.*, 9 aug. 1909.

Episcopus Bellovacensis litteris diei 21 martii 1909, inter alia, sequens dubium proposuit hic S. Congregationi dirimendum: *utrum sacerdotes vel laici possint, inscio Ordinario, legata ad pias causas recipere eorumque administrationem gerere ac respectiva onera implere.*

Emi Patres S. Congregationis Concilii, exquisito Consultoris voto reque sedulo perpensa, in plenis comitiis diei 7 augusti 1909, respondendum censuerunt: *Omnes, sive sacerdotes sive laicos, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas, teneri de hoc quamprimum certiorem reddere Episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorumdem legatorum.*

Facta vero, die 9 augusti insequenti, de his omnibus relatione SSmo, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum adprobare dignata est.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 766].

4356.

S. C. C., *Barcinonen.*, 7 aug. 1910.

Episcopus Barcinonensis ut consuleret fidelium sibi concreditorum tranquillitati, sequentia, circa abstinentiam et ieiunium, dubia enodanda proposuit:

Nimirum, sciscitatus est Antistes Gerundensis: « An responsum Sacrae Poenitentiariae sub die 28 febr. 1826, quo fas est gaudenti indulto carnis diebus ieiunii vesci in eadem comestione pulmento carnis iure cocto et de caetero vesci piscibus et, iuxta opiniones auctorum, vesci carnibus in eadem comestione simul cum iusculo piscium, etiam valeat pro fidelibus Regni Hispaniae, ubi haec consuetudo non viget ». Et responsum, percontanti Praesuli datum, sic se habet: « In audientia SSmi die 28 augusti a Sacrae Poenitentiariae Regente Sanctitas Sua rescribi mandavit: enunciatam commixtionem permitti contrariis quibuscumque non obstantibus ».

« Iam ita brevi temporis intervallo, diversimode non pauci sunt opinati.

« Quidam enim docent, etiam in diebus abstinentiae et in serotina collatione iusculum carnis adhiberi esse licitum, quia iusculum carnis rationem condimenti habet et vera caro non est; alii vero iusculum carnis in refectione tantum et non in caenula permittunt, utpote quod iusculum carnis inter lacticinia recenseant; postremi denique iusculum carnis et in refectione et in caenula diebus abstinentiae interdictum reputant, siquidem illis diebus facultas edendi carnes vi indulti non habetur.

« Insuperi occasione indictae resolutionis quaestiones exortae sunt circa condimenta ex adipe et larido quoad cibos esuriales; nec non controversia exagitata de piscibus in caenula comedendis.

« Ex his sententiis variis, non omnium locorum inveteratis consuetudinibus respondentibus, in re singulorum praxi subiecta, proveniunt angores conscientiarum, quos praestat removere, ideoque quaeritur:

« 1. Utrum diebus, quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicuti Feriis VI Quadragesimae, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat.

« 2. An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis.

« 3. Liceat necne inter Hispanos condire cibos esuriales et in refectione et in serotina collatione cum adipe vel larido.

« 4. Si tandem possint sumi pisces in coenula diebus ieiunii, dummodo servetur quantitas, etsi in Hispania talis consuetudo haud vigeat ».

Synopsis disputationis ex voto Consultoris desumpta.

Quattuor ista dubia non circa ipsum ieiunium ecclesiasticum: abstinentiam a cibis, sed potius circa partem eiusdem integralem: abstinentiam nempe a ciborum delectu versantur.

Duo priora manifesto ad legem Benedictinam « de non miscendis carnibus cum piscibus » referuntur. Unde operae pretium erit mentem istius doctissimi Legislatoris investigare.

Benedictus Pp. XIV iam Bononiensis Ecclesiae praepositus de variis abusibus circa legem ieiunii conqueritur, cum ex parte plurimorum « huius apostolici instituti sacratissimique praecepti nulla habita ratione, ieiuniorum tempore palam et impune agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue (cum licitis) inferantur ». Unde ad Cathedram Petri sublimatus iam primo Pontificatus sui anno in encyclica *Non ambigimus*, d. d. 30 maii 1741, dictos abusus his verbis inculcat tollendos episcopis: « Nemini quidem sine legitima causa et de utriusque medici consilio, multitudini vero... nonnisi gravissima et urgente necessitate... a quadragesimali ieiunio dispensationem esse concedendam;... cum huiusmodi autem necessitate servandam esse potissimum unicam comestionem... et licitas atque interdictas epulas promiscue minime esse apponendas ». [1]

Sed cum quidam istam dispensationem, in qua tamen semper adest duplex conditio, de *unica nempe comestione* et *de non miscendis epulis*, unice multitudini, non vero etiam singulis fidelibus applicari posse arbitrati sint, Summus Pontifex in altera encyclica *In Suprema*, d. d. 22 augusti 1741, declarat: « Nos quibuscumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in quadragesimae aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensare contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas

[1] Cf. N. 308.

epulas minime esse apponendas tenore praesentium declaramus et edicimus ».[1]

In Hispania tamen etiam exinde « plures cavillationes excogitatae sunt a nonnullis, et plures quaestiones propositae, exigui quidem ponderis ac momenti, cum ipsius legis verbis vel sensu penitus corruant ». Unde recte monet Pontifex: « Cavendum ne in expendendis Apostolicae Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine, nullus fiat disserendi ambigendique modus... sedula opera conferenda ut istiusmodi dubia penitus inter vos (Hispani theologi) dirimantur, ne diuturna unquam dispensatione fluctuent animi », etc.

Quare plura eiusmodi dubia ab archiepiscopo Compostellano sibi proposita Bened. XIV in litteris *Si fraternitas tua*, d. d. 8 iul. 1744,[2] hoc sensu solvit. Cum vero archiepiscopus mox morte sit correptus, Summus Pontifex timens ne dictae litterae ad notitiam illorum non veniant, qui easdem cum suis dubiis provocaverant, die 10 iun. a. 1745 novam publicavit encyclicam *Libentissime*,[3] in qua quaestiones iuxta mentem supra patefactam solvit, litteras *Si fraternitas tua* ex integro inserit episcopisque Hispaniae verba Conc. Trid. (Sess. 25, *de ref.*) in memoriam revocat: « Curent, inquit, ut fideles obtemperent, iis praecipue quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et ieiunia »; iterumque inculcat gravissima messe prohibitionem miscendi carnes cum piscibus. Demum dubia sibi proposita in septem quaestiones dispescit singulisque breviter respondet.

Praecipue notandae hae responsiones:

« 1. sub gravi legem urgere in encycl. an. 1741 de unica comestione, et de non permiscendis epulis »;

« 2. illos, quibus concessum vesci carnibus in vespertina refectiuncula, opus habere eo cibo eaque portione, quibus utuntur ieiunantes rectae meticulosae conscientiae »;

« 3. epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces »;

« 5. praeceptum de utroque genere epularum non miscendo dies quoque dominicas quadragesimales complecti »;

« 7. haec duo praecepta urgere extra Quadragesimam ».

Hispanis porro aliisque populis, qui bullae *Cruciatae* privilegiis gaudent, ad sextam quaestionem: « Utrum haec Lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lacticinia », respondit: « Nihil in praenuntiatis Apostolicis Litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatae Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus ».

Istis constitutionibus Bened. XIV longius immorabamur, cum optime ostendant intentionem Pontificis esse, ut lex gravissima ieiunii accuratissime

[1] Cf. N. 314.
[2] Cf. N 342.
[3] Cf. N. 358.

servetur, abusus e medio tollantur, dispensationesque non ob futiles quasque rationes facile concedantur, sed dispensatio generalis ob gravissimam tantum et publicam necessitatem, cuius rei iudex erit loci Ordinarius, dispensatio vero specialis propter rationes a medico corporis et animae probatas. Porro etiam supposita dispensatione pro carnibus, servanda erit unica comestio, cum haec obligatio non tollatur per dispensationem indicatam. Neque dispensatis permiscere licebit carnes cum piscibus, dispensatio enim iure ideo petita supponitur, quia pisces petenti praevideantur nocituri.

Quibus principiis Benedictinis S. Poenitentiaria constanter adhaesit, ubi legem ieiunii authentice interpretari debuit. Unum ex primis dubiis circa ieiunii observationem huic S. Tribunali propositis invenitur in eiusdem archivio iam de die 26 febr. 1826: « An qui dispensatus est pro esu carnium salubrium (iuxta modum tunc distinguendi carnes salubres et insalubres), ut cibos quadragesimales quantum potest adhibeat ad observantiam, possit ad incommodum in sanitate vitandum pulmentum ex iure confectum in unica comestione manducare? »; et responsum est: *Affirmative*.

Quod quidem decretum ab auctoribus minime citatur, qui tamen (vide etiam *Acta S. Sedis*, vol. I, p. 429) omnes referunt simile decretum d. d. 8 febr. 1828, quod in Archivio S. Poenitentiariae notatum non invenitur. Tenor huius decreti est: « Ad quaesitum: Quelli che sono dispensati dalla qualità de' cibi possono nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo per provvedere alla lor salute, e nel resto far uso di cibi esuriali per conservare quanto si può l'osservanza della Legge dei cibi? – S.P. die 8 februarii 1828 attentis consideratis expositis respondit: *Affirmative* ».

Utrum auctores erraverint quoad datum decreti ab ipsis relati, an S. Poenitentiaria istud decretum sibi notare omiserit, non nos nunc movet: unum animadvertimus, S. Poenitentiariam et in istis decretis adhaesisse principio a Bened. XIV posito: ieiunium in quantum poterit, servari debere. Si ergo fideles timoratae conscientiae ex observatione perfecta abstinentiae valetudinis iacturam timent, unde pro carnibus dispensationem obtinent, de caetero autem solo iusculo carnium iam contenti essent, ut abstinentiam pro viribus servare possint: Sacra Poenitentiaria permisit permixtionem iusculi carnium cum piscibus. Theologiae moralis doctores utique diversimode istud decretum interpretabantur. Inde deducebant alii iusculum carnium stricte loquendo non esse carnem, unde legem carnium usum prohibentem minime prohibere usum iusculi carnium. Ita et S. Alphonsus (*Mor.*, I, IV, n. 1015), quem ducem permulti sequuntur, ait: « ... prohibitio Pontificis non miscendi carnes et pisces stricte intelligenda est, nempe cum comeditur proprie ferculum carnium, sed ius carnium magis quam edulii condimenti rationem habet ».

Qua opinione nituntur sane et Theologi Barcinonenses, quorum quidam iuxta episcopi litteras responsum S. Poenitentiariae mense augusto anni elapsi episcopo Gerundensi datum interpretantes iusculum carnium ad condimenta adipis vel laridi, quidam etiam ad lacticinia adnumerarunt!

Iam istis opinionibus breviter respondisse sufficiat. Adipem differre a iusculo docet Alberti, in libro, cui inscribitur: « De ieiunio Ecclesiastico »,

p. 17: « adeps chimice distinguitur a iusculo; « illa est substantiae levis, quae in vase supernatat; istud vero manet solutum in aqua » (cf. *Monitore eccl.*, tom. 9, p. 2, num. 144). Eodem sensu respondit et haec S. Poenitentiaria, prout refertur a Bucceroni (*Enchiridion morale*, num. 499): « An in diebus veneris et sabbati, quibus indulgentur condimenta vulgo " di grasso " possit iusculum carnis adhiberi? respondit: Sub terminis " condimenti di grasso " non comprehendi iusculum carnis coctae ». Iusculum porro non esse lacticinium pariter constat. Ova enim et lac procedunt quidem ab animali vivo, at non sunt carnes, dum iusculum carnes ipsas, licet solutas continet: « il brodo contenendo per ogni litro soltanto da 7 a 9 grammi di sali d'origine minerale, e da 12 a 14 di principî organici tanto coagulabili che cristallizzabili... contenendo poi pochi principî assimilabili, non è nutritivo ». Cf. Littré e Robin, *Dizionario di medicina*, verb. *Brodo*. Quod etiam sensus communis Ecclesiae in catechismis expressus confirmat.

Unde recens responsum S. Poenitentiariae (mense aug. anni elapsi), quod priorum responsorum confirmatio haberi debet, non ideo permisit permixtionem iusculi carnium cum piscibus, quia iusculum non est caro, sed quia mens eius est, ut abstinentia, in quantum fieri poterit, servetur. Sed cum ex discrepantibus decreti interpretationibus fidelium dioecesis Barcinonensis conscientiae merito turbarentur, episcopus duas S. H. O. posuit quaestiones solvendas: 1° « Utrum diebus, quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicut Feriis VI. Quadragesimae, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat? » – 2° « An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis? »

Iam ex dictis patet ad utramque quaestionem « *Negative* » esse respondendum. Tamen ad dubia penitus tollenda utiliter adderetur: « Sed iusculum carnis diebus ieiunii, in unica comestione, una cum piscibus, ab iis tantummodo adhiberi posse, qui indultum obtinuerint pro usu carnium ».

Tertium dubium agit de condimentis diebus ieiunii permissis. Condimentum antiquitus unice permissum erat oleum olivarum, at cursu temporis tum, quia istud in plurimis regionibus (praecipue septentrionalibus) minime inveniatur, tum propter frigus hiemale, per indultum speciale singulis annis renovandum permittebantur adipes suinae (Bucceroni, *Enchiridion morale*, ed. 2, p. 72), inde vero ab an. 1889 etiam adipes cuiuscumque animalis (S. Off., 1 maii, 1889).[1] Die 15 maii 1896 etiam butyrum naturale permittebatur,[2] die demum 6 sept. 1899 butyrum artificiale (*margarina*) ex adipibus animalium extractum.[3] Non vero exinde permittitur usus lactis vel casei, tamquam condimenti. (Cf. *Monitore eccl.*, 31 maii 1902, p. 138, n. 31). Cum ergo omnia ista condimenta oleo substituantur, quando oleum permittitur, et ista permissa sunt, nisi specialis addita sit limitatio. Unde S. Poenitentiaria die 16 ian. 1834 circa laridum liquefactum interrogata: « Utrum cum sive per Bullam *Cruciatae* sive aliam ob causam conceditur Indultum pro usu laridi liquefacti vulgo " strutto " solo titulo condimenti,

[1] Cf. N. 1116.
[2] Cf. N. 1179.
[3] Cf. N. 1128.

si qui ad ieiunium tenentur, eo condimento uti possent in serotina etiam refectione? » – respondit: « Quoad eos qui ad ieiunium tenentur, licite uti possunt, in serotina etiam refectione, condimentis in Indulto permissis: quia illa in Indulto olei locum tenent: dummodo in Indulto non sit posita restrictio quod ea adhiberi possint in unica refectione ».[1] Ideo ad tertiam quaestionem episcopo Barcinonensi respondendum esset: « *Affirmative* etiam pro serotina refectione; dummodo ex Bulla *Cruciatae* aut ex alio apostolico Indulto permissa simpliciter constent pro diebus ieiunii condimenta ex adipe ».

In quarto demum *dubio*, licet in Hispania contraria sit firma consuetudo, usus piscium pro *caenula* petitur, servata utique debita quantitate.

Cum vero in ieiunii legibus maximam partem praecipue consuetudo habeat, cui saepissime et legitimae auctoritatis confirmatio accedit: fideles sub gravi tenentur istis legibus, quamvis a consuetudine introductis. Iam quando ieiunii diebus praeter unicam refectionem *caenula* introducebatur, in hac minor quantitas pro cibis magis nutritivis permissa est. Ita in Hispania Salmanticenses (cap. 2, num. 77) permittunt « panem, arborum fructus... herbas crudas et coctas et oleo aliquo immixtas, dulciaria et bellaria », praecipue « tum quia praedicti cibi non sunt ex his qui ordinantur ad sustentandam naturam et nutriendam, tum etiam quia sic obtinuit consuetudo ». Quoad pisces autem, utpote magis nutritivos quantitatem minuit S. Alphonsus (lib. IV, num. 1028), D'Annibale (III, n. 134), etc. Iuxta disciplinam nunc vigentem pro *caenula* permittuntur omnia genera ciborum, exceptis iis, qui per speciale indultum pro unica refectione conceduntur (ut sunt ova et lacticinia). Unde et pisces qualescumque possunt adhiberi, ubi contraria consuetudo non obstat.

In Hispania vero, ut ipse episcopus Barcinonensis fatetur, viget consuetudo non vescendi piscibus in *caenula*. Idem confirmat et Ferreres, moralista Hispanus (cf. Gury-Ferreres, vol. I, n. 499). Ubi vero talis consuetudo habetur, illa usque ad dispensationem servari debet, ut docet Génicot (vol. I, n. 437): « Ubi tamen viget norma severior et antiquae consuetudini conformior, ut plures cibi, e. g. grandiores pisces, excludantur, haec servanda est: nam magna vis in determinatione huius praecepti consuetudinibus etiam particularibus tribuenda est ». Et Lehmkuhl (vol. I, n. 1212): « Quoad qualitatem ciborum qui in collatione liciti sunt, multum a consuetudine pendet ». Idem concludit et Ferreres (vol. I, n. 496-*bis*): « Regula generalis, cum haec caenula consuetudine inducta sit, consuetudine regitur tum quoad quantitatem tum quoad ciborum qualitatem ».

Unde ad quartam quaestionem respondendum esset: *Negative*, attenta consuetudine contraria.

Resolutio. – Emi Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6 augusti 1910 propositis ab Episcopo dubiis respondendum censuerunt:

Ad 1. et 2. Negative, sed iusculum carnis diebus ieiunii in unica comestione una cum piscibus ab iis tantummodo adhiberi posse, qui indultum obtinuerint pro esu carnis.

[1] Cf. N. 6423.

Ad 3. Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico Indulto ea condimenta permissa sint in diebus ieiunii.

Ad 4. Attenta contraria consuetudine, negative.

Die autem 7 eiusdem mensis et anni SSm̃us Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Em̃orum Patrum resolutionem approbare dignatus est.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 952-959].

4357.

S. C. C., *S. Ioannis de Mauriana*, 7 aug. 1910.

Litteris ad S. H. C., die 10 aprilis hoc anno datis, R. P. D. Adrianus Fodéré, dioecesis S. Iohannis de Mauriana, Episcopus, ea quae sequuntur exposuit: « Quidam parochi amovibiles suae dioecesis quibus, ob varias causas, necessitas fuit locum cedendi alibique commorandi, nunc pertinaciter recusant munus pastorale exercendum in alio loco, ut nimis onerosum. Hortationes, suasiones, hactenus vanae profecerunt.

« Rationes quas opponunt sunt istae:

« 1. Promissio obedientiae Ordinario facta die promotionis ad presbyteratus officium non obligat cum tanto incommodo. Si futura praevidissent, aiunt, numquam illam emisissent.

« 2. Fastidium muneris aut vitae parochialis in hisce miseris temporibus.

« 3. Taedium mendicandi victum sibi et necessaria cultui divino apud plebem suam.

« 4. Animus perversus populi ingrati.

« 5. Valetudo minus commoda, plerumque verosimiliter ficta, ad implendum denuo onus ultra vires.

« Itaque ut conscientiae suae tutius satisfaciat certamque in praesenti normam sequatur, humiliter atque enixe postulat, utrum deficientibus presbyteris pro sua dioecesi:

« 1. Possit poenis ecclesiasticis cogere ad suscipiendum iterum munus parochiale, quos iudicaverit idoneos?

« 2. Utrum illud debeat? »

Quamvis eadem vere, ut infra videbitur, et alias S. H. C. decernendum occurrerit, cum tamen rerum adiuncta in Gallia praesertim post legem, quam de separatione inter Civitatem et Ecclesiam vocant, immutata non parum fuerint, rem ipsam iterum Em̃orum Patrum iudicio subiicienda S. H. C. censuit.

Synopsis disputationis ex voto Consultoris desumpta.

Casus, ut ex expositis patet, respicit parochos amovibiles ad nutum seu succursalistas in Gallia, qui ex quibusdam motivis coacti munus parochiale relinquere alio se transtulerunt, et inibi munus parochiale exercere nolunt, sed potius liberi a cura parochiali manere exoptant, licet aliud necessitas

dioecesis exigat, et Episcopus eos obligare intendat. Ut factae petitioni in casu respondeatur, operae pretium erit expendere quaestionem tum in genere, scilicet utrum Episcopus etiam poenis ecclesiasticis cogere valeat sacerdotes suae dioecesis idoneos et caeteroquin liberos ab aliis incompatibilibus officiis ad munus parochiale suscipiendum, tum in specie relate ad succursalistas, et haec tria examinanda proponuntur:

1. Quid iuxta ss. canones de mota quaestione sit sentiendum.
2. Quaenam sint H. S. Congregationis circa hanc materiam resolutiones.
3. Utrum in proposito casu vim habeant adductae rationes ab amovibilibus ex parochis, ut ab imposito onere iterum suscipiendo excusentur.

Quoad primum haec notanda sunt. Antiquitus cum nullae essent paroeciae, clerici mittebantur indiscriminatim ab Episcopo, cum quo vitam communem degebant, ad opem fidelium necessitatibus spiritualibus ferendam; et tunc toties quoties prout necessitas ferebat, officia spiritualia committebantur. Serius institui coepta sunt ecclesiastica beneficia, quando desiit vita communis, et tunc etiam originem habuerunt paroeciae (cf. Bouix, *De paroch.*, sect. 1, cap. 1): sed hae territorium assignatum adhuc non habebant, et ad has interim Episcopus clericos sibi subditos designabat. In decreto Gratiani, causa 10, q. 1, c. 4, haec dispositio Leonis IV ad Episcopos Britanniae legitur: « Regenda est unaquaeque parochia sub provisione ac tuitione Episcopi per sacerdotes, vel caeteros clericos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui iure pertinere videtur et circumire, ut sibi visum fuerit, ecclesiastica utilitate cogente ». Tandem a Conc. Trid. statutum est quod paroeciae assignatum haberent territorium, et proprium rectorem (Sess. 14, *de ref.*, cap. 9, et Sess. 24, cap. 13, *de ref.*): et de clericis in genere constitutum est, ut tantum essent ordinati in bonum et utilitatem dioecesis, et alicui ecclesiae incardinati sub dependentia proprii episcopi, uti inibi suis fungantur muneribus. « Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus... statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae, aut pio loco pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus » (Sess. 23, cap. 16, *de ref.*, Conc. Trid.). Ex hac dispositione fit, ut singuli clerici ex facto ordinationis censeantur incardinati dioecesi proprii Episcopi, et sub eius dependentia exercere teneantur officia ecclesiastica eique obedire.

Hanc obligationem clericorum ad acceptanda officia sibi ab Episcopo commissa clare auctor A. Bonal in suo opere *Instit. canonicae* (tractat. IV, n. 106, *de Hierar. episcopali*) ita compendiatim exponit: « Id (dicta obligatio) constat tum ex iurisdictione in foro externo, qua pollet Episcopus et quae stare nequit quin subditi obtemperare teneantur; tum ex ipso ordinationis fine, quo clericus sub ditione proprii Episcopi remanet, ut data occasione, illius ope Episcopi dioecesis utilitatibus vel necessitatibus provideant, tum ex ipsa obedientiae promissione in die ordinationis facta, tum ex impossibilitate dioecesim gubernandi, si cuilibet clerico liceat recusare munus, cui ab Episcopo praeponitur, tum denique ex stricto caritatis praecepto sacros ministros per se obligante fidelium necessitati subveniendi ». Quae cum ita

sint, non videtur posse dubitari, quod Episcopi inspecto iure Tridentino valeant sacerdotes suae dioecesis caeteroquin idoneos et liberos cogere ad assumendum pastorale munus, stante spirituali dioecesis necessitate, et quidem comminatis poenis, quia secus, dicta potestas in praxi inefficax evaderet. In Gallia vero notandum est, quod post legem concordatariam initam inter Pium VII et Napoleonem I^{um} anno 1801 introducta est duplex classis parochorum nempe cantonalium seu titularium, et amovibilium ad nutum Episcopi, qui dici solent *desservants:* hi revocari possunt ad Episcopi nutum et alio destinari. Licet haec inducta disciplina non sit legitima in sensu canonum, tamen de facto est, quod a S. Sede indirecte probata fuit ex rescripto Gregorii XVI, diei 1 maii 1845 ad Episcopum Leodiensem: « An valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam S. Sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum a. 1801, ex qua Episcopi rectoribus ecclesiarum, quae vocantur succursales, iurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi, si revocentur vel alio mittantur, teneantur obedire ». Responsum est: « SSmus benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a S. Sede statutum fuerit » (Bouix, p. I, sect. IV, c. 5).

Ad secundum punctum nunc transeundo inspicere oportet, qua ratione Episcopi data facultate uti possunt. Ut aliqua via tuta vel norma in hac materia exhibeatur, opportunum censeo nonnullas subiicere resolutiones H. S. C. quae disciplinam eius innuunt, et quae referuntur in ephemeride *Monitore ecclesiastico* (v. 7, part. I, p. 25; part. II, p. 49, 217).

Harum decisionum duplex habetur categoria: in una recognoscitur in Episcopis facultas cogendi sacerdotes, ut supra, etiam intentatis censuris ad munus parochiale assumendum urgente necessitate, et ad tempus pro prudenti arbitrio Episcopi; in alia vero a S. Sede Episcopo traduntur opportunae facultates, ut id perficere valeant, et pariter limitate ad tempus et ad casum necessitatis. Ad primam categoriam spectant decisiones editae in causis *Urbevetana*, 10 maii 1766;[1] *Triventina*, 18 augusti 1860;[2] *Civitatis Castellanae*, 1862, in quibus datum est responsum prouti in *Naxien.*, diei 23 augusti 1631: « Sacerdotes posse ab Episcopo compelli ad praestandum servitium, quod eiusdem ecclesiae necessitas aut utilitas requirit ».[3] Recentius in una *Parmen.*, *Circa clerum*, diei 17 ian. 1886 ad dub. 3um formiter propositum ut sequitur: « Utrum sub eodem praecepto obedientiae et iisdem intentatis censuris possit Episcopus sacerdotes otiosos vel ferme otiosos et sanitate suffultos compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, donec illi fas sit providere pastorem? – respondit: *Affirmative, urgente necessitate et ad tempus.*[4]

Quin imo haec decisio extensa et ampliata fuit in una *Calven.*, diei 28 martii 1890 (confer ephemeridem ut supra l. c., part. II, p. 49); quaerenti enim Episcopo Calvensi, cui aeque principaliter est unita dioecesis

[1] Cf. N. 3750.
[2] Cf. N. 4187.
[3] Cf. N. 2535.
[4] Cf. N. 4268.

Theanensis: « Se possa obbligare i sacerdoti di Calvi col precetto di ubbidienza *sub gravi* e con censura di restar sospesi *a divinis et in divinis* a presentarsi o come economi curati o come parroci titolari per concorso alle parrocchie vacanti di questa diocesi di Teano... e se possa ancora obbligare come sopra sacerdoti religiosi, i quali per i tempi attuali dimorano in famiglia? », a S. C. hoc prodiit rescriptum: « Detur responsum ut in *Parmen.*, diei 17 ianuarii 1886 ad tertium dubium: quoad vero viros religiosos, quatenus extra claustra vivant de suorum superiorum temporanea licentia, rem agat (Episcopus) cum iisdem superioribus ».[1] Iuxta allatas decisiones sancitur, quod Episcopi polleant nativo iure cogendi saltem ad tempus et stante necessitate, etiam sub poenis, presbyteros suarum dioecesum ad acceptandum munus paroeciale ut in casu.

E contra iuxta decisiones, quae ad alteram pertinent categoriam, dicta potestas in proposito casu Episcopis adscribitur tantum ex facultatibus Apostolicis: at hae referuntur ad Galliae Episcopos, et ad parochos succursalistas qui iam a cura excesserunt.

Anno 1884 Emus Archiepiscopus Tolosanus S. C. sequentia exposuit quaesita pro solutione: « Cum non raro accidat, ut sacerdotes quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium, ut aiunt, commissa fuit, otii vel facilioris vitae studio, muneri suo renuntiare exoptent, cessione apud Ordinarium facta, etiam ante eius acceptationem, eo quod beneficia proprie dicta non tenent, relictis suis ecclesiis ad propria redeant, unde contingit non paucos sacerdotes vitam otiosam, adhuc viribus integros degere tam in urbe episcopali quam in potioribus dioeceseos civitatibus, non sine scandalo fidelium: interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus, non sine magno religionis detrimento, eo quod Episcopus ob sacerdotum penuriam, ipsis de parocho idoneo providere nequit. Quapropter Orator quaerit:

« 1. Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia?

« 2. An ex praecepto obedientiae, adhibitis si opus fuerit censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut in suo munere persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat?

« 3. Utrum sub eodem praecepto iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat Episcopus sacerdotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usque dum illis alio modo providere queat? »

S. C. die 9 maii eiusdem anni propositis dubiis respondit: « Attentis peculiaribus circumstantiis:

« Ad 1. Negative.

« Ad 2. Affirmative.

« Ad 3. Affirmative, vigore facultatum, quae approbante SSmo D. N. Emo Archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium, si tamdiu... »[2]

Ita in una *Foroiulien.*, *Curae animarum*, diei 31 ianuarii 1891 proposito

[1] Cf. N. 4278.
[2] Cf. N. 4263.

dubio: « An et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad curam animarum, aliaque munera pro regimine animarum necessaria suscipienda in casu », responsum fuit: « Affirmative in terminis rescripti in *Tolosana*, ad tertium, dummodo eaedem circumstantiae concurrant ».[1] Hae duae postremae decisiones, uti paulo ante notavi, attingunt dioeceses in Gallia existentes et praesertim paroecias a succursalistis regi solitas: si quaeratur cur pro harum Episcopis opportunae a S. Sede concessae sunt facultates, ut cogere valeant etiam censuris refractarios sacerdotes idoneos et ab aliis officiis vacuos ad acceptandum temporanee pastorale munus, dum in Episcopis aliarum dioecesum recognita est nativa potestas, si quid in mea tenuitate opinor, id fortasse repetendum venit a specialibus conditionibus post legem concordatariam in Gallia (nunc violenter a gubernio abolitam) inductis per creationem dictarum paroeciarum, quae nunquam directe a S. Sede approbatae fuerunt (Bouix, l. c.); facile hinc evenire poterat, ut presbyteri, blandiente desidia, commissum officium respuerent, et molestias apud gubernium crearent: ideo ad hoc avertendum opportunae a S. Sede facultates tribuebantur.

Ad tertium quod attinet nempe ad causas excusantes adductas a sacerdotibus pro munere pastorali declinando haec notanda sunt:

1. Quod presbyteri ordinati sunt in bonum dioecesis spirituale: hinc non proprium commodum, sed animarum salutem eos exquirere oportet.

2. Quod ex supra allatis id valere etiam debet pro parochis in Gallia *desservants* nuncupatis, qui relicta cura pastorali per transitum in alium locum, modo recusant idem onus in nova sede iterum suscipere.

3. Quod hisce non obstantibus adesse possunt in praxi gravia motiva quae presbyteros eximant ab acceptatione muneris, uti adesse possunt pro iam commisso munere renuntiando, ut puta mala affecta valetudo, odium populi et alia huiusmodi; in his enim circumstantiis cum munus committendum potiusquam in utilitatem populi spiritualem vergat in dispendium, prudentia exigit, ut presbyteri in huiusmodi conditione positi non subiiciantur dicto oneri.

Verum de valore harum causarum iudex esse debet Episcopus, qui prae oculis habere semper debet illud principium, salus animarum suprema lex est. Ceterum rationes ut proponuntur in postulatione Episcopi in principio relata, per se mihi videntur non esse sufficientes ad dictos presbyteros a cura animarum temporanee acceptanda exonerandos.

Resolutio. – Emi Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6 augusti 1910 propositis ab Episcopo dubiis respondendum censuerunt:

Affirmative, dummodo agatur de sacerdotibus viribus pollentibus et ab aliis officiis liberis, et quoadusque Episcopus necessitatibus vacantium paroeciarum alio modo providere nequeat, et ad mentem.

Die autem 7 eiusdem mensis et anni SSmus Dominus Noster, audita

[1] Cf. N. 4283.

relatione infrascripti Secretarii, Emorum Patrum resolutionem approbare dignatus est. – C. Card. Gennari, *Praefectus*. – B. Pompilj, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 911-916].

4358.

S. C. C., *Carcassonen.*, 29 apr. 1911.

Post legem « separationis » in Gallia plerique Episcopi cleri necessitatibus occurrere cupientes, opus instituerunt vulgo nuncupatum *du denier du clergé*, quo, ex oblationibus fidelium a parochis in proprio districtu colligendis ac Episcopo transmittendis, praedictum finem quadantenus assequi valerent.

Episcopus Carcassonensis, cum quosdam suae dioecesis parochos dispositionibus a se latis renuentes compererit, sequentia dubia S. C. proposuit:

I. An Episcopus valeat parochos vi conscientiae adigere ad munus colligendi fidelium oblationes.

II. An valeat inobedientes poenis prosequi, non exclusa amotione ab ipso officio parochiali, ad normam Decreti: *Maxima cura*, can. 1, nn. 7 et 9.[1]

De iisdem autem ad instantiam Episcopi Cenomanensis actum iam fuit in plenariis comitiis die 22 maii anno 1907 habitis. Haud tamen tunc EE. PP. rem in se ipsa seu in genere prout nunc proponitur, dirimere placuit, licet ea fuerit eorum mens, ut parochus, de quo agebatur, quique aliter quam ab Episcopo statutum fuerat collectas facere et cultus expensis providere volebat, moneretur, ut Episcopi mandatis staret, facta etiam Episcopo facultate ad aliam illum paroeciam transferendi, si parere renuisset.

Hac igitur de causa quaestiones modo a Carcassonensi Episcopo propositae iterum Emis Patribus subiectae sunt, super iisdem sententia etiam alterius Consultoris exquisita.

Decisio. – Iis igitur quae deducta noviter sunt perpensis, aliisque resumptis quae in praecedenti Congregatione fuerunt disputata, Emi Patres in comitiis plenariis, die 29 aprilis 1911, respondendum censuerunt:

Episcopum in casu posse sub gravi parochos adigere ad colligendas, vel per se vel per alium, fidelium oblationes et post monitiones poenis canonicis inobedientes prosequi, eosque, si contumaces fuerint, servatis de iure servandis, etiam a paroecia removere.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 277, 278].

4359.

S. C. C., *Romana et aliarum*, 8 aug. 1911.

Sacrae Congregationi Concilii circa interpretationem eorum quae nuperrimo Motu proprio *De diebus festis* a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X die 2 mensis iulii hoc anno 1911 edito[2] constituta sunt, dubia quae sequuntur enodanda proposita fuerunt:

[1] Cf. N. 2074.
[2] Cf. N. 693.

I. An in festis nuperrimo Motu proprio suppressis quoad forum, nempe SSmi Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Ioseph Sponsi eiusdem B. M. V., S. Ioannis Apostoli et Evang., et Patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

II. An in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti sive quoad officiaturam choralem, sive quoad solemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

III. An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

IV. An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

S. C. Concilii omnibus mature perpensis, ex speciali facultate a SSmo D. N. Pio Pp. X tributa, ad omnia haec dubia respondendum censuit: *Affirmative*.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 391].

4360.

S. C. C., 18 sept. 1911.

Relato ab infrascripto S. C. Concilii Praefecto in Audientia diei 15 septembris 1911 SSmo Dño Nostro Pio Pp. X dubio a pluribus Episcopis eidem S. C. proposito, an post Motu proprio *Supremi disciplinae* diei 2 iulii 1911 [1] adhuc servari debeant Vigiliae Festorum suppressorum, ex praecepto aut ex voto hucusque servatae, Sanctitas Sua iussit responderi: *Affirmative*. – C. Card. Gennari, *Praefectus*. – I. Ferro, *Adiut.*

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 480].

4361.

S. C. C., *Laquedonien.*, 16 mart. 1912.

In statutis, quae Capitulum ecclesiae cathedralis Laquedonien. ex mandato Rmi Episcopi anno praeterlapso sibi confecit, haec in cap. XXVI, n. 7, in fine decernuntur: « Etsi Canonici pro suis consanguineis et affinibus suffragium in aliquo actu ad hos pertinenti ferre valeant ex iure communi et decretis S. C. Concilii, attamen, attentis specialibus circumstantiis huius loci, Canonici non possunt ferre suffragium in consanguineorum aut affinium electione usque ad 2um gradum inclusive lineae aequalis, quae tangit aut laedere potest interesse communitatis i. e. Capituli. Alias, sicuti in materia iurisdictionis, possunt pro consanguineis et affinibus usque ad 2um aequalem gradum suffragia ferre ».

Porro cum Capitulum ius habeat eligendi Oeconomum, qui Canoni-

[1] Cf. N. 693.

cum Archipresbyterum, penes quem est actualis cura animarum, adiuvet, et insuper eidem Capitulo competat ius eligendi aliquos clericos, quibus conferantur quaedam sacra patrimonia a fundatoribus ad hoc relicta, ideo quoad huiusmodi electiones Episcopus haec dubia movet:

1. *An possint Canonici suffragia ferre pro consanguineis et affinibus usque ad 2. gradum in electione Oeconomi, ut supra?*

2. *An possint Canonici ferre suffragia pro consanguineis et affinibus usque ad 2. gradum in electione clerici ad patrimonium sacrum ut supra?*

3. *An Canonici gaudeant iure suffragii pro consanguineis et affinibus usque ad 3. gradum et etiam pro seipsis in electione Vicarii Capitularis?*

Super his exquisitum fuit votum Consultoris S. C., quod huic folio adnectitur. In quo voto ad II. partem tertii dubii, scilicet: *Utrum et pro seipsis in electione vicarii capitularis canonici possint suffragium ferre*, haec animadvertuntur:

1. Praenota. – Proposita quaestio non iam amplius restringitur ad limites alicuius casus dubii quod ad solos canonicos Laquedon. attinet,... sed fines ipsius iuris universi ingreditur; quaestio hucusque vexatissima inter doctores, non solum quia ex se sat implexa, sed et quia nunquam adhuc, sive in iure, sive in iurisprudentia, posita sunt in tuto et formiter declarata ipsa principia *specificativa* talis electionis, ex quibus facile solverentur dubia circa talem electionem forte proposita: et hoc quidem ex inferius dicendis plenissime patebit.

Ad huiusmodi quaestionem solvendam, seu melius ad omnia argumenta variorum DD. reassumenda, fusiori opus esset disceptatione, quae quidem a limitibus « brevis voti » a nobis requisiti exorbitaret, et insuper, si verum confiteri liceat, partim inutilis evaderet, nam fere nil novi adderetur ad ea quae iam docte, saltem quoad principia solutionis, elucubrata sunt praecipue in *Veliterna*, *Electionis* die 18 aprilis 1885 (cf. *Acta S. Sedis*, vol. XVIII, p. 97-114),[1] et aliis in causis similibus. Nihilominus pro « brevi voto » animadversiones quasdam veluti in quadam circumscripta tabella dilucide pro viribus hic subiungemus, non tantum ne laborem recusasse aut elusisse videamur, sed potius ut appareat quibusnam validis fulciatur rationibus votum quod humiliter, ut par est, Emorum Patrum Cardinalium iudicio sub fine istius elucubratiunculae subiiciemus, nempe de iure per « decretum » definiendo.

2. Exponuntur rationes ad varia iura exactae.

A) *Ex iure naturali.* – Hoc unum notatum velim: posita quaestione sub his generalioribus verbis « utrum in electione ad *quodlibet* munus publicum aliquis, qui probe scit se esse *dignum* et officio *omnino parem* (puta ex *usu*, laudabiliter forte iterato, istius officii et muneris, et ex virorum proborum *maturo consilio*), possit pro se suffragium ferre saltem in scrutinio per publica vota », solutio non est adeo facilis; nec de facili te expedires a difficultatibus sive affirmativam, sive negativam opinionem amplectaris! Nam, ex. gr., certum est quod ille qui munus publicum desi-

[1] Cf. N. 4267.

derat (cui se parem novit), bonum desiderat; si autem bonum legitimum-
que sit desiderium (utique efficax, non tantum platonicum), cur et quo-
modo malum et illegitimum esset, ad hoc exsequendum adhibere medium
quoddam ex se non inhonestum, puta proprium suffragium suffragiis
ceterorum unitum? Dico « ex se non inhonestum »; et revera si conscius
sim, me non egoistica ambitione sed boni operis tantum desiderio trahi,
et suffragium meum (ut supponitur) veris rationibus illuminari, cur suf-
fragium *meum* non gauderet eadem honestate ac suffragium ceterorum?
Numquid, quia *meum*, ideo ex se deflectat et cesset a rectitudine, et veluti
fatali necessitate morali vitietur? Fateor quidem, attenta innata hominis
« ad malum ab adolescentia sua proclivitate », et bonorum et humilium praxi,
usum proprii suffragii in casu laborare praesumptione periculi, et ideo, ut
plures dicunt, « sapere ambitionem »; vigilanti verbo usi sunt, « sapere »;
unde, aio ego, remota ambitione, ut supra, quid remanet mali « saporis »?

Quae omnia dixi; ut videas cur, praescindendo a positivo iure, ex se
non liqueat, saltem positis cautionibus necessariis, illegitimum esse pro
seipso suffragium dare in electione ad munera publica in genere. Porro
munus vicarii capitularis est munus quoddam publicum in hac determi-
nata societate, nempe in ecclesiastica.

B) *Ex iure positivo communi.* – Nihil ibi statuitur:

a) nec in Concil. Trident. quod in Sess. 24, *de ref.*, cap. 16,
ne unum quidem verbum facit de forma electionis istius « officialis seu
vicarii », immo nec de « electione » eius loquitur, sed tantum de « constitu-
tione, deputatione »: ex quo quamplures DD. arguunt (quos inter De Luca,
in *Adnot. ad Conc. Trid.*, disc. 31, num. 24; Pitonius, *Discept. eccles.*, 156,
vol. 8, num. 4; Leurenius, etc.) electionem vicarii capitularis non esse
vere electionem, sed meram « deputationem sinentem in mandatum »;

b) nec in Corpore Iuris, in quo tum caput *Quia propter*, 42, *de
electione*, tum caput *Cumana*, spectant, teste Card. De Luca, ad elec-
tionem Pastoris proprie dicti praeficiendi ecclesiae viduatae, non vero ad
meram deputationem alicuius « officialis » aut « vicarii »; et ideo non censen-
tur teneri capitulares in casu ad formam istorum capitum (De Luca, disc. 26,
De canonicis), sed possunt uti forma cap. *Cum im iure*, 33.[1]

C) *Ex iure particulari statutorum capitularium.* – Defectum iuris com-
munis supplere conata sunt capitula utique quamplurima, non tamen omnia.
Haec ultima voluntati suae practicam electionis formam determinandam
pro variis casibus reliquerunt. Priora vero illa hanc, saltem quoad praecipuas
partes, datis articulis determinaverunt; sed, oh! varietatem mirare! hic fit
electio « per suffragia vivae vocis aperte notificando sensum suum »; ibi
per vota secreta (et ita fit in capitulo Laquedon. stat. XXI, n. 3); alibi per
scrutinium non quidem solemne, sed fere tale; alibi per « ballottationes »
(Scarfantonius, *ad Ceccop.*, lib. IV, tit. 6, n. 15, 16). Nunc sufficit excessus

[1] In quo cavetur quod « vox electi ipsius quandoque auget numerum eligentium »,
maxime attenta decisione 114 Rotae coram Clemente XIII, quae extendit hoc caput
ad electionem *palam et per publica vota* factam « non tamen si sit per scrutinium secretum ».

unius medii voti (v. gr. 4 de septem) ad maioritatem requisitam constituen-
dam; nunc exigitur excessus unius voti (v. gr. 5 de octo). Et heu! quasi
non satis esset ista varietas, audi eumdem Scarfantonium (loco citato)
perbelle declarantem quod « licet praefatae electiones a statutis recte prae-
cipiantur fieri *secretis* suffragiis; nil secus, si de communi omnium cano-
nicorum consensu praestentur *palam* viva voce, *non idcirco redduntur nullae...*
Ratio, quia non fit *contra* ius commune... Quinimo sustinentur, quamvis
statutum loquatur eas nullatenus fieri nisi per vota secreta: multa certe
fieri prohibentur, quae facta tenent; secus dicendum, quando adesset
clausula irritans, et statutum esset a Papa confirmatum ». Quae si vera sint,
ad quid, quaeso, tot circa hanc electionem statuta capitularia? Noli ergo mi-
rari, si plures DD. (cf. Santi-Leitner, 1904, I, p. 246) adhuc hodie breviter
concludunt satis esse in electione vicarii capitularis, si serventur tantum
conditiones quae de more in expeditione negotiorum capituli requiruntur
et sufficiunt, nempe ut electio fiat capitulariter in congregatione legitima
omnium vocalium, qui debent aut possunt adesse, et maior pars suffra-
gium ferat in unum; et nil amplius.

D) *Ex iurisprudentia H. S. Congregationis Concilii.* – Hucusque, quod
sciam ego, numquam voluit H. S. Congreg. quaestionem iuris (« questione
di massima ») solvere, sed tantum providere in casibus particularibus, ut
patet per responsum datum 20 martii 1880: « An in electione vicarii capitu-
laris canonicus licite et valide possit sibi dare votum suum, cum alias maio-
rem votorum numerum obtinere non valeat? » S. Congregatio Concilii, re
mature ponderata, sub die 20 martii 1880 respondendum censuit: « Pro-
videndum in casibus particularibus ».

Liceat ergo breviter hic ex ordine temporum quasdam H. S. Congrega-
tionis resolutiones in casibus particularibus sub oculis ponere, ut quisque
melius perpendat consequentias inde deducendas.

a) Anno 1649, in *Matheranen.*, *Electionis vic. capit.* – Inutiliter facto
primo secreto scrutinio, ventum est ad secundum, praevia tamen decla-
ratione ut cuilibet licitum esset cum proprio voto sibi ipsi adhaerere. Porro
in 2º scrutinio, electus est B. Marra in vicarium, utpote habens vota 17 de
32, *computato* proprio. Decanus et alii recursum habuerunt ad S. C. Conc.,
quae tamen, auditis partibus, *pro electo* respondit. Agnovit ergo S. C. Conc.
non illegitimum esse convertere, *saltem conventione facta*, ut supra, inter
electores, *proprium* votum in sui favorem, etiam in scrutinio *secreto*.

b) 17 iulii 1655, in *Sulmonen.*, et 11 maii 1669, in *Assisien.*, in eadem
electione, alias ac scrutinium secretum formas electionis legitime servatas
admisit S. C. Conc.

c) 12 martii 1662, *pro provincia Armacana in Hibernia.* – Capitulum
non nisi uno superstite canonico constabat; S. Congr. Concilii agnovit
ius ipsi esse eligendi vicarium capitularem « dummodo non eligat seipsum ».

d) 23 novembris 1697, in *Milevitan.*, ad evitanda iurgia et conten-
tiones, quae nasci solebant in resolutionibus capitularibus per *publica* vota
habitis (et certe electio vicarii maxime est inter resolutiones huiusmodi
recensenda), S. C. C. « censuit *expedire* quod praefatae capitulares resolu-

tiones fiant per vota *secreta*». Adverte: «censuit *expedire*» non vero definivit et *iussit*, ut male interpretatus est Ursaya, disc. 8, tom. 2, part. 2.

e) 17 decembris 1712, in *Alexanen*. – Electus fuerat in vicarium capitularem per 7 vota data *aperte et in publico* (*iuxta consuetudinem ter saecularem*) contra 4, canonicus Ottatus. Porro proposito dubio: «An electio ista facta a capitulo in personam Ottati sustineatur in casu?», S. C. Conc. respondit: «Negative». Et miratus est Pitonius, discept. 156, vol. 8..., et nos cum illo; nam imposito tunc voto *secreto*, et stante aliunde DD. communi opinione quae tenet neminem posse in scrutiniis *secretis* sibimet suffragium ferre, indirecte saltem sequebatur neminem posse se eligere in vicarium: quae conclusio haud facile cum resolutione in *Matheranen*. suprarelata conciliatur.

f) 21 novembris 1722, in *Turritana*.[1] – Habito sed inutiliter 1° scrutinio per vota *secreta* et secundo per vota *publica*, tandem in 3ª sessione electus est in vicarium capitularem decanus capituli per 9 vota *publica*, computato tamen proprio (quod dedit *mere adhaerendo* aliorum suffragiis) contra 7. Recursus factus est ad suffraganeum antiquiorem, tum quia electio facta erat per publica suffragia, tum quia electus iunior et illiteratus erat, et insuper a defuncto archiepiscopo, uti reus, ex informata conscientia suspensus a divinis (et causa adhuc in S. C. Conc. pendebat). Suffraganeus declaravit electionem nullam; facta autem appellatione a decano ad iudicem delegatum apostolicum in regno Sardiniae, iste cassavit sententiam suffraganei, et iussit, ut capitulum Turritan. intra octo dies novam electionem vicarii capitularis per vota *secreta* haberet: qua facta, iterum electus est decanus. Quibus omnibus S. C. C. relatis, quaesitum est:

1. «An prima electio decani sustineatur?... et quatenus negative»:
2. «An secunda electio facta vigore sententiae iudicis regni Sardiniae fuerit valida vel potius nulla in casu?»

Et S. C. C. respondit: ad 1. Negative; ad 2. Affirmative et amplius.

Ex responsione ad 1. videtur ergo dicendum quod *tunc temporis* S. C. C., quidquid in contrarium sentirent varii DD., non admittebat in electionibus etiam per vota *publica* ius computandi proprium votum ad maioritatem efformandam, nec caput *Cum in iure*, 33, *de elect.*, ad similes casus posse extendi: quae quomodo concilientur cum decisione Rotae circa extensionem huius capitis (cf. supra in calce pag. 916,) non apparet.

g) 19 maii 1877, in *Iadren*. – In comitiis capitularibus, quando quis proponebatur ab episcopo ad aliquod officium puta *iudicis* et examinatoris synodalis, *constans praxis* (silentibus omnino de hoc iuris puncto constitutionibus capituli) hoc ferebat, ut ille posset etiam pro seipso suffragium ferre; et inter caeteras ex iure vel ex doctrina DD. desumptas rationes, haec etiam proferebatur, nempe quod nec in casu agebatur de praeiudicio alicui *tertio* inferendo, nec de privato interesse, sed mere de gratuito munere, quod bonum ecclesiae solum importabat; et insuper hoc ferebat consuetudo, quae ceterum nulli expresso iuri adversabatur, ideoque retineri

[1] Cf. N. 3248.

poterat. Re delata ad S. C. C. sub hoc dubio: «An in comitiis capitularibus ius suffragandi habeat canonicus, qui ab archiepiscopo proponitur ad officium iudicis et examinatoris synodalis *in casu* (id est pro seipso?)»; S. C. C., causa discussa, respondit: *Negative;* sicque tollens et ius suffragii in casu, et *ipsam consuetudinem*. Perpende responsionis momentum, et statim videbis quod, si loco iudicis synodalis poneres vicarium capitularem, eaedem rationes possent afferri pro cohonestanda facultate proprium votum sibi tribuendi, et tamen eodem modo a S. C. C. non attenderentur.

h) 20 martii 1880. – Videretur quod post varias supra relatas S. C. Concilii resolutiones, quae generatim innuunt hanc Sacram Congregationem non admisisse ius canonicorum ad suffragandum pro seipsis, tandem aliquando, si quaestio generalis doctrinae canonicae circa hoc iuris punctum proponeretur, mature pro semper posset resolvi et quidem insistendo pro solita «negativa». Et revera die 20 martii 1880 clare proposita est a quodam praesule Galliarum hoc dubio: «An in electione vicarii capitularis canonicus *licite et valide* possit sibi dare votum suum cum alias maiorem votorum numerum obtinere non valeat?» Nil respondit S. C. Concilii nisi: «Providendum in casibus particularibus». Sicque quaestio iuris remansit non soluta.

i) 18 aprilis 1885, in *Veliterna*. – In comitiis Veliternis, iuxta statuta capituli, electiones maioris momenti fieri debent «per suffragia occulte delata». Porro, in electione vicarii capitularis, duo canonici tulerunt 5 vota de undecim. Unus vero, ducens inutile futurum esse secundum scrutinium secretum, quod tamen in casu paritatis votorum praescribitur in statutis capituli (quae sic habent: «Si vota sint paria, denuo fiat scrutinium»), declaravit accedere ad seipsum iuxta cap. *Cum in iure*, 33, *de elect.*, et convertit votum suum in seipsum ad maioritatem efformandam. Proposito autem huic S. Congregationi dubio: «An valida sit electio vicarii capitularis... peracta per *secreta* suffragia, in qua ob paritatem votorum favore duorum, alter ex his, ad maioritatem sibi adscribendam, proprium suffragium quod iam favore alterius ediderat, convertere in seipsum declaret in casu?», S. C. Concilii respondit: «Negative». Adverte hanc S. Congregationem non solvisse quaestionem *generalem*, prout proponitur in dubio III episcopi Laquedoniensis, sed *casum* specialem, et, ni fallor (quidquid docte disserat pro aut contra compilator disceptationis in *Acta S. Sedis*, vol. XVIII, p. 113 et 114 in nota) non clare voluisse dirimere controversiam de hoc ipso *casu* inter doctores adhuc non extinctam; nam non improbabiliter quis diceret plene et adaequate iam iustificari negativam S. Congregationis responsionem ex hoc solo quod violata fuissent statuta capitularia Veliterna, quae in casu praescribebant novum scrutinium secretum. Neglecto hoc secundo scrutinio secreto et transgressis statutis, rectissime haec S. C. Concilii deducebat et respondebat quod in *casu* (post primum scrutinium) non poterat convertere oretenus in seipsum proprium suffragium.

j) 8 maii 1886, in *Tarnovien*. – In capitulo 4 tantum erant canonici. Electuri vicarium capitularem statuerunt neminem posse sibi votum dare, *sub poena nullitatis electionis*. Porro in scrutinio secreto unus 2 vota de qua-

tuor tulit, declaravit se *consentire* illis duobus, et se habuit ut electum, iuxta mentem capitis *Cum in iure*, 33, *de elect.* Delato ad S. C. C. dubio « An deputatio canonici W. in vicarium capitularem sustineatur in *casu* », respondit: « Negative », hac, ut reor, de causa, quia non fuerat electus maioritate votorum, siquidem electio non facta fuerat « per compromissum » sed per scrutinium, et consequenter non poterat, sicut in compromisso, vox eius aut consensus in electionem augere numerum eligentium: *a duobus* ergo solis electus fuerat, unde erat nulla et invalida electio: quae quidem S. Congregationis resolutio optime quadrat et respondet decisioni 114 Rotae supra relatae pag. 916. Ex hac insuper resolutione deducere iuvat quod *merus consensus* electioni factae non reputetur « suffragio » proprie dicto aequivalere; nam non *tres* vere « elegerunt » sed duo tantum, tertio solummodo posterius *consensum* praestante.

Conclusio. – Ex illis omnibus resolutionibus S. C. Congregationis breviter recollectis pronum est observare quod, quamvis hucusque S. C. Concilii non definitive totum ius circa praesentem quaestionem plene stabiliverit, manifeste tamen apparet quod, post aliquas forsan in saeculis elapsis fluctuationes, eius saltem mens in dies constantius tendit ad denegandum canonicis ius sibi ipsis proprium votum dandi in quolibet « scrutinio » per suffragia proprie dicta secreta aut publica, et etiam ius ponendi, in paritate votorum, consensum aut acceptationem (extra utique casum compromissi proprie dicti, de quo in capite *Cum in iure*, 33, *de elect.*), quae « suffragio » proprie dicto aequipararetur quoad effectum ipsius electionis.

E) *Ex DD. sententia.* – A colligenda doctorum doctrina (etiam breviter) abstinemus. Nam utique in quibusnam omnes vel fere omnes concordant, nempe quod *a*) in scrutinio solemni secreto nemo nec ante nec post scrutinii evulgationem sibi suum votum dare valet, ne per modum consensus quidem; *b*) in compromisso vero, potest convertere in seipsum proprium suffragium ad perficiendam electionem augendo numerum eligentium.

Sed quoad caeteros casus et quaestiones (puta: an electio vicarii capitularis habenda sit ut vera electio, vel mera « deputatio », quae non indigeat rigorosa forma iuris? An et quatenus huiusmodi « electioni vel deputationi » applicanda sit littera aut mens celeberrimorum capitum *Quia propter*, 42; *Cum in iure*, 33, etc.? Quid in casu scrutinii non solemnis tum per vota secreta, tum per publica, aut in alia forma electionis *mixta?* etc.) incipiunt, etiam inter DD. non exiguae auctoritatis, multae ac mirae opinionum dissensiones, de quibus non miramur nos, nam quisque eorum, deficiente circa hanc praecisam materiam expresso iure, ad hoc redactus est, ut supradicta Corporis Iuris capita aut *particulares* S. C. C. responsiones, meliori quo videbatur modo pro tempore aut aetate sua, pro ingenio aut scientia, interpretaretur, et exinde conclusiones nonnunquam contradictorias deduxerit, expresserit, extorserit, ut apparet vel ex solis disceptationibus relatis apud « Acta S. Sedis », quae praemittuntur solutioni diversorum casuum supra recollectorum.

3. *Votum* quod humiliter circa hoc 3. dubium Laquedonien. S. C. Congregationi subiicimus. Omnibus perpensis pro modulo nostro, hoc nobis, salvo meliori iudicio, videtur dicendum: Occurrente propitia codificationis Iuris occasione, ad incrementum Iuris in Ecclesia Christi, ad fugandam ambitionis pestem Ecclesiae tam invisam, et etiam eiusdem periculum praesumptum, ad procurandam sufficientem disciplinae et iuris unitatem in statutis capitularibus, et proinde ad praecavendas tot discordias, lites etc. in ipsis dioecesibus sede vacante, maxime si sedes diu vacatura foret, et consequenter tot causas et recursus plus minusve molestos apud hanc S. Congregationem, necnon demum ad definitive condendam huius S. Congregationis in hac materia iurisprudentiam, dignetur sacra Concilii Congregatio « Decretum » edere quo definiatur:

« *a*) nec licite nec valide posse unquam canonicos in qualibet "electionis aut deputationis" vicarii capitularis forma (excepto compromisso, ad formam cap. *Cum in iure*, 33) votum suum sibi dare aut in se convertere;

« *b*) "electionem eius seu deputationem" fieri debere per unam ex tribus formis in cap. *Quia propter*, 42, positis;

« *c*) ad effectum electionis aut deputationis requiri et sufficere maioritatem etiam unius medii voti ». - Quae omnia, etc.

In Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 16 martii 1912, EE. PP. rescribendum censuerunt:

Ad 1. et 2. Affirmative.

Ad 3. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 404-416].

4362.

S. C. C., litt. 3 maii 1912.

Plurimis ex locis pervenerunt ad hanc S. Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur, ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum sub praecepto per litteras Apostolicas diei 2 iulii 1911 expuncti,[1] in pristinum restituantur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit ut festum SSmi Corporis Christi celebrari possit cum solemni processione et pompa, ut antea, feria V post Dominicam SSmae Trinitatis, eam praesertim ob causam quod huiusmodi processionis defectum non sine animi moerore et spirituali iactura pati videantur populi, qui eam diem specialiter solemnem habere et miro splendore celebrare consueverunt.

Porro, SSmus D. N. Pius Pp. X, Cui relatio de praemissis facta fuit ab infrascripto Cardinali huius S. Congregationis Praefecto, plane cupiens ne, ex praepostera aut non recta interpretatione praedictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur; volens imo ut, quoad fieri possit, augeantur, haec quae sequuntur declarari, praecipi atque indulgeri mandavit:

[1] Cf. N. 693.

1. Quum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub praecepto, quemadmodum non semel a Suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit, ut eorum dierum festivitas omnino suppritneretur: vult immo Sanctitas Sua, ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori, quam antea, solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio, qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ob operibus servilibus; idque potissimum ad evitandas frequentioris praecepti transgressiones et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Praecipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus, ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer ut, iis etiam diebus, pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

2. Quo autem Christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum, conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quoties dies abstinentiae vel ieiunio consecratus incidat in festum, quod, licet praecepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

3. Item, per praesentes litteras conceditur, ut festum SSmi Corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non obstrictum, celebrari possit cum solemni processione et pompa, prout antea, feria V post Dominicam SSmae Trinitatis; contrariis quibuscumque non obstantibus. – C. Card. Gennari *Praefectus*. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 340, 341].

4363.

S. C. C., 28 nov. 1912.

Quum quaesitum a Sacra Congregatione Concilii fuisset, an post decretum de quotidiana SSmae Eucharistiae sumptione, cuius initium *Sacra Tridentina Synodus*,[1] servanda adhuc sit lex, qua prohibetur, quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis etiam causa, SSmae Eucharistiae Sacramentum fidelibus administretur: SSmus Dominus noster Pius divina Providentia Pp. X, audita relatione infrascripti Cardinalis Praefecti, in audientia diei 26 huius mensis responderi iussit: *Negative*, contrariis quibuscumque non obstantibus; idque in *Actis Apostolicae Sedis* publicari mandavit.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Concilii, die 28 novembris 1912. – C. Card. Gennari, *Praefectus*. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 726].

[1] Cf. N. 4326.

4364.

S. C. C., *Bismarckien. et aliarum*, 31 ian. 1913.

Delegatus Apostolicus in Republica Washingtonien. H. S. C. retulit, die 30 maii 1912, quae sequuntur:

« Il Vescovo di Bismarck, Mons. Wehrle, O. S. B., mi scriveva, in data 20 corrente, quanto segue: " Nel fascicolo dello scorso marzo dell'*Acta Apostolicae Sedis*, si trova una decisione della S. Rota, in cui si asserisce che il giuramento è necessario per la validità della incardinazione. Mi consta che in questa diocesi molti sacerdoti furono incardinati senza prestare il giuramento all'atto dell'incardinazione. Ciò posto, chiedo: 1° Ha il vescovo il diritto di dichiarare che tali incardinazioni sono invalide? 2° *Quatenus affirmative:* devono i sacerdoti che furono così invalidamente incardinati, ritornare alla diocesi dalla quale furono escardinati? 3° Può obbligarsi il vescovo che li escardinò a riceverli di nuovo nella sua diocesi? "

« È da ritenersi per certo che anche in molte altre diocesi degli Stati Uniti, siano stati incardinati sacerdoti senza far loro emettere il giuramento richiesto dalla costituzione *Speculatores*[1] e dal decreto *A primis*,[2] e che i vescovi intendano valersi di tale omissione per disfarsi di quelli che non hanno fatto buona prova. Come pure si possono facilmente prevedere le questioni che sorgerebbero se i vescovi si decidessero a ciò fare.

« Tutto considerato, mi è sembrato opportuno sottomettere i quesiti del vescovo di Bismarck a cotesta Sacra Congregazione, con preghiera di dare quella risposta e di emanare quelle disposizioni che giudicherà convenienti ».

Super praemissis exquisitum fuit R. P. Consultoris votum, quod nunc typis impressum ad EE. VV. huic folio adnexum mittitur. – Quare, etc.

Et Emi Patres, in congregatione plenaria diei 14 decembris 1912, rescribendum censuerunt:

Ad I. Attentis omnibus, *negative*.

Ad II. et III. Provisum in primo.

Romae, e Secretaria S. C. Concilii, die 31 ianuarii 1913. - I. Grazioli, *Subsecretarius*.

Votum Consultoris.

1. Occasione sententiae a S. Romana Rota prolatae die 9 ianuarii 1912, ac publicatae in *Act. Apost. Sedis*, vol. IV, p. 249 seq., circa valorem incardinationis clerici in aliquam dioecesim, quae declarata est invalida ob defectum formae praescriptae in decreto *A primis* huius S. C., ab episcopis Americae septentrionalis dubitari coeptum est de valore aliarum incardinationum in illis dioecesibus factarum, in quibus omnia et singula decr. *A primis* requisita non fuerunt observata, praesertim iuramentum ab incardinando emittendum.

[1] Cf. N. 258.
[2] Cf. N. 4307.

2. Nominatim episcopus Bismarckiensis ad Delegatum apostolicum Washingtoniensem ea de re scripsit, referens in sua dioecesi plures adesse sacerdotes qui in eam incardinati sunt quin praescriptum iuramentum praestiterint, atque inde a Delegato apostolico triplici dubio responsum postulabat:

I. An episcopus ius habeat declarandi invalidas tales incardinationes.

II. Quatenus affirmative, an sacerdotes ita invalide incardinatii debeant reverti ad dioecesim ex qua excardinati fuerunt.

III. An episcopus qui excardinationem dedit, possit obligari ad illos recipiendos.

Quae dubia a memorato Delegato apostolico ad hunc S. O. fuerunt transmissa, hoc addito opportuno monito: « È da ritenersi per certo che anche in molte altre diocesi degli Stati Uniti, siano stati incardinati sacerdoti senza far loro emettere il giuramento della costituzione *Speculatores* e del decreto *A primis*, e che i vescovi intendano valersi di tale omissione per disfarsi di quelli che non hanno fatto buona prova ».

3. Ut breviter circa proposita dubia meum votum promam, quod ad primum quaesitum attinet, res videtur pendere ab illa quaestione, utrum modus incardinationis decreto *A primis* praescriptus, sit substantialis, ita ut incardinatio aliter facta non teneat. Sententia quidem S. Rotae in citata causa Londonensi, quae hisce dubiis occasionem praebuit, hoc pro certo videtur habere, quippe hoc ipsum tamquam fundamentum iuridicum decisionis allegatur. Non omnes quidem rationes ibidem adductae eamdem videntur habere vim probativam, sed de re ipsa non videtur posse esse dubium, quin in memorato decreto *A primis*, licet desint expresse clausulae irritantes, incardinatio aliter quam numero secundo praescribitur facta, penitus irritetur.

Nam profecto in foro ecclesiastico *non absolute* recepta est R. I. 64, in Sext. prout sonat: « Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi »; sed potius attendendum est principium Innocentii III, cap. 16, X, *de regular*. (III, 31): « Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem » scil. si desit expressa clausula irritans (D'Annibale, *Theol. mor.*, v. I, n. 210, not. 4; Wernz, *Ius Decret.*, v. I, n. 50, not. 35, n. 110; Reiffenstuel, in tit. II, *de const.*, n. 246 sq.; Suarez, *de legibus*, lib. V, c. 25, c. 29, n. 4, 5).

4. At pariter omnes Auctores conveniunt quod, quando lex ecclesiastica praescribit formam actus, ea non servata, actus, sua forma carens, irritus est. D'Annibale, loc. cit., n. 210, 211, 213. Ita Reiffenstuel, loc. cit., n. 243: « Irritatio actus alia est *implicita*, alia *explicita*. Et quidem irritatio explicita dicitur, quae fit verbis claris et expressis, ut si lex dicit: " si secus fiat, omni careat robore firmitatis ", c. *Decet*, § fin., *de immunit. Eccl.*, in Sext., aut " irritum sit et inane ", Clem., 2, *de rebus eccl. non alien*. Irritatio *implicita* est, quae fit per verba aequipollentia, ut fit quando *certa forma praescribitur* actui sive contractui. Nam quia forma dat esse rei, consequenter ea deficiente corruit actus ».

5. Porro decretum *A primis*, n. 2, sensu obvio intellectus, formam actus praescribit, in eum praecise finem ut *controversiis et abusibus* occurreretur, ut ibidem dicitur, quae praecedenti tempore passim oriebantur ex non observatis cautionibus in decreto pro futuro tempore statutis; qui finis cum minime obtineretur per legem mere praecipientem, prona est consequentia, legislatorem, dum actus solemnia praescripsit, eiusdem formam assignasse.

6. Concilium quidem plenarium Baltimorense III pro Statibus Foederatis Americae septentrionalis admiserat praeter incardinationem *formalem*, aliam praesumptam (n. 66), quae habetur dum episcopus clericum excardinatum ab alia dioecesi et in sua admissum post triennium vel quinquennium probationis (quod debet praecedere incardinationi formali, ibid., n. 63), omiserit actum formalis incardinationis, seu incardinationis decretum.

At post publicatum decretum *A primis* ortum est dubium, an per illud fuerit derogatum memoratae dispositioni Conc. plen. Baltimorensis; quod dubium ab hoc S. O. fuit decisum (*Acta Sanctae Sedis*, vol. 39, p. 486 sq.). Sed maximi momenti est accurate referre ipsum dubium eiusque solutionem. Dubium ergo fuit ita propositum:

« Si domanda se in forza del detto decreto del Concilio, il quale richiede l'incardinazione *in scriptis*, sia restato annullato il decreto del Concilio di Baltimora, che ammette *l'incardinazione presunta*, ed in caso affermativo, se detta legge abbia vigore retroattivo riguardo a casi quando il triennio o quinquennio di prova, secondo il detto Concilio di Baltimora (n. 62, 63), sia già spirato prima dell'emanazione del citato decreto della S. C. del Concilio ».

Et responsio fuit: « Ad I. *Affirmative*, ad II. *Negative* ».

7. Per talem decisionem quoad ius particulare per Conc. Baltimorense inductum, solum constat fuisse illi iuri derogatum *relate ad admissionem incardinationis praesumptae* seu sine documento scripto factae post certos annos probationis in sacro ministerio: « Qui eo elapso tempore, ut ibi statuitur, clericum qui dioecesi adscribi petierat, nec formaliter admittit nec admittere plane diserteque recusat, iure praesumitur adscripsisse ».

At quoad alteram incardinationem ordinariam et formalem in eodem Concilio Baltimorensi admissam ac variis cautionibus munitam ac sapienter ordinatam, ex memorata decisione huius S. C. non constat praefatum decretum Baltimorense fuisse abrogatum. Sane decretum *A primis*, de incardinatione agit in ordine praesertim ad Ordines recipiendos; decretum vero Baltimorense refertur ad *sacerdotum* incardinationem, quae ibidem apte ordinatur requisitis etiam pluribus conditionibus (v. gr. quoad probationem praemittendam), quam quae decreto *A primis* exiguntur. Scripto enim fieri praecipitur, et solum difficultas in casu fit quoad emissionem iuramenti *ad instar* constitutionis *Speculatores*, quod in pluribus casibus dicitur fuisse omissum. Iam vero defectus solius iuramenti non videtur certo invalidam reddere incardinationem; nam argumenta quibus id probat Rota in citata causa Londonensi non sunt convincentia, iuramentum namque in const. *Speculatores* non requiritur ad *valide* acquirendum domicilium, quae est res in iure inaudita, sed ad acquirendum *domicilium qualificatum* quod requi-

ritur, ut episcopus *legitime* ordinet subditum ratione domicilii. At hic agitur de incardinatione *sacerdotis* iam ordinati, relate ad quam iuramentum potius simpliciter praecipitur, seu imponitur ut obligatio suscipienda ab incardinando, non exigitur ut conditio sine qua non ad valorem incardinationis. Qua in hypothesi iuramentum potius videtur dicendum esse implicite inclusum in ipsa incardinatione; quemadmodum votum castitatis implicite includitur ex lege Ecclesiae in susceptione primi Ordinis sacri.

8. Praeterea illa causa Rotae refertur ad dioecesim Canadiensem, in qua non viget ius Conc. plenarii Baltimorensis, quod vim habet in solis dioecesibus Statuum Foederatorum, pro quibus illud ius fuit specialiter recognitum a S. C. de Prop. Fide.

9. Insuper, ad maiorem abundantiam iuramentum, etsi fuerit omissum in actu incardinationis, ex iure particulari dioecesum Statuum Foederatorum, *ipso iure suppletur*. Nam ibidem generatim ordinatio fit titulo missionis; porro ipsum Concilium Baltimorense n. 66 statuit in taliter ordinato: *Iuramentum praestitum in aliena dioecesi censetur pro nova esse servandum.* Iam vero in hypothesi talis dispositionis, obligatio iuramenti, etsi in actu incardinationis expresse non emissi, adest; ac proinde in casu non deest etiam in hac parte substantia rei praescriptae.

10. Dum ergo quaeritur an episcopus possit declarare invalidas incardinationes factas non praestito iuramento: cum ex disputatis illae incardinationes quoad alia, quae sola videntur esse substantialia, sint factae ad normam decreti *A primis*, immo observatis etiam aliis conditionibus in Concilio Baltimorensi requisitis; et iuramentum ex dictis aequivalenter saltem adsit; putarem respondendum: *negative*.

11. *Nota*. – Quodsi argumenta facta non convincerent, putarem tamen interim, dum expectatur novus Codex, in quo sine dubio de hac re curabitur, spectata perturbatione quae ex responso affirmativo ex relatione Delegati apostolici induceretur, potius abstinendum esse a tali responso affirmativo dando.

12. II-III. Cum secundum et tertium dubium dependeant a responso affirmativo dato in primo; si huic detur propositum responsum negativum, consequenter ad II et III esset respondendum: *provisum in primo.*

13. Aliquid tamen in particulari de II et III dubio videtur esse directe proponendum.

Sane licet verum esset incardinationes, de quibus in casu agitur, validas non fuisse, non inde sequeretur sacerdotes ita invalide incardinatos *debere* reverti ad dioecesim, ex qua excardinati fuerunt, aut *absolute et simpliciter* posse cogi eorum episcopum ad illos recipiendos.

Nam primo nullibi est prohibitum in iure, ne sacerdos aliquis de consensu proprii Ordinarii suum ministerium praestet in aliena dioecesi ab huius episcopo admissus; quin potius est positive permissum, ut unus Ordinarius alteri indigenti subsidium sacrorum ministrorum praebere possit. Nec est necesse ad hoc demonstrandum, ut recurratur ad ius commune, cum habeamus hac in parte ius particulare illius regionis a Conc. plen. Baltimorensi sancitum et a Sancta Sede recognitum; ita namque in memorato Conc. n. 69 edicitur: « Quae de sacerdotum excorporatione et in aliam dioecesim adscriptione definivimus, ullatenus obstant consuetudini, iuxta quam episcopi sacerdotes, si qui in sua dioecesi satis abundent, egentioribus dioecesibus ad auxilium in cura animarum ferendum pro longiore etiam tempore concedunt. Quem morem, uti zeli apostolici indicium, S. Sedes commendavit » (*Instr. S. C. C. ad Conv. Epp. Prov. Mediol.*, 1849).

Ergo debitum revertendi non habet per se sacerdos male incardinatus, sed potius ius est episcopo proprio eum revocandi, quam tamen revocationem non debet facere nisi observata aequitate naturali. Quae aequitas non servaretur, si eum revocatum haberet in sua dioecesi otiosum ac sine mediis congruae sustentationis, dum in dioecesi in qua *male* incardinatus est, ob defectum alicuius requisiti essentialis, naviter, approbante eius dioecesis episcopo, in salutem animarum laboraret. Qua in hypothesi *obligatio* revertendi ad propriam dioecesim pro tali sacerdote asserta, in ipsius sacerdotis damnum et in detrimentum salutis animarum redundaret. Atque haec quoad secundum dubium in hypothesi quod primo daretur responsum affirmativum, seu incardinationes in casu invalidae declararentur.

14. Quod vero attinet ad tertium, seu ius episcopi male incardinantis sacerdotem remittendi, et consequens inde obligatio episcopi proprii eum recipiendi, res etiam videtur decidenda non spectato tantum stricto iure, sed etiam secundum naturalem et canonicam aequitatem.

Sane de stricto iure remittendi ad suam dioecesim sacerdotem non rite incardinatum non potest esse dubium. At summum ius non raro est summa iniuria, et aequitas naturalis et canonica postulat, ut qui sentiat commodum, sentiat etiam incommodum, nec beneficia grato animo accipiuntur si pro bonis acceptis retribuantur mala.

Porro vidimus esse actum caritatis et zeli a S. Sede commendatum, si episcopus qui sacerdotibus abundat, alteri episcopo indigenti aliquem sacerdotem seu operarium concedit. Si ergo hic esset casus in Statibus Foederatis, circa quem proponitur dubium, evidenter violaretur naturalis et canonica aequitas ab illo episcopo qui ab alio in auxilium curae animarum postulasset sacerdotem, atque sacerdotem ita obtentum vellet solum retinere quamdiu ipsi inservit, et ad proprium episcopum remittere quando non inserviat: et quod peius esset, si post plurimos annos laudabilis servitii, tum demum remitteret ad proprium episcopum, cum sacerdos, aut lapsus est in delicta, aut saltem difficilis conditionis factus fuerit.

15. Ergo in hypothesi, quod I. dubio non daretur propositum responsum negativum, in tertio dubio non esset dandum responsum simpliciter affirmativum, sed esset respondendum: *affirmative, servata tamen naturali et canonica aequitate.*

Atque haec habui quae circa proposita dubia dicerem, salvo meliori iudicio. – Petrus Vidal, S. I., *Consultor.*

[Acta Ap. Sedis, vol. V, p. 34-40].

4365.

S. C. C., *Burgi S. Sepulcri et aliarum*, 15 dec. 1913.

De translatione festorum dierum statuta Motu proprio « Supremi disciplinae » d. d. 2 iulii 1911,[1] a Sacra Congregatione Concilii quaesitum fuit:

1. An quando festum aliquod suppressum incidat in diem Dominicam, aut impeditam festo maioris ritus, curam animarum gerentes teneantur applicare missam pro populo, die in quam idem festum transfertur?

2. An quando festum aliquod transfertur, quoad officium et missam tamquam in sedem propriam, in aliam diem, in ecclesiis in quibus servitium chorale alternis hebdomadis praestatur, obligatio chori *communis*, et distributiones, si quae pro eo festo sint, pariter transferantur in eamdem diem?

Et in plenariis comitiis, diei 12, loco diei 13 decembris 1913, Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative nisi, quoad distributiones, obstet expressa fundatorum voluntas, statutum particulare, aut legitima consuetudo.

Hisce autem relatis SSmo Domino Nostro Pio Pp. X, in audientia habita ab infrascripto S. C. Secretario, die 15 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua sententiam Emorum Patrum in omnibus approbavit. – C. Card. Gennari, *Praefectus*. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 9].

4366.

S. C. C., 15 dec. 1913.

Species facti. - Civitatis *N.* territorium antiquitus unicam efformabat paroeciam, cuius curam gerebant Canonici ecclesiae cathedralis. Saeculo autem XVIII illud divisum fuit in quatuor partes, singularumque cura actualis, nomine *Vicariae parochialis*, concredita fuit sacerdotibus, qui non essent de gremio Capituli, illamque exercerent in propriis ecclesiis, fructus percipientes ex certis sibi assignatis congruis beneficiis. Verum, recentiore aevo, quum Capitulum strenue et cum effectu parochialia sua iura vindicasset, a Gubernio in discrimen vocata, atque ea de causa conservationem obtinuisset nonnullorum bonorum ad Massam pertinentium, quae propterea Gubernium ad dotationem quatuor parochiarum addixit, sponte veluti sua effectum est ut, qui sacerdotes curam gerebant animarum, in gremium Capituli reciperentur. Idque peculiari quadam eos inter et Capitulum conventione firmatum, qua statuebatur « tamquam inviolabilis in futurum lex, bona quidem ut supra ad curam addicta nomine et utilitate Parochorum a Capitulo, sicut in praeterito, administrari simul cum Massa communi;

[1] Cf. N. 693.

Canonicos autem Parochos, sive potius Oeconomos Curatos, quum servitio Ecclesiae cathedralis, prout ceteri omnes, *excepto tamen tempore quo curae animarum exercitio sunt detenti*, iam mancipentur, iisdem muniis, iuribus et honoribus quibus Canonici fruuntur, esse fruituros ». Hanc vero conventionem curavit Episcopus ut auctoritate S. Sedis communiretur, quod obtinuit per Rescriptum huius S. Congregationis; exindeque parochi utpote in Capitulum adiecti, iuribus universis, sicut ceteri canonici pacifice gavisi sunt; dum vero cura animarum impediti a choro aberant tamquam praesentes habebantur ac distributionum participes efficiebantur.

Verum super hoc ipso quaestio non levis superiore anno oborta est, quum aliqui Capitulares ex adverso contenderent parochos illos, absentes, etiam pro curae exercitio, punctandos esse, eo quod curam agerent in ecclesiis propriis, diversis et alienis a cathedrali; quae controversia, quum pacifice componi non posset, iudicio Huius Sacri Ordinis subiecta fuit sub hac formula dubii:

An tres Canonici-curati Capituli Cathedralis N. praesentes in Choro habendi sint ad hoc, ut distributiones quoque omnes lucrari possint, quae non sint stricte inter praesentes, quoties choro absunt, ut paroecialibus incumbant ministeriis aut in paroecialibus ipsis Ecclesiis, aut in aliis intra ambitum uniuscuiusque paroeciae in casu.

Synopsis disceptationis.

a) Argumenta adversus Canonicos-curatos prolata. – Notissima sunt, aiunt Capitulares, qui intentioni Curatorum in casu obsistunt, cap. un., *Consuetudinem*, in VI, et Conc. Trid., Sess. 24, cap. 12, *de ref.*, decretum, ubi statuitur: « Distributiones qui statis horis interfuerint, recipiant »; nec quisquis ignorat praecipuas rationes ab hac generali lege quodammodo eximentes, iuxta idem caput nempe: infirmitatem, seu iustam ac rationabilem corporis necessitatem, aut *evidentem Ecclesiae utilitatem:* atque in comperto prorsus est hanc postremam rationem intelligi quoque de canonicis, qui in ecclesia collegiata aut cathedrali curam habente animarum, ad huius curae exercitium deputantur, quoties eodem exercitio detinentur aut impediuntur quominus choro intersint. Verum, quum, ut saepius definitum est, ecclesia de cuius utilitate agitur, eadem esse debeat, cuius sunt distributiones, prono sequitur alveo, non posse ad has percipiendas admitti eos, qui quum sint canonici, v. g. in cathedrali, curam agunt animarum in parochialibus ecclesiis ab eadem cathedrali diversis et alienis, quoties huius curae exercitio detinentur, quia, ut omnes intelligunt, nulla exinde utilitas in cathedralem redundat.

Obstat etiam, in casu, explicita legis dispositio, nempe const. *Cupientes* S. P. Pii V, d. 8. iul. 1568,[1] qua statutum fuit ut parochi districte tenerentur in sua paroecia residere, adeo ut obtinentes canonicatum, ex legitima dispensatione, in cathedrali seu in collegiata ecclesia a sua paroeciali diversa, tantummodo praebendae fructus, non autem distributiones lucrentur, prout

[1] Cf. N. 127.

explicat Fagnanus, in c. *Licet, de praeb.*, n. 121. Etenim, ut innuit Benedictus XIV, *Istruz.*, CVII, n. 56, in hoc casu cura animarum non ipsi canonicatui inhaerere dicitur, sed beneficiis paroecialibus prorsus distinctis et separatis a canonicatu; nec ideo fas est utriusque onera et fructus ad invicem compensare. Cf. etiam Santi, *Inst. can.*, in tit. IV, *de cler. non resid.*; de Herdt, *Prax. capit.*, c. XXVIII, etc. *Monit. eccl.*, 1910 (vol. XXII), p. 499.

Quibus praesuppositis, facile evincitur, iuxta capitulares recurrentes, canonicos parochos in casu non posse percipere distributiones. Etenim non agitur de cura, quae ipsis canonicatibus inhaereat, quia cura parochialis a saec. saltem XVIII ab ecclesia cathedrali per Episcopum translata fuit in alias quatuor ecclesias noviter erectas, certis bonis assignatis unicuique ex dictis ecclesiis. Hinc etiam contigit, ut parochi tunc et deinceps, communi forma ab Episcopis pleno iure fuerint instituti.

Quod si recentiore, ut diximus, aevo, quadam conventione firmatum est, ut Parochi electi, canonici quodammodo fierent, licet (quod non conceditur) ea ratione unio effecta fuisset canonicatuum quorumdam cum paroeciis, semper tamen instat praescriptum const. S. Pii V, *Cupientes*, ex quo ipsi canonici parochi, quum teneantur residere in sua parochiali, lucrari possunt « fructus et redditus omnes Canonicatus, exceptis tamen distributionibus », de quibus nunc agitur.

Nec opponere iuvaret, addunt Capitulares, in conventione ipsa supradicta illud cautum fuisse quod parochi in casu « servitio Ecclesiae Cathedralis, prout ceteri omnes, *excepto tamen tempore quo Curae animarum exercitio sunt detenti*, mancipentur » atque id consuetudine taliter firmatum et acceptum esse, ut « iam a triginta ultra annis qui curam gerunt animarum in hac civitate, semper habiti sunt tanquam moraliter praesentes in choro ». Fortius enim consuetudine et conventione in casu obsistit vetitum Concilii Tridentini, Sess. 14, c. 12, *de ref.*, quod explicit clausula « non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ». Ad rem Reiffenstuel (in lib. III, *Decretal.*, tit. IV, n. 173): « Adeo data conclusio procedit, ut consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia non valeat sive introducta fuerit ante relatam Constitutionem Bonifacianam, sive post; quia Constitutio Bonifacii VIII non solum simpliciter derogat consuetudini recipiendi distributiones in absentia, sed etiam ipsi resistit, eamque reprobat ut iniquam et irrationabilem, prout liquet ex illis verbis: *Consuetudinem, quae in quibusdam partibus inolevit, etc., penitus reprobantes* ». Idem docent fere omnes Canonistae, velut Fagnanus, in c. *Licet, de praeb.*, n. 77 et 79; Garcias, *de benef.*, p. 3, c. 2, n. 430; Barbosa, *de canon. et dignitatib.*, c. 22, n. 22. De Luca, *de Can. et Capit.*, disc. 3, n. 3, et in *Adnot. ad Conc. Trid.*, disc. 1, n. 16; Piton., *Discept. eccl.*, in disc. 23, n. 16 et 17 atque disc. 112, n. 29; Ferraris, v. *Distributiones*, art. 2, n. 1; De Herdt, *Praxis capitular.*, c. 30, § 8; Pallottini, l. c., ubi addit: « Lex enim Tridentini tanti est roboris, ut nedum ulla invehi possit eidem contraria consuetudo etiam immemorabilis, sed ne iurata quidem Capituli Constitutio, ut docet Fagnanus, in c. *Licet, de praeb.*, n. 92, licet auctoritate Episcopi roborata ». Idemque semper docuit H. S. C. velut in *Anagnina, Distributionum*, 29 febr. 1744; *Illerden., Absen-*

tiae et distribut., 3 mart. 1792; *Derthonen.*, *Constit. capit.*, 12 sept. 1829,[1] *Epporegien.*, *Servitii chori*, 30 ian. 1830; *Valven.*, *Distribut.*, 23 apr. 1853; *Signina*, 29 iulii 1854; *Tranen.*, *Distribut.*, 20 dec. 1862 (cf. Card. Gennari, *Consultazioni morali-canoniche-liturgiche*, vol. II, p. 283).

In themate, observant praeterea Capitulares recurrentes, consuetudinem et conventionem non posse adduci quoad distributiones ordinarias seu quotidianas; bene vero aliquid operari posse circa *extraordinarias* seu eventuales, ut communis doctrina est (cf. Bened. XIV, *Instit.*, cap. VII, n. 58; Piton., *Discept.*, 1; Scarfant., *ad Ceccop.*, l. II, t. X, n. 1) ac semper tenuit haec S. Congregatio, sub clausula tamen « dummodo oblatorum vel testatorum non obstet voluntas ». Hinc concludunt, nisi potius sit in casu, allegatam conventionem et consuetudinem damnare, prout reprobatas in textu Concilii Tridentini, eas interpretari et sustinere licebit, tantummodo quoad fructus praebendae, vel ad summum quoad distributiones extraordinarias, de quibus in casu nulla fit quaestio.

b) *Argumenta favore Curatorum adducta.* – Ius quod attinet, canonici curati, adversariorum allegationes minime respuunt, nec inficiantur causam legitimae absentiae in casu non posse invocari, nisi evidentem utilitatem ecclesiae de cuius distributionibus agitur; itemque concedunt omnino non esse admittendos ad distributiones, qui curam animarum exercent in ecclesiis *prorsus extraneis*, *nullaque ratione pertinentes* ad illam, cuius sunt controversae distributiones. Sed nihil ultra. Sufficit enim textus ipsos ex adverso citatos legere, ut statim appareat vetitum illud restringendum esse ad curam exercitam in ecclesiis omnino *aliis* a cathedrali, seu ad Capitulum neque actualiter, neque habitualiter, nec ulla alia ratione spectantibus. Etenim S. P. Pius V, in const. *Cupientes*, loquitur de his tantummodo, qui, quum sint Canonici, onus habent curae animarum in ecclesia a canonicali *prorsus extranea:* adeo ut iuxta Fagnani explicationem « legitima dispensatione » opus sit, ut utrumque beneficium quis possideat: nec aliter Benedictus XIV in l. c. (*Istruz.*, CVII, n. 56) ubi recte arguit in hypothesi de vera et reali distinctione inter canonicatum et parochiale beneficium. Ex recentioribus vero sufficit ipsum De Herdt adducere, qui, l. c., *Prax. capit.*, c. XXVIII, communem doctrinam ita contrahit: « Extra ecclesiam cathedralem non licet Canonico eiusdem ecclesiae exercere animarum curam, *quae nec actualiter nec habitualiter ad Capitulum spectat:* nam hoc cum canonicatu incompatibile videtur. Excipitur tamen, si Apostolica adsit dispensatio, quo in casu Canonicus in parochiali ecclesia residere debet, et eodem tempore fructus praebendae dumtaxat Canonicatus lucratur ». In quo textu scriptor hic prae oculis habere videtur saepius relatam a Canonistis resolutionem H. S. C. in *Venusina*, diei 30 iulii 1763, quae ita sonat: « Distributiones amittunt curam animarum exercentes in alia ecclesia, *quae ad Capitulum non pertinet, neque actualiter, neque habitualiter* ».[2]

At quidem, in casu, contendunt canonici curati, nullo modo posse suas ecclesias dici extraneas, alienas, non pertinentes ad cathedralem. Ad hoc

[1] Cf. N. 4026.
[2] Cf. N. 3729.

evincendum sufficit iuxta eos recolere: 1. Antiquitus, nemine dissentiente, ante saec. XVII, universam curam parochialem in civitate *N.* fuisse omnino apud Capitulum 2. Saeculo XVIII divisum fuisse quidem territorium, sed ita ut parochialitas, seu cura, saltem *habitualis*, manserit integra in cathedrali. Argumento sunt Statuta capitularia, adhuc vigentia, in quibus legitur: « Ecclesia parochialis ipsa Cathedralis est, ceteraeque omnes, in quibus cura exercetur animarum, sunt filiales et *vicariae parochiales* illius; *Oeconomi* autem appellantur, qui eamdem curam gerunt »; ac propterea — monent eadem statuta — « quod ad curam *actualem* inducti sunt Oeconomi parochiales, illis numquam de iure nomen titulusque Parochorum aptatum est »; et revera in omnibus actis capitularibus, non excepta Conventione cuius verba recitavimus, numquam nominantur Parochi simpliciter, sed cum addito correctivo: « Canonici Parochi seu potius Oeconomi Curati ». Nec solum de denominatione res est, verum etiam de iuribus plurimis, quae sibi reservat, tamquam universalis paroecia, ecclesia cathedralis quaeque Canonici-curati, non contradicentibus Capitularibus, ita recensent: « *a*) Sola cathedralis *erigit crucem* in exequiis defunctorum totius civitatis; *b*) *pro matrimoniis* ubicumque celebrandis, ipsa cathedralis certum exigit emolumentum; *c*) *libros baptizatorum* conservat, atque ideo sua facit emolumenta in actorum copiis extrahendis; *d*) in festo titulari cathedralis *tributum quoddam cerae* a singulis paroeciis exigit; *e*) demum sola ecclesia paroecialis *fontem baptismalem* habet, atque, quod caput est, omnes paroeciani (id est omnes cives) *praeceptum paschale* in ipsa Cathedrali adimplere debent ». Haec autem omnia non possunt competere nisi personae morali, seu ecclesiae habenti curam animarum saltem habitualem. Dici igitur nequit ecclesias in quibus canonici curati exercent animarum curam, *non pertinere* ad cathedralem, sed immo tenendum huic illas habitualiter adhaerere ac propterea moralem praesentiam curam agentis in cathedrali continuari, ut verbis utamur cl. D'Annibale (*Summula*, lib. III, n. 493): « quasi absentis Ecclesiae suae causa: atque ideo si paroecia excitata sit in ipsa Cathedrali ».

c) Hic autem rerum status nostris temporibus minime immutatus est, sed immo luculentior evasit. Ut enim in *specie facti* observatum est, recentiore aevo Capitulum apud Gubernium contendit, et quidem cum effectu, sibi adhuc competere curam parochialem saltem habitualem, atque ita consecutum est conservationem eorum bonorum, quae postea Gubernium ad paroeciarum dotationem addixit: quae bona, quum ex inita conventione a Sacro hoc Ordine approbata « nomine et utilitate parochorum a Capitulo, sicut in praeterito, simul cum Massa communi « administrari debeant », revera videtur universus rerum status rediisse omnino, saltem perdurantibus praesentibus rerum adiunctis, in eam conditionem, in qua cura animarum totius territorii erat apud Capitulum et per Capitulares exercebatur. Exinde profecto cura animarum ipsi beneficio canonicali adnexa censenda erat, vel saltem eius actuale exercitium agi nomine Capituli eamdem habitu retinentis: quod, nemine denegante, satis est ad evincendum controversum ius distributionum percipiendarum.

Quibus positis, ipsa conventio, in qua explicite statuitur: « Canonicos

parochos seu potius Oeconomos Curatos, prout ceteri omnes servitio Ecclesiae cathedralis mancipari, *excepto tamen tempore quo curae animarum officiis sunt detenti* », minime censeri potest irrita et nulla, quasi legi canonicae adversetur. Est immo conventio *iuxta* legem dicenda, quia lex excludit quidem a percipiendis distributionibus canonicos, qui curam gerunt in ecclesiis sub quocumque respectu extraneis, non tamen illos qui curam exercent in ecclesiis tantummodo materialiter diversis a cathedrali, ad quam, ut in casu, habitualiter referuntur, adeo ut omnino tamquam *pertinentiae* illius sint censendae. Atque prout talis ab hoc Sacro Ordine conventio illa approbata fuit; quae circumstantia omnem controversiam dirimere videtur. Nec admitti potest interpretatio restrictiva, quam *nunc* Capitulares eidem conventioni affigunt, quasi liceat *per eamdem* canonicos curatos fructus praebendae dumtaxat, non autem distributiones percipere: tum quia contra factum non valet argumentum, et in facto est, prout a Capitularibus conceditur, iam a triginta annis et ultra, conventionem ita executioni demandatam esse, ut curati animarum cura impediti universas distributiones sive quotidianas sive eventuales, non solos praebendae fructus, perceperint, et a punctaturis omnino soluti fuerint; tum quia frustra, ad fructus praebendae percipiendos, in hac hypothesi, exigeret conventio « Oeconomos curatos... *servitio* Ecclesiae, cathedralis mancipari, *excepto tamen tempore* », etc., quia, iuxta const. *Cupientes* S. P. Pii V, ad percipiendos praebendae fructus absque distributionibus nullum *servitium* requiritur, sed sola sufficit *residentia* in propria paroecia.

Resolutio. – His igitur ab utraque parte in medium deductis, iudicio Emorum Patrum S. C. Concilii, in plenariis Comitiis die 12 loco 13 decembris 1913 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, dirimendum propositum fuit dubium supra relatum, nempe:

An tres Canonici-curati Capituli Cathedralis N. praesentes in choro habendi sint ad hoc, ut distributiones quoque omnes lucrari possint, quae non sint stricte inter praesentes, quoties choro absunt, ut paroecialibus incumbant ministeriis aut in paroecialibus ipsis ecclesiis, aut in aliis intra ambitum uniuscuiusque paroeciae in casu.

Ad quod rescriptum prodiit:

« Attentis peculiaribus rerum adiunctis, iisque perdurantibus, *affirmative* ».

Quam Emorum Patrum resolutionem, SSmus, in audientia diei 15 eiusdem mensis et anni, infrascripto Secretario concessa, approbavit. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VIII, p. 439-445].

4367.

S. C. C., *Iacien.*, 25 apr. 1914.

Species facti. – Ad hanc S. Congregationem Concilii misso supplici libello, quidam Canonicus ecclesiae Cathedralis Iaciensis exponebat, se a die 26 martii 1874 per quadraginta iam annos chorali servitio operam

dedisse assiduam, et quidem: *a*) a die supradicta ad diem 15 decembris 1875 tanquam mansionarium choralem super numerum, absque ulla retributione; *b*) a die 16 decembris 1875 ad 30 iunii 1901 tanquam mansionarium praebendatum; *c*) a die 1 iulii 1901 usque in praesens tanquam canonicum. Supplicabat igitur pro indulto iubilationis ex legitima quadragenarii servitii causa impetrando.

Oratoris preces, ut de more, remissae sunt ad Episcopum Iacien., ut hic, audito voto Capituli, suam quoque de re sententiam panderet. Capitulum vero, quamquam unanimiter decerneret de laudabili atque assiduo Oratoris servitio, negativum suffragium dedit, duplici ex causa. Primo, quia, dum iubilatio dumtaxat vero et proprio beneficiato concedi consuevit, constat Oratorem ante diem 16 decembris 1875 non fuisse verum beneficiatum, sed honorarium aut supranumerarium; quamobrem quadragenarius annorum circulus tantum exeunte mense decembri 1915 utiliter ad effectum, de quo agitur, complebitur. Secundo, quia, attento quod in eodem capitulo tres chorales iam habitualiter absunt, duo nempe causa infirmitatis, tertius causa obtenti olim indulti iubilationis, alii autem canonici ex officio passim a choro impediuntur, notabile detrimentum chorali servitio ex iubilatione petita oriturum praevidetur. De hac altera contraria causa Episcopus quoque in suis litteris testatur, qui propterea submisse censet, ut, si Oratoris preces benigne excipiendae sunt, illi tamen onus imponatur choro inserviendi saltem diebus festis et dominicis, quod onus, cum corporis robore satis vigeat, Orator commode ferre poterit.

VOTUM CONSULTORIS. – Qui super hac facti specie scripsit Consultor adnotat in primis, iubilationis gratiam non concedi ex aliquo iuris nostri textu, quum hac de re sileant sacri canones. Ex benignitate nihilominus Ecclesiae, argumento deducto ex leg. *A muneribus*, ff. *de vacat. et excusat. munerum*, iamdudum usus obtinuit, ut in ecclesiastica quoque militia, ceu fieri solet in saeculari, quiescere aliquando et emeritorum frui stipendiis is valeat, qui assidue e laudabiliter quadraginta annorum continuato spatio servitium chorale expleverit: Garcia, *de benef.*, p. III, c. 2, § 1; Benedictus XIV, *Syn. dioeces.*, l. XIII, c. 9, n. 13 ss.; Fagnanus in cap. *Licet, de praeb.*, n. 116, aliique. Ea autem benignitas in dies augeri, potiusquam coarctari visa est: nam, quamvis antiquitus ad huiusmodi favorem obtinendum omnino requireretur servitium in eadem prorsus ecclesia praestitum, immo ab eo, qui unam eamdemque semper praebendam obtinuisset, iamdiu concedi ab hac S. Congregatione iubilatio consuevit propter servitium tum in diversis ecclesiis, tum in diversa praebenda a petente praestitum, v. g. partim tanquam capellano seu mansionario, partim tanquam canonico, ceu constat ex *Dubiis, de iubilat.*, resol. d. 17 dec. 1718;[1] ex caus. *Perusina*, 8 apr. 1784; *Recineten.*, 23 nov. 1805; *Verulan.*, 17 sept. 1842; *Roman.*, 12 dec. 1899; *Signina*, 27 iunii, 1908, etc. Semper tamen firmum stetit, iubilationem concedi dumtaxat causa quadragenarii, non autem v. g. ob senium, aut infirmitatem, quibus incommodis occurrere solet S. C. per concessam dispensationem, a qua iubilatio prorsus differt.

[1] Cf. N. 3181.

At vero, in casu, Oratorem assiduum et laudabile praestitisse chorale servitium extra omnem dubitationis aleam positum est. Difficultas omnis consistit super tempore quod decurrit a die 26 martii 1874, quo Orator renunciatus fuit mansionarius *supra numerum* et absque ulla retributione, ad diem 16 decembris 1875: quaeritur ergo, an mansionariatus supranumerarius censeri debeat verus titulus beneficialis, ad effectum obtinendae iubilationis, adeo ut tempus, quo Orator eo titulo choro inserviit, possit coniungi cum reliquo tempore ad complendum utiliter 40 annorum spatium. Haec autem quaestio alteram quaestionem magis amplam implexamque involvit, quae est de natura et conditione iuridica canonicatus, seu in genere beneficii supranumerarii.

« Canonici autem (sive generatim chorales) supranumerarii — ait Ferraris (s. v. *Canonicatus*, art. XI, n. 22) ordinario dicuntur illi, qui in Canonicorum collegium cooptantur et canonici creantur ultra numerum certum praebendarum et canonicatuum, absque ulla praebenda illis statim attributa, ut ex Glossa et Abbate in c. *Cum magister*, 9, *de constit.*, resolvit Azor., *Inst. moral.*, p. II, l. III, c. 11, q. 13; Barbosa, *de Canon.*, c. III, n. 12 ». Nam — ut rite explicat idem Ferraris (s. v. cit., sub init.) — aliud est canonia sive canonicatus, aliud praebenda; canonia, seu vulgo canonicatus, est ius spirituale, quod provenit ex electione sive receptione alicuius in fratrem, seu in canonicum, dum praebenda est competens portio fructuum canonicalium. Si quis autem simpliciter in canonicum receptus fuerit, antequam redditus canonicales eidem assignentur sive conferantur, dicitur habere canoniam, hoc est canonicatum; nondum vero praebendam habere dicitur, quae ulterius importat ius ad percipiendos fructus annuos debitos ex titulo canonicali. Qui utrumque habet, nempe titulum canonicalem, et praebendam, is canonicus praebendarius appellatur: cap. *Sanctorum*, 2, dist. 70.

Hos canonicos supranumerarios, sive sine praebenda, *de facto* haberi in plurimis dioecesibus, in comperto est: eosque *de iure* etiam, ante sacrosanctam Tridentinam Synodum rite constitutos fuisse, certum est apud omnes. Dubitant tamen nonnulli, num hi supra numerum canonici, post leges tridentinas latas, quae *expectativas* cuiuscumque generis aboleverunt, hodie, sine Apostolica facultate, ab Episcopis universim institui possint. Hanc controversiam in casu penitius explorare non oportet: saltem enim in hoc facile omnes convenient, excessum quem utraque sententia sive affirmans, sive negans, in se habet, devitari ab eo qui teneat, posse quidem etiam hodie canonicatus ultra numerum ab Episcopo servatis servandis conferri, ita tamen ut canonia sic conlata, *de se*, non tribuat ius ad futuram vacantem praebendam; quod definite ius lege tridentina de expectativis tollendis sublatum est. Nec enim videtur admittendum, ius ad futuram praebendam, esse elementum necessario inhaerens canoniae, adeo ut concipi nequeat vera canonia sine illo iure; nam canoniae proprium est *officium* canonicale, ius autem ad praebendam sive actualem sive futuram potius ad *beneficium* attinet; notissimum vero est in iure canonico aliud esse officium, aliud beneficium, quod definiunt ius percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis *propter officium* sacrum. Quod si non congruit esse beneficium absque

officio, non repugnat e converso dari officium sine beneficio. Et sicut ante instituta beneficia seu praebendas, iamdudum exstiterant, ab exordiis nempe, officia sacra, ita minime repugnat etiam in praesenti officia a beneficiis auctoritate Ecclesiae separari, adeo ut ea sine beneficiis aliquando subsistant.

In hoc sensu facile intelliguntur plures S. C. Concilii resolutiones, quas afferunt, qui hanc facultatem Episcopo denegant. Ita refert Fagnanus (in c. 9, *de Constit.*, n. 65) Sacram Congregationem censuisse « posse ab Episcopo canonicos supranumerarios creari, ea tamen conditione, ut nullum ius ad praebendam vacaturam habeant, vel sibi vindicent *ex tali erectione* ». Similiter Gonzalez, ad reg. VIII, Cancell. Ap., § 1, prooem., n. 64, affert aliam declarationem datam a S. C. C. ad Sess. 24, c. 19, *de ref.*, his verbis: « Ex hoc decreto expectativarum abrogatarum, colligitur, non posse erigi canonicatum supernumerarium *cum iure ad futuram praebendam* ». Idque magis etiam perspicue evincitur ex duabus S. C. C. resolutionibus, quas allegant passim contrarium tenentes: videlicet *Veliterna*, 23 aug. 1737, in qua S. C. C. censuit concedendam esse Ordinario postulatam facultatem conferendi canonicatum sine participatione fructuum nec distributionum, non vero esse adiiciendam conditionem ab Ordinario propositam, nimirum quod taliter provisus obtinere deberet praebendam primo vacaturam; et *Eystetten.*, 1 dec. 1731, [1] in qua, proposito dubio: « An iis, quibus episcopus antecessor contulit canonicatus praebenda carentes... teneatur hodiernus Episcopus conferre praebendas vacaturas, vel potius libere eas possit aliis conferre », responsum est: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam » (cf. etiam Santi, *Prael.*, l. III, tit. VIII, n. 13, ubi plures scriptores affert). Quod si de facto, ordinario, habentes tales canonias sine praebendis, promoveri soleant, sive iure optionis, sive per novam provisionem, ad canonicatus praebendatos, id quidem non necessario fit, nec certe vi primae collationis, sed *diverso* omnino titulo.

Haec autem edicentes minime adiudicamus Episcopo arbitrariam facultatem, hosce canonicos supranumerarios indiscriminatim et pro lubito creandi, sed immo circumscriptam limitibus necessitatis, quae pro chorali servitio urgeat, servatisque omnibus de iure servandis, praesertim quoad praevium consensum canonicorum exquirendum, et quoad legitimas in re consuetudines sive statuta observanda. Vicissim, quum de numero loquimur ultra quem, cum praefatis conditionibus, tales canonicos instituere fas est, eum intelligimus profecto, qui lege ecclesiastica saltem locali praefinitur, non autem quem nonnumquam laica potestas praescribere praesumpserit; ultra quem electi et constituti, *integrum suum ius* ad praebendam servant, etsi ab *exercitio* huius iuris ab extrinseco, propter usurpationem, impediantur. « Omnis enim res per quascumque causas colligitur, per easdem (non per alias) dissolvitur » (reg. I iuris).

Porro de hisce canonicis sive choralibus, supra numerum, legitime tamen, constitutis, quaeri solet, quaenam eorum sint iura, in comparatione praesertim cum praebendariis. Scite respondet De Herdt (*Prax.*, cap. XI,

[1] Cf. N. 3379.

§ I, 4): « Hi canonici supranumerarii, *vere et proprie* sunt canonici, quatenus praebenda et canonicatus distinguuntur, et canonicatus sine praebenda exsistere valet. Si veri sunt canonici, videtur saltem dicendum eos stallum seu locum in choro habere; an lucrentur distributiones, et quae alia eorum sint iura, ad haec potissimum est attendenda consuetudo. Tanquam veri canonici, eligi possunt in iudices synodales, in delegatos Apostolicos, etc. Praecedunt coadiutores et canonicos honorarios, locum autem cedunt canonicis numerariis eiusdem ordinis, etc. ». Ex quibus etiam patet, nullo modo posse canonicos supranumerarios confundi cum canonicis *honorariis:* hi enim postremi, licet habeant stallum in choro, non habent onus perpetuum assistendi choro, cum pro lubito assistant, nec habent vocem in capitulo, nec percipiunt distributiones; dum e converso canonici supranumerarii habent locum in choro cum onere perpetuo assistendi; salvis quidem legitimis consuetudinibus, per se tamen habent vocem in capitulo, quum ad hanc habendam minime requiratur, per se, participatio massae; et possunt percipere distributiones chorales, ut in casu, in cathedrali nempe Iaciensi, iam obtinet, quoad mansionarios supranumerarios.

Iam, quaestionem propius quod attinet, receptum omnino est apud H. S. C. tempus, quo quis inserviit tanquam *canonicus honorarius* iungi non posse servitio quod laudabiliter postea praestitit, uti verus canonicus, ad effectum consequendae iubilationis (cf. v. g. *Piscien.*, *Iubilationis*, d. 3 iulii 1819). Et ratio in promptu est, quia videlicet canonicus honorarius non tenetur onere perpetuo assistendi choro, sed pro lubito assistit, et ideo nequit exhibere titulum perpetui servitii, ex quo tantummodo habetur ratio temporis utilis ad effectum, de quo agitur. Ex adverso canonicus supranumerarius, per se saltem, huiusmodi perpetui servitii onere tenetur, immo huius servitii intuitu, ut diximus, creari solet: quamobrem si huic oneri revera et fideliter satisfecit, tempus servitii praestiti a canonico (et idem tenendum de mansionario) supranumerario, iure iungitur aliis temporibus idoneis, ad quadragenarium complendum. Argumentum desumi quoque potest ex canonico coadiutore, qui, si *revera* laudabiliter et continuo servitium chorale praestitit, procul dubio indultum iubilationis suo tempore consequitur, quamvis non habeat titulum proprium, et sit *fictus*, non verus canonicus (S. C. C. in *Asten.*, 26 aug. 1780; *Foroliv.*, 16 sept. 1826, etc.); dum canonicus supranumerarius est verus canonicus, et habet titulum proprium et, de se, perpetuum.

Quae omnia ad casum trahendo, pronum est in proposita specie respondere, canonicum oratorem, qui laudabile et assiduum choro servitium praestitit per 40 iam annos, licet sub diverso titulo, gratiam iubilationis *ratione temporis* bene promeruisse; eaque immo digniorem se reddidisse, inspecta aequitate canonica, si per aliquod tempus titulo gratuito et sine ulla retributione, ex voluntate Episcopi, servitium illud obivit.

Quod autem spectat capituli et Episcopi votum, Consultor in primis adnotat, non eum in finem ea a S. Congregatione exquiri, ut consensum haec obtineat gratiae concedendae, sed dumtaxat, ut constet de laudabili per 40 annos continuato, et detegantur, si quae sint, causae Oratoris inten-

tionem impedientes. Huiusmodi causae non afferuntur, excepta praetensa necessitate choralis servitii: verum, praetermisso quod hic defectus *per se* impedire non potest gratiam concedendam, ut animadversum est nuperrime in *Signina*, *Iubilat.*, 27 iun. 1908 (*Thesaur.*, 1908, p. 358, s.), eo quod in indulto iuxta suetam formam clausulae limitativae pro casu necessitatis explicite apponuntur, et, si non apponerentur, tacite tamen inessent, in casu non constat grave detrimentum chorali servitio ex concedenda gratia esse timendum: numerantur enim in capitulo Iaciensi praeter Oratorem 29 chorales, ex quibus tres tantum habitualiter absunt; pauci alii, temporario indulto quidem fruuntur, non tamen pro diebus festis et dominicis et cum clausula « dummodo inde chori servitium nihil detrimenti capiat ». Antequam igitur denegetur propter necessitatem servitii choralis postulata iubilatio, adimplendae sunt per alios conditiones obtentis dispensationibus adiectae, ad quas exigendas ius Episcopus, immo et officium habet.

Resolutio. – Porro, subiectis Eñis ac Rñis S. Congr. Concilii Patribus precibus Oratoris, in plenariis comitiis habitis die 25 aprilis 1914, iidem Eñi Patres, re mature perpensa, rescribendum censuerunt:

« Pro gratia iubilationis, *facto verbo cum SSño* ».

SSñus autem, in audientia postmodum infrascripto Secretario concessa, resolutionem Eñorum Patrum ratam habere dignatus est. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 382-387].

4368.

S. C. C., *Papien.*, 16 dec. 1914.

Ordinarius Papiensis haec dubia de Missa pro populo applicanda, ad Sacram Congregationem Concilii pro opportuna solutione detulit, nimirum:

I. Utrum, post immutationes definitive nuper in festorum quorumdam celebratione inductas, obligatio pro parochis adhuc maneat applicandi missam pro populo sequentibus diebus: die 19 martii in festo S. Iosephi, feria IV ante dominicam tertiam post Pascha in festo Patrocinii eiusdem S. Iosephi, feria quinta post dominicam primam post Pentecosten in festo SSñi Corporis Christi, et die 24 iunii in festo S. Ioannis Baptistae?

II. Utrum, quum in dioecesi Papiensi festum S. Bartholomaei Ap. ob perpetuum impedimentum ex festo Dedicationis ecclesiae cathedralis die 24 augusti occurrente, perpetuo, tamquam in sedem propriam, in posteram diem 25 augusti fuerit translatum, missa pro populo hac ipsa die applicari debeat, an potius die 24 augusti?

III. Utrum, attento quod in Papiensi dioecesi, diebus festis suppressis, missa pro populo celebranda, ex apostolico indulto, ad mentem episcopi applicatur, tolerari possit quod parochi, non ipsa die qua tenerentur, neque per se, sed per alium sacerdotem, missam ut praefertur applicandam celebrent?

Et Sacra eadem Congregatio, die 16 decembris 1914, ad proposita dubia rescripsit:

Ad I. Affirmative, excepta feria IV ante dominicam tertiam post Pascha, qua festum Patrocinii S. Iosephi celebratur.

Ad II. Missam pro populo, in casu, celebrandam esse die 25 augusti.

Ad III. Affirmative.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 26, 27].

4369.

S. C. C., *Gerunden.*, 22 febr. 1915.

Species facti. – Occasione postremae vacationis sedis episcopalis Gerundensis, agitata fuit controversia, num vicarius capitularis, dum suo munere occupatus a choro abest, lucretur *distributiones quotidianas* quas vocant. Ad rem referebat vicarius capitularis in pluribus Hispaniae dioecesibus « morem regulariter observari, ut canonicus, qui ad munus vicarii capitularis a capitulo electus fuerit, titulo vel causa utilitatis ecclesiae propriae, quam omnimode regit atque gubernat, quamvis choro non intersit, ita praesens reputetur, ut non solum proventus suae praebendae recipiat, sed etiam distributiones quotidianas, amissis distributionibus *inter praesentes tantum* »; verumtamen addebat, in dioecesi Gerunden. hunc morem sequutum tantum fuisse ultimum vicarium capitularem, quod profecto non sufficit ad legitimam consuetudinem affirmandam. Seposita autem consuetudine, « quamvis haec praxis videatur aequa et conveniens, eo quod assistentia choro divinisque officiis una cum administratione vacantis ecclesiae valde onerosa efficiatur », tamen ius circa illam, etiam ex doctorum interpretatione, dubium incertumque oratori apparebat, quum nulla afferatur authentica S. Congregationis decisio, et magna sit hac super re interpretum dissensio; quamobrem, ut consultius se gereret, haec dubia reverenter ad S. Congregationem deferebat, nimirum:

I. *An praedictus mos et praxis in pluribus dioecesibus adhibiti, prouti iacent, sustineri possint.*

II. *An saltem vicario capitulari licitum sit, diebus et horis, quibus in administratione ecclesiae vacantis occupetur, a choro abesse, amissis distributionibus inter praesentes tantum.*

Animadversionis. – Primum dubium quod attinet, videtur non esse circa illud interloquendum. Respicit enim alienas dioeceses, quarum praxim in sua vera indole nescimus, sicut etiam nescimus quas ob rationes enunciatus mos in eis inoleverit; quamobrem sententia proferenda esset inauditis partibus, quod absonum.

Alterum vero dubium, quum controversiam attingat omnino genericam, pro ipsius resolutione ea adnotantur tantum, quae in utramque partem a doctoribus afferri solent.

Circa iurisprudentiam S. Congregationis apud Pallottini (*Collectio resol.*, sub voce *Vicarius cap.*, § III, n. 19) tantum recolitur causa *Ascu-*

lan., *Visitationis dioecesis et distributionum*, 8 maii 1683, ubi tamen alterum dubium, ad rem nostram faciens, dimissum invenitur responso *Dilata*. Quae autem nonnumquam occurrunt in *foliis*, v. g. in *Asculan.*, 29 iul. 1848, in *Mexican.*, 24 ianuarii 1857, profecto non sunt talis auctoritatis, quae sufficiant ad quaestionem solvendam.

Argumentum praecipuum, quod afferri solet ab iis, qui vicario capitulari controversum ius asserunt, desumitur ex cap. unic. Bonif. VIII, *de cler. non resid.*, in sexto, ubi causae excusantes a choro per principium generale sic definiuntur: « infirmitas, seu iusta et rationabilis corporis necessitas, *aut evidens ecclesiae utilitas* ». Porro, aiunt, causa evidentis utilitatis ecclesiae potissime iuvat vicarium capitularem, qui sede vacante unus integrum fere regimen dioecesis sustinet, quod sede plena ab episcopo, adiuvante vicario generali, gerebatur. Et comparatione instituta cum aliis, qui hoc titulo utilitatis ecclesiae habentur praesentes quamvis absentes, et lucrantur distributiones, v. g. cum procuratore capituli ad negotia vel lites, cum theologo et poenitentiario, qui docent in seminario, cum vicario curato, dum paroeciali curae attendit, quin immo, cum canonico, qui comitatur episcopum in visitatione SS. Liminum, facile sibi persuadent, his officiis multo magis utile, immo omnino necessarium, ecclesiae esse totius dioecesis regimen, quod vicario capitulari imminet (cf. ex veteribus doctoribus plures laudatos apud Ferraris, v. *Vicarius cap.*, art. I, n. 50; ex recentioribus canonistis Bouix, *de capit.*, p. III, cap. II, § 13; Gennari, *Cons. canon.*, XIV, n. 6; Wernz, *Ius decret.*, II, tit. XXXVI, n. 139, etc.).

Adversus hanc praefati capitis interpretationem opponitur sensus, quo communiter accipitur *utilitas ecclesiae* in casu, quam nempe utilitatem etiam haec Sacra Congregatio semper coarctavit ad utilitatem ecclesiae, *cuius sunt distributiones*, seu ad ecclesiam beneficii (cf. cit. *Asculan.*, 29 iul. 1848). In hoc quidem consentiunt etiam multi inter eos, qui favorabilem vicario capitulari opinionem tuentur, v. g. Garcia, dum scribit (*de benef.*, p. III, c. 2, n. 342): « ad eorum (fructuum) acquisitionem in absentia, non sufficit utilitas ecclesiae seu episcopatus in genere; sed requiritur in particulari utilitas ecclesiae, de cuius fructibus agitur »; iique propterea opponunt, revera vicarium capitularem « censeri in servitio suae ecclesiae, cum magis commodum sit ecclesiae, ut deputetur iurisdictio in eum, quam ut geratur per totum capitulum » (Garcia, l. c., num. 358), et arguunt ex comparatione cum vicario curato: sicut enim is loco capituli curat bonum paroeciae, ita vicarius capitularis loco capituli curat bonum dioecesis. Sed contra respondetur cum Passerinio (in h. cap.): « Vicarius capitularis fungitur quidem vice capituli, sed quatenus hoc est successor in iurisdictione episcopi, et non agit ad utilitatem ecclesiae cathedralis vel capituli, ut est ecclesia specialis, sed agit ad utilitatem episcopalis dioecesis; atque ideo, sicut canonicus episcopus non percipit distributiones, si non intersit, ita multo minus illas lucratur ex eadem causa vicarius capitularis ». Vicarius autem curatus et omnes alii, qui citari solent in comparatione vicarii capitularis, etsi multo minus necessarium munus exercent, agunt tamen ad utilitatem capituli, quatenus est capitulum seu ecclesia specialis; vel percipiunt distributiones ex privilegio aut indulto peculiariter concesso a Romano Pontifice, ut v. g. canonicus, qui comitatur episcopum ad visitanda Limina Apostolorum. Idcirco non valet asserta paritas.

Verum, potissimum argumentum ad abiudicandum vicario capitulari controversum ius, desumitur ex eo quod eidem vicario, pro munere ipso quod gerit, assignetur vel saltem assignari debeat, congruum stipendium. Etenim iuxta canonici iuris sanctionem ac S. Congregationis stylum, nullus canonicus a choro absens ratione muneris sibi commissi, quotidianas distributiones lucratur, *ubi pro dicto munere congruum percipiat stipendium;* cf. v. g. *Carthaginen.*, 11 april. 1891, quoad canonicum theologum. Idipsum igitur censendum videtur de vicario capitulari (cf. etiam in hanc negativam sententiam, Monacell., Moneta, Barbosa, etc., apud Ferraris, l. c., d'Annibale, *Summula*, vol. III, n. 181, not. 41).

His praenotatis, quaesitum fuit, quomodo dubia a vicario capitulari Gerunden. proposita essent dimittenda.

Resolutio. – S. Congregatio Concilii, in plenariis Emorum Patrum comitiis habitis die 20 februarii 1915, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Non propositum.

Ad II. *Ad mentem. Mens est:* « Vicarium Capitularem in casu, dum suo muneri vacat, excusari a choro, sed percipere praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones ».

Facta autem de praemissis SSmo Dño nostro Benedicto div. Prov. Pp. XV relatione per infrascriptum S. C. Secretarium, Sanctitas Sua, in audientia diei 22 eiusdem mensis et anni resolutionem Emorum Patrum approbavit. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 262-265].

4370.

S. C. C., 15 oct. 1915.

Quum in Constitutione Apostolica *Incruentum altaris*, diei 10 augusti huius anni[1] sub num. 1 data fuerit facultas « omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur solemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter Sacrum facere; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus », sequentium dubiorum solutio a S. Congregatione Concilii expostulata fuit, nimirum:

I. Ad normam praefatae Constitutionis, in die solemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum, possuntne Sacerdotes unam e tribus Missis, quae magis eis placet, cui maluerint applicare et stipem inde percipere, vel primam tantum exclusive?

[1] Cf. N. 706.

II. Pro unica Missa quam illa die sacerdotes possunt cui maluerint applicare et stipem inde percipere, possuntne maiorem exigere eleemosynam, vel contenti esse debent eleemosyna ex constitutione synodali, vel consuetudine locali statuta?

III. Potestne sacerdos pro aliis duabus Missis, quas illa die celebrat pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Pontificis, aliquid accipere ratione laboris, seu incommodi extrinseci, puta si ad aliorum commodum illas celebrare debeat hora vel loco satis incommodo, puta in aurora vel circa meridiem, in ecclesia vel oratorio rurali, aut coemeterii; vel ne hoc titulo quidem valeat aliquid percipere?

IV. Potestne sacerdos, etiam remoto quovis motivo lucri, alias duas Missas illa die pro suo arbitrio applicare et stipem percipere, et insequentibus diebus applicare per se vel per alium duas Missas, unam pro fidelibus defunctis, alteram ad mentem Pontificis?

Et quatenus negative:

V. Potestne Episcopus poenam suspensionis, etiam latae sententiae, et non faciendi suum stipendium, irrogare in eos qui ita agerent?

Sacra autem Congregatio Concilii ad proposita dubia respondendum censuit prout respondit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam, excepto casu ultroneae oblationis, vetita tamen non solum petitione, sed etiam quacumque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur.

Ad III. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad IV. *Negative*.

Ad V. *Affirmative*.

Datum Romae, die 15 octobris 1915. – F. Card. Cassetta, *Praefectus*. – O. Giorgi, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 479, 480].

4371.

S. C. C., *Hispalen.*, 18 iun. 1916.

1. Species facti. – Quidam sacerdos Dignitatem obtinens in Capitulo Metropolitano Hispalensi, dato supplici libello ad hanc S. Congregationem, humiliter postulavit indultum perpetuae iubilationis, ex legitima causa quadragenarii servitii, quod obivisse se asseverabat, per sexdecim annos in praefata cathedrali Hispalensi, per antecedentes vero in ecclesia Collegiata Matritensi, in cathedrali Terulensi, ac iterum in ecclesia Matritensi, ex quo haec erecta fuerat in cathedralem. Preces commendabat Emus Archiepiscopus Hispalensis, referens quoque de favorabili voto Capituli; eisdemque precibus addebantur attestationes Capitulorum Matritensis et Terulensis, quibus plena assertorum fides elucebat.

Super his autem opportunum visum est sententiam exquirere unius e S. Congregationis Consultoribus.

2. Votum Consultoris summatim ita referri potest. – Ne Orator intentionem suam consequatur, potissimum obstare videtur contraria praxis S. Congregationis. Etenim, quamvis iubilationis beneficium sit tandem mera gratia ex benignitate S. Sedis concessa, attamen, decurrente tempore, praxi et decretis huius S. Congregationis, nonnullae regulae et conditiones de huiusmodi gratia concedenda firmatae sunt, ex quibus etiam illa est, quod servitium laudabile quadraginta annorum requiritur praestitum in eadem ecclesia aut civitate, vel saltem in eadem *dioecesi*. Ita docent, inter alios, Santi, *Prael.*, ed. IV, vol. III, p. 66, s., auctoritate innixus resolutionum S. C. C. sub d. 17 dec. 1718,[1] et *Verulan.*, d. 17 sept. 1842, nec non praxis inolitae in Urbe, ubi, ait, « pro concessione indulti computatur servitium Chori praestitum successive, in variis vel pluribus Ecclesiis, *dummodo semper Urbanis* »; De Herdt, *Prax. cap.*, c. XI, § 3; De Angelis, *Prael. Iuris*, t. II, p. I, pp. 77, ss.; *Acta S. Sedis*, vol. VI, p. 430, ubi innuuntur solummodo « *rarissimi* casus, quibus S. Pontifex ex *speciali et extraordinaria gratia*, servitium in diversis dioecesibus praestitum coniunxerit ad effectum indulgendae iubilationis », qui casus, quum nulla specifica eorum mentio fiat, atque rarissimi, speciales, extraordinarii dicantur, speciem praeseferre videntur *exceptionis*, quae regulam firmare solet in contrarium. Stat igitur quadragenarium servitium ad iubilationis indultum obtinendum requiri praestitum saltem in ecclesiis *eiusdem dioecesis*.

3. Huius regulae si origo quaeratur, Consultor invenire censet in eo, quod iubilationis beneficium paullatim consuetudine inductum est, tamquam interpretatio extensiva illius causae canonicae absentiae a choro, quae in *utilitate ecclesiae* fundatur. Norunt quidem omnes ad tramites c. un. *de cler. non resid.* (III, 3) in VI legitime lucrari posse distributiones quotidianas eum, qui causa *utilitatis ecclesiae*, cui inservit, a choro abest: hinc effectum videtur, iudicio Consultoris, ut satis censeretur contulisse in utilitatem ecclesiae, deque ea satis meruisse, qui per quadraginta annos eidem ecclesiae laudabiliter inserviisset, adeo ut ab ulterioris servitii gravamine ferendo, ex aequitate quadam solveretur. Idipsum confirmat verbis Fagnani, in c. *Licet*, *de praebendis*, n. 166: « Toleranda sunt statuta ecclesiarum, quibus declarantur Iubilati et immunes a choro, qui per XL annos continuos ecclesiae inservierunt. Hoc enim *in utilitatem ecclesiae* intelligitur esse sancitum, ut Canonici et Ministri spe immunitatis assequendae, ad servitium chori diutius exhibendum alacriores reddantur... Saepe etiam a S. C. C., me Secretario, indultum fuit Canonicis... septuagenariis, qui quadraginta annos continuos divinis interfuerunt, *ut tamquam de Ecclesia bene meriti*, percipere valeant et distributiones, licet choro non intersint » (cf. Garcia, *de benef.*, III, c. II, n. 344). Posita autem hac origine seu ratione iuridica beneficii iubilationis, quum ecclesia de cuius agitur utilitate, profecto ea sit ecclesia, *particularis seu propria*, cui iubilandus adscriptus est, non autem Ecclesia universalis, seu etiam ipsa natio vel dioecesis (cf. *Gerunden.*, *Distributionum choralium*, in *Actis Ap. Sedis*, 1915, p. 262),[2]

[1] Cf. N. 3181.
[2] Cf. N. 4369.

pronum erat inferre repellendum esse a beneficio iubilationis, qui quadraginta continuos annos servitii non peregisset in eadem ecclesia, sed in diversis, licet eiusdem dioecesis, Capitulis.

4. Verumtamen ab hac iuris severitate seu subtilitate paullatim recessum est, adeo ut hodie (prout certum omnino est, etiam ex praxi H. S. C.), minime censeatur canonicae aequitati congruum, quemquam ab hoc iubilationis beneficio repelli, hac una de causa, quod in *diversis* ecclesiis *eiusdem dioecesis* inservierit: idque profecto tum immutatis rerum adiunctis, tum novo cuidam iuridico conceptui iubilationis acceptum referri debet.

Etenim, in primis, hodie in nonnullis ditionibus, ecclesiae collegiatae iam non fruuntur bonis suis propriis, neque independenti gaudent rerum suarum administratione, sed loco praebendarum sunt proventus annui, qui rependuntur a Gubernio ex *massa* quadam, quam illud coacervavit ex ecclesiarum depraedatione; item translationes Canonicorum ex Capitulo ad Capitulum, antiquitus rarae et odiosae, frequentes admodum nostris diebus factae sunt. Quapropter, ei qui, dum noviter in ecclesiam receptus est, postularet tamen iubilationem, non semper recte hodie opponeretur, ignorari in Capitulo praecedentia eius merita, nec posse de bonis Capituli praemio honestari servitia aliis in ecclesiis locisve praestita.

Hinc demum primaevae iuridicae notioni iubilationis ex causa *utilitatis ecclesiae*, alia suffecta est (quae ceteroquin et in praecedenti contineri, vel cum ea coniungi saltem quadam affinitate visa est) in utilitatem scilicet et praemium *personae*, quae respiceret magis *merita propria* Canonici: deducta comparatione ex iure Romano, seu civili, quo cessare aliquando a militia publicisve servitiis, atque emeritorum frui stipendiis concedebatur iis, qui quadraginta saltem annorum spatium utilitati publicae consecrarint, idque ubivis et in quovis gradu seu officio.

5. Haec autem nova iuridica notio, cum suis consectariis, iudicio Consultoris, qui scripsit, minime respuenda videtur, quum satis consonum videatur, ea quae *consuetudine* sunt inducta, *consuetudine* pariter, novis emergentibus rerum adiunctis, temperari et accommodari. Multo magis, quod haec notio iubilationis *personalis* nobilior videatur, et ad effectum ad quem beneficium hoc inductum fuit, assequendum, aptior; nam v. g. Canonicus ab una ad aliam dioecesim translatus post plures annos servitii in prima, ita ut sperare non possit, se alios 40 continuos annos in altera esse emensurum, nec proinde iubilationem fruiturum, alias bene promeritus, multo minus profecto allicietur ad diligentem sedulamque operam navandam servitio chorali, quam si probe sciat tempora servitii praestiti in utraque dioecesi posse simul coniungi.

Porro, si haec generatim admittantur, nihil iam obstare videtur, quominus precibus Oratoris adnuatur. In Hispania enim Canonici nonnisi iis proventibus fruuntur, qui a Gubernio, *pro praestantia Capitulorum*, singulis solvuntur; unde quasi quodam *ascensu* ad meliora translationes Canonicorum de uno ad alterum Capitulum, etiam in diversis dioecesibus, pro *meritis* decernuntur, nec devitari possunt; adeo ut Capitula cathedralia, veluti ex quodam iugi concursu inter clericos omnes nationis de optimis et praestantioribus viris sane provideantur. In nostra demum specie, Canonicus per *sexdecim annos* ecclesiae Hispalensi inserviit, deque ea idcirco satis benemeritus censeri potest: nec ullus subest timor, ne servitium chori, in insigni et numeroso adeo Capitulo, ex hac iubilatione detrimentum capiat. Concludit igitur Consultor, votum Emi Archiepiscopi Hispalensis comprobans, ut petitum in casu indultum benigne concedatur.

Resolutio. – Propositis precibus Oratoris, in plenariis Emorum ac Rmorum Patrum comitiis die 16 iunii 1915 habitis, Sacra Congregatio Concilii rescribendum censuit: *Pro gratia iubilationis, in forma consueta.*

Quam resolutionem SSmus Dominus Noster Benedictus divina Providentia Pp. XV, in audientia die 18 eiusdem mensis infrascripto Secretario concessa, approbavit. – O. Giorgi, *Secretarius.*

[Acta Ap. Sedis, vol. VIII, p. 318-321.

4372.

S. C. C., *Narnien.*, 15 dec. 1916. [1]

Species facti. – Olim in oppido *Calvi*, Narniensis Dioecesis, duae erant paroeciales ecclesiae: altera Collegiata, sub titulo S. Mariae, altera S. Valentini; illa tamen huic longe praevalebat, quippe quae, quum maiore frueretur numero Sacerdotum, fere universam curam gereret, tum oppidanorum, tum ruricolarum; in ea etiam omnes Confraternitates caeteraeque piae Uniones sedem habebant, quae de suis redditibus in expensas cultus divini non modicum conferebant. Extra moenia autem oppidi Conventus Ordinis Minorum cum adnexa S. Francisci ecclesia exstabat, unde ruricolarum spiritualibus necessitatibus satis erat consultum. Igitur Parochus ecclesiae S. Valentini in ea rerum conditione nonnisi exiguam partem territorii oppidi suis pastoralibus curis excolebat; quin etiam haec altera S. Valentini paroecia curam videbatur agere animarum potius vice paroeciae S. Mariae, quam proprio nomine; et revera ad huius curae exercitium deputari solebat unus e Canonicis ecclesiae Collegiatae S. Mariae.

Verum post editas civiles leges suppressionis e suo Conventu discedere coactis Fratribus Minoribus, anno 1895 decrevit Episcopus, ut parochus S. Valentini in ecclesiam S. Francisci sedem transferret, atque noviter circumscriptis utriusque paroeciae finibus, ad paroeciam S. Valentini (deinceps S. Francisci denominandam) omnes ruricolas assignavit; ad paroeciam vero Collegiatam S. Mariae universum intra oppidi moenia territorium adiudicavit.

Hinc factum est, ut christifidelium numerus sub curis paroeciae S. Valentini in ecclesia S. Francisci positorum, a 200 ad 800 increverit, complurimis nempe additis, qui olim sub iurisdictione fuerant paroeciae S. Mariae. Ex huiusmodi vero translatione christifidelium ab una ad alteram curam, nonnulla, ut fieri solet, incommoda et difficultates suborta, quorum potiora et

[1] Datum promulgationis.

graviora iudicio S. Congregationis Concilii subiecta sunt pro opportuna definitione et provisione. Nimirum:

a) In primis, quum non exiguos proventus ecclesia S. Mariae olim percipere soleret ex oblationibus fidelium occasione benedictionis animalium in festo S. Antonii Abbatis, quae fieri consueverat in Oratorio S. Antonii, quod erat, et perseverabat, in territorio ecclesiae Collegiatae S. Mariae, inhibere praetendebat huiusce ecclesiae parochus ne alter parochus benedictionem illam in sua ecclesia S. Francisci impertiret; dum ex adverso S. Francisci parochus ferre nolebat suos parochianos in altera paroecia huiusmodi benedictionem accipere et in eam propterea oblationes conferre.

b) Item, quum, ut diximus, Confraternitates et Piae Uniones, in ecclesia S. Mariae dumtaxat sedem haberent, cuius expensas pro divino cultu non parum levabant, contendit parochus S. Francisci, obsistente parocho S. Mariae, saltem ex his Confraternitatibus nonnullas ad suam ecclesiam sedem ponere, sin minus, favore suae quoque ecclesiae redditus erogare, oportere; ne videlicet pia fundatorum intentio, qui bono consuluerant omnium paroecianorum, sive oppidum sive rura incolentium, defraudaretur.

c) Ex eadem causa, quod Confraternitates Piaeque Uniones oppidi sedem suam pergant habere in ecclesia S. Mariae exclusive, contigit, ut subditi paroeciae S. Francisci his Confraternitatibus adscripti, quando sepulturam explicite non elegerint, deferri post obitum soleant a sodalibus suae Confraternitatis ad ecclesiam ipsam S. Mariae, cuius parochus exequias peragere praetendit: id quod parochus S. Francisci minime aequum esse putat.

d) Demum quaestio fit de quodam legato, in administrationem quidem a suo testatore can. Andrea Ronconi ecclesiae Collegiatae S. Mariae olim concredito, ea tamen lege ut in certo oratorio S. Iuvenali dicato adimpleretur. Quum enim in praesenti oratorium illud reperiatur intra fines paroeciae S. Francisci, et Collegiata civiliter suppressa fuerit, contendit rector ecclesiae S. Francisci legatum illud ad se pertinere.

Ad has controversias componendas non parum adlaboravit Ordinarius: verum, quum utraque pars suis praetensis iuribus institisset, omnemque respueret propositam transactionem, e necessitate fuit haec eadem iura definire: ad quem effectum per distincta dubia, quaesitum est:

I. *Cuinam competat ius animalia benedicendi die festo S. Antonii Abbatis atque oblationes percipiendi, in casu.*

II. *An Confraternitates, quae sedem habent in ecclesia parochiali Sanctae Mariae, contribuere debeant pro expensis cultus favore ecclesiae S. Francisci, in casu.*

III. *An sodales dictarum Confraternitatum, qui expresse sepulturam non elegerint, debeant sepeliri in ecclesia S. Mariae, vel potius in propria paroecia, in casu.*

IV. *Cuinam spectet administratio pii legati Ronconi, in casu.*

Synopsis disceptationis. – Argumenta hinc inde deducta ad singula capita, sic breviter referri possunt.

I. *De primo dubio.* – In facto est, ab immemorabili, benedictionem animalium de qua agitur, peragi consuevisse in solo Oratorio S. Antonii, quod nunc reperitur intra fines paroeciae S. Mariae, atque ad illud Oratorium convenisse christifideles tum oppidum tum agros incolentes. Exinde deducitur, favore parochi S. Mariae, supradicto oratorio S. Antonii acquisitum fuisse per praescriptionem quamdam verum privilegium, ut dicunt, privativum, seu exclusivum, quoad utramque paroeciam. Agitur enim de consuetudine facti, quae quum non sit irrationabilis, et a maiore parte communitatis fuerit diu retenta, superiore ecclesiastico minime contradicente, « transit eo ipso in consuetudinem iuris... et *pro lege* non immerito custoditur » (D'Annibale, *Summ.*, I, 245, ss.). Stat itaque favore Oratorii S. Antonii, et ideo, indirecte, favore paroeciae S. Mariae, verum privilegium, quatenus certum est posse privilegium acquiri praescriptione seu consuetudine legitime praescripta; quod tralatitii iuris est, ex cap. *Novit.*, 13, *de iudic.*, et cap. *Super quibusdam*, 26, de V. S.

Sed ex adverso opponitur in casu locum non esse praescriptioni, nec consequenti privilegio, idque dupliciter: in primis quia agitur de *facultativis;* etenim certum omnino est benedictionem animalium in festo S. Antonii Abbatis nemini reservari, sed liberum esse cuique sacerdoti, sive parocho, sive non parocho, illam petentibus impertiri. « Quaedam sunt functiones — ait cl. D'Annibale (*Summ.*, I, 98, n. 63) — quibus aliquid iurisdictionis inest, unde vocantur parochiales; quaedam autem, quae ex mera Ordinis potestate consistunt, et dicuntur sacerdotales: *huiusmodi sunt benedictio* seminum, ovorum, *animalium*, et similium ». Et pressius Ferraris: « *Benedictiones animalium* in die festo S. Antonii Abbatis *dare, et oblationes recipere*, ab aliis Cappellanis et Rectoribus aliarum ecclesiarum intra fines Parochiae existentium » (a fortiori igitur extra hos fines) « nec prohibere nec impedire valet parochus, quia inter functiones parochiales ista benedictio non annumeratur » (s. v. *Benedictio*, art. V, n. 22; ubi plures decisiones S. C. C. et S. C. EE. et RR. allegat). Si autem in facultativis non datur praescriptio, multo igitur minus privilegium ex praescriptione in facultativis conceditur; ergo nullum privilegium acquiri potuit quoad benedictionem, de qua in casu.

Nec privilegium demonstrare licet ex eo dumtaxat quod *ab immemorabili* benedictio animalium peracta sit tantummodo in territorio paroeciae S. Mariae. Id profecto fuit, quia territorium, de quo quaeritur, ad unicam tunc pertinebat paroeciam S. Mariae; sed propterea nec *subiectum iuris* habebatur *adversus quod* praescriptio currere inciperet; nullo igitur pacto incipere poterat ipsa praescriptio, iuxta effatum iuris: « actioni nondum natae non praescribitur ». Secus dicere oporteret, quoties in aliquo oppido, per unum vel plura saecula, una tantum habeatur ecclesia, hanc posse sibi acquirere et vindicare ius sive privilegium privative peragendi vel omnes ecclesiasticas functiones, etiamsi postea alia erigatur in eodem oppido ecclesia: quod absonum profecto censebitur. Speciatim vero circa benedictionem animalium in casu, pluries tenuit S. C. EE. et RR. (apud Bizzarri, *Collect.*, p. 292, I, ed.) non posse impediri, quominus eam peragant vel sodales religiosi, qui domum cum ecclesia fundent in aliquo oppido, in quo

antea fieri solebat in una tantum ecclesia: idemque a fortiori oportet statuere quoad noviter fundatam in oppido paroeciam, a primaeva prorsus independentem.

II. *De altero dubio*, quod respicit universas contributiones quas Confraternitates erogant in favorem ecclesiae S. Mariae, expeditior quaestio est. Nam onus probandi profecto incumbit rectori novae paroeciae S. Francisci, qui in his contributionibus ex novo partem habere contendit. Ille autem nullum titulum, nullumque iuridicum intentionis suae fundamentum adducere potest: etenim nulla ex Confraternitatibus sedem in ecclesia S. Francisci habet, nec ulla generali aut peculiari lege tenetur ad hanc ecclesiam quidquam conferre. Ceterum nec possibilitas seu capacitas praetensae contributionis adest: adeo enim tenues sunt in praesenti praedictarum Confraternitatum redditus, ut non solum nullum excessum praestent, post persolutas necessarias expensas cultus in ecclesia S. Mariae, sed immo propter exiguitatem redditum vel ipsa onera legatarum Missarum a pluribus iam annis adimpleri non potuerint.

Quae omnia suo testimonio confirmat Episcopus: « Mi è risultato per l'ultimo ventennio che la rendita complessiva di tutte le Confraternite è stata in media di L. 350 annue, e che altrettanta n'è stata pure l'uscita; che in quest'uscita non è entrata mai alcuna spesa per Legati di Messe, e *che i Legati son rimasti tutti insoddisfatti per mancanza di mezzi, stante l'impiego delle rendite in altri titoli* ».

In favorem autem parochi S. Francisci non adducitur nisi quaedam ratio ex aequitate desumpta, quatenus nempe praesumendum sit pios ipsarum Confraternitatum fundatores utilitatem intendisse totius civitatis, nec profecto ab ea ruricolas exclusos voluisse, prout contingeret in praesenti, si universi redditus erogari deberent in favorem ecclesiae S. Mariae, quae hodie nullam ruricolarum curam habet. Verum haec ratio insufficiens nimis videtur: nam, ut subsumitur, praeprimis hanc saltem testatorum mentem fuisse praesumendum est, ut pia Missarum onera, quantum maxime opes ferebant, adimplerentur, quod secus contingit. Ceterum nec deerunt novae ecclesiae parocho alia pastoralis sollicitudinis remedia, ut cultus divini necessitatibus consulatur.

III. *De tertio dubio*, nempe, quoad ius funerandi, hic est praesens rerum status, ut omnes sodales Confraternitatum, etiamsi noviter erectae paroeciae S. Francisci subditi sint, post obitum deferantur in ecclesiam S. Mariae, quatenus alibi sepulturam non elegerint. Circa hoc nihil innovandum censet parochus S. Mariae: primum, quia ecclesia illa pergit esse sedes Confraternitatum; secundo, quia sodales Confraternitatum se libere obligaverunt ad funera peragenda in propria Confraternitatis sede, potius quam in sua paroecia: quo in casu ius non concedit parocho nisi quartam funerariam.

Opponitur ex adverso, nihil quidem referre quod ecclesia pergat esse sedes Confraternitatum, quia ratio cur istud ius funerandi etiam quoad Sodales Confraternitatum, exercuerit anteacto tempore ecclesia S. Mariae, haec profecto erat quod illa ecclesia *tunc* parochia propria exstabat singulorum confratrum; haec autem ratio iam cessavit in contrarium, quoad omnes, etiam Confraternitatum sodales, translatos sub iurisdictione parochi S. Francisci. Etenim, nova erecta parochia, subintrat favore huius, generale praeceptum, quod antea pro vetere seu unica parochia militabat, nempe quemquam in propria Parochia, ubi Sacramenta susceperat, esse sepeliendum, nisi alibi sepulturam explicite elegerit.

Nec sufficit ad hunc effectum electio sepulturae praesumpta aut interpretativa aut collectiva, sed requiritur omnino explicita, individua, libera et de facto manifestata, ut communis doctrina est (cf. Alberti, *De sepult. eccles.*, n. 24). Speciatim vero quoad Confraternitatum sodales, operae pretium est exscribere auctoritates quas refert Ferraris, s. v. *Confraternitas*, art. V, n. 1-8: « Confratres decedentes, non electa sibi explicite sepultura in sepulcro sui Oratorii seu Confraternitatis, debent sepeliri in ecclesia parochiali » (S. Congr. Concilii in *Neapolitan.*, 13 februarii 1666 ad 7).[1] Quin immo: « Electio sepulturae facta a Confratribus collective et collegialiter sustinetur et valet solum pro illis qui *individualiter* consenserunt, ut patet ex sequentibus declarationibus S. C. C. 16 maii 1682, (*sequitur declaratio*)... [2] Ubi vides per illa verba *individualiter consentientes* aperte denotari quod Confratres, *quamvis collective et collegialiter sepulturam eligant, adhuc non comprehenduntur illi, qui nominatim et individualiter non consenserint* » (S. C. EE. et RR., in *Camerinen.*, 18 aug. 1690), etc.

IV. *De quarto dubio*. Agitur in casu de administratione legati, cuius tabulae non periere, sed incolumes prostant; in his vero quaestioni, quae agitatur, plene consultum apparet; legimus enim: « con l'annuo reddito, *da amministrarsi dal Camerlengo, pro tempore*, del Capitolo di Calvi; si dovrà *ivi* (hoc est: « nella chiesuola di S. Giovenale » quae nunc est in territorio ecclesiae S. Francisci) celebrare tre messe, ecc. Il resto... si terrà in deposito dal Sig. Camerlengo amministratore, per erogarlo in altri bisogni di questo piccolo Oratorio ». Quae omnia adeo aperta et perspicua sunt, ut non interpretatione, sed mera exsequutione opus sit. Licet enim Capitulum nunc civiliter veluti suppressum habeatur, canonice tamen adhuc vivit et exstat, ut aiunt, *in anima*, ac repraesentatur saltem per parochum ecclesiae collegiatae S. Mariae. Nec ullam difficultatem praestat, quod in praesenti Oratorium illud reperiatur in territorio novae paroeciae S. Francisci: id enim nullo modo impedit, quominus voluntas testatoris adimpleatur, ut planum est; certum autem in iure habemus, parocho, vi solius suae iurisdictionis, facultatem non inesse administrandi bona universa causarum seu locorum piorum quae in suo territorio sedem habeant. Cf. Benedictus XIV, *Instit.*, 105, § 5, n. 99, ubi auctoritate fretus decreti *Urbis et Orbis* S. R. C., diei 10 decembris 1703[3] scribit: « Oratoriis quoque in ambitu Paroeciae conceditur, ut bona sua administrent et libere impendant, inconsulto parocho, ut constat ex quaestionibus 28, 30, 31 laudati Decreti, et ex responsis quae data fuerunt ».

[1] Cf. N. 2799.
[2] Cf. N. 2863.
[3] Cf. N. 5733.

RESOLUTIO. – Hisce praenotatis ac perpensis, quum in plenariis Emorum ac Rmorum Patrum S. C. Concilii comitiis, habitis die 12 loco 13 decembris 1913, supradicta dubia proposita fuissent, responsum est ad singula prout sequitur:

Ad I. *Reformato dubio* in hanc formulam: « An impediri possit, quominus parochus S. Francisci animalia benedicat die festo S. Antonii Abbatis, in casu? »: *Negative.*

Ad II. *Negative;* Episcopi tamen erit curare, ut onera Missarum fideliter adimpleantur, et quatenus id ob inopiam fieri nequeat, impetrentur a S. Sede opportunae sanationes et reductiones.

Ad III. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Ad IV. Camerario Capituli ecclesiae Collegiatae S. Mariae, et, durantibus praesentibus rerum adiunctis, parocho eiusdem ecclesiae, sub vigilantia tamen Episcopi.

Quas Emorum Patrum resolutiones SSmus, ad relationem infrascripti Secretarii, in audientia diei 15 eiusdem mensis et anni, approbavit. – O. Giorgi, *Secretarius.*

[Acta Ap. Sedis, vol. VIII, p. 480-486].

4373.

S. C. C., *Mandelen.*, 17 mart. 1917.

SPECIES FACTI. – Iam ab immemorabili, in oppido vulgo *Cantalupo Sabino*, prius dioecesi Suburbicariae Sabinensi, dein vero ab anno 1841 dioecesi Mandelensi subiecto, *unica* exstabat, sicut et nunc exstat, paroecia et paroecialis ecclesia sub titulo S. Blasii. Verum animarum cura dicti oppidi, quod etiam nunc mille homines vix complectitur, pari auctoritate ac iurisdictione exercebatur independenter et per alternas hebdomadas, ne ipsa quidem excepta Missae applicatione *pro populo*, a duobus rectoribus curatis cum proprio ac distincto beneficio, quorum unum sub titulo S. Blasii, alterum vero sub titulo S. Mariae in coelum assumptae.

Ex hac autem promiscua ac cumulativa, licet alterna, iurisdictione in unum eumdemque populum, atque ex paroecialium officiorum ac munerum exercitio in una eademque ecclesia, non levia incommoda suborta sunt, ad quae praecavenda Cardinalis Brancatius, tunc temporis Sabinensis Episcopus, occasionem nactus vacationis beneficii curati S. Mariae assumptae, decreto diei 1 novembris 1667 in sacra visitatione edito, ad formam Concilii Tridentini, Sess. 24, cap. 13, *de ref.*, curam animarum in eodem oppido ab uno tantum parocho seu titulari beneficii S. Blasii exercendam in posterum statuit, eidemque alterum beneficiarium S. Mariae in vicarium perpetuum ac coadiutorem constituit. Reliquit tamen utrique beneficiario antiquos proprii beneficii reditus, ac proventus, exceptis tantummodo incertis emolumentis, quorum duas tertias partes parocho et alteram vicario attribuit.

At progressu temporis alias novas easque maiores quaestiones ac con-

troversias exarsisse constat inter ipsum vicarium eiusque parochum, qui et nomen Archipresbyteri assumpsit. Quas ad sopiendas die 26 novembris 1749 a parocho Archipresbytero tunc temporis eiusque vicario, quaedam inita fuit conventio, quam die 6 subsequentis decembris Cardinalis De Elcio, Sabinensis Episcopus, ratam habuit. In ea definitive utrimque recognoscebatur Archipresbytero, non secus ac eius vicario alternis hebdomadis applicationem Missae *pro populo* incumbere, itemque quaedam alterna utrique asserebatur administratio paroeciae; dum tamen uni archipresbytero reservabatur celebratio solemnium functionum eique soli facultas fiebat administrandi Communionem Paschalem, baptismum, matrimonium, sacrum viaticum et extremam unctionem.

Res hoc modo processerunt usque ad annum 1910, quo postremus vicarius e vivis excessit. Archipresbyter parochus non renuit in ea vacatione universam animarum curam exercendam suscipere, nec non Missam pro populo applicare diebus lege statutis. Emolumenta tamen non ei accreverunt; sed fiscus regius proventus vicarii cooperatoris sibi ascribens Archipresbytero parocho quinque tantum in mensem libellas assignavit. Quum autem subinde, a. 1912, Archipresbytero ab ecclesiastica et civili potestate commissa fuisset, titulo oeconomi spiritualis, ipsa vicaria vacans, non quinque, sed decem menstruatim libellae sunt ipsi assignatae.

In his adiunctis positus Archipresbyter parochus nonnulla proposuit huic Sacrae Congregationi dubia, quorum primum, quod est ceterorum omnium fundamentum, et quo soluto alia omnia obviam habent responsionem, ita conceptum est: « In unica ecclesia, in qua cura animarum duo afficit distincta beneficia, ita ut duo beneficiarii, archipresbyter scilicet parochus et vicarius cooperator seu curatus coadiutor, alternis hebdomadibus ecclesiae inserviant et missam pro populo applicent, teneturne Archipresbyter parochus, altero beneficiario deficiente, vi muneris sui, totam integramque animarum curam assumere, et speciatim, obligaturne ad applicationem missae pro populo omnibus et singulis diebus praescriptis? »

In casu autem affirmativo, attenta tenuitate retributionis quam obtinet, gratiam postulat reductionis, ita ut, prouti iam precario impetravit decreto Episcopi in sacra Visitatione dato, sub an. 1894, non teneatur nisi ad sexaginta quinque Missas annuas.

Sub utroque puncto iuris et gratiae, postulatio examinanda venit.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. – I. *Argumenta favore Oratoris deducta.* Ad primam quaestionem quod attinet, pro adstruenda obligatione Archipresbyteri Cantalupensis militat praesertim ratio deprompta ex citato decreto Card. Brancatii de anno 1667, vi cuius ex duobus *unicus* fieri videtur verus ac proprie dictus parochus.

Sed huiusmodi decretum ita non esse interpretandum, apparet, quia, si ita acciperetur, procul dubio ab initio nullum et irritum esset edicendum. Atqui, docente Iuliano, in l. 13 ff. *de reb. dub.:* « quoties ambigua oratio est, commodissimum id est accipi, *quo res de qua agitur, magis valeat, quam pereat* ». Enimvero, si decreto Card. Brancatii, intelligas duo beneficia curata, quae antea distincta erant, altero sublato, ad unum redacta fuisse,

istud decretum iam certa nullitate laborare cognoscitur, eo quod Episcopus propria auctoritate reducere nequeat beneficia curata in non curata, « quae saepius appellantur etiam simplicia », ut habet Reiffenstuel, *in Decretales*, lib. 3, tit. 5, n. 31. Id sane vetuit Concilium Tridentinum, Sess. 25, cap. 16, *de ref.*, statuens, ut ecclesiastica beneficia, quocumque nomine appellentur, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodolibet retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione, non convertantur ».

Et haec S. Congregatio in una *Tiburtina-Parochialis*, die 9 iulii 1757 infirmavit decretum Episcopi, qui in casu consimili duos parochos eiusdem paroeciae ad unum redegit, cui assignavit capellanum seu vicarium. Tunc enim, reclamantibus parochianis, haec ipsa Congregatio ad propositum dubium: « An sit locus reductioni duorum parochorum unius eiusdemque parochialis Castri Madamae ad unum solum parochum, qui onus habeat retinendi capellanum coadiutorem in cura animarum ab Episcopo approbandum », respondit: *Negative*. Quo vero provideret inconvenientibus ab Episcopo obiectis, seu discidiis inter duos parochos exortis, addit: « Episcopus iniungat exerceri dictam curam animarum per utrumque, sublata alternativa, *et ad mentem*. *Mens est:* ut fiat massa communis ex incertis emolumentis aequaliter dividendis ».

Dicendum igitur similiter, — si nolumus admittere, adeo solemne decretum, quo universus nostrae paroeciae status incipit, nullum prorsus ab initio fuisse, — per illud, quamquam sub diversis nominibus Archipresbyteri et Coadiutoris-curati, tamen essentiam parochatus esse servatam, ad quam, docente Bouix, *de parocho*, p. 171, sufficit et requiritur « aliqua in cura animarum ab alterutro independentia ». Atque ita revera factum esse, ostendit subsequuta postea diuturna observantia, quae in consuetudinem *iuris* transiit per legitimam conventionem a Cardinali De Elcio anno 1749 confirmatam, praecedentis decreti, si opus fuisset, correctoriam. Per hoc sane pactum conventum, utrique beneficiario par onus impositum est Sacrum pro populo litandi, itemque tam Archipresbytero quam eius vicario generatim commissa est animarum cura per turnum hebdomadarium exercenda. Haec autem curae administratio ab utroque beneficiario independenter seu proprio nomine obeunda esse videtur: quod quidem secumfert non unum tantum parochum sed, quemadmodum saltem ante Card. Brancatii decretum, duos esse parochos inter se pares in casu agnoscendos.

Et revera conventioni anni 1749 praemittitur quod Archipresbyter eiusque vicarius « avendo *promiscua ingerenza* nel governo di detta parrocchia, nè essendo mai state determinate le *comuni* e particolari incombenze, nè *ripartito* il loro ufficio, chi poco, chi nulla s'è affaticato nelle loro rispettive occupazioni ». Deinde articulus 3 ipsius conventionis decernit quod « nelli sacrosanti giorni della festa di precetto celebri l'*ebdomadario* la Messa parrocchiale, applicandola *pro populo*, ed il medesimo faccia la spiegazione del Vangelo, ecc. ». Quod si in art. 5 subditur « nella solennità della Pasqua... comunicherà sempre privativamente l'arciprete il popolo, non meno che gli

amministrerà li santi sacramenti del battesimo, matrimonio, viatico ed estrema unzione », haec omnia non vi proprii et exclusivi muneris uni Archipresbytero tribui videntur sed, uti ibidem innuitur, dumtaxat « per togliere ogni confusione ». Item attributio functionum solemnium soli Archipresbytero in art. 4 facta explicari etiam potest per quamdam honoris praecedentiam, inter *pares* tamen.

Alternum praeterea munus curae animarum obeundae itemque Missae pro populo litandae obligatio ita beneficio vicarii realiter ac personaliter inesse videtur ut, saltem ipso beneficio pleno, Archipresbyter ab eodem onere relevatus dicendus sit. Id speciatim quoad Missae applicationem probavit hic S. Ordo, ubi alternative cum parocho huiusmodi celebrationem explebant, qui curam animarum coadiutricem vel saltem habitualem gerebant; ceu probant *Cameracen.*, 16 dec. 1820, et *Spoletana*, 14 maii 1831, et notatur in *Mechlinien.*, 25 sept. 1847, et tenet Santi-Leitner, *Praelect. can.*, lib. 3, t. 29, n. 17. Hinc nulla in casu suppetere videtur sufficiens ratio, cur idem onus, vacante vicarii beneficio, ab eodem seiungi debeat et in archipresbyterum refundi.

II. *Argumenta in contrarium deducta*. At ex adverso ambigendum minime posse videtur, Cardinalem Brancatium decreto anni 1667 reapse, non vero specietenus, *unum* tantum constituisse parochum loci *Cantalupo*. Id sane patet non solum ex verbis et ex ipsius decreti tenore, quod absonum esset ita interpretari, ut nominum dumtaxat immutationem induxerit, quatenus, qui prius parochus, idem vicarius aut coadiutor curatus subinde nuncuparetur; verum etiam ex facta provocatione ad Concilium Tridentinum, Sess. 24, cap. 13, *de ref.*, quod ita decrevit: « In iis civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat sancta Synodus Episcopis, pro tutiore animarum eis commissarum salute ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant; *aut alio peculiari modo, prout loci qualitas exegerit, provideant* ».

Quum itaque memoratus Card. Brancatius minus opportunum iudicasset in oppido Cantalupo duas constituere paroecias pro duobus tunc exstantibus distinctis parochis, quia, ut ipsemet ait, « commodam populi distinctionem fieri non posse » compertum erat; volens tamen alio modo consulere bono animarum ad tramitem eiusdem Concilii Tridentini, integram ac independentem animarum curam attribuit beneficiario S. Blasii, dum alteri beneficiario S. Mariae nonnisi coadiutricem et dependentem operam assignavit.

Nec ex adverso tanti esse faciendum videtur quod opponitur praescriptum Concilii Tridentini, Sess. 25, cap. 16, *de ref.*, vi cuius Episcopi prohibentur convertere beneficia curata in non curata. Nam haec regula generalis exceptionem pati posse videtur per praescriptum eiusdem Concilii, Sess. 24, cap. 13, *de ref.*, quod nempe, quum ad tollendam promiscuam animarum curam dismembratio paroeciae fieri non possit, facul-

tatem tribuit Episcopis ut «alio peculiari modo, prout loci qualitas exegerit, provideant». Hinc Thomassinus, *de nova et veteri Ecclesiae disciplina*, part. I, lib. I, cap. 29, n. 5 et 6 habet: «Ad compescendas rixas litesque facillime emergentes et difficillime sopiendas inter unius ecclesiae plures curiones, statuit Sancta Synodus in arbitrio et potestate Episcopi ut esset, *vel* scindere unam paroeciam in duas et suum cuique parochum assignare, *vel* unicum constituere parochum et tot illi vicarios adiungere veluti coadiutores, quot paroeciae amplitudo desideraret».

Cui consonat Wernz, *Ius decret.*, tom. II, tit. 39, pag. 1030, not. 15, ubi adnotat: «Bouix et Hinschius probant, *absolute* posse uni paroeciae non tantum unum sed complures parochos (veri nominis) praeesse; at talem praxim iuri communi esse conformem, ex decisione particulari S. C. Concilii 9 iulii 1757 (*seu supra relata Tiburtina*) et consuetudinibus, magis toleratis quam approbatis, concludenter non demonstrarunt. Quare multo minus Episcopus talem praxim adeo singularem et a disciplina vigente alienam *denuo introducere potest*, imo potius secundum mentem Ecclesiae est, si huiusmodi monstruositates auferantur».

Hinc nec admitti potest memorato decreto Card. Brancatii an. 1667 derogatum fuisse per subsequens decretum Card. De Elcio de an. 1749, eo vel magis quod hoc decreto confirmata dumtaxat fuit conventio ab Archipresbytero eiusque vicario inita, qua relationes particulares inter utrumque bono et ex aequo definitae sunt, quin de necessaria praetensa derogatione aut correctione cogitaretur.

Denique ad adstruendam obligationem Archipresbyteri in casu, exercendi nempe integram animarum curam Missamque pro populo litandi omnibus festis etiam abrogatis, suppetit et alia ratio, ex eo petita quod ipse ab auctoritate ecclesiastica nominatus est etiam oeconomus spiritualis beneficii vacantis S. Mariae et ut talis a civili potestate recognitus. Notum est enim etiam oeconomum spiritualem, eum nempe qui «aliqua ecclesia parochiali vacante, ad implenda huiusmodi ecclesiae onera usque ad novi rectoris electionem, ab Episcopo deputari debet», iuxta Constit. *Cum semper oblatas* Benedicti XIV, «a praedicta obligatione subtrahere se non posse» applicandi nempe Missam pro populo.[1]

Firmata itaque ex parte Archipresbyteri Cantalupensis obligatione, vacante vicarii beneficio, exercendi universam animarum curam atque Missam pro populo litandi omnibus festis etiam abrogatis, quaestio supertero indulgendum sit, ut dumtaxat 65 Missas pro populo quotannis applicare valeat, prout iam alia vice, licet precario, obtinuit. Super qua supplicatione nonnulla *ex officio* animadvertenda sunt.

Imprimis allegata concessio sustineri non posse videtur, quippe quae facta fuerit ex sola Episcopi auctoritate, nempe ex decretis visitationis pastoralis anno 1894. Notum est enim Episcopos, licet dioecesim perlustrantes, hac in re nihil posse, ut expresse statuit Pius IX, const. *Amantissimi Redemptoris*,[1] atque nonnisi facultate pollere, eisdem a Benedicto XIV celebri constit. *Cum semper oblatas* concessa, transferendi videlicet, favore parochorum vere pauperum, ad aliam infra hebdomadam diem Missae pro populo applicationem.

[1] Cf. N. 345.

Concessioni autem apostolici indulti in casu obstare videtur gravitas ipsa ac momentum legis, «cum *praecepto divino* mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his sacrificium offerre», quemadmodum statuit Concilium Tridentinum, Sess. 22, cap. I, *de ref.* Quae lex a SS. PP. Innocentio XII, const. *Nuper*, 24 apr. 1699;[2] Benedicto XIV, const. *Cum semper oblatas*, 19 aug. 1744; Pio IX, const. *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858 explicata et firmata, in viridi semper observantia est, adeo ut ab eius obligatione relevare nequeat consuetudo etiam immemorabilis, ut statuitur in ipsa Benedictina, et signanter non sit attendendus ipse defectus congruae retributionis, ut firmavit etiam H. S. C., v. gr. in *Neocastren.*, 16 ian. 1771, ad I; et in *Senogallien.*, 20 martii 1790.

Quapropter memorata lex, nonnisi ob gravissimas causas, ex parte relaxari solet, quemadmodum fert H. S. C. praxis. Ita ad occurrendum egestati parochorum aliquando concessa fuit dispensatio quoad festa tantum suppressa et ad tempus, pro ipsa necessitate, duratura: ut videre est in *Spoletana*, 27 martii 1893, et *Fodian.*, 28 apr. 1888 et notat Lucidi, *de visitatione SS. LL.*, vol. I, n. 350. Frequentius vero, praesertim in Italia, dispensatio Missae pro populo in festis suppressis et nonnumquam in aliquot de praecepto, concedi solet, non in commodum aut lucrum parochi, sed favore Seminarii vel aliarum causarum dioecesis; ut in casu obtinet, favore nempe Seminarii Mandelensis.

In themate autem non videtur adesse talis causa iusta ac rationabilis, quae suadeat concessionem indulti apostolici, ne pro festis quidem suppressis, in exclusivum lucrum et commodum Archipresbyteri Cantalupensis. Eius enim congrua paroecialis sat sufficiens est, ac praeterea eidem pro novo munere oeconomi spiritualis remuneratio aliqua, etsi minime pinguis, menstruatim impenditur, ac demum non longius perseverabit precarius vicarii defectus. Nec praetereundum quod, ex mox adnotatis, concessio ipsa redundare posset in damnum Seminarii dioecesani aliarumque operum dioecesis Mandelensis.

Quare, posita obligatione, nec locus esse videtur precibus proponendis.

Resolutio. – Propositis porro in plenario S. C. Concilii conventu, diei 17 martii 1917 infrascriptis dubiis, nimirum:

I. *An Archipresbyter parochus loci Cantalupo, vacante beneficio vicarii, teneatur exercere totam animarum curam ac Missam pro populo applicare omnibus festis etiam suppressis in casu.*

Et quatenus *affirmative:*

II. *An, et quomodo ratio sit habenda de precibus eiusdem Archipresbyteri parochi in casu.*

[1] Cf. N. 524.
[2] Cf. N. 262.

Emi Patres respondendum censuere:
Ad I. *Affirmative in omnibus.*
Ad II. *Provisum in primo.*

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Benedicto div. Prov. Pp. XV relatione, in Audientia infrascripto Secretario insequenti die dominico concessa, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum approbare dignata est. – I. Mori, *Secretarius.*

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 343-350].

4374.

S. C. C., *Civitatis Castelli et Alatrina*, 20 aug. 1917.[1]

Species facti. – Ex parte parochorum dioecesis Civitatis Castelli ad hanc S. Congregationem admotae sunt preces a novo Episcopo commendatae, ut ipsorum favore dimitteretur, ad causas pias erogandum, quidquid cathedratici titulo ab eisdem parochis solvendum forsan fuisset tempore postremae vacationis sedis Episcopalis. Paulo post Vicarius Generalis Administratoris Apostolici dioecesis Alatrinae, sede vacante, penes hanc eamdem S. Congregationem, datis epistolis, conquestus est nonnullos parochos cathedraticum solvere praefato Administratori Apostolico detrectasse, ea adducta excusatione quod soli Episcopo huiusmodi solutio esset facienda. Utramque expostulationem visum est Emis Patribus subiicere, ut ex eorum sententia decerneretur, quid Oratoribus esset respondendum.

Animadversiones. – Ad rem vero in antecessum animadvertebatur propositas quaestiones ad iuris communis tramitem esse unice perpendendas ac resolvendas, nullo videlicet respectu habito alicuius adiuncti vel peculiaris circumstantiae, quod iuris canones in re moderari possit. Siquidem, quamvis *didrachma* Cathedraticum tam privilegiatum in iure existat, ut nec ab ipso Episcopo in totum remitti, nec contraria consuetudine aboleri possit, consuetudo tamen vel usus non improbatur, quo onus Cathedraticum pensitandi vel minui possit, vel singulis annis non urgeat, prouti scite advertit, cum DD. calculo, Benedictus XIV, *de Syn. dioec.*, lib. V, cap. 7, n. 8. At in themate oratores, sive parochi dioecesis Civitatis Castelli, sive Vicarius Generalis Alatrinus, nihil innuebant de praxi alias servata in Cathedratici solutione, sede Episcopali vacante; quapropter eorum consultatio in id tantummodo videbatur intenta, ut rescire valerent, quid iuris sit circa hoc statutum, quidve retinendum, casu quo id in iure non sit explicite et taxative firmatum.

Praemonebatur etiam, quamvis in cap. 16, *Conquerente, de officio iudicis ordin.*, et alibi, in iure fuerit cautum, Cathedraticum deberi *Episcopo*, illudque inter iura episcopalia connumerari, nullibi tamen inveniri expressum, num tale pensum, sede vacante, debeatur etiam *Capitulo* huiusve Vicario aut Administratori Apostolico, num vero tale onus ex parochorum

[1] Datum promulgationis.

vel beneficiariorum parte non urgeat, num tandem ab his sit servandum, futurove Episcopo solvendum. Exinde ex *generalibus* iuris principiis desumendas esse propositis quaestionibus responsiones, videlicet examini subiicienda sive naturam et scopum Cathedratici Episcopo debiti, sive naturam officii Vicarii Capitularis et Administratoris Apostolici, ut concludi valeret, num his illud convenire possit.

Enimvero Cathedraticum, prouti communiter penes DD. audit, est « certa pensio, non occasione ordinationis, sed singulis annis Episcopo solvi consueta in signum subiectionis, et honorem Cathedrae Episcopalis, ad eiusdem Cathedrae, seu Episcopalis officii onera sustentanda » (Bened. XIV, op. c., l. V, cap. 6, n. 2). Haec pensio quandoque in iure appellatur *Synodatica*, quandoque *Paschalis*, prouti constat tum ex cit. cap. *Conquerente*, ubi Honorius III ait: « Synodatici seu Cathedratici « nomine », tum ex cap. 20 *Olim, de censibus*, ubi Innocentius III causam definit inter Episcopum Spoletanum et clericos plebis Rupinae super quantitate *Synodatici* exagitatam. At haec nomina non innuunt naturam Cathedratici, quasi esset pensio debita *ob Synodum*, quam quotannis cogere debet Episcopus; sed talia nomina est sortitum, quia Cathedraticum *occasione* Synodi, quae ordinario *post Pascha* cogebatur, solvi consuevit, hinc etiam *Synodaticum* vel *Paschale* fuit dictum. Verumtamen scopus, ob quem a iure Cathedraticum fuit invectum, non alius fuit, quam quod singuli beneficiati quotannis profiterentur suam *subiectionem* erga Episcopum eiusque Cathedram, exemplo illorum, de quibus ait Evangelista Lucas, II, 2, *ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem*. Nec difficultatem facessere potest, quod Cathedraticum, auctore ut supra Bened. XIV, Episcopo penditur *ad Cathedrae seu Episcopalis officii onera sustentanda;* nam illis verbis indigitatur finis *practicus*, cui pensio illa inservire debet, quin tamen per hoc scopus ille unicus supra ostensus minuatur vel tollatur. Quod ita est verum, ut etiamsi finis ille practicus in casu aliquo particulari cessaret, prouti in episcopo, qui ditiore censu esset cumulatus, onus tamen Cathedraticum pensitandi non cessaret, prouti eveniret in subsidio caritativo vel in aliis censibus, ratione necessitatis, Episcopo debitis.

Explicata igitur natura et scopo Cathedratici, iam apparet hoc nonnisi uni Episcopo privative quoad alios convenire posse; etenim arctus ille nexus, qui subditos ligat ad obedientiam Superiori praestandam, in cuius signum Cathedraticum penditur, unice intelligitur relate ad Episcopum, qui est verus sponsus Ecclesiae suae, per matrimonium quoddam spirituale, quod cum ea iniit, et proprius pastor gregis sibi commissi.

Accedit, quod Cathedraticum Episcopo est debitum non solum in signum subiectionis, sed etiam *in honorem cathedrae Episcopalis*. At quid sub hoc nomine veniat, docet Gonzales in cap. 9, l. III, tit. 34 *de censibus*, ubi ait: « pensitatio haec ita appellatur a cathedra, quia praestatur Episcopo ob honorem Cathedrae. Cathedra autem in sacris canonibus significat *principale munus Episcopi* ». Praecipuum vero Episcopi munus consistit in potestate *magisterii*, quae intime est colligata cum divino praecepto Episcopis facto, pascendi gregem sibi commissum.

Nec difficultas ex eo corrivari potest, quod quandoque Cathedraticum a DD. accipiatur tanquam pensio Episcopo debita argumento honoris, qui *cathedrali ecclesiae* tribui debet, prouti declaravit S. Carolus Borromaeus in sua Synodo (*Act. Eccl. Mediol.*, part. 2, p. 346): «illud SS. Canonibus constitutum est, ut a singulis Parochis in Dioecesana Synodo, Cathedratici nomine solidi duo exigantur, idque argumento honoris, qui Cathedrali ecclesiae tanquam Matri a ceteris Parochialibus ecclesiis tribui solet». Siquidem cathedralis ecclesia *promiscue* in iure accipitur, ad designandam sive *sedem Capituli*, sive sedem seu *Cathedram Episcopi*. Quod vero in themate sub designatione cathedralis ecclesiae, cuius in honorem est Cathedraticum solvendum, veniat Episcopi sedes seu Cathedra Episcopalis, scite docet Frances, *De eccl. cathed.*, cap. 15, n. 181. Eodem modo igitur, quo supremum Pontificis magisterium usuvenit appellari Sedes Apostolica vel simpliciter Petri Cathedra, ita cathedralis ecclesiae vel Episcopalis Cathedrae nomine, praecipuum Episcopi munus, i. e. magisterium passim indigitatur.

Ex hucusque disputatis ad liquidum perduci videtur, Cathedraticum, cuius indoles et scopus est, ut in signum subiectionis et honorem Cathedrae Episcopalis pensitetur, unius Episcopi esse proprium, eidemque uni, ceteris aliis exclusis, deberi.

Qua quaestione soluta, modo aliae succedunt, utrum nempe Cathedraticum, ab iis qui tali oneri sunt obnoxii, debeatur etiam Sede Episcopali vacante, et quatenus affirmative, num favore Vicarii Capitularis vel Administratoris Apostolici cedere debeat, num potius futuro Episcopo sit reservandum.

Porro, ex superius recensitis, ad necessariam conclusionem devenitur, quod vacante sede episcopali, Cathedraticum non sit debitum. Siquidem deficiente sponso et pastore ecclesiae, et hinc subiecto, cui honoris et obedientiae munus sit tribuendum, obligatio ipsa, ex natura rei non urgere censetur.

At difficultatem aliquam facessere potest quod in Clement. 6 legitur, cap. *Statutum, de elect. et Electi potest.*: «Statutum super bonis a praelatis cathedralium regularium et collegiatarum ecclesiarum dimissis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris successoribus fideliter reservandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento quod procedit ex iurisdictione et sigillo curiae ecclesiasticae vel saecularis, aut alias undecumque, quod ad praelatos (ecclesiis non vacantibus) pertineret». Huius canonis ad tramitem, pluries sancitum fuit ab H. S. O.: «emolumenta tempore vacationis sedis Episcopalis obvenientia ex iurisdictione et sigillo, vel alias undecumque, neque ad Capitulum neque ad Vicarium spectare, sed libere futuro successori reservari, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent». Ita prae aliis in una *Agrigentina*, 17 nov. 1594,[1] et novissime in una *Ianuen.*, *Emolumentorum*, 23 febr. 1856 (*Thesaurus Resolutionum S. C. C.*, t. CXV, p. 76). Unde deduci posset, Cathedraticum inter

[1] Cf. N. 2275.

emolumenta illa esse recensendum, quae Episcopo sede plena obveniunt sive ex iurisdictione, sive *alias undecumque*, unde etiam tempore sedis vacantis ab obnoxiis exsolvendum, futuro tamen Episcopo reservandum. Sed, hoc non obstante, retinendum videtur Cathedraticum, ob peculiarem suam indolem, de qua hucusque, a tradita norma esse immune, et hinc Episcopo non deberi nisi a die adeptae possessionis suae ecclesiae, quando nempe ob spirituale matrimonium cum ecclesia celebratum, effectus est verus sponsus et pastor gregis sibi commissi, quamobrem repetere iure valeat subiectionis et honoris signum. Id deducitur in primis, ex nonnullis resolutionibus H. S. C., quae id, non aequivocis verbis, constabilire videntur. Ita prae aliis in una *Amalphitana*, *Cathedratici*, 26 febr. 1707, ad dubium: *A quo tempore Cathedraticum debeatur*, — responsum fuit: *A die adeptae possessionis*.[1] Non dissimiliter resolutum fuit in una *Camerinen.*, *Cathedratici*, 18 martii et 8 iulii 1725. Sequiore vero aetate quaestio videtur magis in terminis definita. Siquidem in una *Anglonen. et Tursien.*, *Iurium*, 31 iulii 1852,[2] praetendente Episcopo, Cathedraticum sibi deberi a Capitulo collegiatae ecclesiae loci *Rabatana*, etiam pro tempore, quo Episcopalis vacaverat sedes, Capitulum, prouti legitur in folio citatae causae, «illud solvere non detrectat omnino; sed hoc tantum opponit, excessivam fuisse Episcopi petitionem, dum requisivit Cathedraticum pro annis 1847, 48 et 49, licet electus fuerit Episcopus die 20 apr., et Episcopatus possessionem acceperit die 23 iunii eiusdem anni 1849. Collegiata autem solvere Cathedraticum haud renuit, sed ad illius solutionem se teneri putat a die tantum captae possessionis Episcopatus». Quapropter proposito dubio: «*An et quomodo Capitulum eiusdem Collegiatae teneatur ad solutionem tam subsidii caritativi, quam cathedratici in casu*», S. C. respondit: «*Quoad Cathedraticum, affirmative a die captae possessionis;* quo vero ad caritativum subsidium... scribatur Nuntio Apostolico, qui referat de consuetudine dioecesum regni circa exactionem subsidii caritativi». (Cf. *Thes.* cit., t. CXI, p. 318, s.). In hac solutione illud probe attendatur, quod S. Congregatio pro solutione caritativi subsidii, *sede vacante*, de consuetudine voluit, antequam decideret, edoceri, quod tamen haud requisivit in solutione Cathedratici, quod ob peculiarem suam indolem, nonnisi ab Episcopo, *suae ecclesiae possessione fruente*, exigi potest.

Firmato igitur quod Cathedraticum *uni Episcopo* sit debitum, et insuper quod illud ei non debeatur nisi a die adeptae possessionis dioecesis, iam in his absorpta manet alia quaestio, quae ius Vicarii Capitularis concernit relate ad Cathedratici exactionem, sede vacante. Etenim, illud nec deberi sede vacante, nec Vicario tribuendum, evictum est sive a natura Cathedratici sive ex pluribus H. S. O. decisionibus. Sed ad eamdem devenitur conclusionem, si parumper prae oculis habeatur natura *officii* Vicarii Capitularis. Iste enim, quamvis succedat in universam Episcopi iurisdictionem ordinariam, iis exceptis quae ius reservavit, vel limitibus interclusit, dici tamen

[1] Cf. N. 3049.
[2] Cf. N. 4125.

non potest *Pastor* dioecesis vel Ecclesiae *sponsus*, sed potius propastor et temporaneus administrator vacantis ecclesiae. Eidem igitur minime congruere possunt termini illi, quorum de causa a iure fuit statutum Cathedraticum, i. e. *in signum subiectionis et in honorem Cathedrae Episcopalis, ad eiusdem cathedrae onera sustentanda*.

Insuper, quamvis practici momenti non sit, relate ad Episcopum, distinctio illa, quam Glossa insinuat in cap. 17, *Dilectus, de officio Ordin.*, inter legem *iurisdictionis* et legem *dioecesanam*, ad designandam universam Episcopi potestatem, in casu tamen utiliter invocari posse videtur. Etenim, iuxta relatam Glossam, ea quae consistunt in dando, vel conferendo, seu, ut ait Ostiensis, *in actione*, ad legem iurisdictionis pertinent, et haec, saltem generatim, exceptis nempe limitationibus a iure inductis, Vicario Capitulari competere dignoscuntur. E contrario, ea quae consistunt in *recipiendo*, vel ut inquit idem Ostiensis, *in passione dulci*, prouti sunt *Cathedraticum exigere, quartam decimarum, mortuorum et similia*, quaeque legem dioecesanam constituunt, a Vicario Capitulari sunt omnino subducta. Iste enim praeter congruum salarium sibi assignatum aut assignandum, vel ex fructibus vacantis ecclesiae, vel ex alio capite, nullum ius habet in illis emolumentis, quae Episcopo obvenirent, si Ecclesia non vacaret, prouti ex Clement. *Statutum* supra relata, deducitur, quaeque futuro Episcopo sunt reservanda.

Quae vero de Vicario Capitulari sunt dicta, applicari quoque debent Administratori Apostolico, sede vacante, in dioecesi constituto; hic enim ordinario ea pollet iurisdictione, quae Vicario Capitulari competit, exceptis peculiaribus facultatibus fortasse in brevi nominationis indultis (Wernz, *Ius decret.*, 2, p. 820).

Resolutio. – Porro, propositis in plenariis Emorum Patrum comitiis in Palatio Apostolico Vaticano habitis die 11 martii 1911, tum precibus Parochorum Civitatis Castelli, tum expostulatione Vicarii Generalis Alatrini, super his rescriptum prodiit:

Cathedraticum, sede vacante, non deberi.

Quam Emorum Patrum resolutionem Pius fel. rec. Pp. X, in audientia die 13 eiusd. mensis et anni Secretario S. Congregationis concessa, approbare et confirmare dignatus est. – Datum Romae, ex aedibus S. C. C., die 20 augusti 1917. – I. Mori, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 497-502].

6. – S. C. SUPER STATU REGULARIUM.

4375.

S. C. super Statu Regularium, decr. *Romani Pontifices*, 25 ian. 1848.

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illorum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen, ut plurimum, versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens SSmus D. N. Pius Pp. IX, audito voto S. R. E. Cardinalium huius Sacrae Congregationis super statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit:

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis umquam liberum esse huiusmodi testimoniales litteras denegare; in eisdem

tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

III. Omnibus et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cuiuscumque gradus sint, et instituti licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius decreti observantia districte praecipitur: et qui contra huius decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur. Quod si alicui instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno die prima ianuarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio, licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 831, 832].

4376.

S. C. super Statu Regularium, decr. *Regulari disciplinae*, 25 ian. 1848.

Regulari disciplinae instaurandae, ubi collapsa fuerit, vel servandae ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis Novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti, morum honestate, ceterisque dotibus praediti religionem ingrediuntur cupientes Deo inservire, mundi pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad praescriptum Instituti, quod profitentur, consulere. Ex Novitiis enim Religionis bonum, vel malum prorsus pendet: quandoquidem hi sunt Religionum semina, hi sunt novi palmites Dei vineam novellantes; sed si semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt.

Quapropter Romani Pontifices et praesertim Sixtus V,[1] Clem. VIII,[2] Innocentius X,[3] et Innocentius XII,[4] saluberrima edidere decreta, quibus leges in admittendis Novitiis servandae constituebantur. Cum igitur Sanctissimus D. N. Pius Pp. IX ab ipsis Pontificatus sui primordiis pastoralis vigilantiae studia convertenda esse duxerit ad Religiosarum Familiarum disciplinam totis viribus promovendam, Praedecessorum suorum vestigia sectando certam stabilemque legem constituendam esse existimavit, quae in admittendis Novitiis ad habitum et professionem servari omnino deberet. Re igitur demandata S. R. E. Cardinalibus huius S. Congregationis de Statu Regularium a Sanctitate Sua institutae, Eminentissimis Patribus universa rei ratione sedulo diligenterque perpensa, necessarium visum est in admissione Novitiorum ad habitum et professionem partes concedendas esse nedum inferioribus Praelatis, et Superioribus generalibus, verum etiam nonnullis aliis Religiosis viris probatae vitae, regularis disciplinae zelo ferventibus, consilio et gravitate praestantibus, ut eorum, qui religiosae familiae nomen daturi sint, indolem, ingenium, mores, ceterasque necessarias dotes accurate explorent,et sedulo investigent,quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur, et eos tantum probent, quos secundum Deum idoneos esse revera constiterit. Sententiae Sacrae Congregationis Sanctissimus in Christo Pater inhaerens ea, quae sequuntur, pro Italia, et Insulis adiacentibus hoc perpetuis futuris temporibus valituro decreto apostolica Sua auctoritate statuit, atque decernit.

Pars prima decreti.

De lege servanda in probandis iis, qui ad habitum Religiosum admitti postulant.

I. Qui duplici scrutinio iuxta modum inferius exprimendum probatus non fuerit, ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel alio quovis titulo, in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat.

II. In qualibet provincia habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii idonei Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate ac zelo disciplinae regularis praediti a Capitulo seu Congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen ut si in Provincia sint Definitores, vel Consultores, vel Assistentes, vel alii, quocumque appellentur nomine, Consiliarii provinciales, duo ex ipsis in Examinatores deligantur.

[1] Const. *Cum de omnibus*, anni 1587. — Cf. N. 162.

[2] Decr. cui initium *Sanctissimus in Christo Pater*, diei 19 maii 1602. — Bull. Rom., tom. 5, II, p. 412. — Cf. N. 189.

[3] Instr. *Ad Propagandam*, diei 5 novembris 1654.

[4] Decr. *Sanctissimus in Christo Pater*, diei 18 iulii 1695.

Examinatores in praefato munere usque ad novum provinciale Capitulum seu Congregationem perdurabunt.

III. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta, et requisita ad praescriptum SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, decretorum S. Congregationum, ac statutorum Ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus ac etiam, an amore perfectioris vitae, et Deo liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta et informationes tradat saltem tribus ex provincialibus Examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consanguinei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die Provincialis cum delectis ab ipso Examinatoribus conveniet, et postquam ipse, et alii Examinatores iuraverint ad Sancta Dei Evangelia, *se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros*, postulantem examinent, eoque ab examinis loco demisso, eius documenta, qualitates, et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suffragia iudicent, an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus Provincialis, et aliorum Examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen, et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis, et unusquisque ex Examinatoribus manu propria subscribet declarando etiam sese omnia requisita a SS. Canonibus, Constitutionibus et decretis Apostolicis et Regulis, et Statutis respectivi Ordinis praescripta debito modo examinasse; huiusmodi vero relationem examinis, et scrutinii, et respectivam declarationem iureiurando confirment. Quibus peractis Provincialis praefatam relationem, et declarationem una cum authenticis documentis ad Superiorem generalem, vel ad Procuratorem generalem, prout inferius in artic. XI explicabitur, transmittet. Ne autem huius decreti executio differatur usque ad celebrationem proximi Capituli vel Congregationis Provincialis, interim Examinatores Provinciales eligantur per secreta suffragia a Provinciali una cum suis Definitoribus, vel Assistentibus, vel aliis Consiliariis Provincialibus; et si huiusmodi Definitores, Assistentes, Consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati, desint, eiusdem Provinciae ab eodem Provinciali deputandis.

IV. In Ordinibus, aliisque Institutis, in quibus Provinciales non existunt, vel Provincialia Capitula seu Congregationes non celebrantur, Examinatores pro unaquaque domo Novitiatus eligantur iuxta superius praescriptam methodum a Capitulo, Dieta, seu Congregatione generali et Superior eiusdem Domus loco Provincialis habeatur, cuius erit convocare Examinatores, et alia peragere, quae in artic. III statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem Religiosorum numerum contingere possit, ut septem Examinatores eligi minime valeant, Examinatores numero minores,

non tamen citra quatuor, eligi poterunt. Si autem huiusmodi Capitula, Dietae et Congregationes Generales statim non convocentur, interim electio Examinatorum fiat iuxta modum in art. V designandum.

V. Si Institutum constet aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, vel Domo, nec in Congregationem erectum sit, et capitulum, Dietam, Congregationem generalem minime habeat, Examinatores capitulariter per secreta suffragia a Superiore et Capitularibus eiusdem Monasterii, Conventus, vel Domus eligantur; et quoad eorum numerum serventur, quae in art. IV definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent.

VI. Praeter memoratos Examinatores Provinciales in quolibet Ordine, Congregatione, Societate, Instituto alii septem Examinatores generales constituantur, qui tamen ad quatuor reduci poterunt in iis Ordinibus, et Institutis, in quibus ob pauciorem Religiosorum numerum septem haberi nequeant. Hi ex gravioribus, et prudentioribus Religiosis Viris probatae vitae, ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta suffragia in Capitulo, Dieta, vel Congregatione generali eligentur, ita tamen ut si agatur de Ordine, in quo sint Definitores, Assistentes, Consultores, Visitatores, vel alii Consiliarii generales, duo ex ipsis in Examinatores deputentur. Examinatores generales in officio usque ad futurum Capitulum, Dietam, vel Congregationem generalem perdurabunt. Superior generalis erit praeses cum suffragio in consilio Examinatorum; et Procurator generalis uti Examinator natus praeter electos habendus erit.

VII. Examinatores generales in intervallo, quod intercedet a data huius decreti usque ad celebrationem proximi Capituli, Dietae, vel Congregationis generalis, eligantur per secreta suffragia a Superiore generali una cum saltem tribus Religiosis graduatis seu gravioribus Ordinis ab eodem Generali Superiore deputandis, et deligendis ex Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, vel Consultoribus generalibus si adsint.

VIII. Si agatur de Instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, Domo, nec in congregationem erecto, et praeter localem, alius maior Superior non habeatur, Superior localis probum et idoneum deputet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. III, perficiat cum Examinatoribus electis iuxta art. V, et ipse Superior localis cum iis Capitularibus eiusdem domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium in art. X praescribendum exequetur.

IX. Quod vero attinet ad Ordines et Instituta, quae licet in Congregationem, et Societatem erecta sint, tamen in iis Capitula, Dietae, et Congregationes generales vel non celebrantur, vel raro convocantur, in iisdem Ordinibus, et Institutis auctoritas, quae Capitulis, Dietis et Congregationibus generalibus circa electionem Examinatorum superius attributa est, conceditur Superiori generali cum Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, Consultoribus, aliisque, quocumque nomine appellentur, Consiliariis generalibus, ita tamen ut si Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non sint saltem quatuor, Superior generalis alios graves et idoneos Religiosos eis adiungat ad enunciatum saltem numerum constituendum: quae Religiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat, si in Ordine et

Instituto Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non reperiantur. Quibus in casibus electio Examinatorum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos Definitores, Assistentes vel alios Consiliarios generales inter Examinatores adnumerare.

X. Cum autem Superior generalis relationem examinis et scrutinii, ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum art. III receperit, ipse omnia accurate percurrat, ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investigando, num tenor huius decreti servatus fuerit, et an adversus candidatum et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis Superior generalis praefatam relationem, declarationem, et documenta ac requisita tradat Procuratori generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus generalibus, qui cum candidato nullo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo coniuncti sint; et quatenus Procurator Generalis non adsit, tribus saltem Examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant iuxta modum in art. III designatum. Postea vero indicto die conveniant, et praestito tam a Superiore generali quam a Procuratore generali et ceteris Examinatoribus, ut supra, iuramento, reque mature perpensa, per secreta suffragia definiant, an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super quibus omnibus conscientia Superioris generalis, et Examinatorum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata intelligatur, quando eius favore saltem unum suffragium supra medietatem habeatur.

XI. Si Superior generalis Romae non resideat, acta, de quibus in art. III, ad Procuratorem generalem Romae morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum est secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices Superioris generalis gerat. Quod si Examinatores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint, eadem acta ad Superiorem generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat quae in art. III statuta sunt.

XII. Superior generalis, sive ipse, sive Procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit Candidatum ex iustis et rationabilibus causis reiicere, licet fuerit ab Examinatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus.

XIII. Ut vero Candidatus definitive ad habitum recipiatur, praeter praescriptam legem et formam cui omnes omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt, quae a Constitutionibus et Statutis respectivi Ordinis circa receptionem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte dumtaxat, quae huic decreto non opponitur.

XIV. Superiores quolibet semestri ad hanc Sacram Congregationem super statu Regularium summarie referant de singulis Novitiis ad habitum receptis, de uniuscuiusque aetate, patria, aliisque qualitatibus, et respectivis documentis, nec non de actis confectis pro receptione, deque observatione huius decreti.

Pars secunda decreti.

De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem.

I. Quicumque ex Religiosis et Novitiis alicuius Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, de quibus part. I decret. art. I, cognoverit Novitium sui Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum et defectum Superiori Conventus Novitiatus, vel Provinciali, vel Superiori generali manifestare teneatur. Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant.

II. Prope terminum cuiusque trimestris novitiatus Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cuiusque Novitii scripto referat.

III. Duobus mensibus ante professionem Provincialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum Novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi, et regulae agnoscat: secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum novitios nec non Religiosos etiam Conversos Conventus seu Domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto Capitulum conventuale eiusdem Conventus, seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent, an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

IV. Huiusmodi relationem Provincialis tribus saltem Examinatoribus Provincialibus communicet; et condicto die convocet praefatos Examinatores et Novitiorum magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato iuramento, Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret, utrum ipse in Domino existimet novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque iuramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et Examinatores per secreta suffragia definiant an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

V. Si novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino iudicaverit, quin tamen umquam permittere possit professionem Novitii, qui ab Examinatoribus Provincialibus reprobatus fuerit.

VI. In iis institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus.

VII. Si quid ulterius exigant Constitutiones et regulae alicuius Ordinis et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori huius decreti minime contraria sit.

Ut autem suprascriptum decretum quoad utramque eius partem executioni omnino demandetur, Sanctitas Sua omnibus ad quos spectat etiam in virtute sanctae obedientiae districte praecipit plenam illius observantiam; et quemlibet Superiorem cuiuscumque gradus sit, et Instituti quantumvis exempti et privilegiati, etiam de necessitate exprimendi, qui non servata huius decreti forma Novitium ad habitum, vel professionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda plane subiicit, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis Superioribus idem decretum quolibet anno in omnibus Monasteriis, Conventibus, Collegiis et Domibus die prima Ianuarii, et Dominica prima iulii in publica mensa legi sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda. Decernit insuper vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeri, nisi ei expresse, et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur: quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi posse vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua, ne huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio, licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque Apostolica auctoritate prorsus derogat et derogatum esse declarat.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 832-839].

4377.

S. C. super Statu Regularium, declar. 1 maii 1851.

1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per litteras privatas?
Resp. Affirmative.

2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto *Romani Pontifices* [1] praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus Postulantis?

[1] Cf. N. 4375.

Resp. Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas qualitates Postulantium cognoscendas.

3. Quid agendum, si Ordinarii respondeant se Postulantes non agnoscere?
Resp. Posse Postulantes admitti ad habitum et Novitiatum, si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et Postulantes antequam ad habitum admittantur maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur.

4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis Postulantem, absque litteris testimonialibus Ordinarii, quando hic affirmat non posse eas dare, quia prohibitus ab auctoritate civili?
Resp. Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a Superiore requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem.

5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse in Gallia informare, cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec Parochi ullam de his notitiam habere possint?
Resp. Affirmative, si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum saltem per tres menses maneant in conventu, ibique diligenter probentur.

6. Quid agendum sit, quando Ordinarii nolunt dare litteras testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui Postulantis in religionem?
Resp. Ordinarios, prout in art. 2 decreti *Romani Pontifices* praescribitur, non posse testimoniales litteras denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad S. Congregationem super statu Regularium.

7. In his ordinibus, in quibus praeter conversos laicos habentur Donati seu Oblati, an testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum vel potius Conversorum?
Resp. Ante susceptionem habitus Donatorum, et Oblatorum.

8. An sit nulla susceptio habitus sine litteris testimonialibus?
Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales litteras omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad professionem admitti minime poterunt.

9. Utrum sit invalida professio, si fiat omissis testimonialibus litteris?
Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 839-841].

4378.

S. C. super Statu Regularium, declar. 1 maii 1851.

1. Si Superior generalis alicuius Ordinis, in quo Provinciales non habeantur, sit eodem tempore Superior conventus, seu domus novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse in perficiendo primo scrutinio?[1]

Resp. Superior generalis deputet ad effectum, de quo agitur, probum et idoneum Religiosum, et una cum praescriptis Examinatoribus primum scrutinium perficiat.

2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque causa numerus Examinatorum provincialium, vel generalium in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli, vel Dietae advenerit, quomodo ad eorumdem Examinatorum electionem procedendum erit?

Resp. Servetur methodus in decreto *Regulari disciplinae* (art. III et IV in fine, et art. VII) praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erant statim post latum idem decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli, vel Dietae: Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Dietae. Quae methodus etiam servetur, quando ex S. Sedis dispensatione Capitula, vel Dietae non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis, vel per schedas fiat.

3. In aliquibus Institutis capitula provincialia ordinarie celebrantur prope finem triennii, et in praeparationem Capituli generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo hoc in casu ad electionem Examinatorum provincialium procedendum erit?

Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a Capitulo provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis. Quod si aliqua vice Capitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam provincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

4. An ad officium Examinatorum sive generalium, sive provincialium, ita duo Definitores, vel Assistentes, vel Consultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii Examinatores ex reliquis Definitoribus, Assistentibus Consultoribus eligi nequeant?

Resp. Negative.

5. Utrum in Ordinibus, et Congregationibus, quae licet habeant Capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem Examinatores, vel quatuor tantum sufficiant?

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes ad quos pertinet, in ordinibus tam amplis, quam exiguis sufficere tres Examinatores provinciales, praeter Superiorem provincialem ad primum scrutinium; et tres Examinatores generales praeter Superiorem generalem ad secundum scrutinium peragendum, et alios Examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse.

[1] Cf. N. 4376.

6. In articulo III Decreti *Regulari disciplinae* praescribitur, ut Postulantes accedere debeant ad locum primi scrutinii, ut ab Examinatoribus provincialibus personali examini subiiciantur. Saepe saepius accidit, ut huiusmodi examen personale absque notabili incommodo postulantium fieri nequeat sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli Superiores regulares expostularunt, quomodo in huiusmodi casibus sese gerere debeant?

Resp. Provincialis (et in Institutis, in quibus Provincialis non existit, is qui eius partes iuxta decretum adimplere debet) cum tribus Examinatoribus, ad peragendum examen personale postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam postulantem ab accessu personali dispensare iudicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem in Domino idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco, ubi conventus Ordinis reperitur; secus aliquam personam ecclesiasticam sive ex clero saeculari, sive ex clero regulari, dummodo Episcopus loci, vel eius Vicarius generalis eam idoneam iudicaverit, transmissa Examinatori deputato instructione circa ea, super quibus Postulans examinandus erit.[1] Verum Religiosus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata transmittere teneatur relationem examinis ab ipso vel ipsa subscriptam iuramento firmatam, *quo profiteatur sese fideliter munus suum adimplevisse quacumque affectione postposita.* Quibus peractis Provincialis dictam relationem tribus Examinatoribus exhibere debeat; ut scrutinium, de quo in eodem art. III Decreti, in reliquis perficiatur, et cetera omnia, quae in Decretis praescribuntur, omnino serventur.

7. Nonnulli Examinatores nimis anxii sunt in praestando iuramento, quo declarare debent *se omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et decretis apostolicis* praescripta *debito modo examinasse*, cum non omnes tuto scire possint, quaenam sint omnia huiusmodi requisita; expostularunt propterea ut a S. Congregatione super praemissis instructio detur; qua tuto procedi possit.

Resp. Iuramentum quoad requisita, et examen qualitatum referri dumtaxat ad requisita et qualitates *expresse* et *speciatim* praescriptas in Constit. Sixti V incipien. *Cum de omnibus*[2] cum moderatione Gregorii XIV,[3] et in decreto Clem. VIII cui initium *Cum ad regularem disciplinam,*[4] nec non in regulis et Constitutionibus respectivi Ordinis, seu Instituti. Et iuramento satisfieri, si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis et timoratae conscientiae adhiberi solet.

8. An Decretum *Regulari disciplinae* vim habeat in Sabaudia?

Resp. Affirmative.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 841-843].

[1] In appendice legitur instructio ad commoditatem Examinatorum. — Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 848.

[2] Cf. N. 162.

[3] Cf. N. 170.

[4] Cf. N. 189.

4379.

S. C. super Statu Regularium, declar. 1 oct. 1852.

Cum in Congregatione de Somascha disceptetur, an Religiosi, qui vitam communem in domibus professis observant, in domos, quae illam non profitentur, a Superioribus transferri possint:

Affirmantibus aliis, quod huiusmodi facultas a legibus Ordinis Praeposito generali expresse tribuatur, et secus, ut illis videtur, Congregatio vix laudabiliter regeretur.

Aliis vero negantibus, eo quod Praepositus generalis iuribus in casu uti volens, Religiosos ad vitam minus perfectam compelleret, et ideo in Constitutiones, quas ipse pro officio custodire tenetur, offenderet, quod suspicari nefas est.

Ioannes Decius Libois eiusdem Congreg. Sacerdos professus, ut certo sapientissimoque iudicio suborta disceptatio illico finiatur, et sententiam in re tenendam quisque religiose sequatur, humillime exponit et quaerit:

1. An Religiosi, qui in domibus professis Congregationis de Somascha communem vitam *sponte* professi sunt et observant, a Superioribus pro libitu transferri possint in domos, in quibus illa vita non observatur?

2. An Religiosus semel abstractus a vitae communis observantia, et in domum illam non profitentem translatus, imposterum ad eamdem vitam communem capessendam a Superioribus cogi possit?

3. An maiores Ordinis Superiores, qui vitam communem non profitentur, domos, in quibus illa vita communis observatur, in locum residentiae sibi eligere et ibi commorari possint?

Romae e Domo Ss. Bonifacii et Alexii de Urbe, die 24 septembris 1852.

Ex Aud. SSmi die 1 octobris 1852. SSmus propositis dubiis rescribendum mandavit: ad 1. Negative. Si vero aliqua gravis causa concurrat, recurrant ad S. C. pro temporanea translatione.

Ad 2. Quoad futurum provisum in primo: relate vero ad praeteritum, si translatio fuerit provisoria, affirmative; secus hortandos esse.

Ad 3. Negative, nisi vitam communem profiteantur. Contrariis non obstantibus.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 852-853].

4380.

S. C. super Statu Regularium, declar. 5 nov. 1852.

Superior Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Aquitaniae in Gallia ad Pedes S. V. humillime provolutus expostulat declarationem ad sequentia dubia super observantia Decreti: *Romani Pontifices*, editi die 25 ianuarii 1848.[1]

[1] Cf. N. 4375.

1. Quando Postulantes, Novitii, vel Professi alicuius Congregationis petunt admitti ad nostram Religionem, litterae testimoniales petendae sunt a Superioribus alterius Congregationis, in qua fuerunt, vel ab Ordinario?

2. Si a Superioribus, an a Superioribus Generalibus, vel Localibus, et quid si in diversis Domibus, vel Conventibus fuerint?

3. In Hispania adest Patriarcha Indiarum, qui iurisdictionem exercet in universum exercitum per suos Cappellanos: litterae testimoniales pro militibus petendae sunt a praedicto Patriarcha, vel ab Ordinario?

Quam Deus, etc.

Ex Audientia SSmi die 5 novembris 1852. SSmus propositis dubiis respondendum mandavit, scilicet:

Ad 1. Quoad Novitios, et professos saecularizatos, ab Ordinario; quoad Professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, a Superioribus.

Ad 2. Possunt peti vel a Superioribus generalibus, vel a Provincialibus: vel quatenus agatur de Congregatione et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus. Et si Professus in diversis domibus, vel Conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Superioris Provinciae vel Domus (quatenus Provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debeant de qualitatibus Religiosi.

Ad 3. Petendae erunt tam ab Ordinario originis, quam a Patriarcha.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 849].

4381.

S. C. super Statu Regularium, litt. encycl. *Neminem latet*, 19 mart. 1857.

Neminem latet, tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessundare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus, tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers, et suscepti Instituti poeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt, contra regulares familias, licet de christiana et civili republica optime meritas, pleno ore blaterent, et culpam quae paucorum est, in universum coetum conferant. Ex quo non levi religionis damno debita christiani populi erga religiosas familias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem regulares viri propriae vocationis assidue memores esse debent, et omnium virtutum splendore fulgere, atque ex proprii Instituti regula nullis curis nullisque laboribus parcere, ut maiorem Dei gloriam ac sempiternam hominum salutem procurare queant. Quod si semper, hisce praesertim temporibus, ab ipsis maiore studio et contentione

est praestandum, cum populi, licet omnigenis insidiantium hominum erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis luce, ac sanctissimae nostrae religionis auxilio se maxime indigere sentiant. Quocirca regulares viri, qui auxiliares Ecclesiae milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil nunc intentatum relinquere debent, ut qua opere, qua voce, qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque mentes divinae nostrae religionis lumine illustrent, errantes in omni bonitate patientia ac doctrina ad veritatis et salutis semitas perducant, vitiorum germina radicitus evellant, ac pietatem, religionem omnemque virtutem ubique foveant, excitent ac propagent. Ut autem haec prospere feliciterque agere et consequi valeant, charitatem in primis praeseferant oportet, quae virtutum omnium parens et altrix, quaeque patiens atque benigna omnia suffert, omnia sustinet, et idcirco necesse est Religiosos ipsos viros arctissimo charitatis vinculo inter se esse coniunctos, quo concordissimis animis, consociatisque studiis praeliantes bella Domini, et quaerentes unice quae Christi sunt, possint Dei eiusque sanctae Ecclesiae regnum magis in dies extendere.

Cum igitur Ecclesia prudenti quadam oeconomia ingruentibus malis iuxta rerum ac temporum adiuncta provide sapienterque occurrere soleat, SS. D. N. Pius Pp. IX, Religiosos Ordines praecipua benevolentia prosequens, et ab iis huiusmodi mala avertere cupiens, rem deferendam voluit ad S. Congregationem super Statu Regularium, ut PP. Cardinales, rebus accurate discussis, proponerent, quidquid in Domino expedire existimassent. Itaque auditis eorumdem Cardinalium sententiis, universaque rei ratione sedulo perpensa, haec quae sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicae auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, atque ab omnibus, ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte iubet, et contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat.

Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, [1] vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII incipiente *In suprema* [2] praefinita est.

Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis, ac etiam Superior Provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 15

[2] Bull. Rom., tom. 5, II, p. 409-415. — Cf. N. 189.

seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta S. Congregationis super Statu Regularium incipientia *Romani Pontifices* [1] et *Regulari disciplinae* [2] anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam praesentium ad habitum admittentur. [3]

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 853-855].

4382.

S. C. super Statu Regularium, declar. 29 maii 1857.

Eutrope Abbate dei Trappisti di Gethsemani nella diocesi di Louisville in America, considerando che l'America è una terra di emigrati e di viandanti, ossequiosamente implora che la S. V. si degni dichiarare:

1. Se sia sufficiente di esigere dai Postulanti ecclesiastici le lettere testimoniali del Vescovo che gli ha conferito l'ordine, ovvero sia necessaria anche la testimoniale del Vescovo nelle cui Diocesi sono stati ultimamente impiegati?

2. Siccome la maggior parte dei Postulanti laici sono Irlandesi o Tedeschi, per ottenere l'attestato del Battesimo fa d'uopo di scrivere in Europa, e le risposte tardano molti mesi, e qualche volta non si ricevono affatto, così quando evvi una certezza morale che sieno battezzati, se possono ammettersi almeno provvisoriamente alla vestizione dopo due mesi circa di prova?

3. Se il Postulante è già religioso di altra Congregazione od Istituto regolare, basterà di domandare gli attestati dal Superiore da cui dipende?

Tanto implora che, etc.

Sacra Congregatio super Statu Regularium vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Pio Pp. IX concessarum propositis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad 1. Si agatur de postulantibus in Sacris Ordinibus constitutis, sufficere testimoniales Episcopi, qui Ordines Sacros legitime eis contulit, una

[1] Cf. N. 4375.

[2] Cf. N. 4376.

[3] In Litt. Ap. Pii Pp. IX, 7 febr. 1862 statuitur, quod sequitur: « Quoad religiosas virorum familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti in quibus solemnia vota emittantur statuimus, ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti ». — Cf. N. 532.

cum testimonialibus Ordinariorum Dioecesum, in quibus deinde ultra annum in unaquaque Dioecesi commorati fuerint.

Ad 2. Documentum recepti Baptismatis exhibendum esse ante admissionem ad habitum.

Ad 3. Quoad Novitios alterius Ordinis, et Professos saecularizatos testimoniales litteras petendas esse ab Ordinario: quoad Professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales litteras petendas esse a Superioribus, nempe vel a Superioribus, vel a Provincialibus Ordinis a quo: vel quatenus agatur de Congregatione, et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus: et si Professus in diversis domibus, vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Provincialis vel Superioris domus (quatenus Provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debeant de qualitatibus Religiosi.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 850, 851].

4383.

S. C. super Statu Regularium, declar. 12 iun. 1858.

SSmus D. N. Pius Pp. IX attentis precibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum S. Dominici, haec, quae sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis litteris huius S. Congregationis *super Statu Regularium* die 19 martii 1857 praescriptiorum, [1] et circa obligationes ac privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem Ordine Praedicatorum decernenda statuit, prout praesentis Decreti tenore Apostolica auctoritate decernit atque constituit:

I. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

II. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

III. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis Professorum, ita ut data dimissione professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem Ordinis cum suo generali Consilio. Idem Magister Generalis cum suo generali Consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent.

V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

[1] Cf. N. 4381.

VI. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur, et gaudent.

VII. Superiores Regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam Tonsuram, et ad Ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa Ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

VIII. Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

IX. Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii et studiorum, et vitam communem perfectam observare.

XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate derogat, ac derogatum esse declarat.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 855-857].

4384.

S. C. super Statu Regularium, declar. 6 aug. 1858.

1. An Professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium iuxta litteras encyclicas diei 19 martii 1857 [1] praemitti debent, teneantur ad officium divinum?

2. An teneantur ad observantiam Regulae Ordinis, prout solemniter Professi?

SSmus in Audientia habita ab infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium, die 6 augusti 1858 respondendum mandavit, nempe:

[1] Cf. N. 4381.

Ad 1. Non teneri ad privatam recitationem divini Officii: debere tamen Choro interesse, ut solemniter Professi.

Ad 2. Affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis.[1] – A. Bizzarri, Archiep. Philippen., *Secretarius*.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 857].

4385.

S. C. super Statu Regularium, 20 ian. 1860.

Archiepiscopus Mexicanus humillime exponit, quod S. V. decreto S. Congregationis super Statu Regularium die 19 martii 1857[2] praecepit, ut Novitii, iam sexdecim annorum, etiam expleto Novitiatus anno ad normam Tridentini, non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissione solemnium post triennium, si digni tunc reperti fuerint, qui ad professionem admittantur, dummodo ultra 25 annum eorumdem aetatis non protendatur.

Ex expositis sequentia dubia suborta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime postulat:

1. Possunt ne Novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad Sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante constitutione *Romanus* S. Pii V, die 14 octobris anni 1568[3] in lucem edita?

2. Possunt Provinciales dispensare cum Novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium, ad hoc ut his ordines conferantur?

3. Qui forte habitum religionis induerint, maiores iam 25 annorum, aut huic proximi aetati, possunt, expleto iam novitiatus anno, ad vota solemnia, et professionem admitti, an etiam cum similibus expectandum est ulterioris probationis triennium?

4. Si Novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur; quid cum eis agere debet Ordinarius, si aut ad Sacros Ordines, aut ad matrimonium forsitan adspirent?

Ex Audientia SS̃mi habita a D. Secretario S. Congregationis super Statu Regularium sub die 20 ianuarii 1860, SS̃mus ad proposita dubia rescribendum mandavit, ut sequitur:

Ad 1. Negative quoad Ordines Sacros.

Ad 2. Affirmative pro prima tonsura et ordines minores, quatenus Provinciales ex Apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.

Ad 3. Negative ad 1. partem, affirmative ad 2.

Ad 4. Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab Ordine, sive per Apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis Dioecesanis se se gerere debet.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 858, 859].

[1] Cf. N. 4383.
[2] Cf. N. 4381.
[3] Cf. N. 129.

4386.

S. C. super Statu Regularium, 25 ian. 1861.

Cum iure communi receptum sit, ut coniugibus ante consummationem matrimonii, tempus petendi ad deliberandum an vellent monasticam vitam amplecti, bimestre concedatur, alterque coniux in saeculo manens expectare teneatur, donec monasticam vitam amplexus professionem emittat, quin antea alias nuptias inire valeat, a S. Congregatione postulo declarari, num coniux manens in saeculo ne dum bimestre et annum probationis ante simplicium votorum professionem expectare teneatur, sed et subsequens triennium, quo demum expleto iuxta recentem disciplinam locus est professioni solemni.

Ex Audientia SS̃mi, die 25 ianuarii 1861.

SS̃mus in Audientia habita die 24 ianuarii 1861 ab infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium, ad quam dictum postulatum remittendum iusserat, eidem dubio respondendum mandavit, nempe nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi; non vero per professionem votorum simplicium; ideoque in casu quo vir iuxta legem diei 19 martii 1857 per S. Congregationem super Statu Regularium latam,[1] vota simplicia emittere debeat ante solemnem professionem, sive ipse, sive eius coniux recurrere poterit ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate ut statim emitti possint vota solemnia. – A. Bizzarri, Archiep. Philippen., *Secretarius*.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 859].

4387.

S. C. super Statu Regularium, 7 febr. 1862.

Fr. Alexander Vinc. Iandel Magister Generalis Ordinis PP. Praedicatorum exponit, occasione nuperrimi Decreti a S. Congregatione super Statu Regularium die 12 iunii 1858 Apostolica auctoritate editi,[2] nova quaedam in quibusdam sui Ordinis Conventibus exorta fuisse dubia, quorum solutionem ab eadem S. Congregatione enixe et humillime exposcit.

1. Cum ex praefati Decreti (num. 8) professi votorum simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi: quaeritur an inter huiusmodi actus Capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem; nam praeterquamquod votorum simplicium professi non sint de corpore professorum solemniter, contingere potest quod professi simplices numero excedant professos solemnes, et inter eos periculum collusionis enascatur,

[1] Cf. N. 4381.
[2] Cf. N. 4383.

cum alii post alios, vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint?

2. Utrum reiectio alicuius professi simplicis a maiori parte Patrum in Consilio vel totius Conventus in Capitulo per suffragia secreta prolata, ab Ordinis Generali Magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, haberi possit tamquam legitima et iusta causa aut prudens iudicium, ad hoc ut eiusdem professi votorum simplicium dimissio ab Ordine, et eorumdem votorum solutio ab ipso cum suo generali Consilio decerni et declarari possit?

3. Et quatenus negative, quaeritur tertio, quid agendum, si Patres Conventus ad excludendum Novitium a professione solemni perseverent, nec ulterius eadem differri possit eo quod vigintiquinque aetatis suae annos Novitius expleverit?

SSmus D. N. Pius Pp. IX in Audientia habita die 7 febr. 1862 ab infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium ad suprascripta proposita dubia rescribendum mandavit, nempe: ad 1. Negative. Ad 2. Negative. Ad 3. Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debet Capitulum Conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiore Generali vel ab eius Subdelegato standum erit resolutioni eiusdem Capituli. Quod si aliunde habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt, quae in articulis IV et V declarationum praescripta sunt.

Insuper Sanctitas Sua ea, quae in hoc responso continentur, etiam ad alios Ordines et Instituta extendit, et extensa declaravit. – A. Bizzarri, Archiep. Philippen., *Secretarius*.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 861, 862].

4388.

S. C. super Statu Regularium, 1 aug. 1862.

Lata lege de praemittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium per Encyclicam Epistolam huius Sac. Congregationis super Statu Regularium die 19 martii 1857 [1] nonnullae deinde editae fuerunt declarationes quoad ipse vota simplicia, et relate ad votum simplex paupertatis constitutum fuit: « Professi votorum simplicium *Dominium radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint ». [2]

[1] Cf. N. 4381.
[2] Cf. N. 4383.

Nuper vero dubium exortum est, quandonam Professi votorum simplicium emittere possint renunciationem, de qua Sacrosanctum Concilium Tridentinum, Sess. 25, *de regularibus*, cap. 16, agit, quaque ipsi suarum rerum dominium a se abdicent. Dubio ad SSmum D. N. Pium PP. IX relato ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis super Statu Regularium in audientia habita 1 augusti 1862, Sanctitas Sua apostolica auctoritate statuit, atque constituit, renunciationem, quam in citato capite 16, Sess. 25, *de regularibus*, Concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Contrariis quibuscumque non obstantibus. – A. Bizzarri, Archiep. Philippen., *Secretarius*.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 865].

4389.

S. C. super Statu Regularium, 17 aug. 1866.

In Congregatione habita die 16 augusti 1866 proposito dubio: *Se sia espediente di modificare le Costituzioni di Clemente VIII, ed Urbano VIII su i casi riservati ai Superiori Regolari in modo che venga rimosso il pericolo d'inconvenienti, i quali possono accadere nelle piccole Comunità?* Emi Patres rescripserunt: Serventur decreta Clementis VIII, et Urbani VIII, [1] ita tamen ut in praefatis parvis Communitatibus Superiores omnino debeant deputare habitualiter saltem unum Confessarium ex Religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis, facto verbo cum SSmo.

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio Pp. IX in audientia habita die 17 augusti 1866 a Secretario, Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis approbavit et confirmavit.

[Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 865, 866].

4390.

S. C. super Statu Regularium, 16 ian. 1891.

Fr. Diomedes a Pescoconstantio, Procurator Generalis Minorum Reformatorum, ad pedes S. V. provolutus, ut e medio omne dubium in re gravi momenti tollatur, sequentia, pro opportuna declaratione, humillime submittit.

In Decreto a S. Congregatione super statu Regularium, diei 12 iunii 1858, Apostolica auctoritate edito, [2] circa iura, quae professis votorum simplicium competunt, ad n. VI decernitur, quod *professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi*

[1] Cf. N. 177.
[2] Cf. N. 4383.

votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent. Immo in n. VIII additur: *Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur.*

Hinc quaeritur:

Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato Decreto, quoad iura tam gratiarum et privilegiorum, quam vocis activae et passivae professis votorum solemnium aequiparantur, ut professi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant?

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium super Statu Regularium, omnibus mature perpensis, super praemissis censuit rescribendum:

Negative.

[Acta S. Sedis, vol. XXIV, p. 566, 567].

---

7. – S. C. DE RELIGIOSIS.

4391.

S. C. de Religiosis, decr. 21 nov. 1908.

De eleemosynis colligendis gravis quaestio, quae iam anteactis saeculis non semel agitata fuit, hodie praesertim, ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores praesefert difficultates. Quibus ut occurreret, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 27 martii 1896 promulgavit decretum *Singulari quidem,* [1] quo colligendarum eleemosynarum ministerium opportunis pro hodierna humanae societatis conditione communiebatur cautelis. Attamen mulierum dumtaxat respiciebat Sodalitates. Quo autem et virorum Institutis religiosis melius provideretur, eidem Sacrae Congregationi, in plenario consessu die 8 maii anni 1908 habito, visum est pro his quoque nonnullas apponere quaestuationum normas; quas, ex Secretaria supradictae Congregationis Episcoporum et Regularium acceptas, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum sodalium praeposita, de mandato SSmi Dni Nostri Pii divina Providentia Pp. X, publici iuris facit.

I. – Quoad ordines mendicantes.

1. Regulares, qui Mendicantes vocantur et sunt, ex institutione Sedis Apostolicae cum sola licentia Superiorum suorum eleemosynas quaerere valeant in dioecesi, ubi erectus est conventus. Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu quo conventus fundationi consensum praebuerunt.

2. Si vero iidem Regulares extra dioecesim, ubi conventus habent, stipem quaeritare velint, Ordinarii illius dioeceseos licentia, per suos Superiores in scriptis obtenta, indigent.

3. Ordinarii praecipue limitrophes, hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis conventus ex quaestuatione in sola dioecesi, ubi erectus est, vivere nullimode possit, ut in parvis dioecesibus contingere solet.

4. Quae licentia intelligitur habitualis, usque nempe ad expressam revocationem; quae quidem revocatio, ut par est, nonnisi legitimis de causis, iisque tantum perdurantibus, facienda est.

5. Ut Mendicantes praefato iure gaudeant, per seipsos, non autem per personas Ordini extraneas, eleemosynas colligere debent.

[1] Cf. N. 2029.

6. Regulares quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet de debita facultate deque officio quaestuationis sibi commisso. Quas litteras parochis ultro exhibere tenentur; necnon Ordinariis, quoties ab ipsis requirantur.

7. Non licet Superioribus regularibus ad hoc opus mittere nisi Religiosos aetate et animo maturos; numquam eos qui studiis adhuc incumbunt.

8. Religiosi eleemosynas collecturi ne pergant soli sed bini, praesertim extra urbem seu locum ubi habent conventum, seclusa gravis necessitatis causa; quo in casu quaestuarius publice notus sit oportet atque aetate, virtute ac fidelium existimatione omnino commendatus.

9. Porro extra locum conventuum quaestuantes, apud parochos vel apud alios clericos saeculares vel regulares, aut, iis deficientibus, apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

10. Extra propriam domum ne maneant ultra mensem, si in propria dioecesi; non ultra duos, si in alia eleemosynas quaerant; neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, vel respective per duos menses, vitam communem iuxta regulam et constitutiones in conventu exegerint, prout uno vel duobus mensibus extra claustra degere debuerunt.

11. Qui in ipso loco, ubi situs est conventus, stipem corrogant, noctu extra propriam domum nequaquam manebunt.

12. Religiosi quaestuantes semper illa, qua decet, humilitate, modestia, munditie eniteant; saecularium, praesertim mulierum cuiuscumque sint conditionis, familiaritatem caveant; loca suae professioni minime congrua omnino devitent; pietatem sincere foveant atque spiritualia exercitia in religione ipsorum solita pro viribus fideliter adimpleant.

13. Superiores regulares, graviter onerata eorum conscientia, ne omittant quaestuariis suis normas agendi, quas prudentia suadet, opportunas praescribere.

14. Si vero, quod absit, Regulares quaestuantes notorie deliquerint, fidelibus scandalum praebuerint, vel etiam contra legitimam prohibitionem eleemosynas colligere ausi fuerint, Ordinarius loci iubeat eos in propriam domum redire atque etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus Superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandali puniant; quod si secus fecerint, quam primum ad Sanctam Sedem recurrat.

II. – Quoad ordines vel instituta religiosa non mendicantium.

1. Religiosi sive Ordinum sive congregationum *iuris pontificii*, qui privilegium quaeritandi eleemosynas neque vi propriarum constitutionum a S. Sede approbatarum, neque vi Apostolicae concessionis gaudent, veniam Apostolicae Sedis impetrare debent, ut quaestuationes instituere valeant; praeterea licentiam per suos Superiores ab Ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte S. Sedes in hoc expresse et specialiter iuri Episcopi

derogaverit, quod numquam praesumi potest, sed indubitatis documentis probari debet.

2. Religiosi vero qui sunt *iuris dioecesani*, opus colligendi eleemosynas nequaquam aggredi poterunt, nisi licentiam obtinuerint tum ab Ordinario loci in quo resident, tum etiam, si extra dioecesim propriae residentiae abituri sint, ab Ordinario loci in quo stipem quaerere desiderant.

3. Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque domo cuiusque religiosi suae dioeceseos Instituti, sive iuris pontificii sive iuris dioecesani, emendicato viventis, limites quaestuationis constituere possunt et respective servandos curare, praesertim ubi sunt conventus Regularium nomine et re mendicantium; nec huiusmodi Religiosis non mendicantibus quaeritandi licentiam concedant, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; et si necessitatibus provideri potest per quaestuationem in loco vel districtu, in quo Religiosi resident, aut intra dioecesim, instituendam, ampliorem licentiam nequaquam concedant.

4. Ordinarius porro illius dioeceseos, ad quam isti Religiosi aliarum dioeceseon eleemosynas quaesituri accedant, collectas eis minime permittat, nisi prius per se vel per suos ad hoc delegatos, praeter litteras obedientiales proprii Superioris, facultatem, vel Apostolicae Sedis si sunt iuris pontificii, vel proprii Ordinarii si sunt iuris dioecesani, recognoverit et huius decreti praescriptis conformem invenerit.

5. Insuper Ordinarius sedulo advertat, utrum qui pro missionibus exteris subsidia quaerunt, praeter litteras commendatitias Vicarii vel Praefecti Apostolici respectivae missionis et litteras obedientiales Moderatoris generalis proprii Insituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam.

6. Licentiam colligendi eleemosynas Ordinarii concedant gratis et in scriptis, notatis semper (sive ad calcem litterarum obedientialium sive in documento separato) tum nominibus Religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine Ordinis vel Instituti ad quod pertinent, tum loco et tempore pro quibus licentia valitura sit.

7. Licentias loco et tempore generales Religiosis huiusmodi nequaquam concedent Ordinarii, sed potius invigilabunt, ne sive quaestuantes, sive praetextu quaestuationis, extra propriam domum maneant ultra mensem, si in propria dioecesi: aut ultra duos menses, si in aliena eleemosynas quaerant; neve iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, respective duos menses, in suo conventu degerint, prout uno vel duobus mensibus foris manserant.

8. Ut Religiosi Ordinariorum facultate colligendi eleemosynas uti valeant, id per se, non per alios, facere debent.

9. Ad haec et ipsi fideliter observent, quae supra pro Religiosis Ordinum mendicantium sancita sunt, parte I, art. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13.

10. In casu tandem, quo hi Religiosi quaestuantes contra legitimam prohibitionem eleemosynas collegerint, vel, quod Deus avertat, male se gesserint scandalove fidelibus fuerint, Ordinarius loci, etiam tamquam

Sedis Apostolicae Delegatus, eos pro gravitate delicti et scandali opportunis remediis coërceat et in propriam domum a suis Superioribus puniendos remittat.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 153-156].

4392.

S. C. de Religiosis, *Ordinis Fratrum Minorum*, 19 ian. 1909.

Fr. Bonaventura Marrani, Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum, se ad Sanctitatis Tuae pedes provolvit et, ut plurium tum ministrorum provincialium quum monialium sui Ordinis dubiis occurrat, sequentia exponit:

Sacra Tridentina Synodus, Sess. XXV, cap. 17, *de regul.*, haec quoad vestitionem monialium earumque professionem constituit: « Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens, sancta synodus statuit atque decernit ut puella, quae habitum regularem suscipere voluerit..., non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel, eo absente vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis... ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat ». Quum vero Summus Pontifex Leo fel. rec. XIII, per decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 3 maii 1902 latum, [1] edixerit, ut, non secus quam in religionibus virorum etiam in sanctimonialium monasteriis, in quibus solemnia nuncupantur vota, praemittantur solemnibus votis simplicia triennium saltem duratura; hinc sequens dubium exortum est, cuius congruam in editis iam ipsius decreti solutionem minime reperit: *Num ante professionem votorum solemnium sanctimonialis voluntas, quae ante vestitionem professionemque votorum simplicium, iuxta S. Concilii Tridentini praescripta, fuerit legitime explorata, denuo sit exploranda?*

Super quibus humillimus orator opportunam declarationem reverenter postulat. – Et Deus, etc.

Ex audientia SSmi habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationi de Religiosis Praefecto, die 19 ianuarii 1909: Sanctitas Sua, re mature perpensa, supra relato dubio responderi mandavit prout sequitur: *Attenta ratione solemnitatis votorum, iteranda est exploratio voluntatis singularum monialium ante votorum solemnium nuncupationem.* – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.* – D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius.*

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 232, 233].

[1] Cf. N. 2039.

4393.

S. C. de Religiosis, decr. 15 iun. 1909.

Quum minoris esse soleat aedificationis, salvis extraordinariis nonnullis casibus, quod in officiis dioecesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo Ordine regulari vota solemnia professi, indultum saecularizationis sive perpetuae sive ad tempus obtinuerint, vel in Instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint; ne alii inde Religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra praetextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa decimus decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus saecularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, adnexae intendantur, licet non expressae, sequentes clausulae, quarum dispensatio Sanctae Sedi reservatur:

Vetitis, absque novo et speciali Sanctae Sedis indulto:

1. Quolibet officio, et, quoad eos qui ad beneficia habilitati sunt, quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2. Quolibet magisterio et officio in seminariis clericalibus maioribus et minoribus aliisque Institutis, in quibus clerici educantur, nec non in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica;

3. Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus;

4. Officio Visitatoris et Moderatoris domorum Religiosorum utriusque sexus, etiamsi agatur de congregationibus mere dioecesanis;

5. Habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciae, vel Missionis, cui sacerdos vel clericus saecularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, adscriptus erat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 523].

4394.

S. C. de Religiosis, instr. 30 iul. 1909.

Inter ea, quae religiosis Familiis maius detrimentum afferunt, quaeque sicut earum tranquillitatem perturbant, ita bonam existimationem in discrimen vocant, praecipue est numeranda nimia facilitas, qua aliquando debita contrahuntur.

Saepe enim aes alienum inconsulto et intemperate suscipitur, sive ad excitandas domos, sive ad eas augendas et ampliandas, sive ad tyrones plus aequo recipiendos, sive ad manum apponendam operibus vel instituendae iuventutis, vel sublevandae miseriae.

Quae quidem omnia, licet vel in se, vel ratione praestituti finis, sint opera laude digna, quum tamen regulis christianae prudentiae et aequae administrationis non semper respondeant, ideoque apostolicarum praescriptionum verbis et spiritui contraria sint, Deo esse grata non possunt, nec proximo valent permansuram afferre utilitatem.

Quum autem in dies misere succrescat huiusmodi abusus, debita contrahendi absque prudentibus cautelis, et frequenter sine venia, sive Superioris generalis sive huius Apostolicae Sedis; attentis peculiaribus et extraordinariis sane cirumstantiis, in quibus publicae et privatae res oeconomicae versantur; ne domus quaecumque religiosae, ex sua leviori agendi ratione, in aere alieno contrahendo damnum in posterum persentiant; Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, habitis suffragiis Emorum Patrum Cardinalium huius Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito, die 30 iulii 1909, post maturum examen, haec decernere, statuere et praescribere dignatus est, a singulis Ordinibus, congregationibus, institutis, utriusque sexus, sive votorum solemnium sive simplicium, a monasteriis, collegiis et domibus religiosis, sui quoque iuris, vel Ordinariis locorum subiectis, apprime servanda:

I. Moderatores, sive generales sive provinciales seu regionales sive locales nulla debita notabilia contrahant, nullasque notabiles obligationes oeconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum oretenus vel aliter:

a) absque praevio consensu Consilii generalis seu Definitorii, si agatur de Curia generali, aut de domo vel domibus, immediate iurisdictioni seu directioni Curiae generalis subiectis;

b) vel absque praevio consensu Consilii seu Definitorii provincialis, et expressa licentia Moderatoris generalis, accedente voto deliberativo Consilii seu Definitorii generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a Superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis;

c) vel absque praevio consensu Consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo Superiore provinciali seu regionali positae, et expressa licentia Moderatoris generalis, eiusque Consilii seu Definitorii generalis. Quod si Ordo in varias congregationes seu familias, proprium Praesidem seu Moderatorem generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, huius Praesidis seu Moderatoris eiusque Consilii licentia necessaria omnino erit;

d) vel absque praevio consensu Consilii localis, si agatur de monasteriis vel domibus nulli Moderatori generali subiectis, accedente tamen licentia in scriptis Ordinarii loci, si monasteria seu domus huiusmodi ab Ordinarii iurisdictione vere exempta non sint.

II. In debitis vel in obligationibus oeconomicis contrahendis, habenda est notabilis quantitas, quae superat 500 libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel domibus singulis; quae superat 1000 libellas, nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis; quae superat 5000 libellas, si de Curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel Curia generalis

debita vel obligationes contrahere intendat, quae valorem 10.000 libellarum excedant, praeter licentiam respectivi Consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare; sed omnia et singula debita omnesque et singulae obligationes, quomodolibet contracta, semper coalescunt. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum exstincta sint.

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes, valorem 10.000 libellarum excedentia, si domus, provincia vel Curia generalis oratrix in precibus reticeat alia debita vel alias obligationes, quibus forsan adhuc gravatur.

V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliaeque religiosae Familiae Consilia generalia, provincialia et localia non habeant, illa intra tres menses constituant ad hunc finem vigilandae administrationis oeconomicae. Monasteria autem seu domus, quae sint sui iuris, nec Consilium libera capituli localis electione constitutum habeant, illud pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quatuor in monasteriis vel domibus, quae saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, numquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero Consilii subscribantur tum a Moderatore tum a singulis consiliariis.

VII. Graviter oneratur Moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecumque, reditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint Moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et adprobationi Consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicientia, pariter consiliariis examinanda tradantur.

VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum, vel aliqua pars aedificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae, quia huiusmodi promissiones saepe non adimplentur, cum periculo gravis nocumenti materialis et moralis Religiosorum.

IX. Ut pecuniae, reditus aliique proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum Consilii, toties quoties exqui-

rendum, exhibitis praefato Consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

X. Quae de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsae visitatione, necnon de recta administratione rerum temporalium praescribuntur in constitutionibus singularum Familiarum religiosarum, si severior ratione, quam in singulis articulis praesentis Instructionis ordinentur, accurate serventur in iis, quae ipsi Instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria statuta ordinata non fuerit, omnia quamprimum ordinentur, prae oculis habitis quae in *Normis*, cap. VI, dicuntur,[1] quaeque non solum sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in nota in fine pag. 3 earundem *Normarum* posita, salvis semper praescriptionibus huius Instructionis.

XI. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodolibet Missas adnexas habent, eorumque fructus vel reditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis cuiuscumque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniae pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum Moderatores tum consiliarii.

XII. Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab apostolica Sede iandudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumere, quousque respectivae moniales vel sorores vivant; sub poenis a iure determinatis. Et Apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

XIII. Donationes, etiam titulo eleemosynae vel subsidii, non fiant, nisi iuxta conditiones a Sancta Sede praescriptas, et iuxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a Superioribus generalibus cum respectivis Consiliis legitime determinatam.

XIV. Omnia, quae in hac Instructione praescribuntur, non solum Ordines, congregationes et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt. Violatores autem earundem praescriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis, quae de iure communi vel iuxta praesentem Instructionem apostolicum beneplacitum requirunt, poenis ipso facto subiaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 695-699].

[1] Normae, secundum quas S. Congr. Episcoporum et Regularium procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium. — Romae (1901). Typis S. C. de Propaganda Fide.

4395.

S. C. de Religiosis, 30 iul. 1909.

Per decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium d. d. 3 maii 1902, quod incipit *Perpensis*,[1] iniunctum fuit monialibus cuiuscumque Ordinis, ut, peracta, probatione et novitiatu, vota simplicia emittant, nec ad solemnem professionem admitti possint, nisi expleto triennio a die, qua vota simplicia emiserunt; ita nempe « ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret, et nullius effectus » (Decretum *Perpensis*, II).

Cum autem huiusmodi decretum in notitiam aliquot monasteriorum vel monialium nonnisi post aliquod temporis spatium venerit, admissae fuerunt ad professionem votorum solemnium nonnullae novitiae immediate post novitiatum, ex decreti ignorantia. Hinc quaeritur:

I. An professio, quam moniales praedictae emiserunt post diem 3 maii 1902, tamquam solemnem, non praemisso triennio votorum simplicium ex ignorantia decreti *Perpensis*, haberi debeat tamquam nulla? Et quatenus *Affirmative:*

II. An professio, in iis circumstantiis emissa, debeat saltem haberi valida, uti professio simplex?

III. An renuntiatio, donationes etc. a moniali factae occasione talis invalidae professionis, habendae sint tamquam nullae, ac proinde res donatae ab illa legitime repeti possint cum dote?

Emi Patres Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu habito ad Vaticanum die 30 iulii 1909, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae decimo per infrascriptum Secretarium Sacrae Congregationis de Religiosis sequenti die relatis, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 699, 700].

4396.

S. C. de Religiosis, decr. 7 sept. 1909.

Ecclesia Christi, licet spirituali gaudio afficiatur, quum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita, ingressum in

[1] Cf. N. 2039.

novitiatum et professionem votorum ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia in religiosis Domibus servanda esse admittendos, qui divinae vocationis argumenta praeberent. Ipsum quoque probationis tempus, quod votorum emissionem praecedit, ad hoc instituit, ut animi non solum religiosis imbuerentur virtutibus, sed etiam a Superioribus rite explorarentur.

Debilitata tamen in regionibus non paucis vitae christianae disciplina, Apostolica Sedes ingressum in religiosas Familias, examen tyronum et experimentum vitae religiosae, paullatim, progressu temporis, severiori quadam ratione ordinavit, editis ad rem legibus, quae spem perseverantiae et prosperi exitus firmiorem redderent.

Quum vero compertum sit, longe melius esse, ut aliqualiter claudantur ianuae ingredientibus, ne postea late reserentur exeuntibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X committere dignatus est huic Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, ut severiori huiusmodi Ecclesiae disciplinae insistens in admittendis alumnis ad novitiatum et vota, haec statueret, ab omnibus religiosis virorum Familiis, graviter onerata Superiorum conscientia, fideliter in posterum servanda, quae sequuntur:

Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis, excipiantur, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum postulantes:

1. Qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;
2. Qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;
3. Qui, sive ut professi sive ut novitii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;
4. Qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam alicuius Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eandem vel in aliam eiusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 700, 701].

4397.

S. C. de Religiosis, declar. 7 sept. 1909.

In articulo sexto decreti *Auctis admodum*, [1] editi a sa. me. Leone XIII, inter alia, haec statuuntur: « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu;

[1] Cf. N. 2020.

ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».

Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae exhibita sunt, quae ad sequentia capita reduci possunt:

I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii, seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa?

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur?

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere?

IV. Utrum verba eiusdem decreti *Auctis admodum:* « praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum litterarum, imo primariam etiam institutionem?

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant?

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines?

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lyceaelium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis Seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam?

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lyceaelibus, et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut praefatae litterae licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis?

Et Sacra eadem Congregatio, de speciali mandato Sanctissimi Domini nostri divina providentia Pii Papae X, respondet prout sequitur:

Ad I. *Negative* in omnibus; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

Ad II. *Affirmative,* dummodo tamen complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

Ad III. *Affirmative*, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

Ad IV. Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit; neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a Moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

Ad V. *Negative* quoad studia philosophica seu lycaealia; *affirmative* quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: *a*) decimum quintum aetatis annum excesserit; *b*) statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale adscendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; *c*) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto non expleto, recurrendum ad Sanctam Sedem.

Ad VI. *Negative*. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad Sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.

Ad VII. *Negative* ad primam partem. *Affirmative* ad secundam.

Ad VIII. Superiores in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari: 1. *Quoad curriculum theologicum*, candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2. *Quoad inferiora studia, eidem curriculo praemittenda*: *a*) eundem candidatum, rite peractis primariae institutionis studiis, humaniorum

litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b*) praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspicato superavisse.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut salvis quae de integritate et duratione studiorum in praesenti documento dicuntur, Sacra Congregatio, exquisito ab omnibus Moderatoribus generalibus elencho disciplinarum, quae singulis annis scholasticis seu academicis adsignatae sunt in respectiva religiosa Familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, Instructionem de studiis apud clericos Ordinum et Institutorum religiosorum rite et integre peragendis praeparet, in plenario Eñorum Patrum eiusdem Congregationis coetu examinandam, et probante Summo Pontifice, publici iuris faciendam.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 701-704].

4398.

S. C. de Religiosis, declar. 21 dec. 1909.

Nonnulli Superiores Generales Ordinum et Institutorum huic Sacrae Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates, quas parit immediata executio recentiorum Declarationum circa studia, d. d. 7 septembris 1909; [1] sive quia alumni in propriis illorum Collegiis degentes, qui ad Novitiatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in Collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent; sive quia ipsae novitiorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, quum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem Declarationum undequaque instructos.

Ideoque supplices preces dederunt, ut, quousque iuxta placita huius Sacrae Congregationis res apprime ordinentur, praefatas Declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, cui haec omnia infrascriptus Cardinalis Praefectus retulit in Audientia diei 21 decembris 1909, rem mature perpendere dignatus est aequa lance cum expositis difficultatibus bona librando, quae ex immediata executione dictarum Declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse, quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac Sacerdotes saeculares debent scientia pollere Sacerdotes Regulares, quorum consilia Fideles non minori sane fiducia expetere constat; scientia veris vocationibus nedum

[1] Cf. N. 4397

adimat, potius confert stabilitatem; quod si nonnullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Novitiatum discedere, melius est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, imo nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentati, vel prorsus vacuae per aliquod tempus noviтiorum domus existant, quam si plenae Sodalibus non adaequate institutis; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium, integre summopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberius.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Sanctissimus Dominus Noster minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandam duxit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 35, 36].

4399.

S. C. de Religiosis, declar. 4 ian. 1910.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia, die 4 ianuarii 1910 infrascripto Cardinali Praefecto benigne concessa, decernere dignatus est, ut dispositiones Decreti Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis*, [1] ad mulierum quoque Religiosas Familias in posterum extendantur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub poena nullitatis professionis, non excipiantur sive ad Novitiatum, sive ad emissionem votorum, postulantes:

1. Quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsae fuerint;

2. Quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur, quacumque ratione dimissae fuerint;

3. Quae, sive ut professae, sive ut novitiae, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissae fuerint; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint;

4. Quae iam admissae, sive ut professae, sive ut novitiae in unam provinciam alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissae, in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – D. L. Janssens O. S. B., *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 63, 64].

[1] Cf. N. 4396.

4400.

S. C. de Religiosis, declar. 5 apr. 1910.

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis*, [1] ab hac Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expetita fuit:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis.

II. An ii, qui in aliqua Familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

III. An valide et licite ad Novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *aequivalenter*, id est, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: *a*) opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo*, circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; *b*) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse, neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

[1] Cf. N. 4396.

Ad IV. Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II. et III.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 231, 232].

4401.

S. C. de Religiosis, declar. 5 apr. 1910.

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et quum decretum Sacrae Congregationis de Religiosis d. d. 15 iunii 1909,[1] quo nonnullae praescribuntur clausulae, Rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum, ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint. – Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 232, 233].

4402.

S. C. de Religiosis, 31 maii 1910.

Cum nonnulla dubia exorta fuerint circa rectam interpretationem Declarationum huius Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 septembris 1909,[2] quoad articulum VI, Decreti *Auctis admodum*,[3] eorum solutio ab hac eadem Sacra Congregatione expostulata fuit, nimirum:

1. Utrum praedictae Declarationes respiciant tantum Domus Religiosas studiorum solius Italiae, an etiam, eas ubique terrarum constitutas.

2. Utrum eisdem Declarationibus sese conformare debeant eae tantum Congregationes Religiosae, in quibus emittuntur vota, an etiam illae,

[1] Cf. N. 4393.
[2] Cf. N. 4397.
[3] Cf. N. 2020.

quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, ut apud Eudistas.

3. Utrum, contracto vacationum tempore, et pressius aucto studiorum conatu, totus Theologiae cursus tribus tantum annis comprehendi possit; an potius per quatuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protrahi debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prouti respondet:

Ad 1. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.
Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.
Ad 3. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.
Contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 449, 450].

4403.

S. C. de Religiosis, 4 iun. 1910.

Cum adhuc perdurent dubia circa extensionem Constitutionis *Exposit debitum*, diei 1 ianuarii 1583 extra Italiam,[1] re, in Plenariis Comitiis Sacrae Congregationis de Religiosis die 3 iunii 1910 habitis, proposita, omnibus maturissime perpensis, Emi ac Rmi Patres Cardinales declarandum censuerunt: *Servandas esse hac in re extra Italiam regulas et constitutiones a Sancta Sede approbatas et consuetudines immemorabiles; facto verbo cum Sanctissimo.*

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia die 4 eiusdem mensis iunii infrascripto Subsecretario concessa, sententiam Emorum Patrum adprobare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – Franciscus Cherubini, *Subsecretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 483].

4404.

S. C. de Religiosis, 3 iul. 1910.

Apostolica Sedes, admodum sollicita provehendae perfectionis inter Religiosas utriusque sexus Familias, plures edidit easque saluberrimas leges, quibus quaedam vetantur, quaedam praescribuntur, ad Sodalium ingressum, institutionem, vota, studia, vitae externae rationem aliaque id genus apte moderanda.

[1] Gregorius XIII in Constitutione *Exposcit debitum* statuit, ut *in universa Italia et praesertim in utriusque Siciliae Regnis*, Abbatissae et aliae Monasteriis Praefectae, cuiuscumque Ordinis, non amplius in perpetuum, sed ad triennium tantum eligerentur, quo elapso, iterum et pluries, servata forma in Concilio Tridentino statuta, eligi possent. — Cf. *Bull. Rom.*, tom. 4, IV, p. 22.

Inter quas leges, nonnullae tanti ponderis sunt, ut, iis non servatis, quidam actus invalidi, alii poenis ecclesiasticis multati, omnes autem saltem illiciti sint.

Saepe vero contingit, ut quae Apostolica Sedes sapienter constituit, ad notitiam omnium Congregationum vel Domorum Religiosarum, praesertim Monialium, non perveniant, legum beneficio sic prorsus amisso. Ita, in exemplum, dicendum de Decretis: *Singulari quidem*, 27 martii 1896,[1] quoad quaestuationem; *Perpensis*, 3 maii 1902,[2] de triennali experimento solemni professioni religiosae praemittendo; *Quemadmodum*, 17 decembris 1890,[3] de relatione conscientiae; *Sacra Tridentina Synodus*, 20 decembris 1905,[4] de Communione frequenti; *Inter ea*, 30 iulii 1909,[5] de debitis contrahendis; *Ecclesia Christi*, 7 septembris 1909,[6] de quibusdam Postulantibus in religiosas Familias non admittendis; *Sanctissimum*, 4 ianuarii 1910,[7] quo praecedens decretum ad religiosas mulierum Familias extenditur, et de aliis.

Haec igitur Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, summopere commendat Revm̃is locorum Ordinariis eorumque Delegatis seu Deputatis ad Monasteria, praesertim Monialium, quae Dotium sui iuris constituunt, nec generalem Superiorissam habent, ut notitiam Decretorum, etiam in posterum edendorum, quae vitam religiosam respiciunt, efficaciter evulgent inter Religiosas Familias et Instituta quoque Dioecesana, ad abusus, si qui irrepserint, tollendos, ad bonum largius diffundendum et uniformitatem in rerum canonicarum observantiam ubique obtinendam.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 523, 524].

4405.

S. C. de Religiosis, decr. 27 aug. 1910.

Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, Novitiatus institutus est, qui ideo, per unum saltem annum, sub Magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur.

Quum autem experientia constet, adsiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adolescentium praesertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem; et quum in ipso Novitiatu moderata aliqua studiis assignatio possit Novitiis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia; Sacra Congregatio, Negotiis

[1] Cf. N. 2029.
[2] Cf. N. 2039.
[3] Cf. N. 2017.
[4] Cf. N. 4326.
[5] Cf. N. 4394.
[6] Cf. N. 4396.
[7] Cf. N. 4399.

Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Em̃orum Patrum, die 26 augusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis Ordinibus et Congregationibus Religiosis apprime servanda:

1. Novitii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

2. Studiis praeerunt Magister Novitiorum vel Vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, praeter aliam, quotidie a Novitiis studiis privatim addicendam, Novitios in unum collectos veluti in Schola, instruere aut saltem eorum progressus in studiis exquirere.

3. Quamvis haec ut veri nominis schola censeri nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, Novitii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex eadem percipiant; hinc autem, Magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cuiusvis Ordinis vel Congregationis naturae respondeat. Linguae patriae, et pro Novitiis Ordini sacro destinatis, linguae latinae quoque ac graecae studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quae iampridem Novitii didicerunt, praesertim grammatice, sive per lectionem eorum sanctorum Patrum et antiquorum Ecclesiae auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, Lactantii, S. Ioannis Chrysostomi, Eusebii et similium; item Evangelii S. Lucae et Actuum Apostolorum, graece conscriptorum.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quae quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut Novitii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quamdam publice dicendi dexteritatem adquirendam. Item opportunum erit, ut Novitii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

4. Qui scholae praeest adnotet, in scriptis, cuiusvis Novitii diligentiam ac progressus, et horum, item scriptum, mittat ad Superiorem Generalem vel Moderatorem Provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam Novitii, expleto Novitiatu, ad professionem votorum admittantur.

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 augusti 1910.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – Franciscus Cherubini, *Subsecretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 730, 731].

4406.

S. C. de Religiosis, decr. 27 aug. 1910.

Em̃i Patres Sacrae Congregationis, Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Plenario Coetu, ad Vaticanum habito die 26 mensis augusti 1910, quaestioni, saepe agitatae, si et quot Sacerdotes sociare sibi debeat Episcopus vel Praelatus Regularis, qui praeest Monialium Capitulo, ad eligendam Abbatissam vel Priorissam Monasterii coacto, re mature perpensa, responderunt:

« In electionibus Abbatissae aut Priorissae, sive Monasterium subiiciatur Episcopo, sive Praelato Regulari, singula vota Monialium in urna clausa colligantur et a Praelato Praeside cum duobus Sacerdotibus scrutatoribus aperiantur; quod si gravi de causa, vota oretenus dentur, id fiat coram Praelato, adsistentibus tamen Sacerdotibus scrutatoribus. Sacerdotes, de quibus agitur, sint maturae aetatis et probatae virtutis. Attamen uti scrutatores aut socii Episcopi vel Praelati non admittantur ipsi Monialium Confessarii ordinarii ».

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Subsecretario die 27 eiusdem mensis augusti 1910, rata habere et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – Franciscus Cherubini, *Subsecretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 732].

4407

S. C. de Religiosis, decr. 1 ian. 1911.

Sacrosancta Dei Ecclesia Ordines Religiosos decorandos voluit solemnitate votorum, quo status prosequentium in eis evangelica consilia fieret aestimatione et effectu in christiana societate stabilior. Ad quae vota solemniter profitenda eos quoque admittit, qui nulla Sacerdotii Christi participatione donati, Conversi seu Laici vocantur.

Quum vero per votorum solemnitatem prorsus irrevocabili, arctissimo et publico nexu mancipetur homo divino servitio coram Ecclesia et fidelibus universis, decet omnino, ut qui, hac ratione, Christi vestigia se propius ac perpetuo secuturos spoponderunt, ii fideliter in sua promissione perseverent. Quod praesertim de Laicis seu Conversis dicendum est, quos nonnisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post solemnem professionem ad saecularia vota redire, nullo a se vitae prioris signo distinctos.

Spiritus autem temporum, qui omnimodam libertatem infausto vindicat hominibus, sancta quoque Monasteriorum septa est furtim praetergressus; idque etiam effecit, ut cum desiderio vitae humilioris, absconditae in Christo, qualis Conversorum solet esse in Coenobiis, propositi perseverantia simul imminueretur, in iis praesertim Laicis, quos forsan religiosos

potius fecerat necessitas, quam voluntas, vel quos Superiores absque debitis cautelis exceperant, vel quos acceptis a Deo beneficiis abuti contigerat. Hos, parvi facientes verba Sancti Augustini: *Nec ideo te vovisse poeniteat, imo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis: ipse adiuvabit, qui vota tua excepit. Felix est necessitas, quae in meliora compellit* (S. Aug., *Ep. 127*, 8), mater Ecclesia, studens minori malo, licet non sine magna commiseratione, aliquando permisit abire.

Ut igitur dignitas votorum, quae etiam Laici solemni ritu promittunt, in laude, qua in Ecclesia merito gaudent, perseveret, et ad sanctum vocationis propositum impensiore cura provehendum nostra difficillima aetate, haec Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, rem attentissime in Domino consideravit, discussis sedulo causis, propositisque mediis ac remediis; sententiamque expetivit quum Moderatorum Generalium praecipuorum Ordinum, tum plurium ex suis Consultoribus. Quae omnia Em̃i Patres Cardinales Sacri eiusdem Consessus, in Plenario Coetu, die 29 iulii anno 1910 ad Vaticanum habito, diligentissime perpendentes quaedam statuenda rati sunt, quae Laicorum ingressum, tyrocinium, institutionem, votorum emissionem in posterum opportune moderentur.

Haec igitur erunt apprime servanda ab omnibus Religiosis Familiis, apud quas a Conversis quoque solemnia vota nuncupantur, nimirum:

1. Moderatoribus Generalibus facultas fit permittendi toties quoties Superioribus Provincialibus, ut excipere valeant eos quoque iuvenes, ad Laicorum munia destinatos, qui vix expleverint decimum septimum aetatis annum, servatis servandis.

2. Nemo ad Novitiatum admittatur, qui per duos saltem annos, vel per plures, si magis diuturnum experimentum Constitutiones Ordinis praescribant, postulatum non expleverit, sub poena invalidae postea professionis.

3. Novitiatus ante vigesimum primum aetatis annum initium non habeat, ad tramitem iuris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret, iuxta proprii Ordinis Constitutiones.

4. Expleto Novitiatu, servatisque quae servanda sunt, Laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis.

5. Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno ac non prius, sub poena item invaliditatis, servatisque pariter servandis Laici vota solemnia nuncupare poterunt.

6. Quae in praecedentibus articulis respiciunt professionem votorum simplicium et solemnium, erunt quoque servanda quoad Laicos nunc in Coenobiis viventes, qui solemnem professionem nondum nuncuparunt.

Spatium hoc sat diuturnum novem annorum sperandum est, fore ut quum Superioribus tum tyronibus opportunitatem det explorandi illinc voluntatem, hinc vitae institutum, ad quod postea solemniter amplectendum, virtute firmior, potest homo maturius afferre iudicium.

Haec autem aliquam, non tamen omnino firmam darent perseverantiae spem, nisi ea comitentur sequentes et aliae id genus cautelae et industriae,

quas Apostolica Sedes, decursu saeculorum, edixit vel adhibendas suasit, et observantiores Familiae Religiosae laudabili consuetudine et felici exitu expertae sunt.

Et in primis quoad Conversorum receptionem, multae sunt eaeque sedulae adhibendae cautelae et inquisitiones praemittendae. Provincialis indaget oportet de legitimitate natalium, de morum honestate, de optima coram populo fama, de idoneitate tyronum, ac praesertim de natura finis, quo ipsi aguntur, amplectendi statum Religiosum. Plures enim sunt, qui Religionem ingressi, non videntur commoda dereliquisse, sed quaerere; qui quaerunt *in Monasterio quae nec foris habere potuerunt* (*Reg.*, S. Aug., c. I, 3), quique facilem vitam curarumque expertem, immerito nominis honore, gerere cupiunt. Hi sane non sunt, quibus cum Sancto Augustino exclamare fas est: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quos amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat* (S. Aug., *Conf.*, l. 9, c. 1). Erunt quidem hi habitu Religiosi, non virtute, quos rectius fuerat in saeculo ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes forsan in discrimen suam aeternam vocare salutem.

Quos factae, etiam secreto, inquisitiones et exhibita documenta serio commendaverint, ii tantum, praehabita de more maiorum Superiorum licentia, ad Postulatum admittantur.

Satis exploratum est, habet Clemens VIII in Instructione *Cum ad regularem* (n. 22), [1] super receptione et educatione Novitiorum, *perfectam educationem* Conversorum *tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre.* Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus Religiosus et Ordinis totum pervadat. *Qui disciplinam in novae conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit* (S. Bonaventura, *in Spec. Disc.*, prolog., n. 1).

Ad hoc assequendum praeficiatur Postulantibus Pater, quem et aetas probaverit et vita, cui dicit Sanctus Bernardus: *Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia* (S. Bernardus, Serm. 20, n. 4, Cant.), et de quo Sanctus Gregorius Magnus scripsit (*Reg. Past.*, p. 2, c. 6): *Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.*

Saepe ab ipsa civili educatione initium ducendum est; quum inferioris soleant esse fortunae qui Laicorum numero petunt adscribi. Inurbanitas in agendi modis, in responsionibus dandis, in incessu, in ipsa corporis sumenda refectione, erit paulatim, sed omnino, evellenda. Sordidi habitus, quos sibi non amor humilitatis et contemptus mundi sollicite elegit, sed rudis negligentia foedavit, non olent spiritum Christi, ideoque non semper bene de iis, quorum corpora tegunt, annuntiant. Corporis habitusque munditiae, comite semper modestia ac simplicitate, erit summopere curanda.

[1] Cf. N. 189.

Quas item in mundo civilis educatio moderatas regulas constituit humani consortii, eas caritas quoque fraterna adhibendas suadet etiam in Coenobiis, quum caritatis sit, quidquid proximum perturbare potest, attente defugere. Inurbanitas autem, quae ex studio sui commodi procedit cum aliorum neglectu, non potest quin molestiam aliis inferat detque occasionem patientiae.

Externe haec sese habendi compositio viam sternit animo plenius educando, iis scilicet nobilibus sensibus infundendis, quibus mens trahitur ad aliorum levem quamque offensionem vitandam, desideria praevenienda, gratum annum facile demonstrandum, alios sibi praeferendos.

Haec tamen singula informet oportet, regat ac nobilitet caritas Christi, ita ut quidquid verbis, operibus, omissionibus nostris laudabile est ac proximo gratum, procedat ex corde pleno caritatis.

Quae omnia, si Laicos decent, summopere eminere debent in Sacerdotibus et iis, qui ad sacerdotium erunt promovendi, quorum igitur Laici intuentes exempla, pertrahantur non solum ad virtutis, sed etiam ad modestae urbanitatis tramitem prosequendum.

Monitis, hortamentis, patientia ac praesertim exemplo, rudiorum quoque non erit difficile in urbanos et amabiles ita convertere mores ac modos ut, non multo post eorum ingressum in Religionem, de ipsis repetere liceat illud Sancti Bernardi: *Induerunt sibi faciem disciplinatam, et bonam totius corporis compositionem... sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum, quia haec noviter coepere, ipsa sui novitate flores censenda sunt et spes fructuum, magis quam fructus* (Serm. 63, in Cant., n. 6).

Fructus hos quidem gignet institutio spiritualis, cui toti sint cum Postulantibus Praepositus, et cum Novitiis Magister. Laicorum profectum in viam sanctitatis faciant ipsi opus et lucrum suum, opus et lucrum sane nobile et ingens.

Ad normam Decretorum Apostolicae Sedis, eis explicent universam doctrinam christianam, praesertim quoad sacramenta confessionis et communionis rite et fructuose percipienda, prae oculis habentes Catechismum Concilii Tridentini ad Parochos. Simul eos doceant, quasnam obligationes secum trahat votorum professio, quid exigant votis respondentes virtutes. Eas quoque explanent Regulae et Constitutionum partes, quae ad Conversos pertinent.

Habeantur statis diebus collectiones seu sermones ad Laicos, non tantum vero ad novos, sed ad omnes, seniores quoque votorum professione et aetate; quibus collectionibus seu sermonibus argumentum sint non solum catechismus, vitae spiritualis monita, Regulae et Constitutionum explanatio, verum etiam normae practicae et exempla modestae moderataeque urbanitatis.

Laicorum autem animum iis virtutibus ac praesidiis Superiores roborare satagant, quae Laicorum status, praecipua quadam ratione, reposcit, nempe humilitate, obedientia, spiritu orationis ac sanctificatione laboris.

Et in primis, exteriorem et cordis humilitatem studeant assequi Laici. *Nec aliam tibi... viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: et quoties interroges, hoc dicerem* (S. Augustinus, *Ep. 118*, n. 22). Nam, ut habet divus Bernardus (*De Cons.*, l. 5, c. 14, n. 32): *Virtutum... stabile fundamentum, humilitas...; si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.* Quod ita explicat Sanctus Thomas: *Humilitas primum locum tenet, inquantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et semper patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae, inquantum evacuat inflationem superbiae; ut dicitur* Iac., IV, *quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et secundum hoc, humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum* (II, II. q. 161, art. 5, ad 2).

Quum vero *ad veram humilitatem inducat frequens in despectis operibus exercitatio, dicente Sacra Scriptura quod numquam ad humilitatis virtutem perveniet qui opera humilitatis refugit* (B. Alb. M., *de Par. Animae*, c. 2), muneribus quibus funguntur, eo potissimum debent gaudere Laici, quod humilitatis exercendae et augendae veluti indeficientem habeant opportunitatem.

Excellat quoque in Laicis obedientia. Noverint in ea nullum esse peccandi periculum; cum ea, certissima est victoria, inexpugnabile tutamen, merita plurima, pax summa. Sit autem oportet munita supernaturalibus motivis. Iuxta Sanctorum documenta, rectores nostri sunt vicarii Dei super nos. Et ideo debemus eis sicut Domino obedire et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subiacemus. Ac Sanctus Gregorius Magnus docet: *Vera namque obedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit.... Qui obedientiae bonum exsequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum.* (In I. Reg., l. 2, c. 4, n. 11). Quapropter Sanctus Bernardus merito improperat eorum obedientiam, qui *non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et diiudicant, eligentes in quibus obediant imperanti* (In conv. S. Pauli, Serm. I, n. 6); et quos constat, iuxta eumdem Sanctum Bernardum, *nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas* (*De praec. et dispensat.*, c. 10, n. 23). Huic exercendae virtuti validissimum dent auxilium et animum verba et exempla Christi Iesu, qui non desiit asseverare: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam. Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quae placita sunt ei, facio semper. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Pater mi..., non sicut ego volo, sed sicut tu* (Ioan., 6, 38; 5, 30; 14, 31; 8, 29; 4, 34; Matth., 26, 39); quique *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.*, 2, 8).

Spiritus quoque orationis erit magnopere provehendus. *Orandi diligentia tibi in primis necessaria est: impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Haec una et mala*

omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit. Ipsam animam purgat, poenam peccatis debitam submovet, praeteritas negligentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes superat, calamitates lenit, moerorem fugat, laetitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo coniungit, coniunctumque ad aeternam gloriam sublevat. Precando impetrabis quidquid utile tibi fuerit (Lud. Blosius, *Canon vitae spirit.*, c. 17, n. 1). Clemens VIII ad Conversorum religiosam institutionem id quoque praescripsit: *Pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt* (*Instr. super rec. et educ. Novit.*, n. 22).

Curandum igitur est, ut bene noscant Laici virtutem et exercitium orationis; ut statis horis orationi quum mentali tum vocali fideliter vacent; ut tempus ad hoc statutum in Constitutionibus Ordinis unice orationi integrumque dicent; nec satis sit eos meditationi operam dare, quum Missis inserviunt. Indagent autem Superiores, praesertim postquam Laici tyrocinium absolverint, utrum meditationi et orationibus incumbant.

Brevium quoque orationum, quas iaculatorias vocant, sit ipsis usus continuus inter diem. Compendiosa est enim via ad consequendam animae unionem cum Deo, ad merita augenda, ad rectam intentionem servandam, ad tentationes praeripiendas et superandas, ad omnia sanctitate extollenda.

Manuale opus, quod in Coenobiis est munus Laicorum praecipuum, pariter sanctificent, non ad oculum servientes, non laudis expetentes praemium, sed unice voluntatis Dei ac Superiorum solliciti. *Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor, ut... cuppa et sacculus impleatur... et non delectat, ut Deus acquiratur* (S. August., *De bon. vid.*, c. 21). *Quanta apud Deum merces, si in praesenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus haereditas cassa expetitur! Minori labore margaritum Christi emi poterat* (S. Hieron. ad Nep., *de vita cler. et monac.*, 6).

Habeant tandem prae oculis monita Sancti Bonaventurae: *Continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humiliora cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris et sine sollicitudine continua et labore eius gratiam adipisci nequibis, et nisi assidue pulsaveris portas eius, ingredi non poteris ad pacem mentis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum.* (*Memorial.*, n. 19 et 25 conclus.).

Ad quae omnia consequenda Laici sacrae mensae assidui sint per frequentem, imo etiam quotidianam SSmae Eucharistiae sumptionem ad normam recentiorum instructionum Apostolicae Sedis. Itemque omnino peculiarem colant devotionem erga Deiparam Virginem Mariam, quam ut suam amantissimam matrem semper invocare, honorare et imitari conentur.

Curent quoque Superiores, ut Sacerdotes et Laici mutuam sibi summamque observantiam et caritatem adhibeant. Revereantur Laici Presby-

teros, a quibus ministeria ac mysteria maxima accipiunt. Honorent Presbyteri Laicos et *studeant... de pauperum fratrum societate gloriari* (*Reg.*, S. Aug., c. I, 5). Id meminerint Sacerdotes, plurimos in Religiosis Ordinibus Laicos, ab humilioribus occupationibus, quibus per vitam functi fuerant, ad altarium honores evectos et inter beatos Coelites post mortem adnumeratos fuisse. Illud igitur genus vitae in Laicis pia colant observantia, quod tam frequenti et mirificae sanctitati aditum patefecit.

Ne gravitate munerum exercendorum in Conventu Laici superbiant, animo efferantur et parvi faciant ipsos Sacerdotes, officia graviora cuiusvis generis ne demandentur eis, nisi necessitate cogente, idque fiat semper sub omnimoda dependentia et obedientia alicuius patris gravioris aetatis et consilii, cui agendorum et gestorum ipsi rationem fideliter reddant.

Haec sufficiant de plurimis pauca.

Ceterum haec Sacra Congregatio summopere confidit, fore ut Superiores Generales omnium Ordinum Religiosorum ad simile vitae studium pro viribus provocare nitantur suos Laicos. Sic eorum vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Nam *nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat* (S. Bern., *de Cons.*, l. 1, c. 2). *In hoc enim differunt laudabiles religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur, et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant* (S. Bonavent., *De sex aliis Seraph.*, c. 2, n. 13).

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 29-36].

4408.

S. C. de Religiosis, decr. 1 ian. 1911.

Inter reliquas difficultates, quibus premitur Ecclesia Christi nostris temporibus, ea quoque recensenda lex est, qua ad militiam adiguntur etiam iuvenes, qui in religiosis Familiis Deo famulantur.

Nemo sane non videt, quantum detrimenti ex hac infausta lege provenire possit, quum iuvenibus, tum ipsis Sodalitatibus. Dum enim militiae vacant religiosi tyrones, facile vitiis maculari possunt, quibus infecti, vel, neglectis, quae emiserant, votis, ad saecularia remigrabunt, vel quod longe peius est, religiosam repetent domum, cum periculo alios contaminandi.

Ad haec igitur praecavenda mala, Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Emorum Patrum Cardinalium, die 26 mensis augusti 1910 ad Vaticanum coadunato, sequentia decrevit:

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo,

scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad solemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad Laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia*, hac eadem die edito. [1]

II. In Institutis votorum simplicium iuvenes, de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporaria admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii: nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat. A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

III. Caveant autem iuvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suae Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint. Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, eius consiliis et consuetudine utantur, ut quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti praescripta sunt, ab eodem accipere valeant. Quodsi sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia eiusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea, epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suae vitae ratione et conditione, de singulis mutationibus suae stationis et praesertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cuius consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

V. Superiores Generales aut Provinciales etiam locales, iuxta uniuscuiusque Instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra praescriptas observaverint et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

[1] Cf. N. 4407.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus, inter iuniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit iuxta dicta in articulis I et II) ad tramitem Apostolicarum Praescriptionum et propriae Religiosae Familiae Constitutionum praemittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen, ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; Superiores autem immediati ac sodales iuniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem maioribus Superioribus rationem sub fide iuramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. Quodsi ipsi iuvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, facultas fit Superioribus praedictis, tanquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus: si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia eis fit ad saeculum redeundi.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam ecclesiasticae Societates, quae, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur.

X. Si quid novi in hoc Decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recurratur.

Quae omnia Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente Subsecretario, rata habere et confirmare dignatus est, die 27 eiusdem mensis augusti 1910. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 ianuarii 1911.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 30-39].

4409.

S. C. de Religiosis, decr. 16 maii 1911.

Quum singulae praescriptiones ac solemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII,[1] ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis Religiosis, commode servari nequeant, huic Sacrae Congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas.

Quare Emi Patres Cardinales eiusdem Sacrae Congregationis, in Plenario Coetu die 3 martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe:

1. Curiam competentem vel Tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt Superior seu Moderator Generalis et Definitores vel Consiliarii seu Adsistentes, non minus quatuor; si qui deficiant, eorum loco totidem Religiosos eligat Praeses Curiae vel Tribunalis, de consensu aliorum Consiliariorum.

In Congregationibus Monachorum Tribunal constituunt Abbas Generalis cum suo Consilio. Si aliqua Abbatia nulli adnexa sit Congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

2. In qualibet Curia seu Tribunali constituatur a Consilio Generali Promotor Iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit Religiosus eiusdem Ordinis vel Congregationis.

3. Processus dumtaxat Summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis Religiosis, qui vel vota solemnia in Ordinibus, vel vota perpetua in Congregationibus vel Institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in Sacris sunt constituti; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis Ordo vel Institutum gaudeat.

4. Ad Processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub num. 17 et 18.

5. Monitio facienda est a legitimo Superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia Superioris Provincialis seu quasi-Provincialis; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex Processu constare debet de Conventi reitate, necnon de gravi-

[1] Cf. N. 2454, 2942.

tate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis, et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

8. Ut de Conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt, quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata, atque aliis adminiculis roborata et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet:

a) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii;

b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in Regestis, vel Tabulario, servandum: vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in Regestis vel Tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior Provincialis vel quasi-Provincialis Religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quae de huius Religiosi reitate exstant, diligenter colliget et ad Superiorem Generalem transmittet, qui ea tradere debet Procuratori Iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a Procuratore Iustitiae propositae et Processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio Iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem Ordinis vel Instituti Religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Curia vel Tribunal defensorem alumnum respectivi Ordinis vel Instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu Tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive Promotoris sive Rei, si quidem eas adversari iudicaverit Convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit; quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, executioni demandari nequit, donec per eamdem Sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad saeculum statim remitti a Moderatore supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui

Capituli vel Consilii, si ex eius praesentia periculum vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi Communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti Communitati immineat, poterit, etiam a Superiore Provinciali vel Abbate, ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de Religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur Processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in Sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt:

a) publica apostasia a Fide Catholica;

b) apostasia ab Ordine vel Instituto, nisi intra tres menses Religiosus redierit;

c) fuga a Monasterio, suscepta secum muliere;

d) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut Superior Generalis vel Provincialis cum suo respectivo Consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de Religioso in Sacris, illico communicanda erit Ordinario originis et Ordinario loci, ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes Religiosi, de quibus agitur, in Sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente Auctoritate, post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel Clerici, non in Sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur, quominus ad superiores Ordines adscendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium Ordinem vel Congregationem admitti non poterunt, absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

21. Ad expellendas Moniales, vota sive solemnia sive simplicia in Ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas Sorores, quae vota perpetua emiserunt in Institutis Religiosis, exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio Abbatissae vel Superiorissae cum suo Consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damna immineant Monasterio vel Instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas Sorores votorum simplicium in Ordinibus Religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci et, si Monasterium Regularibus subiectum sit, etiam a Superiore Regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte Ordinis vel Instituti, iuridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in

casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, Monialis vel Soror statim ad saeculum remitti possit, ita tamen ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo relatis ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario die octava martii 1911, Sanctitas Sua Decretum hoc approbare et confirmare dignata est; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 16 maii 1911. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 235-238].

4410.

S. C. de Religiosis, 15 iun. 1911.

Quaesitum est ab hac Sacra Congregatione de Religiosis:

I. An Religiosi pertinentes ad Instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac Regulares votorum solemnium, quoad *Imprimatur* seu beneplacitum a suis Superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiunt?

II. An Religiosi, quoties eis a suis Moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta, vel *Imprimatur* denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *Imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine?

Emi autem Cardinales Sacrae Congregationis de Religiosis, in plenario Coetu ad Vaticanum habito die 2 mensis iunii 1911, suprascriptis Dubiis responderunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Quam Emorum Patrum responsionem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, ratam habuit et confirmavit, die 11 iunii 1911.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 15 iunii 1911. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 270, 271].

4411.

S. C. de Religiosis, decr. 30 iun. 1911.

Superiorissae Societatis, quam Sancta Angela Mericia, sicut coelesti voce ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina sanctisque vivendi regulis constituit, quamque Sanctae Ursulae invictae Virginum ducis patrocinio ac nomine insignivit, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo preces porrexerunt, ab Emo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi et ab

aliis plurium locorum Ordinariis commendatas, ad obtinendas per specialem favorem Indulgentias et privilegia Franciscali Ordini concessa.

Sanctissimus vero Dominus Noster, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Religiosorum Praefecto, die 20 iunii anno 1911, attento praesertim quod Fundatrix Ursulinarum Sancta Angela Mericia habitum et regulam Tertii Ordinis Franciscalis amplexa sit, eaque de causa in universo Seraphico Ordine gaudeat officio duplici maiori; ad augendum iuxta spiritum Beatae Fundatricis inter eiusdem filias studium in promovenda vita christiana et in curandis apud privatas familias et in ipsa societate bonis operibus, praesentis Decreti tenore, canonicam aggregationem Tertio Franciscali Ordini ad instar aliarum Congregationum Seraphico Ordini pariter aggregatarum, concedere dignatus est, quatenus opus sit, et iuxta preces, salva semper eiusdem Societatis autonomia et independentia ad normam iuris.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 30 iunii 1911. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 391, 392].

4412.

S. C. de Religiosis, decr. 15 aug. 1912.

Quo propositum vitae religiosae perpetuo profitendae melius exploretur, et dignitati status religiosi uberius consulatur, imminutis, in quantum fieri possit, defectionibus, Emi ac Rmi Patres Cardinales Sacrae Congregationis de Religiosis, in plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 2 augusti 1912, sequentia statuerunt, nempe:

1. Quaelibet Postulans in Monasteriis votorum solemnium et clausurae papalis poterit admitti, sine praevia S. Sedis venia, servatis tamen aliis de iure servandis.

2. Quaelibet Postulans, antequam Novitiatum ingrediatur, probanda erit per tempus, et iuxta modum, in propriis cuiusvis Monasterii Constitutionibus praescriptum.

3. Si nihil in istis quoad haec statuatur, tunc probatio facienda est saltem per sex menses, ita tamen, ut Postulantes, intra septa Monasterii, probationis causa, admissae, utantur veste modesti coloris, diversa ab habitu Ordinis, quem non induant, nisi quando Novitiatum proprie dictum inchoaturae sint.

Facta autem de his omnibus fideli relatione Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium die 5 augusti 1912, Sanctitas Sua eadem approbare et confirmare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 15 augusti 1912. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 565, 566].

4413.

S. C. de Religiosis, 1 sept. 1912.

Edito a S. C. Concilii, die 20 decembris 1905, Decreto *Sacra Tridentina Synodus*, [1] quo inter alia praescribitur ut *Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur*, earum consulendum quoque erat sorti infirmarum quae intra septa monasteriorum clausurae Papalis decumbunt; quum ipsa clausura, prout determinatur in iure canonico vigenti, aliquod in praxi videretur parere incommodum ad frequentiorem earum aegrotantium Communionem, praesertim ex eo quod *regulariter* nonnisi confessarius et in eius defectu cappellanus, et, si sacerdos sit regularis, a socio comitatus, monasterii claustra ingredi valeat ad Sacramenta infirmis ministranda.

Quare Emi ac Rmi Patres Cardinales S. C. de Religiosis occasione arrepta quorumdam dubiorum quae ad rem proposita fuerant, die 30 augusti 1912, in plenario coetu ad Vaticanum habito, quoad Communionem infirmis deferendam in monasteriis clausurae Papalis sequentia decernere existimarunt, nempe: In defectu Confessarii vel Cappellani tertius Sacerdos, etiam regularis, licet sine socio, legitime vocatus de licentia Episcopi, qui pro hac licentia nomine ipsius Episcopi concedenda etiam Abbatissam seu Priorissam habitualiter designare poterit, sacram Communionem infirmis valeat deferre Religiosis, quae ad ecclesiae crates descendere nequeunt. Oportet autem, ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, Sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis.

Et hanc Emorum Patrum sententiam et resolutionem SSmus Dominus noster Pius Papa Decimus, ad relationem subscripti Secretarii, die 1 septembris 1912 ratam habere et confirmare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 septembris 1912. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 625, 626].

4414.

S. C. de Religiosis, 1 sept. 1912.

Rmus D. Antonius Fiat, Superior generalis Congregationis Missionis et Filiarum a Caritate, a S. C. de Religiosis sequentis dubii solutionem expostulavit, nimirum:

Utrum in indultis apostolicis, quibus mitigationes vel dispensationes conceduntur ab abstinentia et ieiunio in regionibus intra et extra Europam, praesertim in America Latina, comprehendantur Familiae religiosae ibi degentes.

[1] Cf. N. 4326.

Emi autem ac Rmi Patres Cardinales Sacrae eiusdem Congregationis, in aedibus Vaticanis adunati die 30 augusti 1912, re maturo examine perpensa, responderunt:

I. Affirmative quoad abstinentiam et ieiunium a lege Ecclesiae generali praescripta, nisi ab indulto excludantur religiosi.

II. Negative quoad abstinentiam et ieiunium a propriis Regulis et Constitutionibus statuta, nisi in indulto expresse de hac dispensatione mentio habeatur. Non servantes igitur huiusmodi abstinentiam et ieiunium, transgrediuntur quidem Regulam et Constitutionem, non autem legem Ecclesiae; ideoque culpam tantum et poenam incurrunt a Constitutionibus vel Regulis statutam.

III. Quoad vero Religiosos in America Latina degentes, standum novissimo indulto per Secretariam Status concesso, die 1 ianuarii an. 1910.

Quas Emorum DD. Cardinalium responsiones SSmus Dominus noster Pius Papa X, ad relationem infrascripti Secretarii, die 1 septembris 1912 adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 septembris 1912. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – †Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 626, 627].

4415.

S. C. de Religiosis, 1 sept. 1912.

Quaesitum est ab hac Sacra Congregatione negotiis religiosorum Sodalium praeposita, utrum Religiosus, habitu regulari dimisso, extra claustra ad tempus degens indulto apostolico, cum facultate ab episcopo obtenta celebrandi Missam et alia opera sacerdotis propria peragendi, subsit eidem Ordinario, ita ut episcopus habeat in eum iurisdictionem et auctoritativam et dominativam potestatem, quamvis in Rescripto desit consueta formula: Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti.

Emi autem ac Rmi Patres Cardinales Sacrae eiusdem Congregationis, in plenariis Comitiis ad Vaticanum adunatis die 30 augusti 1912, praehabito duorum ex officio Consultorum voto, et re mature perpensa, responderunt: Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.

Sanctitas porro Sua, ad relationem infrascripti Secretarii, die 1 septembris 1912 responsionem Emorum Patrum adprobare et confirmare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 septembris 1912. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 627, 628].

4416.

S. C. de Religiosis, decr. 3 febr. 1913.

Cum de sacramentalibus Monialium et Sororum confessionibus moderandis plures ad hunc diem, ex re et ex tempore, iussae sint leges, eas, aliqua ex parte immutatas et apte dispositas, visum est in unum colligere Decretum, prout sequitur:

1. Unicuique religiosae communitati tum Monialium tum Sororum, regulariter, unus dumtaxat detur Confessarius ordinarius: nisi ob magnum ipsarum numerum, vel aliam iustam causam, alterum vel plures dari oporteat.

2. Confessarius ordinarius, regulariter, non ultra triennium in hoc munere permaneat. Episcopus tamen seu Ordinarius eum ad secundum, immo etiam ad tertium triennium confirmare poterit:

a) si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat; vel

b) si maior Religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem Confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

3. Pluries in anno, unicuique religiosae communitati detur Confessarius extraordinarius, ad quem omnes Religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant.

4. Unicuique domui religiosae aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos Religiosae in casibus particularibus, confessionis peragendae causa, facile vocare queant.

5. Si qua Religiosa, ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem Confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus; qui tamen invigilabit ne ex hac concessione abusus irrepant: quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate.

6. Si Religiosarum domus Ordinario loci subiecta sit, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si vero Superiori regulari, hic Confessarios Ordinario loci praesentet, cuius est iisdem audiendi confessiones potestatem concedere.

7. Ad munus Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, sive specialis, deputari possunt sacerdotes, tum e Clero saeculari tum, de Superiorum licentia, e Clero regulari, dummodo tamen nullam habeant in easdem Religiosas in foro externo potestatem.

8. Hi Confessarii, qui annos quadraginta expleverint oportet, morum integritate et prudentia emineant; at Ordinarius, iusta de causa et onerata eius conscientia, ad hoc munus eligere poterit sacerdotes, qui nondum ea aetate sint, modo memoratis animi laudibus excellant.

9. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, et praeter casus in articulo 2 recensitos, rursus eligi ut ordinarius, in eadem

communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius immediate ut ordinarius eligi potest.

10. Confessarii omnes sive Monialium sive Sororum, caveant ne interno vel externo communitatis regimini sese immisceant.

11. Si qua Religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli Antistitae liceat, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre; quod si ita se gesserit, a proprio Ordinario moneatur; si iterum id ipsum peccaverit, ab eodem deponatur, audita tamen prius Sacra Congregatione de Religiosis.

12. Omnes Religiosae de sociarum confessionibus nullo modo inter se colloquantur, neve eas sorores carpere audeant, quae apud alium, quam deputatum, confessionem peragant; secus ab Antistita vel ab Ordinario puniantur.

13. Confessarii speciales, ad monasterium, seu domum religiosam vocati, si intelligant Religiosas nulla iusta causa vel necessitate vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur praeterea omnes Religiosae, ut facultate sibi concessa specialem petendi Confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis sepositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

14. Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu adprobatum. Antistita neque id prohibere, neque de ea re inquirere potest, ne indirecte quidem; Religiosaeque nihil Antistitae suae referre tenentur.

15. Moniales omnes aut Religiosae, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet Sacerdotem ad confessiones excipiendas adprobatum arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri.

16. Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis, votorum cum sollemnium, tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communitatibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi Instituta sint tantum dioecesana. Obligat etiam communitates, quae in Praelati regularis iurisdictione sunt; qui nisi fidelem observantiam huius Decreti curet, Episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

17. Hoc Decretum Regulis et Constitutionibus uniuscuiusque religiosae familiae addendum erit, et publice legendum lingua vulgari in Capitulo omnium Religiosarum, semel in anno.

Itaque praerogatis Emis Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationi de Religiosis in plenario coetu ad Vaticanum habito die 31 mensis ianuarii anno 1913, Sanctissimus Dominus noster Pius Pp. X, referente infra scripto Secretario, hoc Dectetum in omnibus adprobare et confirmare dignatus est, et mandare ut in lucem edatur, et ab omnibus ad quos spectat, in posterum apprime servetur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 mensis februarii anno 1913. – Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. V, p. 62-64].

4417.

S. C. de Religiosis, 13 iul. 1913.

Sacra Congregatio de Religiosis, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 2 iunii 1911, nonnulla dubia de Religiosorum manuscriptis perpendit et resolvit, de quibus videre est in hoc Commentario (pag. 270 eiusdem anni).

Nunc autem rursum ab Ea quaesitum est:

« An Religiosi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, eiusdem dominium habeant, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant ».

Et Emi PP. Cardinales huius Sacrae Congregationis, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 11 iulii 1913, responderunt: « Negative ».

Quam Emorum Patrum responsionem SSmus Dnus noster Pius Papa X, referente infrascripto S. Congregationis Secretario, ratam habuit et confirmavit die 13 iulii 1913. – O. Card. Cagiano de Azevedo, *Pro-Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. V, p. 366]

4418.

S. C. de Religiosis, decr. 5 aug. 1913.

In audientia habita ab infrascripto Cardinali Pro-Praefecto S. Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus, ob peculiares conscientiae rationes, facultatem, quam mense februarii huius anni omnibus Confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat quoad absolutionem Religiosis impertiendam, [1] extendere dignatus est ad omnes totius Orbis Confessarios a locorum Ordinariis approbatos. Hi proinde Confessarii, auctoritate SSmi Domini nostri Pii Papae decimi, omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de

[1] De hac facultate Vicariatus Urbis (Officium II) ita confessarios monuit: « Per disposizione del S. Padre comunicata a questo Vicariato con lettera della S. Congregazione dei Religiosi in data 8 febbraio 1913, tutti i sacerdoti approvati per le confessioni in Roma, d'ora innanzi, hanno la facoltà di ascoltare la confessione e di assolvere i Religiosi appartenenti a qualunque Ordine che facciano loro ricorso, senza bisogno di alcun permesso da parte dei rispettivi Superiori ».

licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queant.

Omnibus igitur cuiusque Ordinis, Congregationis aut Instituti superioribus et praesidibus, huius decreti praescripta fideliter Sanctitas Sua in virtute sanctae obedientiae observare mandavit, constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die, mense et anno quibus supra. – O. Card. Cagiano de Azevedo, *Pro-Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. V, p. 431].

4419.

S. C. de Religiosis, decr. 3 maii 1914.

Cum propositae sint quaestiones sive circa tempus seu momentum, quo annus novitiatus compleri dicendus sit, sive circa modum, praesertim si novitius extra domum de licentia Superiorum per aliquot tempus moratus fuerit, quo interruptus haberi possit, S. Congregatio Religiosis Sodalibus praeposita, ad anxietates praecavendas, praecipue quoad professionis validitatem, statuit et decrevit ut sequitur:

1. Annus integer novitiatus, qui solus ad validitatem professionis requiritur, in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet. Idem dicendum de tribus integris annis votorum simplicium, quae emissionem votorum solemnium praecedere debent.

2. Novitiatus interrumpitur ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit: *a*) si novitius a Superiore dimissus e domo exierit; *b*) si absque Superioris licentia domum deseruerit; *c*) si ultra triginta dies etiam cum licentia Superioris extra novitiatus septa permanserit.

3. Si novitius infra triginta dies, etiam non continuos, cum Superiorum licentia, extra domus septa permanserit, licet sub Superioris obedientia, requiritur ad validitatem, et satis est, dies hoc modo transactos supplere: at Superiores hanc licentiam nisi iusta et gravi de causa ne impertiant.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X relatis ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914. – O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 229].

4420.

S. C. de Religiosis, *Parisien.*, 3 maii 1914.

Procurator Generalis Congregationis Sacerdotum Missionis harum quaestionum solutionem a S. Congregatione de Religiosis expostulavit, nempe:

I. Utrum novitiatus illorum qui coguntur e domo probationis exire causa militiae aut ad eandem militiam denuo vocati, censendus sit *interruptus*, ita ut ab initio sit repetendus, nulla ratione habita temporis novitiatus iam expleti; an vero sit aestimandus tantummodo *suspensus*, ita ut debeat solum compleri.

II. Utrum computari possit veluti tempus novitiatus servitium militare quod expletur in loco ubi exstat domus probationis si novitii maneant sub disciplina et vigilantia moderatorum et horis subsecivis consistant in eadem probationis domo, eaque omnia peragant quae cum militia conciliertur.

Emi et Revmi Patres Cardinales Sacrae huius Congregationis de Religiosis, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, si novitius ultra triginta dies completos servitio militari reapse addictus fuerit. Si infra triginta dies, hi supplendi erunt. Et in quocumque casu ad professionem votorum admitti nequit nisi saltem per triginta dies probetur.

Ad II. Negative.

Has autem responsiones relatas Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X ab infrascripto S. Congregationis Secretario, Sanctitas sua approbare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914. – O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 230].

4421.

S. C. de Religiosis, *Romana et aliarum*, 3 maii 1914.

Edito Decreto *de absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda* diei 5 augusti 1913,[1] exorta sunt dubia, quorum solutio expetita fuit a S. Congregatione de Religiosis, nempe:

1. An Decretum Sacrae Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, comprehendat etiam confessiones quas Religiosi ritus Latini faciunt apud Confessarios ritus Orientalis, et vicissim?

2. An idem Decretum comprehendat etiam novitios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis?

[1] Cf. N. 4418.

Emi ac Revmi Patres Cardinales, in plenario coetu habito in aedibus Vaticanis die 21 martii 1914, reposuerunt:

Ad 1. et ad 2. Affirmative.

Et Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X in audientia diei 23 eiusdem mensis et anni habita ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, responsiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914. – O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus*. – † Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 232].

4422.

S. C. de Religiosis, 18 aug. 1914.

La Commissione Cardinalizia speciale, stabilita dal S. Padre con lettere dell'Emo card. Cagiano, Prefetto della S. C. dei Religiosi in data 25 luglio 1914, *per l'esame e la definitiva risoluzione della vertenza fra la signorina N. e la provincia religiosa di Z.*, si adunava il 12 agosto 1914 in casa del sottoscritto card. De Lai: ed invocato il divino aiuto, dopo matura discussione venne nelle seguenti conclusioni.

In linea di fatto, è fuori di controversia che nel principio del 1898 il P. V., della provincia religiosa di Z., imprese la pubblicazione del periodico *B.* con la benedizione scritta del suo Provinciale, in data 29 dicembre 1897, stampata in fronte al primo numero del periodico stesso.

Di più, nel Capitolo provinciale del 3 settembre 1901 i Padri presero e sottoscrissero la seguente deliberazione: « Il periodico *B.* sia addossato al R. P. V., coll'obbligo di sottoporre al controllo del Ministro provinciale e Definitorio lo stato finanziario della sua amministrazione ogni anno. La provincia sarà libera da qualunque responsabilità di pagamento in caso di debito: in caso di credito questo vada a fondo del giornale. *Procuratore del giornale è il R. P. V.*, il quale rimanendo nell'officio resta esente dagli atti della comunità ». Del valore della clausola incidentale: *La provincia sarà libera*, ecc. si dirà in seguito. Per ora basta rilevare che da questa dichiarazione apparisce chiaramente che il periodico apparteneva alla provincia.

La direzione del periodico si stabilì nel convento; ed ivi qualche anno appresso si impiantò prima una piccola, poi una grande tipografia per la pubblicazione del periodico e di altre opere eventuali, facendosene l'inaugurazione con la benedizione data dallo stesso Provinciale con l'assistenza di parecchi religiosi e di altre persone; come consta dalla relazione giurata del P. V., non contradetta dalla parte opposta. La tipografia si chiamò dal nome del periodico.

Ma per la pubblicazione di questo e per l'impianto della stamperia si dovè andare incontro a delle forti spese: e per farvi fronte il P. *V.* fece ricorso

a parecchie persone (non avendo avuto dalla Religione che dei modici aiuti); e principalmente ricorse alla signorina *N.*, che aveva una notevole fortuna, di cui poteva liberamente disporre: e la indusse ad alienare od impegnare quasi tutti i suoi beni, assicurandola (come consta dalle lettere dello stesso P. *V.*) che investiva i suoi capitali non solo in modo sicuro, ma anche assai lucroso: ed aggiungendo che in ogni caso la stamperia con tutto il suo avviamento era cosa sua, o almeno stava a garanzia dei suoi crediti.

Se non che, contro le previsioni del P. *V.*, le aziende del periodico e della stamperia andavano di anno in anno peggiorando; così che il Capitolo provinciale dell'8 giugno 1907 ordinava al P. *V.* di « lasciare al più presto possibile la stamperia, e colla fine dell'anno cessare la pubblicazione del suo periodico ». Ed il Capitolo provinciale del 10 giugno 1910 decise « di ripetere al P. *V.* l'ingiunzione di liquidare le sue pratiche di stamperia ».

Ed infatti nel 1910 cessò la pubblicazione del periodico, e la tipografia fu da prima data in esercizio ad un socio, ed alla fine liquidata.

Intanto la signorina *N.*, che aveva esposto nelle imprese del P. *V.* tutti i suoi capitali, non riceveva nulla nè di sorte nè di frutti, e versando in grandi strettezze reclamò presso la curia dell'Ordinario. Fu allora che il P. *V.* con sua scrittura in data 9 novembre 1910 « si dichiarava debitore verso la signorina *N.* di L...., e della restituzione di 22 azioni *C.*, restituzione che si obbligava di fare entro il 1° luglio del 1911 », oltre il pagamento dei frutti, ecc.

Ma se la restituzione delle obbligazioni fu fatta, pel resto, e specialmente pel pagamento della somma predetta, la scrittura rimase senza dubbio lettera morta.

Reclamando la signorina *N.*, il Definitorio generale ripetutamente scrisse al Provinciale di pagare i debiti del P. *V.*: e non giovando, in data 3 giugno 1911 il Padre Generale emanava il seguente decreto: « Praesentium vigore praecipimus R. P. Superiori provinciae *Z.* in virtute s. obedientiae, ut una cum v. suo Definitorio in scriptis declaret provinciam suam omnia debita recognoscere a P. *V.* contracta, eamque obligari ad omnia illa debita solvenda, quin illius partis satisfactionem vel compensationem ab altera provincia *Y.* exigere possit ». Ed aggiungeva nella lettera accompagnatoria: « La P. V. R. d'accordo col suo v. Definitorio dentro lo spazio di un mese dalla presente farà del tutto che siano pagati i debiti più urgenti contratti dal P. *V.*: e prenderà misure energiche che il resto sia pagato al tempo della scadenza: altrimenti verranno prese delle disposizioni che rincresceranno non poco ».

Ma non obbedendo il P. Provinciale, non ostante le insistenze fatte dal P. Generale, la signorina *N.* ricorse alla S. C. dei Religiosi, la quale, esaminate le cose secondo la sua prassi, al dubbio « Se sia, ed in qual modo da confermarsi il decreto del R. P. Generale del 3 giugno 1911, col quale si obbligava la provincia di *Z.* a riconoscere e soddisfare i debiti contratti da P. *V.* », nella Plenaria del 3 maggio 1912 rispondeva: « Attentis omnibus hucusque deductis placere de concordia: et Ordinarius... partes vocet et eas ad compositionem peragendam inducat: quod si non obti-

nuerit, tunc utraque pars eligat arbitrum; et arbitri sic electi rem concorditer dirimant: quod si discordes sint, ipsi eligant tertium ».

Ma l'Ordinario non potè indurre le parti ad una composizione: laonde si venne all'elezione degli arbitri da una parte e dall'altra. E non accordandosi essi, vennero all'elezione del terzo arbitro. E questi, riunitisi, credendosi autorizzati ad entrare in merito della questione, piuttosto che a trattare della composizione, si proposero il dubbio: « Se consti che i superiori della provincia religiosa di *Z.* siano responsabili del debito contratto dal loro religioso P. *V.*, verso la signorina *N.* nel caso ». Ed in data 23 aprile 1913 risposero con voti due contro uno: *Negative*.

A questo lodo o sentenza arbitrale non si acquietò la signorina *N.*, e reclamò al S. Padre: il quale, come si è detto da principio, nominò una Commissione Cardinalizia *per l'esame e la definitiva soluzione di questa vertenza*.

In linea di diritto gli Emi Padri esaminarono in primo luogo, se e quale valore dovesse darsi alla sentenza arbitrale del 23 aprile 1913: e conclusero doversi ritenere nulla e di niun valore.

Infatti gli arbitri non potevano aver maggiore potestà di quella che veniva loro dalla risoluzione della S. C. dei Religiosi che li costituiva. Ora la S. C. aveva stabilito: *Placere de concordia*. Ed ognun sa che il *Placere de concordia*, secondo la prassi delle Sacre Congregazioni, ha un valore precettivo, vale a dire, *che si venga* ad un concordato, transigendo da una parte e dall'altra. La signorina *N.* chiedeva il pagamento di tutta la somma di cui il P. *V.* si era dichiarato debitore: la provincia negava tutto. La concordia quindi non poteva consistere che nel transigere fra tutto ed il nulla, cioè nello stabilire una somma media. E ciò si rileva ancor più chiaramente dal seguito della risoluzione in cui per ottenere questa concordia si prescrive che l'Ordinario chiami le parti *et eas ad compositionem peragendam inducat*. E fallito questo tentativo si ordina che ciascuna parte elegga un arbitro, dandosi ad essi parimenti il mandato che *rem concorditer dirimant*.

La mente quindi della S. C. è ben netta e precisa, di tentare cioè una composizione fra le parti. Questo dice chiaramente all'Ordinario, questo ripete ai due arbitri. Ma dato che i due arbitri non si intendano, la S. C., volendo pur riuscire nell'intento, ordina che i due arbitri ne eleggano un terzo. A qual fine? per costituire un nuovo tribunale che giudichi in merito dell'obbligazione, facendo quello che la stessa S. C. si era astenuta di fare? Non già. La conseguenza, il nesso logico del discorso non permettono altro supposto, se non che i tre arbitri si adoperino a fare quello che la S. C. aveva in massima stabilito — *placere de concordia*, — quello che l'Ordinario prima, i due arbitri da poi erano incaricati di fare, cioè, di tentare una composizione.

È ben vero che gli Emi Padri non dissero ciò tassativamente. Ma ciò si deduce dal nesso logico della risoluzione, usandosi un'*elissi* nel discorso, forma ovvia, abbastanza comune nel dire e nello scrivere, e che facilmente si arguisce.

Mentre che se gli Emi Padri avessero voluto dare ai tre arbitri un mandato diverso da quello precedentemente dato all'Ordinario ed ai due

arbitri, cioè, se avessero voluto che i tre arbitri giudicassero del merito dell'obbligazione, o meno: avrebbero necessariamente dovuto esprimerlo, ed esprimerlo in termini chiari e precisi. Non lo fecero. Dunque non diedero ai tre arbitri altro mandato se non quello che discendeva logicamente dalle premesse, e aveano prima di loro attribuito all'Ordinario ed ai due arbitri, cioè di tentare e stabilire una composizione.

Ma i tre arbitri, messa da parte ogni idea di composizione, si arrogarono di giudicare in merito sull'esistenza della obbligazione. È chiaro quindi che hanno ecceduto il mandato: ed in conseguenza il loro giudicato è nullo e di niun valore.

Ciò premesso la Commissione Cardinalizia considerando che il mandato commessole dal Santo Padre era di esaminare e di dare *una definitiva soluzione* alla vertenza che da anni si agita fra la signorina *N.* e la provincia religiosa di *Z.* si ritenne autorizzata, ben diversamente dagli arbitri di cui sopra, a giudicare in merito alla questione: e si propose il seguente dubbio: « Se e come debba confermarsi il decreto generalizio del 3 giugno 1911, il quale obbligava la provincia *Z.* a riconoscere e soddisfare i debiti contratti dal P. *V.* »

Essendo però il mandato della Commissione limitato alla controversia pendente fra la signorina *N.* e la provincia religiosa, la conferma o meno di detto decreto deve intendersi in rapporto alla Signorina *N.* e non agli altri creditori, dei quali la Commissione non può nè intende occuparsi.

Inoltre avendo il P. *V.* con legale scrittura del 9 novembre 1910 dichiarato di essere debitore verso la signorina *N.* di una data somma e della restituzione di 22 azioni *C.*, restituzione che si obbligava di fare entro il 1º luglio 1911, oltre il pagamento dei frutti, ecc. ed avendo la signorina *N.* accettato tale dichiarazione; ne consegue che la provincia suddetta, qualora venisse condannata al pagamento, col soddisfare al contenuto della detta scrittura dovrebbe ritenersi che abbia soddisfatto a tutti i suoi obblighi verso la signorina *N.* laonde il dubbio generico sopra riferito si risolve e riduce a quest'altro, cioè, « se la menzionata provincia debba riconoscere il debito indicato in detta scrittura del P. *V.* verso la signorina *N.* e soddisfarlo ».

Ora nell'esame di questo dubbio la Commissione Cardinalizia ammise che se un religioso, massime di voti solenni, esercita pubblicamente e notoriamente un commercio od una industria, deve ritenersi autorizzato dai superiori, a meno che questi con atto pubblico non lo abbiano riprovato.

Infatti: 1º, il religioso di voti solenni *non habet neque velle neque nolle*, che appartiene ai superiori. Quindi se i superiori lo lasciano fare, deve dirsi che l'autorizzano; 2º, tanto più che l'esercizio di un commercio o di una industria, massime pubblico e notorio, è, generalmente parlando, alieno dalla vita religiosa specialmente con voti solenni. Perciò se i superiori non lo permettessero, dovrebbero impedirlo efficacemente; 3º, nè mancano analogie nel diritto civile delle diverse nazioni. Così, per non citare che un esempio, il *Diritto Commerciale* italiano nell'art. 13 stabilisce: « La moglie non può essere commerciante senza il consenso espresso o tacito del marito.

Si presume il consenso, quando l'esercizio del commercio sia pubblico o notorio, salvo che il marito non ne abbia fatto divieto espresso con dichiarazione pubblicata ». Ora il P. *V.* era professo di voti solenni, e questa sua condizione era nota a tutti; esercitava pubblicamente e notoriamente il commercio od industria tipografica con macchina tipografica prima piccola poi grande, obbiettivo per fotografia e macchina per fototipia; aveva molti operai; stampava non solo il periodico, ma anche altri libri, diplomi, imagini, ecc., che poi vendeva; nè i superiori riprovarono con atto pubblico tale esercizio. Dunque l'autorizzarono; autorizzazione tacita, ma reale e pubblica. E ciò è tanto più vero nel caso presente, in quanto che la tipografia era nella stessa casa religiosa, sotto gli occhi dei superiori e di tutti, ed era pubblicamente intitolata dal nome del periodico, che apparteneva notoriamente alla provincia.

A ciò si aggiungano alcuni altri fatti che importavano una specie di approvazione non soltanto tacita, ma esplicita, benchè privata. Così la benedizione abbastanza solenne data dal P. Provinciale al periodico, e più tardi alla piccola tipografia, ed i sussidi che in varie epoche i superiori diedero al P. *V.*, compensati da questi con lavori della tipografia.

Nè si dica che il P. Provinciale con deliberazione dell'8 giugno 1907 e 10 giugno 1910 ingiungeva al P. *V.* di lasciare la tipografia e di cessare la pubblicazione del periodico. Imperocchè questa proibizione venne dopo contratti, almeno nella massima parte, dal P. *V.* i debiti dei quali si tratta; quindi troppo tardiva. Di più per distruggere l'autorizzazione pubblica della quale si è parlato, non bastava una proibizione privata, come fu questa; ma era necessaria una proibizione pubblica; per esempio, diffidare il pubblico affinchè non ritenesse implicato l'Ordine nella azienda del P. *V.*, o meglio ancora chiudere la tipografia, e, se il P. *V.* si fosse mostrato pervicacemente riottoso, inviarlo altrove.

Ma di tutto questo nulla fu fatto. Quindi quella proibizione valeva bensì come regola di coscienza pel P. *V.* ma nulla pel pubblico e di fronte ai terzi.

È poi chiaro che se il P. *V.* aveva l'autorizzazione di esercitare il commercio tipografico, logicamente aveva anche l'autorizzazione a contrarre obbligazioni ed a fare tutti quegli atti che sono necessari per l'esercizio delle leggi civili. Così, insistendo nell'esempio citato sopra, nel *Codice Commerciale* italiano, art. 14, si legge: « La moglie commerciante (autorizzata espressamente o tacitamente dal marito) può senza altra autorizzazione contrarre obbligazione per tutto ciò che concerne il suo commercio ». Avendo dunque i superiori autorizzato il P. *V.* ad esercitare il commercio od industria tipografica, implicitamente lo autorizzarono anche a contrarre obbligazioni per tutto ciò che concerneva quel commercio od industria, per esempio per comprar caratteri, carta ed il resto necessario, per pagar la mercede agli operai, ecc., essendo logico, come giustamente osserva il P. *V.* che chi ha una tipografia, debba procurarsi tutto ciò che all'esercizio della medesima è necessario.

Che poi i debiti del P. *V.* siano stati contratti per la pubblicazione del

periodico e per l'esercizio della tipografia, non è posto, nè sembra potersi porre in dubbio.

Messa così fuori di questione l'esistenza dell'autorizzazione data al P. *V.*, dai suoi superiori di esercitare l'industria tipografica; ed ammesso che i debiti contratti, da lui lo furono appunto per l'esercizio di questa industria, la Commissione Cardinalizia entrò ad esaminare, quali conseguenze da ciò venissero.

Ora è noto, e fuor di discussione, che l'autorizzazione a compiere qualche atto, concessa ad uno che per disposto della legge non può compierlo senza di essa, ma che del resto ha personalità propria e quindi può *acquirere sibi*, toglie l'obice che aveva quell'ente o persona a porre quell'atto, ma non importa garanzia per parte della persona autorizzante. Così la moglie autorizzata dal marito al commercio, avendo essa una personalità propria e potendo *acquirere sibi*, se col suo commercio guadagna, accresce il suo patrimonio; se perde, perde parimenti del suo: ma il marito, come non partecipa dei guadagni, così non risponde alle perdite della moglie. Egualmente si dica del minore autorizzato dal padre o tutore a qualche atto. Egualmente di qualunque causa pia, chiesa, beneficio, i quali essendo considerati come minori, per vendere e comprare e per altri simili atti necessitino della facoltà dell'autorità tutoria. In questi casi si ha l'autorizzazione di *tutela*, che non fa altro che rimuovere l'ostacolo ad operare posto dalla legge; dopo di che la personalità propria dell'autorizzato si svolge per suo conto senza responsabilità giuridica dell'autorizzante.

Ma ben diversamente va la cosa per un religioso, specialmente di voti solenni.

Questi, come si è detto di sopra, non ha nè il *velle*, nè il *nolle*. Quindi non ha personalità giuridica propria, nè i superiori possono conferirgliela perchè contraria ai voti. Non può dunque applicarsi la teoria esposta; l'autorizzazione data dal superiore ad un suo religioso per comprare o per vendere o per altre simili operazioni riveste invece quasi la natura di mandato. Ed il religioso nell'esercizio di questo atto diviene come il gestore del convento, o della provincia, o dell'ordine che l'ha a ciò autorizzato. Dal che per conseguenza logica e necessaria discende, che non il religioso, ma il convento, o la provincia, o l'ordine debbano rispondere dell'operazione.

A questa gravissima si deve aggiungere un'altra considerazione. Non avendo e non potendo avere personalità propria, *quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit*. Quindi se dall'operazione del religioso, non lui personalmente, ma il monastero lucra ed acquista, quasi che il religioso fosse un braccio strumentale del convento; per logica conseguenza, per giustizia per il rispetto al buon diritto dei terzi, se dall'operazione predetta ne segue un danno, di questo deve rispondere non il religioso (che nulla ha e nulla può perdere) ma il convento che è il *dominus*, che ha la personalità giuridica, ed a cui andrebbero i lucri, se questi vi fossero.

Ma il P. *V.* si trovava appunto in questa condizione di religioso di voti solenni, autorizzato dalla sua provincia ad esercitare l'industria tipo-

grafica: dunque non lui, ma la sua provincia doveva rispondere di questo esercizio; e come la provincia aveva il diritto di ascriversi i lucri di questa industria e di disporre di essi se vi fossero stati, così deve far fronte alle obbligazioni ed alle passività dell'esercizio, quali disgraziatamente nel fatto si verificarono.

Dal detto fin qui, chiaro apparisce non potersi tener in alcun conto la clausola apposta alla deliberazione del capitolo provinciale del 3 settembre 1901: « La provincia sarà libera da qualunque responsabilità di pagamento in caso di debito; in caso di credito, questo vada a fondo del giornale ». Giacchè essendo il giornale proprio della provincia, potevano bensì i Padri disporre dei lucri; ma logicamente e secondo giustizia non potevano punto esimersi dal rispondere delle passività: senza dire poi che questa deliberazione rimase, come tante altre, segreta, e quindi di niun valore di fronte al pubblico ed ai terzi. Laonde non senza ragione il P. *V.* scriveva il 7 giugno 1911 al Definitorio provinciale: « Se dalla tipografia si fosse ricavato un vantaggio, certo io non l'avrei potuto ritenere per mio uso, ma avrei dovuto versarlo alla provincia; succede il contrario e la provincia se ne lava le mani. Si giudichi se questo è giusto e ragionevole ».

Dal detto fin qui chiaro anche apparisce che se un religioso, massime di voti solenni, esercita pubblicamente e notoriamente un commercio od un'industria (come era appunto il caso del P. *V.*) i superiori debbono o proibirgli ciò pubblicamente ed efficacemente, o rispondere delle conseguenze economiche che ne derivano.

Nè si eccepisca che questo principio può essere in taluni casi rovinoso per qualche convento o provincia religiosa; poichè, primieramente se la giustizia così richiede, non è possibile venire ad altra conclusione. Inoltre è in potestà dei superiori impedire questa rovina. Vigilino essi ed impediscano che i loro soggetti si abbandonino ad imprese ardite senza sorveglianza ed ogni pericolo sarà scongiurato; senza dire che ciò gioverà a prestigio dell'ordine, favorirà l'osservanza della regolare disciplina, ed eviterà non lievi scandali.

Per tutte queste ed altre considerazioni la Commissione Cardinalizia con voto unanime è venuta nella seguente deliberazione e sentenza:

Art. I. « La provincia religiosa di *Z.* è tenuta a soddisfare i debiti contratti dal P. *V.* verso la signorina *N.* e da lui riconosciuti nella scrittura del 9 novembre 1910 ».

Siccome poi i superiori della provincia predetta di fronte alle ripetute ingiunzioni ed allo stesso decreto del Superiore generale 3 giugno 1911 che ordinava loro *in virtute s. obedientiae* di riconoscere i debiti del P. *V.* e di soddisfarli, o di provvedere per la loro soddisfazione entro un mese, si mostrarono sempre riluttanti, non ostante le minaccie loro fatte dallo stesso Generale di prendere contro di loro delle severe misure; perciò la Commissione Cardinalizia ha di pari comune consenso stabilito quanto segue:

Art. II. « Entro un mese dalla notificazione della sentenza il P. Provinciale col suo Definitorio soddisfino la signorina *N.* in conformità della scrittura del P. *V.* del 9 novembre 1910, o assumano una obbligazione in *forma*

iuris valida per soddisfare a quest'obbligo: e scorso inutilmente questo tempo essi rimangano sospesi *a divinis;* salve le pene ulteriori della decadenza dell'officio e della privazione della voce attiva e passiva, se (*quod Deus avertat*) perseverassero nella loro ostinazione ».

Art. III. « Nell'atto della soddisfazione dei crediti, o dell'assunzione della obbligazione per soddisfarli di cui all'art. II, la signorina *N.* dovrà restituire ai superiori della provincia tutte le lettere del P. *V.* e quanto riguarda le sue obbligazioni ».

Art. IV. « Circa la clausola finale del decreto del P. Generale, con cui si esime la provincia *Y.* dal concorrere colla provincia *Z.* pel pagamento dei debiti del P. *V.*, la Commissione Cardinalizia non intende pronunciarsi in merito, reputando ciò eccedere il suo mandato. Ma lasciando libera quest'ultima provincia a far valere i suoi diritti, in quanto possa averli, ricorrendo contro il decreto del Padre Generale; vuole tuttavia che questa questione non debba affatto ritardare l'obbligo della soddisfazione dei debiti di cui negli articoli precedenti: e prescrive quindi che la medesima provincia *Z.* non possa esercitare il diritto eventuale di rivalsa verso l'altra, se non abbia prima adempito alle prescrizioni degli articoli predetti verso la signorina *N.* ».

Art. V. « L'esecuzione della presente sentenza viene affidata al Revmo Ordinario, e della sentenza stessa sarà data copia al Revmo P. Generale dell'ordine, ed al P. Provinciale ».

Dato a Roma, li 18 agosto 1914. – † Gaetano Card. De Lai, Vesc. di Sabina. – † Pietro Card. Gasparri. – † Basilio Card. Pompilj.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 104-112].

4423.

S. C. de Religiosis, 1 mart. 1915.

Huic Sacrae Congregationi de Religiosis propositae fuerunt quaestiones:

I. Cum haud raro contingat, ut Religiosi studentes, absque ulla ipsorum aut superiorum culpa, per plures menses studia interrumpere cogantur (ex. gr. infirmitatis, aut servitii militaris causa), quaeritur utrum huiusmodi studentes totum annum scholarem sic interruptum seu abbreviatum repetere teneantur; an a Superiore generali, accedente voto deliberativo suorum Consiliariorum, dispensari possint.

II. Utrum examen seu periculum de quo in Responso ad n. VI Declarationum Sacrae Congregationis diei 7 septembris 1909 sermo est,[1] subiri debeat etiam ab alumnis, qui aliquam disciplinam accessoriam Theologiae in scholis non excoluerint; et si affirmative, utrum hoc examen tam ab istis alumnis quam ab aliis subeundum, coincidere possit cum examine in fine anni scholaris subiri solito.

[1] Cf. N. 4397.

Quibus quaestionibus, in Congregatione generali diei 8 ianuarii 1915 Emi Patres responderunt:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, dummodo 1) interruptio seu compendium studiorum complexive non duraverit ultra tres menses; 2) studia omissa scholis privatis suppleta fuerint; 3) et in examine constiterit, ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum, alumnos disciplinas, de quibus in eorum absentia in scholis actum est, prorsus didicisse.

Ad II. Examen, de quibus (!) in Responso ad num. VI Declarationum Sacrae Congregationis diei 7 sept. 1909 agitur, requiri pro qualibet disciplina omissa, sufficere tamen examen ordinarium etiam in fine anni praestitum, quod ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum constare debet.

Et Sanctissimus Dominus noster Benedictus XV in audientia diei 2 ianuarii 1915, infrascripto Secretario benigne concessa, has responsiones approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 1 martii 1915. – O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus.* – † Adulphus, Episcopus Canopitan., *Secretarius.*

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 123, 124].

4424.

S. C. de Religiosis, *Vicentina*, 3 aug. 1915.

Religiosa familia Ordinis Servorum B. M. V. constituta, labente saeculo decimo quinto, cum plenitudine iuris canonici in Monasterio et adnexa Ecclesia S. Mariae Montis Berici, dioeceseos Vicentinae, suppressa fuit ac dissoluta per summam iniuriam a potestate laica a. 1810. Municipium autem Vicentinum praefatum Monasterium cum adnexa ecclesia, ne fisco addiceretur, sibi acquisivit: anno vero 1833 concessit Religiosis praelaudati Ordinis perpetuum usum Monasterii atque ecclesiae, qui quidem Religiosi possessionem rite ceperunt die 8 decembris 1835.

Cum vero Episcopus Vicentinus a. 1864 in peragenda visitatione canonica Ecclesiarum regularium existimaverit se ius habere visitandi etiam ecclesiam S. Mariae Montis Berici, quod ex alia parte Patres Servitae denegabant, res delata fuit ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, quae, auditis rationibus ultro citroque allatis, quaestioni:

« Se e come convenga rispondere alle lettere di Mons. Vescovo di Vicenza, e massime sul Santuario di Monte Berico », in plenariis comitiis diei 26 martii 1866, respondit: « Prout exponitur non constare de iure Episcopi peragendi sacram visitationem ».

Qua tamen responsione nullatenus obstante, Revmus Episcopus Ferdinandus Ridolfi, qui in praesentiarum praeest dioecesi Vicentinae, censuit gravissima adesse argumenta quae commonstrent ius Episcopi peragendi sacram visitationem in ecclesia S. Mariae Montis Berici ac proinde sua-

deant recessionem a decisis. Obtento itaque a Summo Pontifice Pio X, f. r., beneficio novae audientiae, protulit ad rem argumenta quae subiecta fuere iudicio Emorum Patrum Cardinalium Sacrae Congregationis de Religiosis in consessu plenario diei 30 iulii 1915.

Et sequentibus dubiis:

1. An Episcopus Vincentin., attentis noviter deductis, ius habeat visitationem canonicam peragendi in ecclesia B. M. V. Montis Berici; et quatenus negative:

2. An expediat ut Patres Servitae tradant Episcopo Vicentino aliquas eleemosynas de iis quae Sanctuario offeruntur,

Emi Patre responderunt:

Ad 1. Negative et amplius.

Ad 2. Provisum in primo.

Quam sententiam Emorum Patrum SSmus Dominus Noster divina Providentia Pp. Benedictus XV, in audientia diei 3 augusti 1915, referente infrascripto Secretario, ratam habuit et confirmavit, ac publici iuris fieret mandavit.

Ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 3 augusti 1915. – O. Card. Caggiano de Azevedo, *Praefectus*. – † Adulphus, Episcopus Canopitan., *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 439, 440].

4425.

S. C. de Religiosis, 7 nov. 1916.

Sacrae Congregationi de Religiosis sequentia dubia, pro opportuna solutione, proposita sunt:

I. An puellae postulantes e monasteriis clausurae papali subiectis egredi possint, parentes vel notos invisendi gratia, aut alia de causa. Et quatenus negative:

II. Utrum ad huiusmodi egressum venia Apostolicae Sedis indigeant, an satis sit consensus Ordinarii.

Eadem S. Congregatio, re mature perpensa, respondendum consuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

[Acta Ap. Sedis, vol. VIII, p. 446].

4426.

S. C. de Religiosis, 22 apr. 1917.

In articulo V Decreti *Cum de sacramentalibus* diei 3 februarii 1913 statutum est: « Si qua religiosa ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus; qui tamen invigi-

labit ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate ». [1]

Circa hunc articulum proposita sunt S. Congregationi de Religiosis sequentia dubia:

I. An confessarius specialis seu spiritualis moderator pro aliqua religiosa deputatus iuxta art V. Decreti *Cum de sacramentalibus*, valeat perpetuo in suo munere permanere, vel potius concedendus sit ad tempus praefixum.

II. An deputari valeat in confessarium specialem seu conscientiae moderatorem alicuius religiosae, qui in decurso triennio confessarii ordinarii communitatis munere functus sit, nondum a cessatione praedicti officii anno expleto.

Emi Patres Cardinales huius S. Congregationis de Religiosis, tota rei ratione mature perpensa, in plenario coetu habito die 20 aprilis currentis anni 1917 responderunt:

Ad I. Specialem confessarium seu moderatorem spiritualem concedendum esse non ad tempus praefixum, sed donec perduret iusta causa necessitatis vel utilitatis spiritualis religiosae, quae postulaverit, ad normam Decreti *Cum de sacramentalibus*, sub n. 13.

Ad II. Affirmative.

Facta autem de hisce omnibus relatione ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis, in audientia diei 22 eiusdem mensis aprilis, Sanctitas Sua Emorum Patrum sententiam benigne ratam habuit et confirmavit. – I. Card. Tonti, *Praefectus*. – † Adulphus, Ep. Canopitan., *Secretarius*.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 276, 277].

4427.

S. C. de Religiosis, 20 maii 1917.

In Generalibus Comitiis diei 19 maii 1917, Emis Patribus Cardinalibus S. Congregationis de Religiosis, habita ratione Decreti eiusdem S. Congregationis diei 30 iunii 1911, [2] quo Societati Filiarum S. Ursulae aggregatio conceditur Tertio Ordini Franciscali ad obtinenda privilegia indulgentiasque eiusdem Tertii Ordinis, proposita sunt solvenda circa relationes inter Societatem Filiarum S. Ursulae a S. Angela Mericia et Tertios Ordines praesertimque Tertium Ordinem Franciscalem infrascripta dubia:

I. Utrum Filiae e Societate S. Ursulae adscribi possint Tertio Ordini S. Francisci, vel alteri Tertio Ordini?

II. Utrum Decreto S. Congregationis de Religiosis anni 1911, quo privilegia et indulgentiae Tertii Ordinis S. Francisci communicantur cum Societate Filiarum S. Ursulae, frui quoque valeant illae Familiae eiusdem Societatis quae dictam communicationem expresse non petierint?

[1] Cf. N. 4416.
[2] Cf. N. 4411.

III. Utrum Filiae S. Ursulae possint, quatenus Tertio Ordini Francisci aggregatae, interesse conferentiis et functionibus quae habentur in localibus congregationibus Tertii Ordinis?

IV. Utrum ascriptae cuicumque Tertio Ordini religioso saeculari transire possint ad Societatem Filiarum S. Ursulae?

Huiusmodi dubiis Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative, relicto tamen Tertio Ordine cui pertinebant.*

SSmus Dominus noster Benedictus divina Providentia Pp. XV, in audientia concessa Secretario S. Congregationis die 20 eiusdem mensis maii, resolutiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignatus est. - I. Card. Tonti, *Praefectus.* - † Adulphus, Ep. Canopitan., *Secretarius.*

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 350, 351].